



# **Digestorum seu Pandectarum libri quinquaginta.**

<https://hdl.handle.net/1874/433695>



BUCHER



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**


<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

**Rariora**

L. qu.  
40



5  
P

[The page contains a large, faint, and illegible watermark or bleed-through from the reverse side of the paper. The watermark appears to be a vertical rectangular shape with some internal details, but the text or image within it is too faded to be discernible.]



Jus positivum et Interpretes

Quarto n<sup>o</sup>. 40.

L. qu.  
40

Rariora



Nº 124. d.

N 67. A

5. p.

3.

DIGESTORVM  
SEV PANDECTARVM LI  
BRI QVINQVAGINTA.

εις βιβλος.

βιβλον Ιουστινιανός ἀναξ τεχίσαιτο πῶ δ,  
τῶ ρα τριβωνιανός μεγάλην κάμει παμβασιλῆϊ,  
οἷά τις ἤρακλῆϊ παναίολον αἰανίδα τήξασ,  
ἢ ἐπιμυμείροισιν ἀγάλματα πάντα θυμίσωας,  
Ἀνθρώπων δ' Ἀσίνε τε, δορυκτῆτε τε λιβύε,  
Εὐρώπῃ τε πύθωνται ὄλου σημαίνουε κόσμῳ.

Editi Noremburgæ per Gregorium  
Haloandrum, munificentia ac libe-  
ralitate amplifs. ordinis ibidem.  
Anno M. D. XXIX. CAL. APR.

2x donatione hiberny a  
Burrbel



DIGESTORVM

SEV BANDICTARVM LIB

PRIMO QVINGVAGINTA

IN NOMINE DOMINI AMEN  
Hic incipit digestio  
secundum legem  
et consuetudines  
et rationes  
et sententias  
et litteras  
et rescripta  
et mandata  
et cetera  
et cetera  
et cetera

Incipit digestio  
secundum legem  
et consuetudines  
et rationes  
et sententias  
et litteras  
et rescripta  
et mandata  
et cetera  
et cetera  
et cetera  
Anno M. D. CCC. XL. APR.

# AMPLISSIMO

DECVRIONVM ORDINI REI PVBLICAE

NOREMBERGENS. GREGORIVS

HALOANDER.



Quidē existimo, magnifici ac sapiētissimi uiri, si situs ubiq; rectis studijs honos haberet: & qui ius ciuile p̄fiterentur, plus augendo bono publico, q̄ priuato censui studerent: neq; obstaret hominū inuidia, qui tunc demum se beatos, totoq; terrarum orbe celebres fore credunt, si peruetusta exemplaria sollicitē penes se adseruent, & usibus publicis subtrahant: iam pridem aliquos futuros fuisse, qui peruestigatione ac collatione antiquorum codicum, summa ope adnisi, ius ciuile interpolatum, beneq; castigatū nobis reliquissent. Quis enim neget, iam inde ab eo tempore, quo primum Romani imperij maiestas, partim incurfione exterrarum gentiū, partim oppressione tyrannorū labefactata, & ad inane nomen redacta est: cum omnes bonas artes, præclarāq; studia ingens uulnus accepisse: tum ius ipsum ciuile ita miserandum in modum magna ex parte concidisse, ut recuperandi restituendiq; eius in integrum omnis penē spes sublata esse uideatur? Nunc uero cum & bonæ literæ, quæ paulatim superioribus annis caput erexerant, sine quibus iuris ciuilis cognitio, tanquā firmissimo præsidio destituta consistere nequit, de integro pessum eant: & iuris studiosis, conatus: his autē, qui eius generis libros detinent, publicandi uoluntas desit: necessariō res eō decidit, ut quoniā iusti & ordinarij exemplaris copiā habere non datur, ne perpetuō puerorum more digitis micemus in tenebris, uicaria interim opera utamur. His ego rationibus adductus, nihil quidquā præter utilitatem publicam spectans: quo magis & ciuiliū quæstionum modus adhibeatur, & studiosi præstantissimos humanisq; actionibus utilissimos libros nō offenso pede peragrare queant: notas Pandectarum Florentinarum, quæ olim Pisanae fuerūt (antiquissimū exemplar, & quod ob sinceritatem ac scripturæ fidem ante quadringentos annos in summa ueneratione semper habitum est) quarum inspiciendarum describendarumq; potestatem magnus ille Politianus beneficio Laurentij Medicis excellentissimi uiri habuit, in cōmune profero. Hæ ipsæ quot quātisq; mihi laboribus, sudoribus, curis, uigilijs, lucubrationibus constitierint: ne dicam me capitis periculum adijisse, dum cōmunibus studijs

dijs opem ferre sedulo adnitor:facilius cogitatione cōsequi, quā ora  
tione explicare possim. Ac quo maiore cum autoritate (indigent etiā  
tutelari quodam numine)prodeant: uobis muneri offero, non solum  
ut deditissimi mei erga uos animi, & summi aduersus rem publicā ue  
stram amoris specimen edam: sed etiam ut studiosi bonicq; omnes im  
mortales uobis gratias debeant, qui me huiusce rei ergo, & honorifice  
accipere, & singulari munificētia prosequi, uestrisq; sumptibus hocce  
in opere absoluendo benigne sustentare non dubitaueritis. Accedet  
ergo ad cumulum uirtutū uestrarum hoc etiam, quod cum ita ab ini  
tio rem publicam uestrā incredibili prudentia administaueritis, ut nō  
modo cæteris Germaniæ ciuitatibus, municipiis, coloniis, metrocō  
miijs admirationi, sed etiā unico exēplo fueritis: nūc ciuitas uestra, si nō  
alumna, tamen reparatrix legū merito ab oībus appelletur. Quod au  
tem de notis à me scriptum est, id ne quis de uerbis meis erret, sic acci  
pi uolo: non per omnia me illarum fidem secutum esse (quando pluri  
ma in ijs contineantur, quæ non solum non defendi, sed ne tolerari qui  
dem possint, aut debeant) sed eatenus duntaxat, quatenus peruulgata  
nostra lectionis bonitate manifeste præcelluerunt, uel alioqui probabi  
lior ratio suafit: maxime si antiquorum codicum cōsensus, quos neq;  
paucos, neq; pessimos cum ijs contuli, accederet. Nam qui exemplar il  
lud Florentinorum <sup>ἀρχέτυπον</sup> Iustiniani fuisse contendunt: hi mihi plu  
rimum falli uidentur, cōtrariumq; plus, quā sexcentis locis, meridia  
no sole clarius commonstrari poterit. Illud tamen non iuerim inficias,  
si uspiam hoc tempore exstet exemplar, quod & uetustate & integrita  
te cæteris antistet, unde Pandectarum iuris ciuiliis opus citra contro  
uersiam prorsus in integrum restitui queat: hoc ex multis si non solū,  
præcipuum tamen fore. Quo factum est, ut si quando in diuersas sen  
tentias uarietate lectionum raptus, iudicio meo confidere ausus nō fue  
rim (hominem enim me esse memini, qui ut ignorare multa, ita & er  
rare possim) maluerim integrum iudicium ad æquum lectorem trans  
mittere, quā de mea sententia quidpiā temere statuere. quam rē asse  
risco (ut plurimum) notaq; adposita testatus sum: testaborq; deinceps,  
cum ab initio totum opus recognouero. Ex contrario non ita abiura  
tus & iniquus notis hisce fui, ut si quæ recta ratione prolata, ibiq; scri  
pta essent, facile ab ijs recesserim: ut maxime exstiterint, qui plurima in  
Pandectis corrigendo, iustis etiam uoluminibus editis, aliter locū ali  
quem scribendū reponendumq; putauerint. Libet eius rei in gratiā stu  
diosorū exempli causā unum de multis proferre, quo facilius de cæte  
ris coniectura possit fieri. In eius constitutionis, quæ in uulgatis codici  
bus

bus sola præfationis instar est, in Pandectis Florentinis secundum locū  
 obtinet, tum ὑπὲρ γράφῃ, tum contextu, crebra mentio antecessorum sit.  
 eam pleriq; dictionem, ut ratione carentem & subditiciam expunge-  
 re, & uel adseffores, uel anteseffores restituere non dubitarunt: quasi de  
 ἀπεδῶροις Atheniensium, uel præsidum ἀπεδῶροις hoc loco habeatur  
 oratio, ac nō potius scholasticū hoc uerbū fuerit de uoce græca (licet ni-  
 mis q̄ curiose) expressum. siquidem apud græcos uerbū ἀποκρίσεις  
 per translationem inter cætera significasse, præuendo aliquem ueluti  
 porrecta manu in penetralia facultatis ac professionis alicuius dedu-  
 cere: id uel particula ἀποκρίσεις Alexandro Aphrodisiensi cæterisq;  
 familiaris ostendit. ut antecessores ea ætate nihil aliud, quàm iuris pro-  
 fessores habiti sint, qui in scholis publicis autoritate principis certis  
 locis ius ciuile docerent: quibus ea constitutione Imperator quodam  
 modo formā ac docendi rationem, quanquā à posteris pessimo exem-  
 plo neglectam, utilissimā tamen & cōmodissimā, præscribat. qua ratio-  
 ne & qui iuri operam nauabant, generali uocabulo nō tantū discipuli,  
 sed & scholastici appellatione dicebātur: id, quod ex græcorū epigram-  
 matis non uno in loco obseruauimus. Verumenimvero quod ad scri-  
 bendi rationem, quam Græci ἀποκρίσεις appellant, pertinet: eam  
 neq; remotiorem ab usu atq; obseruatione nostra adhibui, neq; item  
 omnino circumforaneam illam atq; uulgarem amplexus sum. quem  
 admodum enim scriptionis insolentiam deuitans, non prægnas præ-  
 gnatis, non urgueo, non pigneris, non infinita alia, quæ in Florentino  
 codice propemodum perpetua sunt, scripsi: ita de industria exsilium,  
 adseruo, existit, cotidie, aliaq; eius generis, quæ legendo quis facile ani-  
 maduerter, nō refugi. Neq; id imprudenter, sed doctissimis acerrimisque  
 in literis iudicio uiris authoribus feci: ex quibus honoris causa nomi-  
 nare libet Io. Baptistā Egnatium Venetū, & D. Iulium Pflugk, utrūq;  
 incomparabili eruditione spectataq; morum integritate præditū: quo-  
 rum alter me non solum hominem Germanum consilio, sed etiam  
 uetustis codicibus adiuit: alter uero, præterq; quod primus mihi au-  
 thor exstitit iuris ciuilis capeffendi, & mirabiliter hoc studiū genū pro-  
 pter tot salebras, mendas, commentariorum barbariem, obscuras &  
 nonnunquam inutiles quæstiones, rixasq; scholasticas initio auer san-  
 tem cohortationibus ac spe meliorū retinuerit: postea ne quid in me  
 benignitatis ac liberalitatis omitteret, suo etiam sumptu in Italiam  
 ducere ac reducere non dubitauit: ut optimo iure studiosi, quidquid  
 mea opera ac labore ad ipsos uel cōmoditatis uel utilitatis peruentu-  
 rum sit, huic tanquam authori primario acceptum ferre debeant. De

librorum nomenclatura, quam inscriptionibus capitum adieci, nihil est, quod pollicear: cum non ex notis eam, sed alijs codicibus descriptam habuerim: nec alio consilio omissam putem, quam quod marginis angustia non caperet, quod idem in uno & item altero loco tractatus de Tutelis accidit, ubi uerba Modestini græca deesse notatur quidem, sed non adscribuntur. qua in re tamen ne quis uel fidem uel diligentiam meam requireret: quidquid eius erat, ita signis distinxī, ut sine negotio cognosci possit, quæ latine, quæ rursus græce scripta initio fuerint: dū quæ græca esse debent, cōgeminatam crucem præ se ferunt †, latina trifolium ☙. Potuissē sanē imitatus eorum exemplum, qui cōcinandis adnotationibus gloriam sibi peperere, quos non multo meliores his puto, qui tantam nobis librorum molem obiecerunt, & manifeste in Iustiniani edictum commiserunt: & ipse bonum numerum librorū conficere, si tam gloriæ meæ, quam studiosorum rationem habere uoluissē, qui hisce legendis magno temporis dispendio à cognitione iuris auocant. Sed magis mihi Zamolxidis apud Platonem cōsiliū adlubuit, qui putabat, tum demum certæ corporis parti recte medicinam accommodari posse, si totum prius corpus bene constitutū fuisset. Cōsimiliter ego existimaui, felicius cōsuli huic studio, si fontes ipsi rerum, qui calamitate temporum, nostrarūq; socordia interciderunt, reparentur perpurgenturq;. Cæterum cum digestorum opus Imperator in septem partes distribuit, quibus separati rerum tractatus & disputationes continerentur: recte me atq; ordine facturum arbitratus sum, si in partiendo opere plus apud me paterer Imperatoris auctoritatem, quam imperitam uulgi, adeoq; sine ratione receptam consuetudinem ualere: præsertim uero cum ἐν τοῖς νεωτέροις (quod genus constitutiones nostri authore Bulgaro in collationes diuisas Authenticas uocāt) ipse Imperator clamet, constitutione. 134. τὰ κακῶς ἐπινοήθηνα οὐδὲ μακροῦ σπουδαία βεβαίως βουλόμεθα. Qua ppter totū opus ita partiti sumus, ut siue in duo, siue tria uolumina redigi id studiosi uelint, summa commoditate fiat: & una eademq; opera Bulgari & Azonis sæculo natæ uoluminum appellationes, præter barbariem nihil olentes, è medio discedat. Laurentij deniq; Vallæ criminationibus, cæterorumq; calumnijs, quibus tam iure consultos ueteres, quam ipsum Iustinianum conuictijs impetunt: alio tempore, cū plus ocij nactus ero, & firmiore ualitudine fuero, respondere conabor. Illud in præsentia non negauerim, nulla in iuria nostrorum hominum imperitiā accusari, qui caput aliquod ex Digestorum opere in testimonium adducentes, legis uerbo & gemino ff. utuntur: cum ex monumentis antiquissimorum codicum constet, latinos

Latinos  $\kappa\upsilon$  τοῖς  $\pi\rho\alpha\tau\acute{\iota}\tau\lambda\omicron\iota\varsigma$  simpliciter huic  $\mathcal{H}$ , uel huic  $\mathcal{H}$  nota, quae  
 operis nomen significabant (unde & supina librorum negligentia it  
 repfit, ut hodie. ff. scribantur) titulum nudumque capitis principium hunc  
 in modum adiecit. Dig. uel  $\mathcal{H}$ . uel  $\mathcal{H}$ . de act. empr. Iulianus. grae-  
 cos uero frequentius operis nomen omisit: titulum, caput, ac uersum,  
 quem  $\delta\epsilon\mu\acute{\alpha}\tau\iota\omicron\upsilon$  illi quasi nouam facti speciem sine casum, nostri ine-  
 pre paragraphum appellarunt, per numeros tantum indicasse hoc modo.  
 $\epsilon\iota\beta. \delta. \pi\tau. \beta. \kappa\epsilon. \varsigma. \delta\upsilon. \iota\alpha.$  id quod fragmenta quaedam de pignoribus,  
 de successione ab intestato, de peculio graece scripta, quae penes me ha-  
 bent, antiquissima testari possunt. Quod reliquum est: exopto, ut aequus  
 mihi rerum aestimator contingat, qui magis studium, uoluntatem, atque indu-  
 striam expedit, quam si quid humani admiserim, calumniam nesciat, & in pes-  
 simam partem omnia rapiat. Capiant de me exemplum, qui rei literariae bene-  
 cupiunt: namque meliores codices, non certando maledictis, a quibus na-  
 rura sum alienissimus: sed benigne in publicum consulendo, honestissi-  
 mum rebusque humanis perquam necessarium studij genus adiuent.  
 qua re non solum a me, sed etiam bonis omnibus immortalem gratiam  
 inibunt. Hos igitur libros, amplissimi patres, si ea fronte & animi hila-  
 ritate acceperitis, qua uobis a me offeruntur: non solum laboris atque ope-  
 ra magnum me fructum percepisse putabo: sed etiam efficietis, ut ali-  
 quando (uolente deo) temporis progressu bona Codicis Iustiniani par-  
 tem,  $\nu\epsilon\alpha\sigma\theta\epsilon\iota\varsigma$  denique ipsas in publicum proferam. quo magis facto nostro, & iu-  
 ris ciuilibus studio quotidie auctius reddatur: atque ab omnibus dei & ser-  
 uatoris nostri benignitas praedicetur, qui non dedignatus fuerit per me  
 infimum hominum suos respicere. cui laus honor & gloria in sae-  
 cula saeculorum AMEN.

D I X I.

Curauimus praeterea (ne quid dissimilem) maioribus literarum for-  
 mis describi, tum legum, senatusconsultorum, edictorum & quae mate-  
 rialiter poni a Grammaticis dicuntur, uerba: tum stipulationum, exce-  
 prionum, institutionum, substitutionum, legatorumque formulas: quod  
 intelligere ea re non solum magnam operi lucem accessuram, sed etiam  
 studiosos bona laboris parte leuatum iri. eodem pacto ijs consulimus,  
 qui graeca nesciunt, in fine operis Graecorum rescriptorum, responsorum,  
 quaestionum, uocabulorum interpretatione adiecta.

Impe

# IMP. IVSTINIA

NVS A. TRIBONIANO VIRO EMINENTISSIMO,  
MO, QVAESTORI SACRI PALATII.



Io autore, nostrum gubernante imperium, quod nobis à cælesti maiestate traditum est: & bella feliciter peragimus, & pacem decoramus, & statum rei publicæ sustentamus: & ita animos nostros ad dei omnipotentis adiutorium erigimus, ut neq; armis confidamus, neq; nostris militibus, neq; bellorum ducibus, uel nostro ingenio: sed omnem spem ad solam prouidentiam referamus summæ trinitatis, unde & mundi totius elementa processerunt, & rerum dispositio in orbem terrarum producta est. Cum itaq; nihil tam <sup>\*σπουδαιότατον</sup> studiosum in omnibus rebus inuenitur, quàm legum autoritas, quæ & diuinas & humanas res bene disponit, & omnem iniquitatem expellit: reperimus autem omnem legum tramitem, qui ab urbe condita & Romuleis descendit temporibus, ita esse confusum, ut in infinitum extendatur, & nullius humanæ naturæ capacitate concludatur: prius nobis studium fuit à sacratissimis retro principibus initium sumere, & eorum constitutiones emendare, ac uix dilucidæ tradere: quatenus in uno codice congregatæ, & omni superuacua similitudine & iniquissima discordia absolutæ, uniuersis hominibus promptum suæ serenitatis præbeant præsidium. Hocq; opere consummato, & in uno uolumine, nostro nomine præfulgète, coadunato: cum ex paucis & tenuioribus releuati, ad summam & plenissimam iuris emendationem peruenire properaremus, & omnem Romanâ sanctionem & colligere, & emendare, & tot authorum dispersa uolumina uni codici indita ostendere (quod nemo alius neq; sperare, neq; optare ausus est) res quidem difficillima, imò magis impossibilis uidebatur. Sed manibus ad cælum erectis, & æterno auxilio inuocato, eam quoq; curam nostris animis reposuimus: freti deo, qui & res penitus desperatas donare, & cõsummare uirtutis magnitudine potest: & ad tuæ syncretitatis optimū respeximus ministerium, tibiq; primo & hoc opus commisimus (ingenij tui documentis ex codicis nostri ordinatione acceptis) & iussimus, quos probares, tam ex facundissimis antecessoribus, quàm ex iuris disertissimis rogatis fori amplissimæ sedis, ad sociandum laborem eligere. His itaq; collectis, & in palatium nostrum introductis, nobisq; tuo testimonio placitis, totam rem faciendam permisimus: ita tamen, ut tui uigilantissimi animi gubernatione res omnis celebraret.

celebretur. Iubemus igitur uobis antiquorum prudentium, quibus  
authoritatem conscribendarum interpretandarumque legum sacratissi-  
mi principes præbuerunt, libros ad ius Romanum pertinentes & lege-  
re, & eliminare: ut ex his omnibus materia colligatur, nulla (secundum  
quod possibile est) neque similitudine, neque discordia derelicta, sed quod  
ex his unum pro omnibus sufficiat. Quia autem & alij libros ad ius per-  
tinentes scripserunt, quorum scriptura à nullis authoribus recepta, nec  
usitata sunt: neque nos eorum uolumina nostram inquietare sanctione  
dignamur. Cùmque hæc materia summi numinis liberalitate collecta  
fuerit: oportet ea pulcherrimo opere exstruere, & quasi proprium & san-  
ctissimum templum iusticie cōsecrare: & in libros quinquaginta & cer-  
tos titulos totum ius digerere, tam secundum codicis nostri constitu-  
tionem, quam edicti perpetui imitationem (prout hoc uobis commo-  
dius esse patuerit) ut nihil extra memoratam consummationem pos-  
sit esse derelictum, sed his quinquaginta libris totum ius antiquum per  
mille & quadringentos fere annos confusum, & à nobis purgatum, quasi  
quodam muro uallatum, nihil extra se habeat: omnibus authoribus iu-  
ris æqua dignitate pollentibus, & nemini quadam prerogatiua seruanda:  
quia non omnes in omnia, sed certi per certa, uel meliores, uel deterio-  
res inueniuntur. Sed neque ex multitudine authorum, quod melius &  
æquius est, iudicatore: cum possit unius forsitan & deterioris sententia  
& multos & maiores aliqua in parte superare. Et ideo ea, quæ in notis  
Aemilij Papiniani ex Ulpiano, & Paulo, necnon & Martiano adscripta  
sunt, quæ antea nullam uim propter honorem splendidissimi Papiniani  
obtrinebant, non statim respuere: sed si quid ex his ad repletionem  
summi ingenij Papiniani laborum uel interpretationum necessarium  
esse perspexeritis, & hoc ponere legis uim obtinens non moremini.  
Et omnes, qui relati fuerint in hoc codice prudentissimi uiri, habeant  
authoritatem, tanquam si eorum studia ex principalibus constitutioni-  
bus profecta, & à nostro diuino fuerint ore profusa. Omnia etiam  
merito nostra facimus: quia ex nobis omnis eis impartietur auctori-  
tas. nam qui non subtiliter factum emendat: laudabilior est eo, qui pri-  
mus inuenit. Sed in hoc studium uobis esse uolumus, ut si quid in uete-  
ribus libris non bene positum inueniatis, uel aliquod superfluum, uel  
minus perfectum: superuacua longitudine semota, & quod imperfectum  
est, repleatis: & omne opus moderatum & quam pulcherrimum osten-  
datis. hoc etiam nihilominus obseruando, ut si quid ex ueteribus legi-  
bus uel constitutionibus, quas antiqui in suis libris posuerint, non recte  
scriptum inueniatis: & hoc reformetis, & moderato ordini tradatis: ut  
hoc uideatur esse uerum, & optimum, quasi ab initio scriptum, quod à  
uobis

nobis electum, & ibi positum fuerit: & nemo ex comparatione neteris uoluminis, quasi uiciosam scripsuram, arguere audeat. Cum enim lege antiqua, quæ regia nuncupabatur, omne ius omnisque potestas populi Romani in imperatoriam translata sit potestatem: nos uero sanctionem omnem non dinisimus in alias & alias conditorum partes, sed totam nostram esse uoluimus: quid possit antiquitas nostris abrogare legibus? Et in tantum uolumus eadem omnia, cum reposita sunt, obtinere: ut si aliter fuerint apud ueteres conscripta, in contrarium autem in compositione nostra inueniantur: non scripturæ, sed nostræ electioni hoc adscribatur. Nulla itaque in omnibus prædicti codicis membris *ἁπλοῦς* (sic enim à uetustate græco uocabulo nuncupatur) aliquem sibi locum uindiceret: sed sit una concordia, una consequentia, aduersario nullo constituto. Sed & similitudinem (secundum quod dictum est) ab huiusmodi consummatione uolumus exfulare: & ea, quæ sacratissimis constitutionibus, quas in codicem nostrum redigimus, cauta sunt, iterum poni ex uetere iure non concedimus: cum Diualium constitutionum sanctio sufficiat ad eorum auctoritatem: nisi forte uel propter diuisionem, uel propter repletionem, uel pleniorum indaginem hoc contigerit: & hoc tamen petaro, ne ex continuatione huiusmodi lapsus oriatum aliquid in tali prato spinosum. Sed & si quæ leges in ueteribus libris positæ, iam per defuetudinem abierunt, nullo modo uobis easdem ponere permittimus: cum hæc tantum modo obtinere uelimus, quæ uel iudiciorum frequentissimus ordo exercuit, uel longa consuetudo huius æuæ urbis comprobauit: secundum Saluii Iuliani scripturam, quæ indicat, debere omnes ciuitates consuetudinem Romæ sequi, quæ caput est orbis terrarum, non ipsam alias ciuitates. Romam autem intelligendum est non solum ueterem, sed etiam regiam nostram, quæ deo propicio melioribus cõdita est augurijs. Ideo iubemus duobus istis codicibus omnia gubernari: uno constitutionum, altero iuris enucleati, & in futurum codicem componendi: uel si quid aliud à nobis fuerit promulgatum institutionum uicem obtinens, ut rudis animus studio si simpliciter enutritus, facilius ad altioris prudentiæ redigatur scientiam. Nostram autem consummationem, quæ à nobis aduente deo componetur, Digestorum uel Pandectarum nomẽ habere sancimus: nullis iuris peritis in posterum audentibus commentarios illi adplicare, & uerbositate sua supradicti codicis compendium confundere: quemadmodum & antiquioribus temporibus factum est, cum per contrarias interpretantium sententias totum penè ius conturbatum est. sed sufficiat per indices tantummodo & titulorum subtilitatẽ, quæ *ἁπλοῦς* nuncupatur, quædam admonitoria eius, facere, nullo ex interpretatione eorum

ne eorum uicio oriundo. Ne autem per scripturam aliquam fiat in posterum dubitatio: iubemus non per signorum captiones & compendiosa ænigmata, quæ multas per se & per suum uicium *ἀντινομίας* induxerunt, eiusdem codicis textum conscribi: etiam si numerus librorum significabitur, aut aliud quidquam. neq; etenim hæc per specialia signa numerorum manifestari, sed per literarum consequentiam explanari concedimus. Hæc igitur omnia deo placido facere tua prudentia unà cum alijs facundissimis uiris studeat, & tam subtili, quàm celerissimo fini tradere: ut codex consummatus, & in quinquaginta libros digestus, nobis offeratur in maximam & æternam rei memoriam, deiq; omnipotentis prouidentia argumentum, nostriq; imperij, & uestri ministerij gloriam. D. XIII. CAL. IAN. CP. IIII. LAMPADIO & HORESTA VIRIS. CC. CONSS.

## IMP. CAESAR,

FLAVIUS, IVSTINIANVS, ALEMANICVS, GOTHICUS, FRANCICUS, GERMANICUS, ANTICUS, AFRICANUS, ALANICUS, VANDALICUS, PIUS, FELIX, INCLYTUS, UICTOR AC TRIUMPHATOR SEMPER AUGUSTUS. THEOPHILO, DOROTHEO, THEODORO, ISIDORO, ANATOLIO, THALLELÆO, & CRATINO UIRIS ILLUSTRIBUS ANTECESSORIBUS, & SALAMINIO UIRO DIFERTISSIMO. S.



Qm̄ nem reipublicæ nostræ sanctionem iam esse purgatam & compositam, tam in quatuor libris institutionum seu elementorum, quàm in libris quinquaginta Digestorum seu Pandectarum, necnon duodecim imperialium constitutionum: quis amplius, quàm nos cognoscit? Quando omnia quidē, quæ oportuerat & ab initio madare, & post omnium consummationem factā libenter admittentes definire: iam per nostras orationes tam in græca lingua, quàm Romanorum (quas & æternas fieri optamus) explicita sunt. Sed cum uos & omnes postea professores legitimæ scientiæ constitutos etiam hoc oportuerat scire, quid & in quibus temporibus tradi studiosis necessarium credamus, ut ex hoc optimi atq; eruditissimi efficiantur: ideoq; præsentem diuinam orationem ad uos præcipue faciendā existimauimus: quatenus tam prudentia uestra, quàm cæteri antecessores, qui eandem artem in omne æuū exercere maluerint, nostris regulis obseruatis, inclytam uiam eruditio

nis legitima possint ambulare. Itaque cum dubio procul necesse sit institutiones in omnibus studijs primum sibi vindicare locum, utpote prima uestigia cuiusque scientia mediocriter tradentes: ex libris autem quinquaginta nostrorum Digestorum sex & triginta tantummodo sufficere, tam ad uestram expositionem, quam ad iuuentutis eruditionem iudicemus: ordinem eorum & tramites, per quos ambulandum est, manifestare tempestiuum nobis uideatur: & uos in memoriam quidem eorum, quae antea tradebatis, redigere: ostendere autem nouellae nostrae compositionis tam utilitatem, quam tempora, ut nihil huius artis relinquantur incognitum. Et antea quidem (quemadmodum uestra scitis prudentia) ex tanta legum multitudine, quae in librorum quidem duomillia, uersum autem tricies centena extendebatur: nihil aliud, nisi sex tantum libros, & ipsos confusos, & iura in se utilia perraro habentes, a uoce magistri discipuli accipiebant, caeteris iam desuetis & omnino inuisis. In his sex libris Caij nostri institutiones & libri singulares quatuor, primus de uetere illa rei uxoriae actione, secundus de tutelis, & tertius, nec non quartus de testamentis & legatis connumerabantur: quos neque totos per consequentias accipiebant, & multas partes eorum quasi superuacuas praeteribant. Et primo quidem anno hoc opus tradebatur legentibus, non secundum edicti perpetui ordinationem, sed passim & quasi per saturam collectum, utili inutilibus misto, maxima tamen parte inutilibus deputata. Secundo autem anno praepostera ordinatione habita, prima pars legum eis tradebatur, quibusdam certis ab ea titulis exceptis: cum erat enorme post institutiones aliud legere, quam quod in legibus & primum positum est, & nuncupationem meruit τῶν πρώτων. Post eorum uero lectionem, neque illam continuam, sed particularem, & magna ex parte inutilem constitutam: tituli eis alij tradebantur, tam ex illa parte legum, quae de iudicijs nuncupatur, ipsis non continuam, sed rarum utilium recitationem praebentibus, quasi caetero toto uolumine inutili constituto: quam ex illa, quae de rebus appellatur, octo libris semotis, & in ijs multis partibus legentibus inuisis, ut non idoneis, nec aptis simis ad eruditionem constitutis. Tertio uero anno, quod in utroque uolumine, id est de rebus uel de iudicijs, in secundo anno non erat traditum: accipiebant secundum uicissitudinem utriusque uoluminis, & ad sublimissimum Papinianum, eiusque responsa iter eis aperiebatur. Et ex praedicta responsorum consummatione, quae decimo & nono libro concludebatur, octo tantummodo libros accipiebant: nec eorum totum corpus eis tradebatur, sed pauca ex multis, & breuissima ex amplissimis, ut adhuc sitientes ab eis recederent. His igitur solis a professoribus traditis, Pauliana responsa per semetipsos recitabant: neque hoc in solidum, sed

sed per imperfectum, & iam quodammodo male consuetum in conse-  
 quentia cursum. Is erat in quartum annum antiquae prudentiae finis:  
 ut si quis ea, quae recitabant, enumerare uellet, computatione habita  
 inueniret ex tam immensa legum multitudine uix uersuum sexaginta  
 milia eos uacuae notionis perlegisse: omnibus alijs deuijs & incogni-  
 tis constitutis, & tunc tantummodo ex aliqua minima parte recitan-  
 dis, quoties uel iudiciorum usus hoc exegit, uel ipsi magistri legum ali-  
 quid ex ijs perlegere festinabatis, ut esset uobis aliquid amplius discipu-  
 lorum peritia. Et haec quidem fuerunt antiquae eruditionis monu-  
 menta, secundum quod & uestro testimonio confirmatur. Nos uero tan-  
 tam penuriam legum inuenientes, & hoc miserrimum iudicantes: legi-  
 timos thesauros uolentibus aperimus, quibus per uestram prudentiam  
 erogatis, ditissimi legum oratores efficiantur discipuli. Et PRIMO  
 quidem ANNO nostras hauriant institutiones, ex omni penes ueterum  
 institutionum corpore eliminatas, & ab omnibus turbidis fontibus in unum  
 liquidum stagnum corruatas, tam per Tribonianum uirum magnifi-  
 cum magistrum & \* ex quaestore sacri palatii & \* excosule, quam duos ex  
 nobis, id est Theophilum & Dorotheum facundissimos antecessores. \* ο δὲ τὸ ἴ-  
 πάτωρ, lo-  
 quēdi forma  
 ei saeculo fa-  
 miliari pro  
 questorio  
 et consula-  
 ri uiro. quo  
 modo uete-  
 res latini  
 pconsule, et  
 Sallust. pro  
 milite, &  
 Cic. p. qua-  
 store, uno  
 casus & nu-  
 meros dixit  
 runt.  
 In reliquam uero anni partem secundum optimam consequentiam pri-  
 mam legum partem eis tradi sancimus, quae graeco uocabulo *τὰ πρώτα*  
 nuncupatur, qua nihil est anterius: quia quod primum est, aliud ante se  
 habere non potest. Et haec eis exordium & finem eruditionis primi an-  
 ni esse decernimus: cuius auditores non uolumus uetere tam friuolo,  
 quam ridiculo cognomine Dupondios appellari, sed Iustinianeos no-  
 uos nuncupari. & hoc in omne post futurum aeuum obtinere censemus:  
 ut hi, qui rudes adhuc legitimae scientiae capeffendae aspirant, & scita  
 prioris anni accipere maluerint, nostrum nomen mereant: quia ilico tra-  
 dendum est eis primum uolumen, quod nobis emanauit authoribus. antea enim  
 dignum antiqua confusione legum cognomen habebant. cum autem le-  
 ges tam clare & dilucide animis eorum tradendae sint: necesse erit eos  
 & cognomine mutato fulgere. SECUNDO autem ANNO, per quem ex edicto eis nomen antea positum, & a nobis probatum est: uel  
 de iudicij libris septem, uel de rebus octo eos accipere sancimus, se-  
 cundum quod temporis uicissitudo indulserit, quam intactam obser-  
 uari praecipimus. Sed eos libris de iudicij uel rebus totos per suam con-  
 sequentiam accipiant, nullo penitus ex his derelicto: quia omnia noua  
 pulchritudine sunt decorata, nullo inutili, nullo desueto in ijs penitus  
 inueniendo. Alterutri autem eorundem uolumini, id est de iudicij uel  
 de rebus, adiungi in secundi anni audientiam uolumus quatuor libros  
 singulares, quos ex omni compositione quatuordecim librorum ex-

cerptissimus. ex collectione quidē tripertita uoluminis, quod de dotibus  
composuimus, uno libro excerpto: ex duobus autem de tutelis & cura  
tionibus, item uno: sed & ex gemino uolumine de testamentis, uno: &  
ex septem libris de legatis & fideicommissis, & quæ circa ea sunt, simili  
modo uno tantum libro. hos igitur quatuor libros, qui primordijs sin  
gularum memoratarum compositionum præpositi sunt, tantummo  
do à uobis eis tradi sancimus, cæteris decem oportuno tempori confer  
uandis: quia neq; possibile est, neq; secundi anni tempus sufficit ad isto  
rum quatuordecim librorum magistri uoce eis tradendorū recitatio  
nem. **TERTII** deniq; **ANNI** doctrina talem ordinem sortiatur:  
ut siue libros de iudicijs, siue de rebus secundum uices legere eis fors tu  
lerit: concurrat tripertita legum singularium dispositio. & in primis li  
ber singularis ad hypothecariam formulam, quem oportuno loco, in  
quo de hypothecis loquimur, posuimus: ut cum æmula sit pignorati  
cijs actionibus, quæ in libris de rebus positæ sunt: nō abhorreat earum  
uicinitatem, cum circa easdem res ambabus penē idem studium sit. Et  
post eum librum singularem alius similiter eis aperiatur, quem de usu  
ris: item alius, quem ad edictum ædiliū, & de rehditoria actione,  
& de emptionibus, necnon duplæ stipulatione composuimus. cum em̄  
quæ de emprionibus & uenditionibus legibus cauta sunt, in libris de  
rebus perfulgerent: hæ autem omnes, quas diximus, definitiones in ul  
tima parte prætorij edicti essent positæ: necessariò eas in anteriorem lo  
cum transfuimus, ne à uenditionibus, quarum quasi ministræ sunt &  
uicinæ, ulterius deuantur. Et hos tres libros pro acutissimi Papinia  
ni lectione tradendos posuimus, cuius uolumina in tertio anno studio  
si recitabant: non ex omni eorum corpore, sed sparsim pauca ex mul  
tis & in hac parte accipientes. Vobis autem pulcherrime Papinianus  
non solum ex responsis, quæ in decem & nouem libris composita fue  
rant, sed etiam ex libris septem & triginta quæstionum, & gemino uo  
lumine definitionum, necnon de adulterijs, & penē omni eius exposi  
tione in Digestorum nostrorum ordinatione perfulgente, proprijs par  
tibus præclaram sui recitationem præbebit. Ac ne tertij anni audito  
res, quos Papinianistas uocabant, nomen & festiuitatem eius amittere  
uideantur: ipse iterum in tertium annum per bellissimam machinatio  
nem introductus est. librum enim hypothecariæ ex primordijs plenū  
eiusdē maximi Papiniani fecimus: ut & lectionē & nomen ex eo habe  
ant, Papinianistæq; uocentur: & eius reminiscentes lætificentur, & fe  
stum diem, quem cum primum leges eius accipiebant, celebrare sole  
bant, peragant: & maneat uiri sublimissimi præfectori Papiniani per  
hoc in æternum memoria. hocq; termino tertij anni doctrina conclu  
datur.

datur. Sed quia solitum est **QVARTO ANNO** studiosos græco & consueto quodammodo uocabulo *λύται* appellari: habeant quidem, si maluerint, hoc cognomen. pro responsis autem prudentissimi Pauli, quæ antea ex libris triginta tribus uix in decem & octo recitabant, per iam expositam confusionem eos legentes: decem libros singulares, qui ex quatuordecim, quos ante enumerauimus, supersunt, studeant lectitare: multo maioreis & amplioreis prudentiæ ex eis thesauros consecuturi, quam ex Paulianis habebant responsis. Et ita omnis ordo librorum singularium à nobis compositus, & in decem & septem libros partitus, eorum animis imponetur: quem in duabus Digestorum partibus posuimus, id est quarta & quinta, secundum septem partium distributionem.

Et quod iam primis uerbis orationis nostræ posuimus, uerum inuenietur: ut ex triginta sex librorum recitatione fiant iuuenes perfecti, & ad omne opus legitimum instructi, nostrorumque tempore non indigni: duabus alijs partibus, id est sexta & septima Digestorum nostrorum, quæ in quatuordecim libris compositæ sunt, ita dispositis, ut possint postea eas & legere, & in iudicijs ostendere. Quibus si bene se imbuerint, & in quinti anni (quo *πρωλύται* nuncupantur) metas, constitutionum codicem tam legere, quam subtiliter intelligere studeant: nihil eis legitime scientiæ deerit, & omne ab initio usque ad finem suis animis complectentur. Et (quod penè in alia nulla arte euenit) cum & si uilissimæ, omnes infinitæ tamen sint: hæc sola scientia finem habeat mirabilem, præsentis tempore à nobis ortum. Discipuli igitur, omnibus eis legitimis arcanis reueratis, nihil habeant absconditum: sed omnibus perlektis, quæ à nobis per Tribonianum uiri excelsi ministerium, cæterorumque composita sunt: & oratores maximi, & iusticiæ satellites inueniantur, & iudiciorum optimi tam athletæ, quam gubernatores omni loco æuocque felices. Hæc autem tria uolumina à nobis composita tradi eis tam in regijs urbibus, quam in Berytensium pulcherrima ciuitate, quam & legum nutricem bene quis appellet, tantummodo uolumus (quod iam & à retro principibus constitutum est) & non in alijs locis, quæ à maioribus tale priuilegium non meruerunt: quia audiuius iam in Alexandria splendidissima ciuitate, & in Cæsariensium, & in alijs, quosdam imperitos homines deuagari, & doctrinam discipulis adulterinam tradere. quos sub hac interminatione ab hoc conamine repellimus: ut si autem fuerint in posterum hoc perpetrare, & extra urbes regias, & Berytensium metropolim hoc facere: denarum librarum autem poena plectantur, & reiciantur ab ea ciuitate, in qua non leges docent, sed in leges committunt. Illud autem, quod iam tum ab initio hoc opus mandantes in nostra oratione, & post completum in alia nostri numinis constitutione

\*als. ter-  
minalē.  
qd rñdet  
græco π  
λβυταίων.

tutione scripsimus, & nunc utiliter ponimus: ut nemo audeat eorū, qui libros conscribunt, signa in his ponere, & per compendium ipsi legum interpretationi & compositioni maximum discrimen adferre: scituris omnibus librarijs, qui hoc in posterum commiserint, quod post \* criminalē pœnam etiam æstimationem libri in duplum domino eius (si nescienti dederint) inferre compellentur: cum ipse, qui talem librū comparauerit, pro nihilo eum habeat, nemine iudice ex tali libro fieri recitationem concedente, sed pro non scripto haberi eum disponente.

als \* pro-  
fessores.

Illud uero satis necessariò constitutum cum summa interminatione edicimus, ut nemo audeat, neq; in hac splendidissima ciuitate, neq; in Berytiensium pulcherrimo oppido ex his, qui legitima peragūt studia, indignos & pessimos (imò seruales, & quorum effectus iniuria est) ludos exercere, & alia crimina uel in ipsos \* possessores, uel in socios suos, & maxime in eos, qui rudes ad recitationem legū ueniunt, perpetrare. Quis enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur: hæc etenim fieri nullo patimur modo: sed optimo ordini in nostris temporibus & hanc partem tradimus, & toti postero transmittimus sæculo: cū oporteat prius animis, & postea linguis fieri eruditos. Et hæc omnia in hac quidem florētissima ciuitate uir excelsus præfexus huius almæ urbis tam obseruare, quàm uindicare, prout delicti tam iuuenū, quàm scriptorum qualitas exegerit, curæ habebit. In Berytiensium uero ciuitate tam uir clarissimus præses Phœniciaë maritimæ, quàm beatissimus eiusdem ciuitatis Episcopus, & legum professores. Incipite igitur legū eis doctrinam dei gubernatione tradere, & uia aperire, quam nos inuenimus: quatenus fiant optimi iusticiæ & reipublicæ ministri, & uos maximum decus sequatur: quia uestris temporibus talis legum inuenta est permutatio, qualem apud Homerum patrem omnis uirtutis Glaucus & Diomedes faciunt, permutantes

γενεα χαλκείων, εκατόμβοι ζηνεαβοίων.

Quæ omnia obtinere sancimus in omne æuum, ab omnibus tam professoribus, quàm legū auditoribus, & librarijs, & ipsis iudicibus obseruanda. D. CP. XVII. CAL. IAN. D. IVSTINIANO. PP. III. CONS.

IMP.

# IMP. CAESAR

FLAVIUS IVSTINIANVS A. AD SENATVS,  
ET OMNES POPVLOS.



Anta circa nos diuinæ humanitatis est prouidentia, ut semper æternis liberalitatibus nos sustentare dignetur. Post bella em̄ \* Parthica æterna pace sociata, postq̄ Vandalicam gentem ereptam, & Carthaginem, imò magis omnem Lybiam Romano imperio iterum sociatam: & leges antiquas iam senio prægrauatas, per nostram uigilantiam præbuit in nouam pulchritudinem, & moderatum peruenire compendium: quod nemo ante nostrum imperium unquam sperauit, neq̄ humano ingenio possibile esse penitus existimauit. erat enim mirabile Romanæ sanctionem ab urbe condita usq̄ ad nostri imperij tempora, quæ penè in mille & quadringentos annos concurrunt, intestinis prælijs uacillantem, hocq̄ & in Imperiales constitutiones extendentem, in unam reducere concordiam: ut nihil neq̄ contrarium, neq̄ idem, neq̄ simile in ea inueniatur, & ne geminæ leges pro rebus singulis positæ usquam appareant. nanq̄ hoc cælestis quidem prouidentia peculiare fuit: humanæ uero imbecillitati nullo modo possibile. Nos itaq̄ more solito ad immortalitatis præsidium respeximus, & summo numine inuocato deum authorem & totius operis præfulem fieri optauimus: & omnium studium Triboniano uiro excelsio, magistro officiorum, ex quaestore sacri nostri palatij & ex consule credidimus, eiq̄ omne ministerium huiusmodi ordinationis imposuimus, ut ipse unâ cum alijs illustribus & prudentissimis uiris nostrum desiderium adimpleret. nostra quoq̄ maiestas semper inuestigando & perscrutando ea, quæ ab his cõponebantur, quidquid dubium & incertum inueniebatur, cum cælesti numine recte emendabat, & in competentem formam redigebat. Omnia igitur confecta sunt, domino & deo nostro Iesu Christo possibilitatem, tam nobis, q̄ nostris in hoc satellitibus præstante. Et principales quidē cõstitutiones duodecim libris digestas, iam ante in codicē nostro nomine præfulgentē cõtulimus. postea uero maximū op̄ agredientes, ipsa uetustatis studiosissima opera iam penè confusa & dissoluta, eidē uiro excelsio permisimus tā colligere, quàm certo moderamini tradere. Sed cum omnia percontabamur, à præfato uiro excelsio suggestum est, duo penè millia librorum esse conscripta, & plusquàm triciescentena uersuum à ueteribus effusa, quæ necesse esset omnia & legere,

γ & per

& perscrutari, & ex his quod optimum fuisset, eligere. Quod caelesti fulgore & summæ trinitatis favore confectum est secundum nostra mandata, quæ ab initio ad memoratum uirum excelsum fecimus: & in quinquaginta libros omne, quod utilissimū erat, collectū est: & omnes ambiguitates decisa, nullo seditioso relicto. nomenq; libris imposuimus Digestorū seu Pandectarū: quia omnes disputationes ac decisiones in se habet legitimas, & quod undiq; fuit collectū, hoc in sinus suos receperunt, in centum quinquaginta penè millia uersuum totū opus consumantes. & in septem partes eos digessimus, non perperam, neq; sine ratione: sed in numerorum naturam & artem respicientes, & consentaneam eis diuisionem partium conficientes. Igitur PRIMA quidem pars totius contextus, quæ græco uocabulo τὰ πρώτα nuncupatur, in quatuor libros seposita est. SECUNDVS autem articulus septem libros habet, qui de iudicijs appellatur. In TERTIA uero congregatione omnia, quæ de rebus nominantur, contulimus, octo libris ei deputatis. QVARTVS autem locus, qui & totius compositionis quasi quidam inuenitur umbilicus, octo libros suscepit: in quorum primo omnia, quæ ad hypothecam pertinent, reposita sunt, ut nō à pignoraticia actione in libris de rebus posita, multum distarent. Alio libro eidem inserto uolumini, qui ædilitium edictum, & redhibitoriam actionem, & duplæ stipulationem, quæ euictionibus adposita est, continet: quia hæc omnia titulis emptionum & uenditionum consentanea sunt. & prædictæ actiones quasi pedisequæ illarum ab initio processerunt: in uetustioris quidem edicti ordinatione in loca deuia & multum distantia deuagantes, per nostram autem prouidentiam his congregatæ: cuncti oportuerat ea, quæ de eodem penè loquuntur, in confinio ponere. Alius deniq; liber post duos primū nobis excogitatus est de usuris, & traiecticijs pecunijs, & de instrumētis, & testibus, seu probationibus, necnon præsumptionibus & memorati tres singulares libri iuxta compositionē de rebus positi sunt. Post hos quæ de sponsalibus, & nuptijs, de dotibus, & legibus earum dicta sunt, reposuimus, tribus librorum uoluminibus ea concludentes. De tutelis autem & curationibus geminos libros conscripsimus. Et memoratam ordinationem octo librorum mediam totius operis reposuimus, omnia undiq; tam utilissima, q̄ pulcherrima iura continentem. QVINTVS autem uobis exoritur Digestorum articulus, in quem de testamentis, & codicillis, tam priuatorum, quàm militum, omne, quidquid antiquitus dictum est, inueniat quis depositum, qui de testamentis appellatur. De legatis autem & fideicommissis quinq; librorū numerus aggregatus est. Cumq; nihil tam peculiare fuerat, quàm legatis quidem legis Falcidiae ratio

ratio, fideicommissis autem, quàm senatusconsulti Trebelliani: singulis libris utriusque eorum adplicatis, tota pars quinta in nouem libros coadunata est. Solum autem senatusconsultum Trebellianum ponendum esse existimauimus. captiosas etenim & ipsis ueteribus odiosas Pegasiani senatusconsulti ambages, & utriusque senatusconsulti inter se tam superuacuas, quàm scrupulosas diuersitates respicientes: totum ius super his positum Trebelliano senatusconsulto adiudicauimus. Sed & in his nihil de caducis à nobis memoratum est: ne causa, quæ in rebus non prospere gestis & tristibus temporibus Romanis increbruit calamitatibus, bello coalescens ciuili, in nostris remaneat temporibus, quæ fauor caelestis & pacis uigor firmauit, & super omnes gentes in bellicis uictorijs posuit: ne luctuosum monumentum læta sæcula inumbrare concedatur.

**S E X T A** deinde Digestorum pars exoritur, in qua omnes bonorum possessiones positæ sunt, quæ tam ad ingenuos, quàm ad libertinos respiciunt: & ius omne, quod de gradibus & adfinitatibus descendit, legitimæque hæreditatis, & omnis ab intestato successio, & Terryllianum, & Orphitianum senatusconsultum, ex quibus matres & filij inuicem sibi hæredes existunt, in geminos libros cõtulimus, bonorum possessionis multitudinem in cõtendiosum & manifestissimum ordinem concludentes. Post hæc ea, quæ de operis noui nunciationibus, damnicisque infecti, & de ædificijs dirutis, & eorum insidijs, & de aqua pluuia arcenda ueteribus authoribus placita sunt: necnon quæ de publicanis, & donationibus, tam inter uiuos, quàm mortis causa cõticiendis, cauta legibus inuenimus, in librum singularem deduximus. De manumissionibus autem & de liberali causa, alius liber respondet: quæ admodum & de adquisitione tam domini, quàm possessionis, & titulis, qui eam inducunt, multæ & uariæ lectiones uni sunt insertæ uolumini: alio libro deputato his, qui iudicati, uel in iure confessi sunt, & de bonorum detentionibus & uenditionibus, & ut ne quid in fraudem creditorum fiat. Post hæc omnia interdista conglomerata sunt: & deinceps exceptiones, de temporum prolixitatibus, & de obligationibus & actionibus liber item singularis extendit: ut perfecta sexta pars totius Digestorum uoluminis octo libris desiniatur. **S E P T I M V S** autem & nouissimus articulus Digestorum sex libris formatus est: in quo de stipulationibus, & de fideiussoribus & mandatoribus, necnon nouationibus, & solutionibus, & acceptilationibus, & de prætorijs stipulationibus, omneque ius inuenitur gemino uolumine inscriptum esse, quod in libris antiquis nec numerari possibile fuit. Et post hæc duo terribiles libri sunt de delictis priuatis, & extraordinarijs, necnon publicis criminibus, qui omnem continent ferocitatem pœnarumque atrocitatem. Quibus permixta sunt & ea, quæ

de audacibus hominibus cauta sunt, & qui se cælare conantur, & contumaces existunt: & de pœnis, quæ condemnatis infliguntur uel conceduntur, necnon de eorum substantiis. Liber autem singularis de appellationibus nobis excogitatus est contra sententias, tam ciuiles, quàm criminales causas finientes. Cætera autem omnia, quæ de municipalibus, uel decurionibus, & muneribus, uel publicis operibus, uel mundanis, & pollicitationibus, ac diuersis cognitionibus, & censibus, aut significationibus uerborum ueteribus inuenta sunt, quæq; regulariter definita, in se recipit quinquagesimus, totius consummationis perfectio.

Quæ omnia per uirum excelsum, necnon prudentissimum magistrum, exquæstore & exconsule Tribonianum, qui similiter eloquentiæ, & legitimi scientiæ artibus decoratus, & in ipsis rerum experimentis emicuit, nihilq; maius, nec carius nostris unquam iussionibus duxit: necnon per alios uiros magnificos & studiosissimos perfecta sunt. id est, Constantinum uirum illustrem, comitem sacrarum largitionum, & magistrum scrini libellorum, sacrarumq; cognitionum, qui semper nobis ex bona opinione & gloria sese comendauit. necnon Theophilum uirum illustrem magistrum iurisq; peritum in hac splendidissima ciuitate laudabiliter optimam legum gubernationem extendentem. & Dorotheum uirum illustrem & facundissimum quæstorem, quem in Berytensium splendidissima ciuitate leges discipulis tradentem propter eius optimam opinionem & gloriam ad nos deduximus, participemq; huius operis fecimus. sed & Anatolium uirum illustrem magistrum, qui & ipse apud Berytenses iuris interpres constitutus ad hoc opus electus est, uir ab antiqua stirpe legitima procedens: cum & pater eius Leontius post Patricium inclytam recordationis quæstorium & antecessorem, & auus eius Eudoxius post Leontium uirum gloriosissimum præfectorium consularē atq; Patricium filios eius, optimam sui memoriã in legibus reliquerint. necnon & Cratinum uirum illustrem, & comitem sacrarum largitionum, & optimum antecessorem huius almæ urbis constitutum. qui omnes ad predictum opus electi sunt unã cum Stephano, Mœna, Profdocio, Eutolmio, Timotheo, Leonide, Leontio, Platone, Iacobo, Constantino, Ioanne, iuris prudentissimis, qui patroni quidem sunt causarum apud maximam sedem præfecturæ, quæ orientalibus prætorijs præsidet. Omnes autem suæ uirtutis testimonium undiq; accipientes, & à nobis ad tanti operis consummationem electi sunt: & cum omnes in unum cõueuerunt gubernatione Triboniani uiri excelsi, ut tantum opus nobis authoribus possent conficere, deo propicio in quinquaginta libris opus cõsummatum est. Tanta autem à nobis antiquitatis habita est reuerentia, ut nomina prudentium taciturnitati tradere nullo modo patiamur: sed unusquisq; eorum, qui  
author

author legis fuit, nostris Digestis inscriptus est: hoc tantummodo à nobis effecto, ut si quid in legibus eorum superuacuum, uel imperfectum, aut minus idoneum uisum esset: uel adiectionem, uel demittitionem necessariam accipiat, & rectissimis regulis tradatur. sed & ex multis similibus uel contrarijs quod rectius habere apparebat, hoc pro alijs omnibus positum est, una omnibus autoritate indulta: ut quidquid ibi scriptum est, hoc nostrum appareat, & ex nostra uoluntate compositum: nemine audente comparare ea, quæ antiquitas habebat, cum istis, quæ nostra autoritas introduxit: quia multo maxima sunt, quæ propter utilitatem rerum transformata sunt: adeo, ut & si principalis constitutio fuerat in ueteribus libris relata, neque ei pepercerimus, sed & hanc corrigendam esse putauerimus, & in melius restauradam. nominibus etenim ueteribus relictis, quidquid legum ueritati decorum & necessarium fuit, hoc nostris emendationibus seruauimus: & propter hanc causam & si quid inter eos dubitabatur, hoc iam in tutissimam peruenit quietem, nullo titubante relicto. Sed cum prospeximus, quod ad portandam tantæ sapientiæ molem non sint idonei homines rudes, & qui in primis legum uestibulis stantes intrare ad arcana eorum properant: & aliam mediocrem eruditionem præparandam esse censuimus, ut sub ea colorati, & quasi primitus omnium imbuti, possint ad penetralia eorum intrare, & formam legum pulcherrimam non conuenientibus oculis accipere. Et ideo Triboniano uiro excelso, qui ad totius operis gubernationem electus est, necnon Theophilo & Dorotheo uiris illustribus & facundissimis antecessoribus arcessitis: mandauimus, quatenus libris, quos ueteres composuerunt, qui prima legum argumenta continebant, & institutiones uocabantur, undique separatim collectis: quidquid ex his utile, & aptissimum, & undique eliminatum, & rebus, quæ in præsentis æuo uertuntur, consentaneum inueniatur: hoc & capere studeant, & quatuor libris imponere, & totius eruditionis prima fundamenta atque elementa ponere, quibus iuuenes suffulti, possint grauiora & perfectiora scita legum sustentare. Admonuimus autem eos, ut memores etiam nostrarum sint constitutionum, quas pro emendatione iuris promulgauimus: & in confectioe institutionum etiam eandem emendationem ponere non morentur: ut sit manifestum, & quid ante uacillabat, & quid postea in stabilitatem redactum est. Quod opus ab his perfectum, ut nobis oblatum & relectum est: & prono suscepimus animo, & nostris sensibus non indignum esse iudicauimus, & prædictos libros constitutionum uicem habere iussimus: quod in oratione nostra, quam in eisdem libris præposuimus, apertius declarauimus. **O**mni igitur Romani iuris dispositione composita, & in tribus uoluminibus, id est institutionum,

& Digestorū seu Pandectarū, necnō constitutionū, perfecta, & tribus annis cōsummata, quæ ut primū cœpit, neq; in toto decennio cōpleri sperabatur: omnipotēti deo & hanc operam ad hominū sustentationē pijs obrulimus animis, uberesq; gratias maximæ deitati reddidimus: quæ nobis præstitit, & bella feliciter peragere, & honesta pace potiri, & non tantum nostro, sed etiam omni æuo, tam instanti, quàm posteriori leges optimas ponere. Omnibus itaq; hominibus eandem sanctionē manifestam facere, necessarium esse perspeximus: ut sit eis cognitum, quanta cōfusione & iniquitate absoluti, in quantam moderationem & ueritatem legitimam peruenerint: legesq; in posterum habeant, tam di rectas, quàm compendiosas, omnibusq; in promptu positas, & ad posidendi libros earum facilitatem idoneas: ut non mole diuitiarum expensa possint homines superuacua legum multitudinis adipisci uolumina, sed uilissima pecunia facilis eorum comparatio pateat tam diuoribus, quàm tenuioribus, minimo precio magna prudentia reparanda. Si quid autem in tanta legum compositione, quæ ab immenso librorum numero collecta est, simile forsitan rarum inueniatur: nemo uituperandum existimet, sed primum quidem imbecilitati humanæ, quæ naturaliter inest, hoc adscribat: quia omnium habere memoriā, & penitus in nullo peccare, diuinitatis magis, quàm mortalitatis est: quod & à maioribus dictum est. deinde sciat, quod similitudo in quibusdam & his breuissime adsumpta non inutilis est, & citra propositum nostrum hoc subsecutum. aut enim ita lex necessaria erat, ut diuersis titulis propter rerum cognationem adplicari eam oportuerit: aut cum fuerat alijs diuersis permista, impossibile erat eam per partes detrahi, ne totum confunderetur. & in his partibus, in quibus perfectissime iussiones ueterum expositæ fuerant, quod particulatim in ea fuerat sparsum, hoc diuidere ac separare penitus erat inciuile: ne tā sensus, q̄ aures legentiū ex hoc perturbarent. Similicq; modo si quid in principalibus cōstitutionibus cautū est: hoc in digestorū uolumine poni nullo modo cōcessimus, quasi cōstitutionū recitatione sufficiente: nisi & hoc raro ex iisdem causis, ex quibus similitudo adsumpta est. Contrariū autē aliqd in hoc codice positū nullū sibi locū uindicabit, nec inueniet, si quis subtrili animo diuersitatis rationes excutiat: sed est aliqd nouū inuentū, uel occulte positum, quod dissonantiæ querelam dissoluit, & aliā naturā inducit discordiæ fines effugientē. Sed & si quid forsitan prætermisum est, quod in tantis millibus quasi in profundo positum latitabat, & cum idoneum fuerat poni, obscuritate inuolutū necessariō derelictū est: quis hoc repræhendere recto animo possit? primo quidem propter ingenij mortalis exiguitatem. deinde propter ipsi  
us rei

us rei uicium, quod multis inutilibus permittum, nullam sui ad eternum præbuit copiam. denuo quod multo utilius est pauca idonee effingere, quàm multis inutilibus homines prægruari. Mirabile autem aliquid ex his libris emerfit, quod multitudo antiqua præfente breuitate paucior inuenitur. homines etenim, qui ante lites agebant, licet multæ leges fuerant positæ: tamen ex paucis lites perferebantur, uel propter inopiam librorum, quos comparare eis impossibile erat, uel propter ipsam infcientiam: & uoluntate iudicum magis, quàm legitima autoritate lites dirimebatur. In præfenti autem consummatione nostrorum Digestorum ex tantis leges collectæ sunt uoluminibus, quorum etiam nomina antiquiores homines, non dicimus nesciebant, sed nec unquam audiebant. quæ omnia collecta sunt substãtia amplissima congregata: ut egea quidem antiqua multitudo inueniatur, opulentissima autem breuitas nostra efficiatur. Antiquæ autem sapientiæ librorum copiam maxime Tribonianus uir excellentissimus præbuit, in quibus multi fuerant & ipsis eruditissimis hominum incogniti: quibus omnibus perlectis, quidquid ex his pulcherrimum erat, hoc semotim in optimam compositionem nostram peruenit. Sed huius operis conditores non solum ea uolumina perlegerunt, ex quibus leges positæ sunt: sed etiã alia multa, quæ isti nihil uel utile uel nouum in eis inuenientes, quod excerptum nostris Digestis adplicaret, optimo animo respuerunt. Sed quia diuinæ res quidem perfectissimæ sunt, humani uero iuris conditio semper in infinitum decurrit, & nihil est in eo, quod stare possit perpetuò (multas etenim formas edere natura nouas depererat) non desperamus, quædam postea emergi negocia, quæ adhuc legum laqueis non sunt innodata. Si quid igitur tale contigerit: Augustum imploretur remedium: quia ideo imperialem fortunam rebus humanis deus præposuit, ut possit omnia, quæ nouiter contingunt, & emendare, & componere, & modis ac regulis competentibus tradere. & hoc non primum à nobis dictum est, sed ab antiqua descendit profapia: cum & ipse Iulianus legum & edicti perpetui subtilissimus conditor, suis libris hoc retulerit: ut si quid imperfectum inueniatur, ab imperiali sanctione hoc repleatur. & hoc non ipse solus, sed & diuus Hadrianus in compositione edicti & senatusconsulto, quod eam secutum est, hoc apertissime definiuit: ut si quid in edicto positum non inueniatur, hoc ad eius regulas, eiusque coniecturas, & imitationes possit noua instruere auctoritas. Hæc igitur omnia scientes patres conscripti, & omnes orbis terrarum homines, gratias quidem amplissimas agite summæ diuinitati, quæ nostris temporibus iam saluberrimum opus seruauit. quo enim antiquitas digna diuino non est uisa iudicio: hoc nostris

nostris temporibus indultum est. Has itaq; leges & adorate, & obser-  
uate, omnibus antiquioribus quiescentibus: nemoq; uestrum audeat  
uel comparare eas prioribus, uel si quid dissonans in utroq; est, quære-  
re: quia omne, quod hic positum est, hoc unicum & solum obseruari  
censemus. Nec in iudicio, nec in alio certamine, ubi leges necessariae  
sunt, ex alijs libris, nisi ab eisdem, Institutionibus, nostrisq; Digestis, &  
constitutionibus à nobis compositis, uel promulgatis, aliquid uel reci-  
tare, uel ostendere conetur: nisi temerator uelit falsitatis crimini sub-  
iectus, unà cum iudice, qui ei audientiam accòmmodauerit, pœnis gra-  
uissimis laborare. Ne autem incognitum sit uobis, ex quibus uete-  
rum libris hæc consummatio ordinata sit: iussimus & hoc in primor-  
dijs Digestorum nostrorum inscribi: ut manifestissimum sit, ex quib9  
legislatoribus, quibusq; libris eorum, & quot milibus hoc iusticiæ Ro-  
manæ templum ædificatum est. Legislatores autem uel commen-  
tatores eos elegimus, qui digni tanto opere fuerant, & quos anteriores  
pijsissimi principes admittere non sunt dedignati: omnibus uno digni-  
tatis apice impertito, nec sibi quoq; aliquam prærogatiuam uindi-  
cante. cum enim constitutionum uices & has leges obtinere cœsumus,  
quasi ex nobis promulgatas: quid amplius, aut minus in quibusdam es-  
se intelligatur, cum una dignitas, una potestas omnibus est indulta?

Hoc autem, quod ab initio nobis uisum est, cum hoc opus fieri deo  
annuente mandabamus: tempestiuū nobis esse uidetur & in præsentia  
sancire: ut nemo nec eorū, qui in præsentia iuris peritiā habent, nec qui  
postea fuerint, audeant cōmentarios ijsdē legibus adnectere: nisi tan-  
tum si uelint eas in græcam uocem transformare sub eodem ordine,  
eademq; consequentia, sub qua uoces Romanæ positæ sunt, hoc quod  
græci  $\nu\lambda\ \omega\delta\alpha\sigma$  dicunt. & si qui forsitan per titulorum subtilitatem  
adnotare maluerint, & ea, quæ  $\pi\delta\acute{\alpha}\tau\iota\tau\lambda\alpha$  nuncupātur, componere. ali-  
as autem legum interpretationes, imò magis peruersiones, eos iactare  
non concedimus: ne uerbofitas eorum aliquid legibus nostris adferat  
ex cofusione dedecus: quod & in antiquis edicti perpetui commen-  
tatoribus factum est, qui opus moderate confectum huc atq; illuc in  
diuersas sententias producentes, in infinitum detraxerunt, ut penè  
omnem Romanam sanctionem esse confusam cerneret. Quod si non  
passi sumus: quemadmodum posteritatis admittetur uana discordia?

Si quid aut tale facere ausi fuerint: ipsi quidem falsitatis rei constitu-  
antur, uolumina autem eorum omnino corrumpantur. Si quid ue-  
ro (ut supra dictum est) ambiguum fuerit uisum: hoc ad imperiale  
culmen per iudices referatur, & ex autoritate Augusta manifestetur,  
cui soli leges condere, & interpretari concessum est. Eandē aut pœ-  
nam

nam falsitatis constituimus & aduersus eos, qui in posterum leges nostras per signorum obscuritates ausi fuerint conscribere. omnia enim & nomina prudentium, & titulos, & liberorum numeros, per consequentiam literarum uolumus, non per signa manifestari: ita, ut qui talem librum sibi parauerit, in quo signa posita sunt in quacumque loco libri uel uoluminis, sciat inutilis se esse codicis dominum. neque enim licentiam aperimus ex tali codice in iudicium aliquid recitandi, qui in quacumque sua parte signorum habet maliciam. Ipse autem librarius, qui eas inscribere ausus fuerit: non solum criminali poena (secundum quod dictum est) plectetur, sed etiam libri aestimationem in duplum domino reddet, si & ipse dominus ignorans talem librum uel comparauerit, uel confici curauerit. quod & ante a nobis dispositum est constitutione, quam ad legum professores demisimus. Leges autem nostras, quas in his codicibus uel institutionum seu elementorum, uel Digestorum seu Pandectarum posuimus: suum obtinere robur ex nostro tertio felicissimo sanctorum consulatu praesentis duodecimae indictionis, tertio calendas Ianuarias, in omni aetate ualituras, una cum nostris constitutionibus polentes, & suum uigorem iudicij ostendentes in omnibus causis, siue quae postea emerferint, siue in iudicij adhuc pendent, nec eas iudicialis uel amicalis forma comescuit. quae etenim iam uel iudiciali sententia finita sunt, uel amicali sopita pacto: haec resuscitare nullo uolumus modo.

Bene autem properauimus in tertio nostro consulatu & has leges edere: quia maximi dei & domini nostri Iesu Christi auxilium felicissimum aeternum nostrae reipublicae donauit: cum in hunc & bella Parthica abolita sunt, & quieti perpetuae tradita, & tertia pars mundi nobis adcreuit. post Europam enim & Asiam, tota Libya nostro imperio adiuncta est, & tanto operi legum caput impositum, & omnia caelestia dona nostro tertio consulatui indulta. Omnes itaque iudices nostri pro sua iurisdictione easdem leges suscipiant: & tam in suis iudicij, quam in hac regia urbe habeant, & proponant, & praecipue uir excelsus huius almae urbis praefectus. curae autem erit tribus excelsis praefectis praetorij, tam orientalibus, quam Illiricis, necnon & Libycis per suas auctoritates omnibus, qui suae iurisdictioni suppositi sunt, eas manifestare.

D. XVII. CAL. IAN. CP. D. IVSTINIANO. PP. CONS.

Nomina

NOMINA PRUDENTIVM, EORVMQVE  
libri, ex quibus Digestorum opus com-  
positum est, & concinnatum.

**D** SALVIUS IULIANVS,  
Digestorum lib. nonagintanovem.

Ad Minutium Natalem lib. sex.

Ad Urseium Ferocem lib. quatuor.

De ambiguitatibus. lib. unum

AEMYLIUS PAPINIANVS.

\*Quæstionum. lib. triginta septem

Responsorum. lib. decem & nouem

Definitionum. lib. duos

Lib. singulares

De adulterijs

ἀστυνομικόν.

Q. MUTIVS SCAEVOLA.

ἐξῶν. librum unum

SABINVS.

Iuris ciuilib. lib. tres

ALFENVS VARVS.

Digestorum lib. quadraginta

PROCVLVS.

ἐπιστολῶν. lib. octo

ANTISTIVS LABEO.

πεθαιῶν lib. octo

Posteriorum lib. decem.

NERATIVS PRISCVS.

Regularum lib. quindecim

Membranarum. lib. septem

Responsorum. lib. tres.

IABOLENVS.

Ex Cassio. lib. quindecim

ὑπομνημάτων. lib. quatuordecim

Ad Plautium. lib. quinq.

P. IVBENTIVS CELSVS.

Digestorum. lib. trigintanovem.

SEXTVS POMPONIVS.

Ad Q. Mutium lectionum. lib. quindecim

Ad Sabinum. lib. trigintaquinq.

In hunc no-  
tas scripse-  
runt Mara-  
cellus, &  
Paulus.

\*In quæstio-  
nes Vlpia-  
no, in respo-  
sa simul &  
quæstiones  
Paulus no-  
tas scripsit.

huius libros  
Paulus i e-  
pitomā re-  
degit.

In libros  
πεθαιῶν  
Paulus no-  
tas scri-  
psit. Poste-  
riorū Iaba-  
lenus epito-  
men fecit.

ἑξήκοντα. lib. uiginti

\*Variarum lectionum lib. quindecim

Ad Plautium lib. septem

Fideicommissorum lib. quinque

Senatusconsultorum lib. quinque

ἑξήκοντα. lib. duos.

Regularum lib. unum.

ABVRNIVS VALENS.

Fideicommissorum lib. septem.

VOLVSIVS MAETIANVS.

\*Fideicommissorum lib. sedecim

Publicorum lib. quatuordecim

Ad L. Rhodiam lib. unum.

IVLIVS MAVRITIANVS.

Ad leges lib. sex.

TERENTIVS CLEMENS.

Ad leges lib. uiginti.

AFRICANVS.

Quaestionum lib. nouem.

VLPIVS MARCELLVS.

Digestorum lib. trigintaunum

Ad leges lib. sex

Responsorum lib. unum.

SERBIDIVS SCAEVOLA.

Digestorum lib. quadraginta

\*Quaestionum lib. uiginti

Responsorum lib. sex

Regularum lib. quatuor

Lib. singulares:

De quaestione familiae

Quaestionum publice tractatarum.

FLORENTINVS.

Institutionum lib. duodecim

T. CAIVS.

Ad edictum provinciale lib. trigintaduos.

Ad leges lib. quindecim

Ad edictum \* publicum, qui haberi potuerunt lib. decem

Aureorum, siue rerum cotidianarum lib. septem.

ἑξήκοντα. lib. sex

Institutionum lib. tres

\*hi libri a-  
licubi addu-  
cuntur. ad  
edictū ex  
uarijs lecti  
onibus. itē  
uariarum  
quaestionū.

\*adduc. et i  
ā. quaestio-  
nū de fidei  
commissis

In hunc no-  
tas scripsit  
Martianus.  
quā admo-  
dū in Scae-  
uolā Clau-  
dii Tri-  
phonius et  
Paulus.

\*adduc. et  
uariarum  
quaestionū.

\*als. urbi-  
cum.

De manumissionibus, lib. tres  
Fideicommissorum, lib. duos  
De uerborum obligationibus, lib. tres  
Ad edictum ædilium curulium, lib. duos  
Lib. singulares  
De casibus.  
Regularum  
Dotalium  
Ad hypothecariam formulam.

VENULEIUS SATURNINVS.

Stipulationum, lib. decem & nouem  
Actionum, lib. decem  
De officio proconsulis, lib. quatuor  
Publicorum, lib. tres  
De interdicitis, lib. sex  
De pœnis paganorum, lib. unum.

TERTYLLIANVS.

Quæstionum, lib. tres  
De castrensi peculio, lib. unum

PAPYRVS IVSTVS.

Constitutionum, lib. uiginti.

DOMITIUS VLPIANVS.

Ad edictum, lib. octogintatres  
Ad Sabinum, lib. quinquaginta unum

Ad leges, lib. uiginti

\*Disputationum, lib. decem

Omnium tribunalium, lib. decem

De officio proconsulis, lib. decem

Regularum, lib. septem

Fideicommissorum, lib. sex

Opinionum, lib. sex

De adulterijs, lib. quinq;

De appellationibus, lib. quatuor

De officio consulis, lib. tres

Institutionum, lib. duos

De censibus, lib. sex

Responsorum, lib. duos

Ad edictum ædilium curulium, lib. duos

Lib. singulares

De sponsalibus,

\*hi libri a-  
liis quoq;  
adducuntur  
quæstionū.  
item publi-  
carū disce-  
ptionū.

De offi

De officio præfecti urbi  
De officio præfecti uigilum  
De officio curatoris rei publicæ  
De officio prætoris tutelaris  
De officio quæstoris.  
De officio consularium

ἑκκατῶν

De excusationibus tutelarum  
Regularum rursus.

IULIUS PAVLVS.

Ad edictum, lib. octoginta  
Quæstionum, lib. uiginti sex  
Responforum, lib. uiginti tres  
Breuis edicti, lib. uiginti tres  
\*Ad Plautium, lib. decem & octo  
Ad Sabinum, lib. sedecim  
Ad leges, lib. decem  
Regularum, lib. septem  
Sententiarum siue factorum, lib. sex  
Sententiarum receptarum, lib. quinq;  
Ad Vitellium Sabinum, lib. quatuor  
Ad Neratium, lib. quatuor  
Fideicommissorum, lib. tres  
\*Decretorum, lib. tres  
De adulterijs, lib. tres  
Manualium, lib. tres  
Institutionum, lib. duos.  
De officio proconsulis, lib. duos  
Ad legem Iuliam, lib. duos  
Ad legem Aeliam Sentiam, lib. tres  
De iure fisci, lib. duos  
Ad edictum ædilium curulium, lib. duos  
Lib. singulares  
Regularum iterum  
Regularum tertio  
De pœnis paganorum  
De pœnis militum  
De pœnis omnium legum  
De usuris  
De gradibus & adfinibus

\*aliàs ad  
ducunt.  
quæstio-  
num ad  
Plautiũ.

\*aliabi sic  
adduc. Im-  
pialũ sentẽ  
tiarũ in co-  
gnitionib9  
platarũ ex  
libris sex  
primo, De  
cretorũ lib.  
secundo.

¶ iij

De iu

De iure codicillorum  
De excusationibus tutelarum  
Ad senatusconsultum Tertullianum  
Ad senatusconsultum Orphitianum  
Ad regulam Catonianam  
Ad senatusconsultum Silanianum & Claudianum  
Ad senatusconsultum Velleianum  
Ad senatusconsultum Libonianum  
De officio praefecti uigilum  
De officio praefecti urbi  
De officio praetoris tutelaris  
De officio adfessorum  
De extraordinarijs criminibus  
Ad hypothecariam formulam  
Ad municipalem  
De publicis iudicijs  
De inofficioso testamento.  
De centumuiralibus iudicijs  
De iure singulari  
De secundis tabulis  
Ad orationem diui Seueri  
Ad orationem diui Marci & Commodi  
Ad legem Velleam  
Ad legem Cinciam  
Ad legem Falcidiam  
De tacito fidei commisso  
De portionibus, quae liberis damnatorum conceduntur  
De iuris & facti ignorantia  
De adulterijs  
De instructo & instrumento  
De appellationibus  
De adsignatione libertorum  
De iure libellorum  
De testamentis  
De iure patronatus  
De iure patronatus, quod ex lege Iulia & Papia uenit  
De actionibus  
De intercessionibus foeminarum  
De operis libertorum  
De uarijs lectionibus

De donationibus inter uirum & uxorem

De legibus

De legitimis hæreditatibus

De libertatibus dandis

De senatusconsultis

CLAVDIVS TRIPHONINVS.

Disputationum lib. uiginti unum.

CALLISTRATVS.

De cognitionibus lib. sex

Edicti monitorij lib. sex

De iure fisci lib. quatuor

Institutionum lib. tres

Quæstionum lib. tres

ARRIVS MENANDER.

De re militari lib. quatuor

AELIVS MARTIANVS.

Institutionum lib. sedè cim

Regularum lib. quinq;

De appellationibus lib. duos

De publicis iudicijs, lib. duos

Lib. singulares.

De delatoribus

Ad senatusconsultum Turpillianum

Ad hypothecariam formulam

IVLIVS AQVILA.

Responforum lib. unum

HERENNIVS MODESTINVS

Responforum lib. unde uiginti

*ῥωυδ' ἐκτὼν.* lib. duodecim

Regularum lib. decem

Differentiarum lib. nouem

Excusationum lib. sex

De pœnis lib. quatuor.

Lib. singulares

De præscriptionibus

De inofficioso testamento

De manumissionibus

De legatis & fidei commissis

De testamentis

*ῥῆδ' εὐρηματικῶν.*

De enucleatis casibus

De differentia dotis

De ritu nuptiarum

TARANTINVS PATERNVS

De re militari, lib. quatuor

AEMYLIVS MACER.

De re militari, lib. duos

De publicis iudicijs, lib. duos

De officio præsidis, lib. duos

De appellationibus, lib. duos

ἀκροσῶν, siue ad legem uicesimam hæreditatum, lib. duos

AVRELIVS ARCADIVS CHARISIVS.

lib. singulares.

De testibus

De officio præfecti prætorio

De muneribus ciuilibus

LICINIVS RVFINVS.

Regularum, lib. duodecim

P. FVRIVS ANTHINVS.

Partis edicti, lib. quinq;

MAXIMVS.

Ad legem falcidiam, lib. unum

HERMOGENIANVS.

ἑπιτομῶν iuris, lib. sex

AE LIVS GALLVS.

De uerborum, quæ ad ius pertinent, significatione.

FINIS.

 **TITVLI CVIVS**  
QVE LIBRI DIGESTORVM SEV PAN-  
DECTARVM.

PARS PRIMA *πρῶτη*

LIBER. I.

- I. De iusticia & iure.
- II. De origine iuris, & oim magistratuū, & successiōe prudentiū.
- III. De legibus, senatusq; consultis, & longa consuetudine.
- IIII. De constitutionibus principum.
- V. De statu hominum.
- VI. De his, qui sui uel alieni iuris sunt.
- VII. De adoptionibus, & emancipationibus, & alijs modis, quibus patria potestas soluitur.
- VIII. De diuisione rerum, & qualitate.
- IX. De senatoribus.
- X. De officio consulis.
- XI. De officio præfeti prætorio.
- XII. De officio præfeti urbi.
- XIII. De officio quæstoris.
- XIIII. De officio prætoris.
- XV. De officio præfeti uigilum.
- XVI. De officio proconsulis & legati.
- XVII. De officio præfeti Augustalis.
- XVIII. De officio præsidis.
- XIX. De officio procuratoris Cæsaris, uel rationalis.
- XX. De officio iuridici.
- XXI. De officio eius, cui mandata est iurisdicctio.
- XXII. De officio adsestoris.

LIBER II.

- I. De iurisdicctione.
- II. Quod quisq; iuris in alterum statuit, uti ipse eodem iure utat̃.
- III. Si quis ius dicenti non obtemperauerit.
- IIII. De in ius uocando.
- V. In ius uocati ut eant, uel satisfident.
- VI. Si quis in ius uocatus nō ierit, siue per eum cauerit, per quem ex edicto non debuit.
- VII. Ne quis eum, qui in ius uocabitur, ui eximat.

- VIII. Qui satisfacere cogantur, uel iurato promittant, uel promissioni suae committantur.
- IX. Si ex noxali causa agatur, quemadmodum caueatur.
- X. De eo, per quem factum erit, quo minus quis in iudicio sistat.
- XI. Si quis cautionibus in iudicio sistendi causa factis non obtemperauerit.
- XII. De feriis, & dilationibus, & diuersis temporibus, & quibus causis feriae non impediantur.
- XIII. De edendo.
- XIIII. De pactis
- XV. De transactionibus.

LIBER III.

- I. De postulando.
- II. De his, qui norantur infamia.
- III. De procuratoribus & defensoribus.
- IIII. Quod cuiuscunque uniuersitatis nomine, uel contra eam agat.
- V. Negociorum gestorum.
- VI. De calumniatoribus.

LIBER IIII.

- I. De in integrum restitutionibus.
- II. Quod metus causa gestum erit.
- III. De dolo malo.
- IIII. De minoribus uiginti quinque annis.
- V. De capite minutis.
- VI. Ex quibus causis maiores in integrum restituantur.
- VII. De alienatione iudicij mutandi causa facta.
- VIII. De receptis, qui arbitrium receperunt, ut sententiam dicant.
- IX. Nautae, caupones, stabularij ut recepta restituant.

PARS SECVNDA DE IVDICIIS.

LIBER V.

- I. Vbi quis agere, uel contineri debeat.
- II. De inofficioso testamento.
- III. De petitione hereditatis.
- IIII. Si pars hereditatis petatur.
- V. De possessoria hereditatis petitione.
- VI. De fideicommissaria hereditatis petitione.

LIBER VI.

- I. De rei uindicatione.
- II. De Publiciana in rem actione.

III. Si ager ueſtigalis uel emphyteuticarius petatur.

LIBER VII.

I. De uſufructu, & quemadmodum quis utatur fruatur.

II. De uſufructu adcreſcendo.

III. Quando dies uſuſfructus legati cedat.

IIII. Quibus modis uſuſfructus uel uſus amittatur.

V. De uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur, uel minuuntur.

VI. Si uſuſfructus petatur, uel ad alium pertinere negetur.

VII. De operis ſeruorum.

VIII. De uſu & habitatione.

IX. Uſuſfructuarius quemadmodum caueat.

LIBER VIII.

I. De ſeruitutibus.

II. De ſeruitutibus urbanorum prædiorum.

III. De ſeruitutibus ruſticorum prædiorum.

IIII. Communia prædiorum, tam urbanorum, quàm ruſticorum.

V. Si ſeruitus uindictetur, uel ad alium pertinere negetur.

VI. Quemadmodum ſeruitutes amittantur.

LIBER IX.

I. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicetur.

II. Ad legem Aquiliam.

III. De his, qui deiecerint, uel effuderint.

LIBER X.

I. Finium regundorum.

II. Familiæ erciſcundæ.

III. Comuni diuidundo.

IIII. Ad exhibendum.

LIBER XI.

I. De interrogationibus in iure faciendis, & de interrogatorijs actionibus ſublatis.

II. De quibus rebus ad eundem iudicem eatur.

III. De ſeruo corrupto.

IIII. De fugitiuis.

V. De aleatoribus.

VI. Si menſor falſum modum dixerit.

VII. De religioſis, & ſumptibus funerum, & ut funus ducere liceat.

VIII. De mortuo inferendo, & ſepulchro ædificando.

PARS TERTIA DE REBUS CREDITIS.

LIBER. XII.

- I. Si certum petatur condictione.
- II. De iureiurando, siue uoluntario, siue necessario, siue iudiciali.
- III. De in litem iurando.
- III. De condictione causa data, causa non secuta.
- V. De condictione ob turpem, uel iniustam causam.
- VI. De condictione indebiti.
- VII. De condictione sine causa.

LIBER XIII.

- I. De condictione furtiua.
- II. De condictione ex lege.
- III. De condictione Triticiaria.
- III. De eo, quod certo loco dari oportet.
- V. De constituta pecunia.
- VI. Commodati, uel contra.
- VII. De pignoratitia actione, uel contra.

LIBER XIII.

- I. De exercitoria actione.
- II. Ad legem Rhodiam de iactu.
- III. De institoria actione.
- III. De tributoria actione.
- V. Quod cum eo, qui in aliena potestate est, gestum esse dicitur.
- VI. De senatusconsulto Macedoniano.

LIBER XV.

- I. De peculio.
- II. Quando actio de peculio annalis fit.
- III. De in rem uerso.
- III. Quod iussu.

LIBER XVI.

- I. Ad senatusconsultum Velleianum.
- II. De compensationibus.
- III. Depositi, uel contra.

LIBER XVII.

- I. Mandati, uel contra.
- II. Pro socio.

LIBER XVIII.

- I. De contrahenda emptione, & de pactis inter emptorem & uenditorem compositis, & quae res uenire non possint.
- II. De in diem additione.
- III. De lege commissoria.

- III. De hæreditate uel actione uendita.
- V. De rescindenda uenditione, & quando non liceat ab emptio-  
ne discedere.
- VI. De periculo & commodo rei uenditæ.
- VII. De feruis exportandis, & si ita mancipium uenerit, ut manu-  
mittatur, uel contra.

LIBER XIX.

- I. De actionibus empti & uenditi.
- II. Locati & conducti.
- III. De æstimatoria.
- III. De rerum permutatiõne.
- V. De præscriptis uerbis, & in factum actione.

PARS QVARTA.

LIBER XX.

- I. De pignoribus, & hypothecis, qualiter ea contrahantur, & de  
pactis eorum.
- II. Ex quibus causis pignus uel hypotheca tacite contrahitur.
- III. Quæ res pignori uel hypothecæ datæ obligari non possunt.
- III. Qui potiores in pignore hypothecæ habeantur: & de his, qui  
in priorum creditorum locum succedunt.
- V. De distractione pignorum & hypothecarum.
- VI. Quibus modis pignus uel hypotheca soluitur.

LIBER XXI.

- I. De ædilitio ædicto, & \*redhibitoria actione, & quâto minoris. \*als. red-  
hibitiõne.
- II. De euictione, & duplæ stipulatione.
- III. De exceptione rei uenditæ.

LIBER XXII.

- I. De usuris, & fructibus, & causis, & oibus accessiõibus, & mora.
- II. De nautico fœnore.
- III. De probationibus & præsumptionibus.
- III. De fide instrumentorum, & amissione eorum.
- V. De testibus.
- VI. De iuris & facti ignorantia.

LIBER XXIII.

- I. De sponsalibus.
- II. De ritu nuptiarum.
- III. De iure dotium.

- III. De pactis dotalibus.  
V. De fundo dotali.

LIBER XXIII.

- I. De donationibus inter uirum & uxorem.  
II. De diuortijs & repudijs.  
III. Solutio matrimonio, quemadmodum dos petatur.

LIBER XXV.

- I. De impensis in rebus dotalibus factis.  
II. Rerum amotarum.  
III. De agnoscendis, uel alendis liberis, uel parentibus, uel patronis, uel libertis.  
III. De inspiciendo uentre, custodiendoq; partu.  
V. Si uentris nomine muliere in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicatur.  
VI. Si mulier uentris nomine in possessione calumniae causa esse dicatur.

- VII. De concubinis.

LIBER XXVI.

- I. De tutelis.  
II. De testamentaria tutela.  
III. De confirmando tutore uel curatore.  
III. De legitimis tutoribus.  
V. De tutoribus & curatoribus datis ab his, qui ius dandi habent, & qui, & in quibus causis specialiter dari possunt.  
VI. Qui petant tutores, uel curatores, & ubi petantur.  
VII. De administratione & periculo tutorum & curatorum, qui gesserunt, uel non: & de agentibus, uel conueniendis uno, uel pluribus.  
VIII. De autoritate & consensu tutorum uel curatorum.  
IX. Quando ex facto tutoris uel curatoris minores agere uel conueniri possunt.  
X. De suspectis tutoribus.

LIBER XXVII.

- I. De excusationibus tutorum, & temporibus earum.  
II. Vbi pupillus educari uel morari debeat, & de alimentis ei praestandis.  
III. De tutelae, & rationibus distrahendis, & utili curationis causa actione.  
III. De contraria tutelae, & utili actione.  
V. De eo, qui pro tutore, pro uel curatore negocia gessit.

- VI. Quod falso tutore authore gestum esse dicetur.
- VII. De fideiussoribus, & nominatoribus, & hæredibus tutorum & curatorum.
- VIII. De magistratibus conueniendis, & eorum hæredibus.
- IX. De rebus eorum, qui sub tutela uel cura sunt, sine decreto non alienandis, uel pignori obligandis.
- X. De curatoribus, furioso, & alijs extra minores dandis.

**PARS QUINTA, DE TESTAMENTIS.**

**LIBER XXVIII.**

- I. Qui testamentum facere possint, & quemadmodum testamentum fiant.
- II. De liberis & postumis hæredibus instituendis, uel exhæredandis, uel præteritis.
- III. De iniusto, rupto, irrito facto testamento.
- III. De his, quæ in testamento delentur, inducuntur, uel inscribuntur.
- V. De hæredibus instituendis.
- VI. De uulgari & pupillari substitutione.
- VII. De conditionibus institutionum.
- VIII. De iure deliberandi.

**LIBER XXIX.**

- I. De militari testamento.
- II. De acquirenda uel omittenda hæreditate.
- III. Testamenta quemadmodum aperiantur, inspiciantur, & describantur.
- III. Si quis omiſſa causa testamenti, ab intestato, uel alio modo possideat hæreditatem.
- V. De senatusconsulto Silianiano & Claudiano, quorum testamenta nec aperiantur.
- VI. Si quis aliquem testari prohibuerit, uel coegerit.
- VII. De iure codicillorum.

**LIBER XXX.**

De legatis & fidei commissis, liber primus.

**LIBER XXXI.**

De legatis & fidei commissis, liber secundus.

**LIBER XXXII.**

De legatis & fidei commissis, liber tertius.

LIBER XXXIII.

- I. De annuis legatis & fideicommissis.
- II. De usu, & usufructu, & reditu, & habitatione, & operis per legatum uel fideicommissum datis.
- III. De seruitute legata.
- IIII. De dote relegata.
- V. De optione uel electione legata.
- VI. De tritico, uino, uel oleo legato.
- VII. De instructo uel instrumento legato.
- VIII. De peculio legato.
- IX. De penu legata.
- X. De supellectile legata.

LIBER XXXIIII.

- I. De alimentis uel cibarijs legatis.
- II. De auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, ueste, uel uestimentis, & statuis legatis.
- III. De liberatione legata.
- IIII. De adimendis uel transferendis legatis, uel fideicommissis.
- V. De rebus dubijs.
- VI. De his, quæ poenæ causâ relinquuntur.
- VII. De regula Catoniana.
- VIII. De his, quæ pro non scriptis habentur.
- IX. De his, quæ ut indignis auferuntur.

LIBER XXXV.

- I. De conditionibus & demonstrationibus, & causis, & modis eorum, quæ in testamento scribuntur.
- II. Ad legem Falcidiam.
- III. Si cui plus, quàm per Falcidiam licuerit, legatum esse dicitur.

LIBER XXXVI.

- I. Ad senatus consultum Trebellianum.
- II. Quando dies legatorum uel fideicommissorum cedat.
- III. Vt legatorum seu fideicommissorum seruandorum causa caueat.
- IIII. Vt in possessione legatorum uel fideicommissorum seruandorum causa esse liceat.

PARS SEXTA.

LIBER XXXVII.

- I. De bonorum possessionibus.
- II. Si tabulæ testamenti extabunt.

De bon

- III. De bonorum possessione, furioso, infanti, muto, surdo, cæco competente.
- III. De bonorum possessione contra tabulas.
- V. De legatis præstandis contra tabulas bonorum possessione petita.
- VI. De collatione bonorum.
- VII. De dotis collatione.
- VIII. De uentre in possessionem mittendo, & curatore eius.
- IX. De coniungendis cum emancipato liberis eius.
- X. De Carboniano edicto.
- XI. De bonorum possessione secundum tabulas.
- XII. Si à parente quis manumissus fuerit.
- XIII. De bonorum possessione ex testamento militis.
- XIII. De iure patronatus.
- XV. De obsequiis à liberis & libertis parentibus & patronis præstandis.

LIBER. XXXVIII.

- I. De operis libertorum.
- II. De bonis libertorum.
- III. De libertis uniuersitatum.
- III. De adsignandis libertis.
- V. Si quid in fraudem patroni factum sit.
- VI. Si tabulæ testamenti nullæ exstabant, unde liberi:
- VII. Unde legitimi, & unde adgnati.
- VIII. Unde cognati.
- IX. De successorio edicto
- X. De gradibus, & adfinibus, & nominibus eorum.
- XI. Unde uir & uxor.
- XII. De ueteranorum & militum successione.
- XIII. Quibus non competit bonorum possessio.
- XIII. Ut ex legibus senatusuè consultis bonorum possessio detur.
- XV. Quis ordo in bonorum possessione seruetur.
- XVI. De suis & legitimis hæredibus.
- XVII. Ad senatusconsultum Tertullianum & Orphitianum.

LIBER XXXIX.

- I. De noui operis nunciacione.
- II. De damno infecto, & de suggrundis, uel protectionibus.
- III. De aqua, & aquæ pluuiæ arcendæ.
- III. De publicanis, & uectigalibus, & commissis.
- V. De donationibus.

VI. De mortis causa donationibus, & captionibus.

LIBER. XL.

- I. De manumissionibus.
- II. De manumissis uindicta.
- III. De manumissionibus, quæ seruis ad uniuersitatem pertinentibus imponuntur.
- IIII. De manumissis testamento.
- V. De fideicommissarijs libertatibus.
- VI. De ademptione libertatis.
- VII. De statuliberis.
- VIII. Qui sine manumissione ad libertatem perueniunt.
- IX. Qui & à quibus manumissi liberi non fiant, & ad legem Acliam Sentiam.
- X. De iure aureorum anulorum.
- XI. De natalibus restituendis.
- XII. De liberali causa.
- XIII. Quibus ad libertatem proclamare non licet.
- XIIII. Si libertus ingenuus esse dicetur.
- XV. Ne de statu defunctorum post quinquennium quærat. .
- XVI. De collusione detegenda.

LIBER XL I.

- I. De adquirendo rerum dominio.
- II. De acquirenda uel omittenda possessione.
- III. De usucapionibus.
- IIII. Pro soluto.
- V. Pro emptore.
- VI. Pro hærede uel possessore.
- VII. Pro donato.
- VIII. Pro derelicto.
- IX. Pro legato.
- X. Pro dote.
- XI. Pro suo.

LIBER XLII.

- I. De re iudicata, & de effectu sententiarum, & de interlocutionibus.
- II. De confessis.
- III. De cessione bonorum.
- IIII. Quibus ex causis in possessionem eatur.
- V. De rebus iudicis autoritate possidendis uel uendundis.
- VI. De priuilegijs creditorum.

- VII. De separationibus.
  - VIII. De curatore bonis dando.
  - IX. Quæ in fraudem creditorum facta sint, ut restituantur.
- LIBER XLIII.
- I. De interdictis, seu extraordinarijs actionibus, quæ pro his competunt.
  - II. Quorum bonorum.
  - III. Quod legatorum.
  - III. Ne uis fiat ei, qui in possessione missus erit.
  - V. De tabulis exhibendis.
  - VI. Ne quid in loco sacro fiat.
  - VII. De locis & itineribus publicis.
  - VIII. Ne quid in loco uel itinere publico fiat.
  - IX. De loco publico fruendo.
  - X. De uia publica, & si quid in ea factum esse dicatur, & de ea ex edicto ædilium curulium à singulis rescicienda.
  - XI. De fluminibus, ne quid in flumine riparum eius fiat, quo peius nauigeretur.
  - XII. Ne quid in flumine publico, inue ripa eius fiat, quo aliter aqua fluat, atq; priore ætate fluxit.
  - XIII. Ut in flumine publico nauigare liceat.
  - XIII. De ripa munienda.
  - XV. De ui, & de ui armata.
  - XVI. Vti possidetis.
  - XVII. De superficiebus.
  - XVIII. De itinere actuq; priuato.
  - XIX. De aqua cotidiana & æstiuâ.
  - XX. De riuis.
  - XXI. De fonte.
  - XXII. De cloacis.
  - XXIII. Quod ui aut clam.
  - XXIII. De remissionibus.
  - XXV. De precatio.
  - XXVI. De arboribus cædendis.
  - XXVII. De glande legenda.
  - XXVIII. De libero homine exhibendo.
  - XXIX. De liberis exhibendis, item ducendis.
  - XXX. Vtrubi.
  - XXXI. De migrando.
  - XXXII. De Saluiano interdicto.

LIBER XLIIII.

- I. De exceptionibus, præscriptionibus, & præiudicijs.
- II. De exceptione rei iudicatæ.
- III. De diuersis temporalibus præscriptionibus, & accessionibus possessionum.
- IIII. De doli mali & metus exceptione.
- V. Quarum rerum actio non datur.
- VI. De litigiosis.
- VII. De obligationibus & actionibus.

PARS SEPTIMA.

LIBER XLV.

- I. De uerborum obligationibus
- II. De duobus reis stipulandi.
- III. De stipulatione seruorum.

LIBER XLVI.

- I. De fideiussoribus & mandatoribus.
- II. De nouationibus & delegationibus.
- III. De solutionibus & liberationibus.
- IIII. De acceptilatione.
- V. De prætorijs stipulationibus.
- VI. Rem pupilli saluam fore, uel adolescentis.
- VII. Iudicatum solui.
- VIII. Ratam rem haberi, & de rati habitione.

LIBER XLVII.

- I. De priuatis delictis.
- II. De furtis.
- III. De tigno iuncto.
- IIII. Si is, qui testamento liber esse iussus erit, post mortem domini ante aditam hæreditatem subripuisse quid dicetur.
- V. Furti aduersus nautas, caupones, stabularios.
- VI. Si familia furtum fecisse dicetur.
- VII. Arborum furtim cæsarum.
- VIII. Vi bonorum raptorum, & de turba.
- IX. De incendio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata.
- X. De iniurijs & famosis libellis.
- XI. De extraordinarijs criminibus.
- XII. De sepulchro uiolato.
- XIII. De concussionem.

- XIII. De abigeis
- XV. De præuaricatoribus.
- XVI. De receptoribus.
- XVII. De furibus balnearijs.
- XVIII. De effractoribus & expilatoribus.
- XIX. Expilatæ hæreditatis.
- XX. Stellionatus.
- XXI. De termino moto.
- XXII. De collegijs & corporibus.
- XXIII. De popularibus actionibus.

LIBER XLVIII.

- I. De publicis iudicijs.
- II. De accusationibus & inscriptionibus.
- III. De custodia & exhibitione reorum.
- III. Ad legem Iuliam maiestatis.
- V. Ad legem Iuliam de adulterijs coërcendis, & stupro.
- VI. Ad legem Iuliam de ui publica.
- VII. Ad legem Iuliam de ui priuata.
- VIII. Ad legem Iuliam de ficarijs & ueneficis.
- IX. Ad legem Pompeiam de parricidijs.
- X. Ad legem Corneliã de falsis, & de senatuscõsulto Liboniano.
- XI. Ad legem Iuliam repetundarum.
- XII. Ad legem Iuliam de annona.
- XIII. Ad legem Iuliam peculatus, & de sacrilegijs, & residuis.
- XIII. Ad legem Iuliam de ambitu.
- XV. Ad legem Faniam de plagiarijs.
- XVI. Ad senatuscõsultũ Turpillianũ, & de abolitionibus criminũ.
- XVII. De requirendis reis, nec absentibus damnandis.
- XVIII. De quæstionibus.
- XIX. De pœnis.
- XX. De bonis damnatorum.
- XXI. De bonis eorum, qui ante sententiam, uel mortem sibi consci uerunt, uel accusatorem corruerunt.
- XXII. De interdictis & relegatis, & deportatis.
- XXIII. De sententiam passis, & restitutis.
- XXIII. De cadaueribus punitorum.

LIBER XLIX.

- I. De appellationibus, & relationibus.
- II. A quibus appellare non licet.
- III. Quis à quo appelletur.

- III. Quando appellandum sit, & intra quæ tempora.
- V. De appellationibus recipiendis, uel non.
- VI. De libellis dimissorijs, qui apostoli dicuntur.
- VII. Nihil innouari appellatione pendente.
- VIII. Quæ sententiæ sine appellatione rescindantur.
- IX. An per alium causæ appellationum reddi possint.
- X. Si tutor, uel curator, uel magistratus creatus appellauerit.
- XI. Eum, qui appellauerit, in prouincia defendi.
- XII. Apud eum, à quo appelletur, aliam causam agere cõpellendũ.
- XIII. Si pendente appellatione mors interuenerit.
- XIII. De iure fisci.
- XV. De captiuis, & de postliminio, & de redemptis ab hostibus.
- XVI. De re militari.
- XVII. De castrensi peculio.
- XVIII. De ueteranis.

LIBER L.

- I. Ad municipalem, & de incolis.
- II. De decurionibus & filijs eorum.
- III. De albo scribendo.
- III. De muneribus & honoribus.
- V. De uacatione, & excusatione munerum.
- VI. De iure immunitatis.
- VII. De legationibus.
- VIII. De administratione rerum ad ciuitates pertinentium.
- IX. De decretis ab ordine faciendis.
- X. De operibus publicis.
- XI. De nundinis.
- XII. De pollicitationibus.
- XIII. De extraordinarijs cognitionibus, & si iudex litem suã fecisse dicetur.
- XIII. De proxenetis.
- XV. De censibus.
- XVI. De uerborum significatione.
- XVII. De diuersis regulis iuris antiqui.

FINIS.

# DOMINI PISTINI

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...



# DOMINI IVSTINI

ANI SACRATISSIMI PRINCIPIS IVRIS

enucleati ex omni uetere iure digestorum seu pandectarum liber primus.

DE IVSTICIA ET IVRE.

Tit. I.

I. VLP IANVS libro primo Institutionum



URI OPERAM DATVRVM PRI

us nosse oportet, unde nomē iuris descēdat. Est autem à iusticia appellatum. nam ( ut elegāter Celsus definit ) Ius est ars boni & æqui, cuius merito quis nos sacerdotes appellet. Iusticiam nāq; colimus, & boni & æqui notitiā profitemur: æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes: bonos non solum metu pœnarum, uerū etiam prēmiorū

quoq; exhortatione efficere cupientes: uerā ( nisi fallor ) philosophiam, non simulatā adfēctantes.

Huius studij duæ sunt positiones, publicum & priuatum. Publicum ius est, quod ad statum rei Romanæ spectat. Priuatum, quod ad singulorum utilitatem. Sunt enim quædam publice utilia, quædā priuata. Publicum ius in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit. Priuatum ius tripartitum est, collectū enim est ex naturalibus præceptis, aut gentiū, aut ciuilibus.

Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nā ius istud nō humani generis proprium, sed omniū animalium, quæ terra, mariq; nascūtur, auiū quoq; cōmune est. Hinc descendit maris atq; fœminæ cōiunctio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorū procreatio, hinc educatio. Videmus etenim cætera quoq; animalia, feras etiam istius iuris peritia censerī. Ius gentiū est, quo gentes humanæ utūtur. quod à naturali recedere, inde licet facile intelligere: quia illud omnibus animarū libus, hoc solis hominibus inter se commune est.

II. POMPONIVS libro singulari enchiridij.

Eluti erga deum religio, ut parentibus, & patriæ pareamus.

III. FLORENTINVS lib. I. Institutionum.

VT uim atq; iniuriā propulsemus. Nam iure hoc euenit, ut quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit: iure fecisse existimetur. & cum inter nos cognationem quandam natura constituerit: consequens

a

quens

quens est, hominem homini insidiari nefas esse.

III. VLP IANVS lib. I. Institutionum.

**M**anumissiones quoque iuris gentium sunt. Est autem manumissio, de manu datio. nam quamdiu quis in seruitute est, manui & potestati suppositus est, & manumissus liberatur potestate. Quæ res à iure gentium originem sumpsit: utpote cum iure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum seruitus esset incognita. Sed posteaquam iure gentium seruitus inuasit, secutum est beneficium manumissionis: & cum uno naturali nomine homines appellarentur, iure gentium tria hominum genera esse coeperunt: liberi, & ijs contrarium serui, & tertium genus libertini, qui desierant esse serui.

V. HERMOGENIANVS lib. I. Iuris ἐπιτομὴν.

**E**x hoc iure gentium introducta bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collocata, commercium, emptiones, uenditiones, locationes, conductiones, obligationes institutæ: exceptis quibusdam, quæ à iure civili introductæ sunt.

VI. VLP IANVS lib. I. Institutionum.

**I**us civile est, quod neque in totum à naturali uel gentium recedit, neque per omnia ei seruit. Itaque cum aliquid addimus, uel detrahimus iuri communi, ius proprium, id est civile efficitur. Hoc igitur ius nostrum constat, aut ex scripto, aut sine scripto: ut apud Græcos, τῶν νόμων δι μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἀγραφοι.

VII. PAPIN. lib. II. Definitionum.

**I**us autem civile est, quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, decretis principum, autoritate prudentium uenit. Ius prætorium, quod prætores introduxerunt adiuuandi, uel supplendi, uel corrigendi iuris civilis gratia, propter utilitatem publicam: quod & Honorarium dicitur, ad honorem prætorum sic nominatum.

VIII. MARTIANVS lib. I. Institutionum.

**N**am & ipsum ius honorarium uia uox est iuris civilis.

IX. CAIVS lib. I. Institutionum.

**O**mnes populi, qui legibus & moribus reguntur: partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius ciuitatis proprium est: uocaturque ius civile, quasi ius proprium ipsius ciuitatis. Quod uero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræque custoditur: uocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utantur.

X. VLP IANVS lib. I. Regularum.

**I**usticia est, constans & perpetua uoluntas, ius suum cuique tribuendi. Iuris præcepta sunt hæc: honeste uiuere, alterum non lædere, suum cuique tribuere

tribuere. Iuris prudentia est diuinarum atq; humanarum rerum notitia, iusti atq; iniusti scientia.

XI. PAVLVS lib. XIII. ad Sabinum.

**I**us pluribus modis dicitur. Vno modo cum id, quod semper bonū ac æquum est, ius dicitur: ut est ius naturale. Altero modo, quod omnibus, aut pluribus in quaq; ciuitate utile est: ut est ius ciuile. nec minus ius recte dicitur in ciuitate nostra ius honorariū. Prætor quoq; ius reddere dicitur, etiam cum inique decernit: relatione scilicet facta non ad id, quod prætor ita fecit, sed ad illud, quod prætor re facere conuenit. Alia significatione ius dicitur locus, in quo ius redditur: appellatione collata ab eo, quod fit, in eo ubi fit. Quem locū determinare hoc modo possumus: ut ubicunq; prætor salua maiestate imperij sui, saluocq; more maiorum, ius dicere constituit: is locus recte ius appelletur.

XII. MARTIANVS libro primo institutionum.

**N**onnunquam ius etiam pro necessitudine dicimus: ueluti est ius cognationis uel adfinitatis.

DE ORIGINE IVRIS, ET OMNIUM magistratuum, & successione prudentium. Tit. II.

CAIVS lib. I. ad L. duodecim tabularum.



**E**ACTVRI legum uetustarum interpretationem, necessario prius ab initijs urbis repetendū existimauius: non quia uelim uerbosos cōmentarios facere, sed quod in omnibus rebus animaduerto id perfectū esse, quod ex omnibus suis partibus constat. Et certe cuiusq; rei potissima pars principium est. Deinde si in foro causas dicentibus nefas (ut ita dixerim) uideretur esse, nulla præfatione facta, iudici rem exponere: quanto magis interpretationem promittentibus inconueniens erit, omissis initijs, atq; origine non repetita, atq; illotis (ut ita dixerim) manibus, protinus materiam interpretationis tractare: namq; (nisi fallor) istæ præfationes & libentius nos ad lectionem propositæ materiæ conducunt: & cum ibi uenerimus, euidentiore præstant intellectum.

II. POMPONIVS lib. singulari enchiridij.

**N**ecessarium itaq; nobis uideretur in primis, ipsius iuris originē atq; processum demonstrare. Et quidē initio ciuitatis nostræ populū sine certa lege, sine iure certo primū agere instituit, omniaq; manu regis gubernabantur. Postea aucta ad aliquem modum ciuitate, ipse Romulus traditur, populū in triginta partes diuisisse: quas partes curias appellari, propterea quod tunc reipublicæ curam per sententias ea-

tias earum partiū expediebat. Et ita leges quasdam & ipse curiatus ad  
 populum tulit, tulerunt & sequentes reges. quæ omnes conscriptæ ex-  
 stant in libro Sexti Papyrii: qui fuit illis temporibus, quibus Demara-  
 ti Corinthij filius, ex principalibus uiris. Isq; liber ( ut diximus ) appella-  
 tur ius ciuile Papyrianū: nō quia Papyrius de suo quidquam ibi adie-  
 cit, sed quod leges sine ordine latas in unū composuit. Exactis deinde  
 regibus, lege Tribunitia omnes leges hæ exoleuerunt: iterumq; coepit  
 populus Romanus incerto magis iure, & consuetudine aliqua uti,  
 quam perlata lege: idq; propè uiginti annis passus est. Postea ne diuti-  
 us hoc fieret: placuit publica auctoritate decem constitui uiros, per  
 quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus, & ciuitas fundaret legibus.  
 quas in tabulas eboreas perscriptas, pro Roftris composuerunt, ut pos-  
 sent apertius percipi. Datumq; est eis ius eo anno in ciuitate summū:  
 uti & leges corrigerent, si opus esset, & interpretarentur: neq; prouoca-  
 tio ab eis, sicut à reliquis magistratibus, fieret. Qui ipsi cū animaduer-  
 terent aliquid deesse istis primis legibus: ideoq; sequenti anno alias du-  
 as ad easdem tabulas adiecerūt, & ita ex accidente appellatæ sunt leges  
 duodecim tabularum: quarum ferendarū authorem fuisse decem ui-  
 ris Hermodorum quendam Ephesium exfulantem in Italia, quidā re-  
 tulerunt. His legibus latis coepit ( ut naturaliter euenire solet ) ut inter-  
 pretatio desideraret prudentium auctoritatem, necessariamq; disputa-  
 tionem fori. Hæc disputatio & hoc ius, quod sine scripto uenit, compo-  
 sitū à prudentibus: propria parte aliqua non appellatur, ut cæteræ par-  
 tes iuris suis nominibus designantur: sed communi nomine appella-  
 tur ius ciuile. Deinde ex his legibus eodē ferē tempore actiones cōposi-  
 tæ sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas actiones ne popu-  
 lus, ut uellet, institueret: certas sollennesq; esse uoluerunt: & appella-  
 batur hæc pars iuris legis actiones. & ita eodem penē tempore tria hæc  
 iura nata sunt: leges duodecim tabularum, ex his fluere coepit ius ciui-  
 le, ex iisdem legis actiones compositæ sunt. Omniū tamen hæ-  
 rum & interpretandi scientia & actiones, apud collegium Pontificum  
 erant: ex quibus constituebatur, quis quoq; anno præesset priuatus: &  
 populus propè centū annis hac consuetudine usus est. Postea cum  
 Appius Claudius proposuisset, & ad formam redegisset has actiones,  
 Cneus Flauius scriba eius, libertini filius, subreptum librū populo tra-  
 didit: & adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret, &  
 senator, & ædilis curulis. hinc liber, qui actiones continet, appellatur ius  
 ciuile Flauianū: sicut illud, ius ciuile Papyrianum. nam nec Cneus Fla-  
 uius de suo quidq; adiecit libro. Augescente ciuitate, & qui præerant,  
 quædam genera agendi cōposuerunt: nec post multum temporis spa-  
 cium

cium Sextus Aelius alias actiones composuit: & librum populo dedit, qui appellatur ius Aelianum. Deinde cum esset in ciuitate lex duodecim tabularū & ius ciuile, essent & legis actiones: euēnit, ut plebs in discordiam cum patribus perueniret, & secederet: sibiq; iura constitueret, quæ plebiscita uocantur. mox cum reuocata esset plebs: quia multæ discordiæ nascebantur de his plebiscitis: pro legibus placuit & ea obseruari, lege Orrensiæ. & ita factum est: ut inter plebiscita & leges species constituendi interesset, potestas esset eadem. Deinde quia difficile plebs conuenire cœpit, populusq; multo difficilius in tanta turba hominum: necessitas ipsa curam reipublicæ ad senatum deduxit. Ita cœpit senatus se interponere: & quidquid constitueret, obseruabatur: idq; ius appellabatur senatusconsultum. Eodem tempore & magistratus iura reddebant: & ut scirent ciues, quod ius de qua re quisq; dicturus esset, scq; præmunirent: edicta proponebant, quæ ius honorariū constituerunt. Honorarium dicitur, quod ad honorē prætoris uenerat. Nouissime sicut ad pauciores iuris constituendi uia transisse, ipsis rebus distantibus, uidebatur: per partes euēnit, ut esset necesse reipublicæ per unum consuli. nam senatus non perinde omnes prouincias probe regere poterat. Igitur constituto principe: datum est ei ius, ut quod constitueret, ratum esset. Ita in ciuitate nostra aut iure, id est lege constituitur: aut est propriū ius ciuile, quod sine scripto in sola prudentiū interpretatione cōsistit: aut sunt legis actiones, quæ formam agendi continent: aut plebiscitum, quod sine auctoritate patrum est constitutū: aut est magistratuū edictum, unde ius honorarium nascitur: aut senatusconsultum, quod solum senatu cōstituente inducitur sine lege: aut est principalis constitutio, id est, ut quod ipse princeps constituit, pro lege seruetur. Post originē iuris & processum cognitū, consequens est, ut de magistratuuum nominibus & origine cognoscamus: quia (ut exposuimus) per eos, qui iuri dicundo præsumunt, effectus rei accipitur. Post deinde de authorum successione dicemus: quod constare nō possit ius, nisi sit aliquis iuris peritus, per quē possit quotidie in melius produci. Quod ad magistratus attinet: initio ciuitatis huius constat reges omnem potestatem habuisse. Iisdem temporibus & tribunum celerū fuisse constat. is autē equitibus præerat, & ueluti secundū locū à regibus obtinebat: quo in numero fuit Iunius Brutus, qui author fuit regis eiciendi. Exactis deinde regibus, consules cōstituti sunt duo: penes quos summū ius uti esset, lege rogatum est. dicti ab eo, quod plurimū reipublicæ consulerent. qui tamen ne per omnia regiam potestatem sibi uindicarent: lege lata factum est, ut ab eis prouocatio esset, neue possent in

caput ciuis Romani animaduertere iniussu populi: solum relictum est illis, ut coërcere possent, & in uincula publica duci iuberet. Post deinde cū census iā maiore tempore agendus esset, & consules non sufficerent huic officio, censores cōstituti sunt. Populo deinde aucto, cum crebra orerentur bella, & quædam acriora à finitimis inferrentur: interdum re exigente, placuit maioris potestatis magistratū cōstitui. itaque dictatores proditi sunt, à quibus nec prouocandi ius fuit, & quibus etiam capitis animaduersio data est. Hunc magistratum: quoniam summam potestatem habebat: non erat fas ultra sextum mensem retinere. & his dictatoribus magistri equitum iungebantur, sic quo modo regibus tribuni celerum: quod officium ferè tale erat, quale hodie præfectorum prætorio. magistratus enim habebantur. Iisdem temporibus cum plebs à patribus secessisset, anno ferè septimodecimo post reges exactos: tribunos sibi in monte sacro creauit, qui essent plebei magistratus. dicti tribuni, quod olim in tres partes populus diuisus erat, & ex singulis singuli creabantur: uel quia tribuum suffragio creabantur. Itemque ut essent, qui ædibus præssent, in quibus omnia scita plebs defererebat: duos ex plebe constituerunt, qui etiam ædiles appellati sunt.

Deinde cum arariū populi auctius esse cœpisset: qui illi præssent, cōstituti sunt quæstores: dicti ab eo, quod inquirendæ & conseruandæ pecuniæ causa creati erant. Et quia (ut diximus) de capite ciuis Romani iniussu populi non erat lege permittum consulibus ius dicere: propterea quæstores constituebantur à populo, qui capitalibus rebus præssent: hiç appellabantur quæstores paricidij, quorum etiam meminit lex duodecim tabularū. Et cum placuisset leges quoque ferri: latū est ad populum, ut omnes magistratus se abdicarēt: & decem uiri cōstituti sunt anno uno. hi cum magistratū prorogarent sibi, & rem iniuriose tractarent, neque uellent deinceps sufficere magistratus, ut ipsi & factio sua perpetuo rempublicam occupatam retinerent: nimia atque aspera dominatione eò rempublicam perduxerunt, ut exercitus à republica secederet. initium fuisse secessionis dicitur Verginius quidam: qui cum animaduertisset Appium Claudium contra ius, quod ipse ex uetere iure in duodecim tabularum transtulerat, uindicias filia suæ à se abdixisse: & secundum eum, qui ab eo suppositus, in seruitutē petierat, dixisse: captumque amore uirginis omne fas ac nefas miscuisse: indignatus, quod uetustissima iuris obseruantia in persona filia suæ defecisset (urpote cum Brutus, qui primus Romæ consul fuit, uindicias secundum libertatem dixisset in persona uindicias Vitelliorum serui, qui proditiōnis coniurationem indicio suo detexerat) & castitatem filia suæ, uitæ quoque eius præferendam putaret: arrepto cultro de tabernaculo

nionis

nionis filia interfecit, in hoc scilicet, ut morte virginis contumelia stu-  
 pri arceret: ac protinus recens a caede, madenteq; adhuc filiae cruore, ad  
 comilitones cofugit. qui uniuersi de Algido, ubi tunc belli gerandi cau-  
 sa legiones erant: relictis ducibus pristinis, signa in Auentinum transtu-  
 lerunt, omnisq; plebs urbana mox eodem se contulit. ita populi cofen-  
 su partim decem uiris in carcere necatis, partim in exilium actis: rura  
 sua respublica suu statum recepit. Deinde cum post aliquor annos,  
 quam duodecim tabulae latae sunt: & plebs contenderet cu patribus, &  
 uellet ex suo quoq; corpore consules creare, & patres recusarent: factu  
 est, ut tribuni militu crearentur, partim ex plebe, partim ex patribus co-  
 sulari potestate: hisq; constituti sunt uario numero. interdum eni uiginti  
 fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores. Deinde cum placuis-  
 set creari etia ex plebe consules: coeperunt ex utroq; corpore constitui.  
 Tunc ut aliquo pluris patres haberentur, placuit duos ex numero pa-  
 trum constitui: ita facti sunt aediles curules. Cunctq; consules auocarent  
 bellis finitimis, neq; esset, qui in ciuitate ius reddere posset: factu est, ut  
 praetor quoq; crearetur, qui urbanus appellatus est, quod in urbe ius di-  
 cebat. Post aliquot deinde annos no sufficiente eo praetore, quod mul-  
 ta turba etiam peregrinorum in ciuitatem ueniret: creatus est & alius  
 praetor, qui peregrinus appellatus est ab eo, quod pleriq; inter peregrin-  
 os ius reddebat. Deinde cum esset necessarius magistratus, qui hastae  
 praefret: centum uiri litibus iudicandis constituti sunt. Constituti sunt  
 eodem tempore & quatuor uiri, qui curam uiaru agerent: & trium uiri  
 eodum tempore & quatuor uiri, qui curam uiaru agerent: & trium uiri  
 monetales aëris, argenti, auri flatores: & trium uiri capitales, qui carceris  
 custodiam haberent, ut cum animaduerti oporteret, interuentu eoru  
 fieret. Et quia magistratibus uespertinis temporibus in publicu esse,  
 inconueniens erat: quinque uiri constituti sunt cis Tyberim, & ultis Tybe-  
 rim, qui possent pro magistratibus fungi. Capta deinde Sardinia,  
 mox Sicilia, item Hispania, deinde Narbonensi prouincia: totide praef-  
 rores, quot prouinciae in ditiones uenerant, creati sunt: partim qui ur-  
 banis reb; partim qui puincialibus praefrent. Deinde Cornelius Syl-  
 la quaestiones publicas constituit: ueluti de falso, de patricio, de fidei-  
 comisso, de iniurijs, & praetores quatuor adiecit. Deinde Caius Iulius caesar  
 duos praetores & duos aediles, qui frumento praefrent, a Cerere Cere-  
 ales constituit. Ita duodecim praetores, sex aediles sunt creati. Diuus de-  
 inde Augustus sedecim praetores constituit. Post deinde diuus Claudi-  
 us duos praetores adiecit, qui de fidei commisso ius dicerent. ex quibus  
 unum diuus Titus detraxit: & adiecit diuus Nerua, qui inter fiscum &  
 priuatos ius diceret. Ita decem & octo praetores in ciuitate ius dicunt: &  
 haec omnia, quoties in republica sunt magistratus, obseruantur. Quo-  
 ties au-

ties autem proficiscuntur: unus relinquitur, qui ius dicat, is uocatur præfectus urbi, qui præfectus olim constituebatur, postea ferè latinarum feriarum causa introductus est, & quot annis obseruatur. Sanè præfectus annonæ & uigilum, quanquã non sunt magistratus, sed extra ordinem utilitatis causa constituti: tamen hi, quos cis Tyberim diximus, postea ædiles senatus cõsulto creabantur. Ergo ex his omnibus decem tribuni plebis, consules duo, decem & octo prætores, sex ædiles in ciuitate iura reddebãt. Iuris ciuili scientiã plurimi & maximi uiri professi sunt: sed qui maximæ dignationis apud populum Romanum fuerunt, eorum in præsentia mentio habenda est: ut appareat, à quibus & qualibus hæc iura orta & tradita sint. Et quidem ex omnibus, qui scientiam nãcti sunt, ante Tyberium Coruncanum publice professum neminẽ, traditur: cæteri autem adhuc uel in latenti ius ciuile retinere cogitabant, solumquẽ consultatoribus potius, quã discere uolentibus se præstabant. Fuit autem in primis peritus Sextus Papyrius, qui leges regias in unum contulit. ab hoc Appius Claudius unus ex decem uiris, cuius maximum consilium in duodecim tabulis scribendis fuit. post hunc Appius Claudius eiusdem generis maximam scientiam

aliã \* Cent  
temniamus,  
aliã, Centi  
manus: sed  
parũ recte.

habuit. hic \* cæcus appellatus est, & Appiã uiam strauit, & aquã Claudiam induxit, & de Pyrrho in urbẽ nõ recipiendo sententiã tulit: hunc etiã actiones scripsisse traditũ est, primumquẽ de usurpationibus, qui liber nõ exstat. Idẽ Appius Claudius usu, qui uidetur ad hoc processisse, R. literã inuenit: ut pro Valefij Valerij esset, & pro Fufij Furijs. Fuit post eos maximæ scientiæ Sempronius, quẽ populus Romanus *oicopos* appellauit: nec quisquam ante hunc hoc nomine cognominatus est. Sed & Caius Scipio Nasica, qui optimus à senatu appellatus est: cui etiã publica domus in sacra uia data est, quo facilius consuli posset. De inde Quintus Fabius, qui ad Carthaginenses missus legatus: cũ essent duæ tessera posita, una pacis, altera belli: arbitrio sibi dato, utram uellet, referret Romam: utramquẽ sustulit, & ait Carthaginenses petere debere, utram mallent accipere. Post hos fuit Tyberius Coruncanus, qui (ut dixi) primus profiteri cœpit: cuius tamen scriptum nullum exstat, licet responsa compluria & memorabilia eius fuerint. Deinde Sextus Aelius, & frater eius Publius Aelius, & Publius Atilius maximam scientiam in profitendo habuerunt: & duo Aelij etiam consules fuerunt: Atilius autem primus à populo sapiens appellatus est. Sextum Aelium etiam Ennius laudauit: & exstat illius liber, qui inscribitur tripertita, qui ueluti cunabula iuris continet. Tripertita autem dicitur, quoniam lege duodecim tabularum præposita, iugitur interpretatio, deinde subrexitur legis actio. Eiusdem esse tres alij libri referuntur: quos tamen quidam

dam negant eius esse. hos sectatus est ad aliquid Marcus Cato princeps Porciæ familiae, cuius & libri exstant: sed plurimi filij eius, ex quibus cæteri oriuntur. Post hos fuerunt Publius Mutius, & Brutus, & Manilius, qui fundauerunt ius ciuile. ex his Publius Mutius decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres. exstant & uolumina inscripta. Manilij monumenta. illi duo consulares fuerunt, Brutus prætorius, Publius Mutius etiam pōtifex maximus. Ab his profecti sunt Publius Rutilus Rufus, qui Romæ consul, & Asiæ proconsul fuit: Paulus Vetginus, & Quintus Tubero ille Stoicus Panætij auditor, qui & ipse consul: etiam Sextus Pompeius Cnei Pompei patruus. Fuit & eodem tempore Cælius Antipater, qui historias conscripsit: sed plus eloquentiæ, quàm scientiæ iuris operam dedit. etiam Lucius Crassus frater Publij Mutij, qui \*Munianus dictus est. \*(hūc Cicero ait iuriscōsultorū disertissimū)

aliās \*Munianus.

\*(Non oīa exemplaria habent.)

Post hos Quintus Mutius Publij filius pontifex maximus ius ciuile primus constituit, generatim in libros decē & octo redigendo. Mutij auditores fuerūt complures: sed præcipue authoritatis Gallus Aquilius, Balbus Lucilius, Sextus Papyrius, Caius Iuuentius. ex quibus Gallum maximæ authoritatis apud populum fuisse Seruius dicit. omnes enim hi à Seruio Sulpitio nominantur: alioquin per se eorum scripta non talia exstant, ut ea omnes adpetant. deniq; nec uersantur omnino scripta eorū inter manus hominum: sed Seruius libros suos compleuit, ex cuius scriptura ipsorum quoq; memoria habetur. Seruius autem cum in causis orandis primum locum, aut certe post Marcum Tullium obtineret: traditur ad consulendum Quintum Mutium de re amici sui peruenisse. cūq; eum de iure respondentem parum intellexisset, & iterum Quintum interrogasset, & à Quinto responsum esset, nec tamen percepisset: ita obiurgatum à Quinto Mutio. Nanq; eum dixisse: turpe esse patritio & nobili uiro causas exoranti, ius in quo uersaretur, ignorare. ea uelut contumelia Seruius tractus, operam dedit iuri ciuili: & plurimum eos, de quibus locuti sumus, audiuit: instructus à Balbo Lucilio, instructus autē maxime à Gallo Aquilio, qui fuit Cercinnæ. Itaq; libri eius cōplures exstant Cercinnæ cōfecti. hic cū in legatione perisset, statuam ei populus Romanus pro Rostris posuit, & Hostiæ exstat pro rostris Augusti. huius uolumina compluria exstant. reliquit autem propè centum & octaginta libros. ab hoc plurimi profecerunt, ferè tamen hi libros conscripserunt: Alfenus Varus, Caius Aulus Ofilius, Titius Cæsius, Aufidius Tuca, Aufidius Namusa, Flavius Priscus, Caius Ateius Pacuuius, Labeo Antistius Labeonis Antistij pater, Cinnna, Publicius Gellius. Ex his enī decem, octo libros cōscripserūt: quorū omnes, qui fuerunt, libri digesti sunt ab Aufidio Namusa in centū quatuordecim

aliás\*ma  
ximus

draginta libros. Ex his auditoribus plurimū authoritatis habuit Alfenus Varus, & Aulus Ofilius: ex quibus Varus consul fuit, Ofilius in equestri ordine perseuerauit: is fuit Cæsari familiarissimus: & libros de iure ciuili plurimos, & qui omnem partem operis fundarent, reliquit. nam & de legibus Vicensimæ, & de iuris dictione primus cōscripsit. idem editum prætoris primum diligenter composuit. Nam ante eum Seruius duos libros ad Brutum quàm breuissimos ad edictum subscriptos, reliquit. Fuit eodem tempore & Trebatius, qui idem Cornelij\*Maximi auditor: fuit Aulus Cascellius, & Quintus Mutius Volusij auditor: qui deinde in illius honorem Publium Mutium nepotem eius testamento reliquit hæredem. fuit autem quæstorius, nec ultra uoluit procedere, cum Augustus illi etiã consulatum offerret. ex his Trebatius peritior Cascellio, Cascellius Trebatio eloquentior fuisse dicitur, Ofilius utroq; doctor. Cascellij scripta nõ exstant, nisi unus liber Bene dictorum: Trebatij complures, sed minus frequentantur. Post hos quoq; Tubero fuit, qui Ofilio operam dedit. fuit autem patritius, & transijt à causis agendis ad ius ciuile: maxime postquàm Quintum Ligarium accusauit, nec obtinuit apud Caium Cæsarem. Is est Quintus Ligarius, qui cum Africæ oram teneret, infirmum Tiberonem adplicare non permisit, nec aquam haurire. quo nomine eum accusauit, & Cicero defendit: exstatq; eius oratio pulcherrima, quæ inscribitur, pro Quinto Ligario. & Tubero doctissimus quidem habitus est iuris publici & priuati, & complures utriusq; operis libros reliquit: sermone tamen antiquo usus adfectauit scribere, & ideo parum libri eius grati habentur. Post hunc maximæ authoritatis fuerunt Ateius Capito, qui Ofilium secutus est & Anriustius Labeo, qui omnes hos audiuit, institutus est autem à Trebatio. Ex his Ateius consul fuit. Labeo noluit: cum offerretur ei ab Augusto consulatus, quo suffectus fieret, & honorem susciperet: sed plurimū studijs operam dedit: & totum annum ita diuiserat, ut Romæ sex menses cum studiosis esset, & sex mensibus secederet, & conscribendis libris operam daret. itaq; reliquit quadraginta uolumina, ex quibus plurima inter manus uersantur. Hi duo primū ueluti diuersas sectas fecerunt. nam Ateius Capito in his, quæ ei tradita fuerant, perseuerabat: Labeo ingenij qualitate & fiducia doctrinæ fretus, quod præ cæteris sapientiæ operam dederat, plurima innouare instituit. & ita Ateio Capitoni Masurius Sabinus successit, Labeoni Nerua, qui adhuc eas dissensiones auxerunt. Nerua familiarissimus Cæsaris fuit: Masurius Sabinus in equestri ordine fuit, & publice primus respondit, posteaquàm hoc beneficium cepit à Tiberio Cæsare. Et ( ut obiter sciamus ) ante tempora Augusti publice respondendi ius non à principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum

suorum habebant, consulentibus respondebant: neque responsa utique signata dabant, sed plerumque iudicibus ipsis scribebant, aut testabantur, qui illos consuluerant. Primus diuus Augustus, ut maior iuris auctoritas haberetur: constituit, ut ex auctoritate eius responderent. & ex illo tempore peti hoc pro beneficio coepit. & ideo optimus princeps Hadrianus, cum ab eo iuri praetorij peterent, ut sibi liceret respondere, rescripsit eis: hoc non peti, sed praestari solere. Et ideo delectari se: si qui fiduciam sui haberet, populo ad respondendum se praepararet. Ergo Sabino concessum est à Tyberio Caesare, ut populo responderet, cum in equestrem ordinem iam grandis natu, & fere annorum quinquaginta receptus esset. huic nec amplae facultates fuerunt, sed plurimum à suis auditoribus sustentatus est. Huic successit Caius Cassius Longinus, natus ex filia Tiberonis, quae fuit neptis Seruij Sulpitij. & ideo proauum suum Seruium Sulpitium appellauit. is & consul fuit cum Quartino, temporibus Tyberij: & plurimum in ciuitate auctoritatis habuit, donec Caesar eum ciuitate expelleret. expulsus ab eo in Sardiniam, reuocatus à Vespasiano, diem suum obiit. Neruae successit Proculus. fuit eo tempore & Nerua filius. Fuit & alius Longinus ex equestri quidem ordine, qui postea ad praeturam usque peruenit: sed Proculi auctoritas maior fuit. (nam & ipse plurimum potuit) appellatiq; sunt partim Cassiani, partim Proculiani: quae origo à Capitone & Labeone coeperat. Cassio Caelius Sabinus successit, qui plurimum temporibus Vespasiani potuit: Proculo Pegasus, qui temporibus Vespasiani praefectus urbi fuit: Caelio Sabino Priscus Iabolenus, Pegaso Celsus pater: patri Celso Celsus filius, & Priscus Neratius, qui utriq; consules fuerunt. Celso quidem & item Iaboleno Prisco Aburnius Valens, & Tuscianus: item Saluius Iulianus.

DE LEGIBVS SENATVSQVE CONSVL-  
tis, & longa consuetudine.

Tit. III.



PAPINIANVS lib. I. definitionum.

EX est commune praecipuum: uitorum prudentium consultum: delictorum quae sponte uel ignorantia contrahuntur, coercitio: communis reipublicae sponso.

II. MARTIANVS lib. I. Institutionum.

NAM & Demosthenes orator sic definit: νόμος ὁ δὲ βίη, ὃ πάντας προσίκαται τελευτᾷ, διὰ πολλὰ, καὶ μάλιστα ὅτι πᾶς ὁσι νόμος εὐεχμα καὶ κοινὸν δίκαιον διέωρ, δὲ ὄγμα δὲ φρονίμων ἀνθρώπων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἐκ τῶν ἰσῶν καὶ ἀκούσιων ἀμαρτημάτων, πᾶσι δὲ σωθῆναι κοινῆ, καὶ δὴν πᾶσι προσίκαται ἐπὶ τοῖς ἐπιτετέωσι. Sed & philosophus summus Stoicæ sapientiae Chrysippus sic incipit

b ij cipit li

**C**ipit librum, quem fecit πρὸ νόμων. ὁ νόμος πάντων ὁσι βασιλευς θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων, ὃς δὲ αὐτὸν προσάτιν εἶναι τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν, καὶ ἀρχόντα, καὶ ἡγεμόνα, καὶ ἵσταντο κανόνα τῶν εἶναι δίκαιον καὶ ἀδίκον, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων προσεκτικὸν μὲν, ὡς πολιτικῶν ἀπαρξεντικῶν δὲ, ὡς οὐ πολιτικῶν.

III. POMPONIUS lib. XXV. ad Sabinum.

**I**ura constitui oportet (ut dicit Theophrastus) in his, quæ ἐκ πρῶτα λόγου ἰαδί δ' ὡλῆσον accidunt.

III. CELSVS lib. V. Digestorum.

**E**X his, quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur.

V. IDEM lib. XV. Digestorum.

**N**am ad ea potius debet aptari ius, quæ & frequēter & facile, quàm quæ per raro eneniunt.

VI. PAVLVS lib. XVII. ad Plautium.

**T**ὁ γὰρ ἄραξ ἢ δ' ἴε (ut ait Theophrastus) ὡσαυτὸν οἱ νομοθέται.

VII. MODESTINVS lib. I. Regularum.

**L**Egis uirtus est imperare, uetare, permittere, punire.

VIII. VLPPIANVS lib. III. ad Sabinum.

**I**ura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.

IX. IDEM lib. XIII. ad edictum.

**N**on ambigitur, senatum ius facere posse.

X. IULIANVS lib. LIX. ad edictum.

**N**eq; leges, neq; senatus consulta ita scribi possunt: ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur: sed sufficit ea, quæ plerunq; accidunt, contineri.

XI. IDEM lib. XC. Digestorum.

**E**T ideo de his, quæ primo constituuntur: aut interpretatione, aut constitutione optimi principis certius statuendum est.

XII. IDEM lib. XV. Digestorum.

**N**on possunt omnes articuli singularim aut legibus, aut senatusconsultis comprehendi: sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est: is qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atq; ita ius dicere debet.

XIII. VLPPIANVS lib. I. ad edictum ædilium curulium.

**N**am (ut ait Pedius) quoties lege aliquid unum uel alterum est introductum: bona occasio est & cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, uel interpretatione, uel certè iurisdictione suppleri.

XIII. PAVLVS lib. LIII. ad edictum.

**Q**uod uero contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias.

XV. IULIANVS lib. XXVII. Digestorum.

In his

**I**N his, quæ contra rationem iuris constituta sunt, non possumus sequi regulam iuris.

XVI. PAVLVS lib. *singulari de iure singulari.*

**I**us singulare est, quod contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem, autoritate constituentium introductum est.

XVII. CELSVS lib. XXVI. *Digestorum.*

**S**cire leges non est, uerba eorum tenere, sed uim & potestatem.

XVIII. IDEM lib. XXIX. *Digestorum.*

**B**enignius leges interpretandæ sunt, quò uoluntas earum conseruetur.

XIX. IDEM lib. XXXIII. *Digestorum.*

**I**n ambigua uoce legis ea potius accipienda est significatio, quæ uicio caret: præsertim cum etiam uoluntas legis ex hoc colligi possit.

XX. IULIANVS lib. LV. *Digest.*

**N**on omniù, quæ à maioribus constituta sunt, ratio reddi potest.

XXI. NERATIVS lib. VI. *membranarum.*

**E**t ideo rationes eorù, quæ constituuntur, inquiri non oportet: aliquin multa ex his, quæ certa sunt, subuertuntur.

XXII. VLPIANVS lib. XXXV. *ad edictum.*

**C**um lex in præteritum quid indulget, in futurum uetat.

XXIII. PAVLVS lib. III. *ad Plautium.*

**M**inime sunt muranda, quæ semper interpretationem certam habuerunt.

XXIII. CELSVS lib. IX. *Digestorum.*

**I**nciule est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius propo-

XXV. MODESTINVS lib. VII. *responsoforum.*

**N**ulla iuris ratio, aut æquitatis benignitas paritur: ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum còmodum producamus ad seueritatem.

XXVI. PAVLVS lib. III. *quæstionum.*

**N**on est nouum, ut priores leges ad posteriores trahantur.

XXVII. TERTVLLIANVS lib. I. *quæstionum.*

**I**deo, quia antiquiores leges ad posteriores trahi, usitatum est: semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoq; personas & ad eas res pertineant, quæ quandoq; similes erunt.

XXVIII. PAVLVS lib. V. *ad L. Juliam & Papiam.*

**S**ed & posteriores leges ad priores pertinent: nisi sint contrariæ, idq; multis argumentis probetur.

XXIX. IDEM lib. *singulari ad L. Cinniam.*

**C**ontra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem uero legis, qui saluis uerbis legis, sententiam eius circumuenit.

XXX. VLP IANVS lib. III. ad edictum.

**F**Raus enim legi fit: ubi id fit, quod fieri noluit, fieri autē non uetur: & quod distat *πρὸς τὸν νόμον*, hoc distat fraus ab eo, quod cōtra legem fit.

XXXI. IDEM lib. XIII. ad L. Iuliam &amp; Papiam.

**P**Rinceps legibus solutus est. Augusta autē licet legibus soluta non est: principes tamen eadē illi priuilegia tribuunt, quæ & ipsi habēt.

XXXII. IULIANVS lib. LXXXIII. Digestorum.

**D**E quibus causis scriptis legibus nō utimur: id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine introductū est. et si qua in re hoc defecerit, tunc quod proximum & consequens ei est. si ne id quidē appareat: tunc ius, quo urbs Roma utitur, seruari oportet. Inueterata consuetudo pro lege non immerito custoditur: & hoc est ius, quod dicitur moribus constitutum. Nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quā quod iudicio populi receptæ sint: merito & ea quæ sine ullo scripto populus probauit, tenebunt omnes. Nā quid interest, suffragio populus uoluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis?

Quare rectissime etiā illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omniū per desuetudinē abrogentur.

XXXIII. VLP IANVS lib. I. de officio proconsulis.

**D**itura cōsuetudo pro iure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, obseruari solet.

XXXIII. IDEM lib. III. de off. proconsulis.

**C**VM de consuetudine ciuitatis uel prouinciæ confidere quis uideatur: primum quidem illud explorandum arbitror, an etiam con tradicto aliquando iudicio consuetudo firmata sit.

XXXV. HERMOGENIANVS lib. I. iuris *ἡμετέριου*.

**S**Ed & ea quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos obseruata, uelut tacita ciuium conuentio: non minus, quā ea, quæ scripta sunt iura, seruantur.

XXXVI. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

**I**Mō magnæ authoritatis hoc ius habetur: quod in tantum probatum est, ut non fuerit necesse scripto comprehendere.

XXXVII. IDEM lib. I. questionum.

**S**I de interpretatione legis quærat: in primis inspiciendum est, quomodo ciuitas retro in eiusmodi casibus usa fuit. Optima enim est legum interpretis consuetudo.

XXXVIII. CALLISTRATVS lib. I. questionum.

**N**AM imperator noster Seuerus rescripsit: in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur: consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter iudicatarum authoritatem uim legum obtinere debere.

Celsus

**XXXIX. CELSVS lib. XXIII. digestorum.**  
**Q**uod non ratione introductum est, sed errore primum, deinde  
 cōsuetudine obtentum: in alijs similibus non obtinet.

**XL. MODESTINVS lib. I. regularum.**  
**E**rgo omne ius aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut fir-  
 mauit consuetudo.

**XLI. VLPPIANVS lib. II. institutionum.**  
**T**otum autem ius consistit aut in acquirendo, aut in conseruan-  
 do, aut in minuendo. aut enim hoc agitur, quemadmodum quid  
 cuiusq; fiat: aut quemadmodum quis rem suam, uel ius suum conser-  
 uet: aut quomodo alienet, aut amittat.

### DE CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM. Tit. IIII.

**VLPPIANVS lib. I. Institutionum.**  
**Q**uod principi placuit, legis habet uigorē: utpote cum  
 lege regia, quæ de imperio eius lata est, populus ei & in  
 eum omne suum imperium & potestatem conferat.  
 Quodcumq; igitur imperator per epistolam & sub-  
 scriptionem statuit, uel cognoscens decreuit, uel de pla-  
 no interlocutus est, uel edicto præcepit: legē esse cōstat. hæc sunt, quas  
 constitutiones uulgo appellamus. Planē ex his quædam sunt persona-  
 les, quæ nec ad exemplum trahuntur. nam quod princeps alicui ob  
 merita indulgit, uel si quam pœnam irrogauit, uel si cui sine exemplo  
 subuenit: personam non egreditur.

**II VLPPIANVS lib. IIII. fidei commissorum.**  
**I**n rebus nouis constituendis euidens esse utilitas debet, ut recedatur  
 ab eo iure, quod iam diu æquum uisum est.

**III. IABOLENVS lib. XII. ἐπίσολῶν.**  
**B**eneficiū imperatoris, quod à diuina scilicet eius indulgentia præ-  
 ficiscitur, debemus quàm plenissime interpretari.

**IIII. MODESTINVS lib. II. excusationum.**  
**A**ἰ μεταγενέσεις διατάξεις ἰσχυρότεροι τῶν πρὸ αὐτῶν ἐστίμ.

### DE STATV HOMINVM.

Tit. V

**PAVLVS lib. I. Institutionum.**  
**M**ne ius, quo utimur: uel ad personas pertinet, uel ad res, uel  
 ad actiones.

**II. HERMOGENIANVS lib. I. ἐπίτομῶν.**

Cum

**C**vm igitur hominum causa omne ius constitutum sit: primo de personarum statu, ac post de ceteris ordinem perpetui edisti secuti, & his proximos atq; cōiunctos adplicantes titulos: ut res patitur, dicemus.

III. CAIVS lib. I. Institutionum.

**S**vmma itaq; diuisio de iure personarum hæc est: quod omnes homines aut liberi sunt, aut serui.

IIII. FLORENTINVS lib. IX. Institutionum.

**L**ibertas est naturalis facultas eius, quod cuiq; facere libet: nisi si quid ui aut iure prohibetur. Seruitus est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subicitur. Serui ex co appellati sunt, quod imperatores captiuos uendere, & per hoc seruare, nec occidere solent. Mancipia uero dicta sunt, quod ab hostibus manu capiuntur.

V. MARTIANVS lib. I. Institutionum.

**E**T seruorum quidem una est conditio, liberorum autem hominum multæ. quidam enim ingenui sunt, quidam libertini. Serui autem in dominium nostrum rediguntur, aut iure ciuili, aut gētium. Iure ciuili, si quis se maior uiginti annis, ad precium participandum, uenire passus est. Iure gentium serui nostri sunt, qui ab hostibus capiuntur, aut qui ex ancillis nostris nascuntur. Ingenui sunt, qui ex matre libera nati sunt. sufficit autem liberam fuisse, quo tempore nascitur, licet ancilla cōceperit. è cōtrario, & si libera cōceperit, deinde ancilla pariat: placuit eum, qui nascitur, liberum nasci: nec interest, iustis nuptijs concepit, an uulgo. quia non debet calamitas matris nocere ei, qui in uentre est. Ex hoc quaesitum est, si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta\* (aut expulsa ciuitate)\* peperit, liberum, an seruum pariat? & tamen rectius probatum est, liberum nasci: & sufficere ei, qui in uentre est, liberam matrem uel medio tempore habuisse.

VI. CAIVS lib. I. Institutionum.

**L**ibertini sunt, qui ex iusta seruitute manumissi sunt.

VII. PAVLVS lib. singulari de portionibus, que liberis damnatorum conceditur.

**Q**ui in utero est, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur: quoties de commodis ipsius partus quaeritur: quanquam alij, an tequam nascatur, nequaquam profit.

VIII. PAPINIANVS lib. III. quaestionum.

**I**mperator Titus Antoninus rescripsit: non lædi statum liberorum, ob tenorem instrumenti male concepti.

IX. IDEM lib. XXV. quaestionum.

**I**n multis nostri iuris articulis deterior est conditio foeminarum, quæ matris uel filiorum.

Vlpianus

X. *VLPIANVS lib. I. ad Sabinum.*

**Q**uæritur, hermaphroditum cui comparamus, & magis puto eius sexus existimandum, qui in eo præualet.

XI. *PAVLVS libro XVIII. responsorū.*

**R**espondit eum, qui uiuente patre, & ignorante de cōditione filia, conceptus est: licet post mortem aui natus sit: iustum filiū ei, ex quo conceptus est, non uideri.

XII. *IDEM lib. XIX. responsorum.*

**S**eptimo mense nasci perfectum partū, iam receptū est propter auctoritatem doctissimi uiri Hippocratis, & ideo credendū est, eū qui ex iustis nuptijs septimo mense natus est, iustum filium esse.

XIII. *HERMOGENIANVS. lib. I. iuris ἐπιτομῶν.*

**S**eruus in capitali causa fortunæ iudicio à domino commissus, & si fuerit absolutus, non fit liber.

XIII. *PAVLVS lib. III. sententiarum.*

**N**on sunt liberi, qui contra formam humani generis cōuerso more procreantur: ueluti si mulier monstruosum aliquid, aut prodigiosum enixa sit. Partus autem, qui membrorū humanorum officia ampliauit, alicuius uidet effectus: & ideo inter liberos cōnumerabit.

XV. *TRIPHONINVS lib. X. disputationum.*

**A**rescusa, si tres peperisset, libera esse testamento iussa: primo partu unum, secundo tres peperit. quæsitum est: an, & quis eorum liber esset? Hæc conditio libertati adposita, iā implenda mulieri est. Sed non dubitari debet, quin ultimus liber nascatur. Nec enim natura permisit, simul uno impetu duos infantes de uno utero matris excedere: ut ordine nascentium incerto non appareat, utrū in seruitute, libertatēue nascatur. Incipiente igit partu existens conditio efficit, ut ex libera edatur, qui postea nascitur: ueluti si quælibet alia conditio, libertati mulieris adposita, parturiente ea existat. & manumissa sub hac condicione, si decem milia hæredi Titio dederit: eo momento, quo parit, si per alium impleuerit conditionē: iā libera peperisse credenda est.

XVI. *VLPIANVS lib. VII. disputationum.*

**I**dem erit, si eadē Arescusa primo duo pariat, postea geminos edat. dicendum est enim, non posse utrumq; dici ingenuum, sed eum qui posterior nascitur. quæstio ergo facti potius est, non iuris.

XVII. *IDEM lib. XII. ad edictum.*

**I**n orbe Romano qui sunt, ex constitutione imperatoris Antonini ciues Romani effecti sunt.

XVIII. *IDEM lib. XXVII. ad Sabinum.*

**I**mperator Hadrianus Publio Marcello rescripsit: liberam, quæ prægnans

gnans ultimo supplicio damnata sit, liberū parere: & solitum esse scriuari eā, dū partum æderet. Sed & si ei, quæ ex iustis nuptiis cōcepit, aqua & igni interdictum est: ciuem Romanū parit, & in potestate patris.

XIX. CELSVS lib. XXIX. Digest.

**C**vm legitimæ nuptiæ factæ sunt, patrem liberi sequuntur: vulgo quæ sitis, matrem sequitur.

XX. VLP IANVS lib. XXXVIII. ad Sabinum.

**Q**ui furere cœpit: & statum, & dignitatē in qua fuit, & magistratū, & potestatem uidetur retinere: sicut & rei suæ dominiū retinet.

XXI. MODESTINVS lib. VII. regularum.

**H**omo liber, qui se uendit: manumissus non ad suum statum reuertitur, quo se abdicauit: sed efficitur libertinæ conditionis.

XXII. IDEM lib. XII. responsoꝝ.

**H**erennius Modestinus respondit: si eo tempore enixa est ancilla, quo secundū legem donationis manumissa esse debuit: cum ex constitutione libera fuerit, ingenuum ex ea natum.

XXIII. IDEM lib. primo τὸν ἀνδρῶν.

**V**lgo cōcepti dicunt, qui patrē demonstrare nō possunt: uel qui possunt quidē, sed eū habent, quē habere nō licet: qui & spurij appellantur τῶν ἀπὸ πατρὸς.

XXIII. VLP IANVS lib. XXII. ad Sabinum.

**L**ex naturæ est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur: nisi lex specialis aliud inducat.

XXV. IDEM lib. I. ad L. Iuliam & Papiam.

**I**ngenuum accipere debemus etiam eum, de quo sententia lata est, quamuis fuerit libertinus: quia res iudicata pro ueritate accipitur.

XXVI. IULIANVS lib. LXVIII. digest.

**Q**ui in utero sunt, in toto penē iure ciuili intelligunt in rerū natura esse. Nam & legitimæ hæreditates ijs restituantur: et si mulier prægnans ab hostibus capta fuerit, id quod natū est, postliminiū habet. Item patris uel matris conditionē sequit. Præterea si ancilla prægnans subrepta fuerit: quāuis apud bonæ fidei emptorē pepererit: id quod natū erit, tanq̄ furtiuū, usū nō capit. His cōsequens est: ut libertus quoq̄, quādiu patroni filius nasci possit: eo iure sit, quo sunt, qui patronos habent.

XXVII. VLP IANVS lib. V. opinionum.

**E**vm qui se libertinum esse fatetur: nec adoptando patronus ingenuum facere potuit.

DE HIS QUI SUI VEL ALIENI IV

ris sunt.

Tit. VI.

Caius

## CAIVS lib. I. Institut.

**D**E iure personarum alia diuisio sequitur: quod quædã sui iuris sunt, quædã \*alieno iuri subiectæ sunt. Videamus ita als \*quæ dã quæ. i pand. Fl. q̄ de his, quæ alieno iuri subiectæ sunt. nam si cognouerimus, quæ istæ personæ sunt: simul intelligemus, quæ sui iuris sunt. Dispiciamus itaq̄ de his, quæ in aliena potestate sunt. Igitur in potestate sunt serui dominorum: quæ quidẽ potestas est iurisdictionum. nam apud oēs peræque gentes animaduertere possumus, dominis in seruos uitæ necisq̄ potestatem fuisse: & quodcumq̄ per seruum acquiritur, id domino acquiri. Sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio Romano sunt: licet supra modũ, & sine causa legibus cognita, in seruos suos sæuire. Nam ex cõstitutione diui Antonini: qui sine causa seruũ suum occiderit, non minus puniri iubetur, quàm qui alienum seruum occiderit. Sed & maior asperitas dominorum eiusdem principis cõstitutione coërcetur.

## II. VLP IANVS lib. VIII. de officio procons.

**S**I dominus in seruos sæuiat, uel ad impudicitiam turpemq̄ uiolationem cõpellat: quæ sunt partes præsidis, ex rescripto diui Pij ad Aelium Martianũ proconsulem Beticæ manifestatur: cuius rescripti uerba hæc sunt. Dominorũ quidẽ potestatem in seruos suos illibatam esse oportet, nec cuiq̄ hominũ ius suũ detrahi. sed dominorũ interest: ne auxiliũ contra sæuitiam, uel famẽ, uel intolerabilem iniuriã denegetur ijs, qui iuste deprecantur. Ideoq̄ cognosce de querelis eorũ, qui ex familia Iulij Sabini ad statuã cõfugerunt: et si uel durius habitos, q̄ æquũ est, uel infamini iniuria adfectos cognoueris: uenire iube, ita ut in potestatem dñi nõ reuertantur. quod si meæ cõstitutioni fraudẽ fecerit: sciet me admissum seuerius exsecuturũ. Diuus etiã Hadrianus Vmbriciam quandã matronam in quinquenniũ relegauit, quod ex leuissimis causis ancillas suas atrocissime tractasset.

## III. CAIVS lib. I. Institutionum.

**I**tem in potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptijs procreauimus: quod ius propriũ ciuium Romanorum est.

## IIII. VLP IANVS lib. I. Institutionum.

**N**Am ciuium Romanorũ quidam sunt patres familiarũ, quidã filij familiarũ: quædã matres familiarum, quædã filia familiarum. Patres familiarũ sunt, qui suæ potestatis sunt: siue puberes, siue impuberes. simili modo & matres familiarũ. filij uero & filia familiarum, qui sunt in aliena potestate. Nam qui ex me & uxore mea nascuntur, in potestate mea sunt: item qui ex filio meo & uxore eius, id est nepos meus & neptis, æque in mea sunt potestate, & pnepos & proneptis, & deinceps cæteri.

## V. IDEM lib. XXXVI. ad edictum.

**N**epotes ex filio, mortuo auo, recidere solent in filij potestatem: simili modo & pronepotes, & deinceps, uel in filij potestatem, si uiuit, & in familia mansit: uel in eius parentis, qui ante eos in potestate est. & hoc non tantum in naturalibus, uerū quoq; in adoptiuis iuris est.

## VI. IDEM lib. IX. ad Sabinum.

**F**ilium eum definimus, qui ex uiro & uxore eius nascitur. Sed si fingamus abfuisse maritum (uerbi gratia) per decennium, reuersum anniculum inuenisse in domo sua: placet nobis Iuliani sententiam hunc non esse mariti filium. non tamen ferendum Iulianus ait eum, qui cum uxore sua ad sidue moratus, nolit filium agnoscere, quasi nō suum. Sed mihi uidetur (quod & Scæuola probat) si constet maritum aliquandiu cum uxore non concubuisse, infirmitate interueniente, uel alia caussa: uelut si ea ualetudine paterfamilias fuit, ut generare nō posset: hūc, qui in domo natus est, licet uicinis scientibus, filiū non esse.

## VII. IDEM lib. XXV. ad Sabinum.

**S**i qua pœna pater fuerit adfectus, ut uel ciuitatem amittat, uel seruus pœnæ efficiatur: sine dubio nepos filij loco succedit.

## VIII. IDEM lib. XXVI. ad Sabinum.

**P**atre furioso, liberi nihilominus in patris sui potestate sunt. Idem & in omnibus est parentibus, qui liberos habet in potestate. Nam cum ius potestatis moribus sit receptum: nec possit definire quis habere in potestate, nisi exierint liberi, quibus casibus solēt: nequaquam dubitandum est, remanere eos in potestate. Quare non solum eos liberos in potestate habebit, quos ante furorem genuit: uerum & si qui ante furorem concepti, in furore æditi sunt. sed si in furore agente eo, uxor concipiat: uidendum, an in potestate eius nascatur filius. nam furiosus, licet uxorem ducere non possit, matrimonium tamen retinere potest. quod cum ita se habet, in potestate filium habebit. Proinde & si furiosa sit uxor, ex ea ante conceptus in potestate nascetur: sed & in furore eius conceptus ab eo, qui non furebat, sine dubio in potestate nascetur: quia retinetur matrimonium. Sed & si ambo in furore agant, & uxor & maritus, & tunc cōcipiat: partus in potestate patris nascetur, quasi uolūtatis reliquijs in furiosis manentibus. Nam cū consistat matrimonium altero furente, constat & utroq;. Adeo autem retinet ius potestatis pater furiosus, ut & adquiratur illi commodum eius, quod filius adquisiuit.

## IX. POMPONIVS lib. XVI. ad Quint. Mutium.

**F**iliusfamilias in publicis caussis loco patrisfamilias habetur: ueluti si uel magistratum gerat, uel tutor detur.

X. **VLP IANVS** lib. III. *ad L. Juliam et Papiam.*

**S**i iudex nutriri uel ali oportere pronunciauerit: dicendum est de ueritate quaerendum, filius sit, an non. neq; enim alimentorū causa ueritati facit prauiudicium.

XI. **MODESTINVS** lib. I. *τὸν ἀετῶν,*

**I**nuiti filij naturales, uel emācipati, nō redigūtur in patriā potestatē.

**DE ADOPTIONIBVS, ET EMANCIPATIONIBVS,**  
 & alijs modis, quibus patria potestas soluitur. Tit. VII.

**MODESTINVS** lib. II. *Regularum.*



**F**ilios familiarum, non solum natura, uerum & adoptiones faciunt. quod adoptionis nomen est quidem generale, in duas autem species diuiditur: quarum altera adoptio similiter dicitur, altera adrogatio. Adoptantur filij familiarum: adrogantur, qui sui iuris sunt.

II. **CAIVS** lib. I. *Institutionum.*

**G**eneralis enim adoptio duobus modis fit: aut principis auctoritate, aut magistratus imperio. Principis auctoritate adoptamus eos, qui sui iuris sunt: quae species adoptionis dicitur adrogatio: quia & is qui adoptat, rogatur, id est interrogatur, an uelit eum, quē adoptaturus sit, iustum sibi filium esse: & is qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiat. Imperio magistratus adoptamus eos, qui in potestate parentis sunt: siue primum gradum liberorum obtineant, qualis est filius, filia: siue inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis.

Illud utriusq; adoptionis commune est: quod & hi, qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt: castrati autem non possunt. Hoc uero proprium est eius adoptionis, quae per principem fit: quod is qui liberos in potestate habet, si se adrogandum dederit: non solum ipse potestati adrogatoris subicitur, sed etiam liberi eius in eiusdem fiunt potestate, tanquam nepotes.

III. **PAVLVS** lib. III. *ad Sabinum.*

**S**i consul uel praeses filius familias sit: posse eum apud semetipsum uel emancipari, uel in adoptionem dari constat.

IIII. **MODESTINVS** lib. II. *Regularum.*

**M**agistratum, apud quē legis actio est: & emancipare filios suos, & in adoptionem dare apud se posse, Neratij sententia est.

V. **CELSVS** lib. XXVIII *Digestorum.*

**I**n adoptionibus eorum, qui suae potestatis sunt, ipsorum duntaxat uoluntas exploratur. Sin autem à patre datur in adoptionem: in ijs

ntriusq; arbitrium exspectandum est, uel cōsentiendo, uel non contrā dicendo. VI. PAVLVVS lib. XXXV. ad edictum.

**C**Um nepos adoptatur, quasi ex filio natus: consensus filij exigitur, idq; etiam Iulianus scribit.

VII. CELSVS lib. XXXVIII. Digestorum.

**C**um adoptio fit: non est necessaria in eā rem autoritas eorum, inter quos iura adgnationis consequuntur.

VIII. MODESTINVS lib. II. regularum.

**Q**uod, ut nec curatoris autoritas intercederet, in adrogatione ante tenuerat: sub diuo Claudio recte mutatum est.

IX. VLPPIANVS lib. I. ad Sabinum.

**E**tiam cæcus adoptare, uel adoptari potest.

X. PAVLVVS lib. II. ad Sabinum.

**S**i quis nepotē quasi ex filio natū, quem in potestate habet, consensente filio, adoptauerit: non adgnascitur auo, ut suus hæres: quippe cū post mortem aui quasi in patris sui potestatem recidit.

XI. IDEM lib. III. ad Sabinum.

**S**i quis cum filium haberet, in nepotis locū adoptasset, perinde atq; si ex filio natus esset: & filius author factus non esset: mortuo auo, non esse nepotem in potestate filij.

XII. VLPPIANVS lib. XIII. ad Sabinum.

**Q**ui liberatus est patria potestate: is postea in potestatem honeste reuerti non potest, nisi adoptione.

XIII. PAPIANVS lib. XXXVIII. questionum.

**I**n omni ferè iure, finita patris adoptiui potestate, nullū ex pristino iure retinetur uestigium, deniq; & patria dignitas quæ sita per adoptiōnem, finita ea, deponitur.

XIII. POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.

**S**ed & nepos ex filio, apud adoptiuum patrem conceptus & natus, sper emancipationem omnia iura perdet.

XV. VLPPIANVS lib. XXVI. ad Sabinum.

**S**i paterfamilias adoptatus sit: omnia, quæ eius fuerūt, & adquiri potest, tacito iure ad eū trāseūt, qui adoptauit. hoc amplius liberi eius, qui in potestate eius sunt, eū sequūtur. sed & hi, qui postliminio redeūt, uel qui in utero fuerunt, cū adrogaretur: simili modo in potestate adrogatoris rediguntur. Qui duos filios & ex altero eorum nepotem habet: si uult nepotem, quasi ex altero natū, adoptare: potest hoc efficere, si eum emancipauerit: & sic adoptauerit, quasi ex altero natū. facit enim hoc quasi quilibet, non quasi auus: & qua ratione quasi ex quolibet natū potest adoptare, ita potest & quasi ex altero filio. In adrogationibus co-

bis cognitio uertitur: num forte minor sexaginta annis sit is, qui adrogat, qui magis liberorū creationi studere debeat: nisi forte morbus, aut ualetudo in causa sit, aut alia iusta causa adrogandi: ueluti si coniunctam sibi personam uelit adoptare. Item non debet quis plures adrogare, nisi ex iusta causa. Sed nec libertū alicuium, neq; maiorem minor.

**A**DOPTIO eū in ijs psonis locū habet, in quibus etiā natura potest.  
 XVI. IABOLENVS lib. VI. ex *Casio*.

**N**EC ei pmittitur adrogare, qui tutelā uel curā alicuius administrauit, si minor uiginti quinque annis sit, qui adrogatur: ne forte eum ideo adroget, ne rationes reddat. Itē ingrendū est, ne forte turpis causa adrogandi subsit. Iis duntaxat pupillorum adrogatio permittenda est, qui uel naturali cognatione, uel sanctissima adfectione ducti adoptarent: ceterorū prohibenda: ne sit in potestate tutorum, & finire tutelam, & substitutionē à parente factam extinguere. Et primū quidem excutiendū erit, quæ facultates pupilli sint: & quæ eius, qui adoptare eū uelit: ut æstimetur ex comparatione earū, an salubris adoptio possit pupillo intelligi. deinde cuius uitæ sit is, qui uelit pupillū redigere in familiā suam. tertio, cuius demū ætatis sit: ut æstimetur, an melius sit, de liberis precreandis eū cogitare, q̄ ex aliena familia quenquam redigere in potestatem suam. Præterea uidendū est, an non debeat permitti ei, qui uel unum habebit, uel plures liberos, adoptare aliū: ne aut illorū, quos ex iustis nuptijs procreauit, deminuat spes, quā unusq; liberos obsequio parat sibi: aut qui adoptatus sit, minus percipiat, quàm dignum erit eum consequi. Interdum & ditio rem permittitur adoptare pauperiori, si uitæ eius sobrietas clara sit, uel adfectio honesta, nec incognita. Satisfactio autem in his casibus dari solet.

XVII. MARCELLVS lib. XXVI. *Digestorum*.  
**N**ON aliter enim uoluntati eius, qui adrogare pupillum uolet, (si causam eius ob alia probabit) subscribendum erit, quàm si cauerit seruo publico, se restitutum, quæ ex bonis eius consecutus fuerit: illis, ad quos res peruentura esset, si adrogatus permanisset in statu suo.

XIX. VLPPIANVS lib. XXVI. *ad Sabinum*.  
**H**IS uerbis satisfactionis, quæ ab adrogatore præstari debet, AD QUOS EA RES PERTINET: & libertatibus prospectum esse, quæ secundis tabulis datæ sunt: & multo magis substituto seruo, item legatarijs, nemo dubitat. quæ satisfactio si obmissa fuerit, utilis actio in adrogatorem datur.

XX. MARCELLVS lib. XXVI. *Digestorum*.

Hæc

**H**Aec autem satisfactio locum habet, si impubes decessit: sed & si de pupillo loquitur, tamen hoc etiam in pupilla obseruandū est.

**N**Am & sc̄eminæ ex rescripto principis adrogari possunt.

XXI. CAIVS lib. singulari regularum.

**S**i adrogator decesserit, impubere relicto filio adoptiuo: & mox impubes decedat: an hæredes adrogatoris teneantur? Et dicendum est, hæredes quoq; restituere bona adrogati, & præterea quartam partem.

Sed an impuberi adrogator substituere possit, quæritur? Et puto non admitti substitutionem, nisi forte ad quartam solam, quam ex bonis eius consequitur: & hætenus, ut ei usq; ad pubertatem substituat. Cæterum si fidei eius committit, ut quandoq; restituat: nõ oportet admitti fidei commissum: quia hoc nõ iudicio eius ad eum peruenit, sed principali prouidentia. Hæc autem omnia dicenda sunt: siue in locum filij, siue in locum nepotis aliquis impuberem adrogauerit.

XXII. VLPPIANVS lib. XXVI. ad Sabinum.

**Q**ui in adoptionem datur: his quibus adnascitur, cognatus fit: quibus uero non adnascitur, nec cognatus fit. adoptio enim nõ ius sanguinis, sed ius adgnationis adfert. & ideo si filium adoptaui, uxor mea illi matris loco non est. neq; enim adnascitur ei: propter quod nec cognatus eius fit. Item nec mater mea auiæ loco illi est: quoniam his, qui extra familiam ræam sunt, non adnascitur. sed filia meæ is, quem aliās \* & adoptaui, frater fit: \* quoniã in familia mea est filia: nuptijs etiam eo quandiu rum prohibitis.

**N**eq; absens, neq; dissentiens adrogari potest.

XXIII. VLPPIANVS lib. I. disputationum.

**P**ost mortem filia suæ, quæ ut mater familias, quasi iure emancipata nixerat, & testamento scriptis hæredibus decessit: aduersus factum suum, quasi non iure eam, nec præsentibus testibus emanciparit: pater mouere controuersiam prohibetur. Neq; adoptare, nec adrogare quis absens, nec per alium eiusmodi sollemnitate peragere potest.

XXV. IDEM lib. V. opinionum.

**Q**uæ filius meus emancipatus adoptauerit, is meus nepos non erit.

XXVI. IULIANVS lib. XXXV. Digestorum.

**E**x adoptiuo natus, adoptiui locum obtinet iure ciuili.

XXVII. IDEM lib. XXXV. Digestorum.

**L**iberum arbitrium est ei, qui filium & ex eo nepotem in potestate habebit: filium quidem potestate dimittere, nepotem uero in potestate retinere: uel ex diuerso, filium quidem in potestate retinere, nepotem

potem uero manumittere: uel omnes sui iuris efficere. eadem & de pronepote dicta esse intelligimus.

XXIX. CALLISTRATVS lib. II. Institutionum.

**S**i pater naturalis loqui quidem non possit: alio tamen modo, q̄ sermone, manifestum facere possit, uelle se filium suum in adoptionem dare: perinde confirmatur adoptio, ac si iure facta esset.

XXX. PAVLVS lib. I. regularum.

**E**T qui uxores non habent, filios adoptare possunt.

XXXI. MARTIANVS lib. V. regularum.

**N**on potest filius, qui in potestate patris est, ullo modo cōpellere eum, ne sit in potestate: siue naturalis, siue adoptiuus.

XXXII. PAPINIANVS lib. XXXI. questionum.

**N**onnunquā autem impubes, qui adoptatus est: audiendus erit, si pubes factus emancipari desideret: idēq; causa cognita per iudicem statuendum erit. Imperator Titus Antoninus rescripsit: priuignum suum tutori adoptare permittendum.

XXXIII. MARTIANVS lib. V. regularum.

**E**T si pubes factus, non expedire sibi, in potestatem eius redigi, probauerit: æquum est, emancipari eum à patre adoptiuo, atq; ita pristinum ius recuperare.

XXXIII. PAVLVS lib. XI. questionum.

**Q**uestum est: si tibi filius in adoptionē hac lege sit datus, ut (post triennium puta) eundem mihi in adoptionem des: an actio ulla sit: & Labeo nullam putat esse actionem. nec enim moribus nostris conuenire, filium temporalē habere.

XXXV. IDEM lib. I. responsorum.

**P**er adoptionem dignitas non minuitur, sed augetur. unde senator & si à plebeio adoptatus est, manet tamē senator. similiter manet & senatoris filius.

XXXVI. IDEM lib. XVIII. responsorum.

**E**mancipari filium à patre quocunq; loco posse constat, ut exeat de patria potestate. Etiam apud proconsulē in ea prouincia, quam sortitus non est: & manumitti, & adoptionem dari posse placet.

XXXVII. IDEM lib. II. sententiarum.

**A**doptare quis nepōtis loco potest, etiā si filiū non habet. Eum quem quis adoptauit, emancipatum, uel in adoptionem datum, iterum non potest adoptare.

XXXVIII. MARCELLVS lib. XXVI. Digestorum.

**A**doptio non iure facta, à principe confirmari potest.

XXXIX. VLPIANVS lib. III. de off. proconsulis.

d Nam

**N**Am ita diuus Marcus Eutichiano rescripsit. Quod desideras, an impetrare debeas, æstimabunt iudices: adhibitis etiã his, qui contradicerent, id est qui læderentur confirmatione adoptionis.

XL. MODESTINVS lib. I. *differentiarum.*

**A**Drogato patrefamilias liberi, qui in eius potestate erant, nepotes apud adrogatorem efficiuntur: simulq; cū patre in eius recidunt potestatem. quod non similiter contingit in adoptione. nam nepotes ex eo, in aui naturalis retinentur potestate. Non tantum cū quis adoptat, sed & cum adrogat: maior esse debet eo, quem sibi per adrogationem, uel per adoptionem filium facit: & utiq; plena pubertate, id est, decem & octo annis præcedere debet. Spado adrogando suum hæredem sibi adsciscere potest, nec ei corporale uicium impedimento est.

XLI. IDEM lib. II. *regularum.*

**S**I pater filiū, ex quo nepos illi est in potestate, emancipauerit, & postea eū adoptauerit: mortuo eo, nepos in patris potestatem non reuertitur. sed nec is in patris potestatem reuertitur, quem auus retinuerat, filio dato in adoptionem, quem denuo redadoptauit.

XLII. IDEM lib. I. *καὶ ἀετῶν.*

**E**Tiam infantem in adoptionem dare possumus.

XLIII. POMPONIVS lib. XXI. *ad Quint. Mutium.*

**A**Doptiones non solum filiorum, sed & quasi nepotū fiunt: ut aliquis nepos noster esse uideatur, perinde quasi ex filio uel incertè natus sit.

XLIII. PROCVLVS lib. VIII. *ἐπιστολῶν.*

**S**I is qui nepotem ex filio habet, loco nepotis aliquem adoptauit: nõ sputo, mortuo auo, iura consanguinitatis inter nepotes futura esse. Sed si sic adoptauit, ut etiam iure legis nepos suus esset: quasi ex Lucio (puta) filio suo, & ex matrefamilias eius natus esset: contra puto.

XLV. PAVLVS lib. III. *ad L. Iuliam & Papiam.*

**O**Nera eius, qui in adoptionem datus est, ad patrē adoptiuū transferuntur.

XLVI. VLPIANVS lib. III. *ad L. Iuliam & Papiam.*

**I**N seruitute mea quæsitus mihi filius, in potestate meam redigi principis beneficio potest: libertinum tamen eū manere non dubitatur.

## DE DIVISIONE RERVM ET QUALITATE.

Tit. VIII.

CATVS lib. II. *Institutionum.*



**S**VMMA rerum diuisio in duos articulos deducitur. nã aliæ sunt diuini iuris, aliæ humani. Diuini iuris sunt res sacræ & religiosæ. Sanctæ quoq; res, ueluti muri & portæ, quodammodo diuini iuris sunt. Quod autem diuini iuris est,

ris est, id nullius in bonis est. id uero, quod humani iuris est, plerumq; alii cuius in bonis est. potest enim & nullius in bonis esse. nam res hereditaria, antequam aliquis haeres existat, nullius in bonis sunt. Haec autem res, quae humani iuris sunt, aut publicae sunt, aut priuatae. quae publicae sunt, nullius in bonis esse credunt: quae autem priuatae sunt, singulorum existunt.

Quaedam praeterea res corporales sunt, quaedam incorporales. corporales haec sunt, quae tangi possunt: ueluti fundus, homo, uestis, aurum, argentum, & denique aliae res innumerabiles. Incorporales sunt, quae tangi non possunt: qualia sunt ea, quae in iure consistunt: sicut hereditas, usus fructus, obligationes, quoquo modo contractae sunt. nec ad rem pertinet, quod in hereditate res corporales continentur: & fructus, qui ex fundo percipiuntur, corporales sunt: & id, quod ex aliqua obligatione nobis debetur, plerumq; corporale est: ueluti fundus, homo, pecunia. Nam ipsum ius successionis, & ipsum ius utendi fruendi, & ipsum ius obligationis incorporale est. Eodem numero sunt iura praediorum urbanorum & rusticorum, quae etiam seruitutes uocantur.

## II. MARTIANVS lib. III. Institutionum.

**Q**uaedam naturali iure communia sunt omnium, quaedam uniuersitatis, quaedam nullius, pleraque singulorum, quae uarijs ex causis cuiusque acquiruntur. Et quidem naturali iure omnium communia sunt illa: aer, aqua profluens, mare, & per hoc litora maris.

## III. FLORENTINVS lib. I. Institutionum.

**I**te lapilli, gemmae, & caetera, quae in litore inueniuntur, iure naturali statim nostra sunt. IIII. MARTIANVS lib. III. Institutionum.

**N**emo igitur ad litus maris accedere prohibetur piscandi causa: dum tamen uillis, monumentis & aedificijs abstineat: quia non sunt iuris gentium, sicut & mare. idcirco diuus Pius piscatoribus Formianis & Capenatis rescripsit. Sed & flumina penes omnia & portus publici sunt.

## V. CAI VS lib. II. rerum cotidianarum, siue aureorum.

**R**iparium quoque usus publicus est iure gentium, sicut ipsius fluminis. Itaque naues ad eas adpellere, & funes ex arboribus ibi natis religere, retia ficcare, & ex mari deducere onus aliquod, & in ipsis reponere: cui liber liberum est, sicuti per ipsum flumen nauigare. sed proprietas illorum est, quorum praedijs haerent. qua de causa arbores quoque in ipsis natae, eorundem sunt. In mari piscantibus liberum est, casam in litore ponere, in quam se recipiant.

## VI. MARTIANVS lib. III. Institutionum.

**I**ntantum, ut soli domini constituentur, qui ibi aedificant: sed quando ius aedificium manet. alioquin aedificio dilapso, quasi iure postliminij reuertitur locus in pristina causam: & si alius in eodem loco aedificauerit, eius fiet.

Vniuersitatis sunt, non singulorum, quæ in ciuitatibus sunt theatra, stadia, & si qua alia sunt communia ciuitatum. Itemque nec seruus communis ciuitatis, singulorum pro parte intelligitur, sed uniuersitatis. & ideo tam contra ciuem, quàm pro eo posse seruum ciuitatis torqueri, diui fratres rescripserunt: & libertus ciuitatis non habet necesse ueniam edicti petere, si uocet in ius aliquem ex ciuibus. Sacræ res, & religioſæ, & sanctæ nullius in bonis sunt. Sacræ autem res sunt, quæ publice consecratæ sunt, non priuatim. Si quis ergo priuatum sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum. semel autem æde sacra facta, etiam diruto ædificio, locus sacer manet. Religiosum autem locum unusquisque sua uoluntate facit, dum mortuum infert in locum suum. In commune autem sepulchrum etiam inuitis cæteris licet inferre: sed in alienum locum, concedente tantum domino, licet inferre: & licet postea ratum non habuerit, quàm illatus est mortuus, locus religiosus fit. Cenotaphium quoque magis placet locum esse religiosum, sicut testis est in ea re Vergilius.

**S** VII. VLP IANVS lib. XXV. ad edictum.  
Ed diui fratres contra rescripserunt.

VIII. MARTIANVS lib. III. regularum.  
Sanctum est, quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est. Sanctum autem dictum est à sagminibus. sunt enim sagmina quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos uolaret: sicut legati Græcorum ea, quæ uocantur κρημνισα, ferunt. In municipiis quoque muros esse sanctos, Sabinum recte respondisse, Cassius refert: prohiberi quoque oportere, ne quid in his immitteretur.

IX. VLP IANVS lib. LXIX. ad edictum.  
Sacra loca sunt, quæ publice dedicata sunt, siue in ciuitate, siue in agro. Sciendum est, locum publicum tunc sacrum fieri posse: cum princeps eum dedicauit, uel dedicandi dedit potestatem. Illud notandum est: aliud esse sacrum locum, aliud sacrarium. Sacer locus est, locus consecratus. sacrarium est locus, in quo sacræ res ponuntur: quod etiam in ædificio priuato esse potest: & solent, qui liberare eum locum religione uolunt, sacra inde euocare. Proprie dicimus sancta, quæ nec sacra, nec profana sunt, sed sanctione quadam confirmata: ut sunt leges, quia sanctione quadam subnixæ sunt. quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, & si deo non sit consecratum. & interdum in sanctionibus adiicitur: ut qui ibi aliquid commisit, capite puniatur. Muros autem municipales, nec rescicere licet sine principis uel præsidis autoritate, nec aliquid eis coniungere, uel supponere. Res sacra non recipit æstimationem.

X. POMPONIVS lib. VI. ad Plautium.

**A**risto ait: sicut id, quod in mari ædificatum esset, fieret priuatū: ita quod à mari occupatum sit, fieri publicum.

XI. IDEM lib. II. ex uarijs lectionibus.

**S**i quis uiolauerit muros, capite punitur: sicuti si quis transcendet scalis admotis, uel alia qualibet ratione. Nā ciues Romanos aliā, q̄ p portas, egredi non licet: cum id hostile & abominandū sit. nā Romuli frater Remus occisus tradit̄ ob id, quod murū transcendere uoluerit.

## DE SENATORIBVS.

Tit. IX.

VLPIANVS lib. LXII. ad edictum.



**C**ONSULARI fœminæ utiq; consularem uirum præferendum esse, nemo ambigit. sed uir præfectorius an fœminæ consulari præferatur, uidendum. & putem præferri, quia maior dignitas in sexu uirili. Cōsulares autem fœminas dicimus consularium uxores. adijcit Saturninus, & matres: quod nec usq; relatum est, nec unq; receptum.

II. MARCELLVS lib. III. Digestorum.

**C**lassius Longinus non putat ei permittendum, qui propter turpitudinem senatu motus, nec restitutus est: iudicare, uel testimoniū dicere: quia lex Julia repetundarum hoc fieri uetat.

III. MODESTINVS lib. VI. regularum.

**S**enatorem remotum senatu capite non minui, sed Romæ morari: diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt.

IIII. POMPONIVS lib. XII. ex uarijs lectionibus.

**Q**ui indignus est inferiore ordine, indignior est superiore.

V. VLPIANVS lib. I. ad L. Iuliam & Papiam.

**S**enatoris filium accipere debemus non tantum eum, qui naturalis est, uerum adoptiuum quoq; . neq; intererit, à quo uel qualiter adoptatus fuerit. nec interest, iā in senatoria dignitate constitutus eum susceperit, an ante senatoriam dignitatem.

VI. PAVLVS lib. II. ad L. Iuliam & Papiam.

**S**enatoris filius est & is, quē in adoptionē accipit: quā diu tamē in familia eius manet. emancipatus em̄ nomen filij emancipatione amittit. A' senatore uero in adoptionem filius datus ei, qui inferioris dignitatis est: quasi senatoris filius uidetur. quia non amittitur senatoria dignitas adoptione inferioris dignitatis: nō magis, q̄ ut consularis esse desinat.

VI. VLPIANVS lib. I. ad L. Iuliam & Papiam.

**E**mancipatū à patre senatore, quasi senatoris filiū haberi placet. Itē Labeo scribit: etiam eum, qui post mortē patris senatoris natus sit,

d iij quasi

quasi senatoris filium esse. Sed eū, qui postea, quā pater eius de senatu motus est, cōcipitur & nascitur: Proculus & Pegasus opinantur, nō esse quasi senatoris filiū. quorū sententia uera est. nec enim proprie senatoris filius dicitur is, cuius pater senatu motus est, anteq̄ ipse nasceretur. Sed si quis conceptus quidē sit, antequā pater eius senatu moueatur: natus autē post patris dignitatē amissam: magis est, ut quasi senatoris filius intelligatur. tempus em̄ conceptionis spectandū pleriq̄ placuit. Si quis & patrē & auum habuerit senatorem: & quasi filius, & quasi nepos senatoris intelligitur. sed si pater amiserit dignitatem ante huius cōceptionē: quæri poterit, an cōius quasi senatoris filius nō intelligatur: quasi nepos tamē intelligi debeat: & magis est, ut debeat: ut autē potius ei dignitas proficit, quā obsit casus patris.

## VIII. IDEM lib. VI. fidei cōmissorū.

**F**œminæ nuptæ clarissimis personis, clarissimarū fœminarū appellatione continentur. Clarissimarū fœminarū nomine senatorū filiarū, nisi quæ uiros clarissimos sortitæ sunt, non habentur. Fœminis etenim dignitatē clarissimā mariti tribuunt: parentes uero, donec plebeis nuptiis fuerint copulatæ. tamdiu igitur clarissima fœmina erit, quā diu senatori nupta est, uel clarissimo: aut separata ab eo, alij inferioris dignitatis non nupsit.

## IX. PAPIANVS lib. III. responsorū.

**F**iliam senatoris nuptias liberti secutam, patris casus non facit uxorem. nam quæ sita dignitas, liberis propter casum patris remoti à senatu, auferenda non est.

## X. VLPPIANVS lib. XXXIII. ad edictum.

**L**iberos senatorum accipere debemus, nō tantū senatorum filios: uerū etiā oēs, qui geniti ex ipsis, uel ex liberis eorū dicuntur: siue naturales, siue adoptiui sint liberi senatorū, ex quibus nati dicuntur. Sed si ex filia senatoris natus sit: spectare debemus patris eius conditionē.

## XI. PAULVS lib. XII. ad edictum.

**S**enatores licet in urbe domicilium habere uideantur: tamen & ibi, unde oriundi sunt, habere domicilium intelliguntur. quia dignitas, domicilij adiectionem potius dedisse, quā permutasse uidetur.

## XII. VLPPIANVS lib. II. de censibus.

**N**uptæ prius consulari uiro, impetrare solent à principe (quamuis petrarō) ut nuptæ iterum minoris dignitatis uiro, nihilominus in consulari maneant dignitate: ut scio Antoninum Augustum Iuliæ aſs \*Mam-  
rinæ. \*Mammæ consobrinæ suæ indulſisse.  
\*Fortē cō \*Senatores autē accipiendū est eos, qui à patricijs & consulibus usq̄ ad pilatorum oēs uiros illustres descendūt: quia hi soli in senatu sententiā dicere possunt uerba. sunt.

De offi

## DE OFFICIO CONSVLIS. Tit. X.

VLP IANVS lib. II. de officio consulis.



fficiū consulis est, consiliū præbere manumittere uolentibus. Cōsules & seorsum, & singuli manumittere possunt: sed nō potest, qui apud alterum nomina edidit, apud alterū manumittere. separata enim sunt manumissiones. Sanē si qua ex causa collega nō potest manumittere: infirmitate scilicet, uel alia causa impeditus: collegam posse manumissionem expedire, Senatus censuit. Consules seruos suos manumittere apud se posse, nulla dubitatio est. Sed si euenerit, ut minor uiginti annis consul sit: apud se manumittere nō potest: cum ipse sit, qui ex senatusconsulto consilij causam examinat, apud collegam uero causa probata, potest.

## DE OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIO. Tit. XI

AVRELIVS ARCADIVS lib. singulari de officio praefecti praetorio.



Reuiter commemorare necesse est, unde constituendi praefecti praetorio officij origo emanauerit. Ad uicē magistriftri equitum praefectos praetorio antiquitus esse institutos: à quibusdā scriptoribus traditum est. nam cū apud ueteres Dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur: & magistrifros equitū sibi eligerēt, qui ad sociati principali curā militiae gratia, secundam post eos potestatem gererent: regimentis reipublicae ad Imperatores perpetuo translatis, ad similitudinē magistrifrorū equitū praefecti praetorio à principibus electi sunt, data eis pleniore licentia ad disciplinā publicae emendationē. His cunabulis praetorio praefectorum autoritas initiata: in tantū meruit augeri, ut appellari à praefectis praetorio non possit. nam cū ante quaesitū fuisset, an liceret à praefectis praetorio appellari, & an iure liceret, exstarētque exempla eorū, qui pronocauerant: postea publice sententia principali lecta, appellandi facultas interdicta est. credidit enim princeps eos, qui ob singulare industriam, explorata eorū fide & grauitate, ad huius officij magnitudinem adhiberentur: non aliter iudicatos esse, pro sapientia ac luce dignitatis suae, quam ipse foret iudicaturus. Subnixi sunt & alio privilegio: ne à sententijs eorum minores aetate ab alijs magistratibus, nisi ab ipsis praefectis praetorio, restitui possint.

De offi

## DE OFFICIO PRAEFECTI VRBI.

Tit. XII.

VLP IANVS lib. *singulari de off. praefecti urbi.*aliàs \* Fa  
uium.als \* quæ  
os com  
primat.

QVONIAM omnino crimina praefectura urbi sibi vindicauit: nec tantum ea, quæ intra urbem admittuntur: uerum ea quoque, quæ extra urbem intra Italiam: ut epistola diui Seueri ad \* Fabium Cilonem praefectum urbi missa declaratur. Seruos, qui ad statuas confugerunt: uel sua pecunia emptos, ut manumittantur: de dominis querentes audiet. Sed & patronos egentes de suis libertis querentes audiet: & maxime si ægros se esse dicant, desiderentque à libertis exhiberi. Relegandi deportandique in insulam, quam imperator adsignauerit, licentiam habet. Initio eiusdem epistolæ ita scriptum est: CVM VRBEM NOSTRAM FIDEI TVAE COMMISERIMVS. Quidquid igitur intra urbem admittitur, ad praefectum urbi uidetur pertinere. Sed & si quid intra centesimum miliarium admissum sit: ad praefectum urbi pertinet. sed si ultra ipsum lapidem egressum est, praefecti urbi notio non est. Si quis seruum suum adulterium commisisse dicat in uxorem suam, apud praefectum urbi erit audiendus. Sed & ex interdictis, QVOD VI AUT CLAM, aut interdicto, VNDE VI audire potest. Solent ad praefectum urbi remitti etiam tutores, siue curatores: qui male in tutela siue cura uersati, grauiore animaduersione indigent, quam ut sufficiat eis suspectorum infamia: quos probari poterit uel numis datis tutelam occupasse: uel præmio accepto operam dedisse, ut non idoneus tutor alicui daretur: uel consulto circa edendum patrimonium quantitatem minuisse: uel euidenti fraude pupilli bona alienasse. Quod autem dictum est, ut seruos de dominis querentes praefectus audiat: sic accipiemus, non accusantes dominos (hoc enim nequaquam seruo permitendum, nisi ex receptis causis) sed si uerecunde exoptulent: si seruitam, si durtiã, si famem, \*qua eos cõprimant\*: si obscœnitatẽ, in quam eos compulerint uel compellant, apud praefectum urbi exponant. Hoc quoque officium praefecto urbi à diuo Seuero datum est: ut mancipia tuentur, ne pstituantur. Præterea curare debet praefectus urbi, ut numularij probe se gerant circa omne negotium: & temperent his, quæ sunt prohibita. Cum patronus contemni se à liberto dixerit, uel contumeliosum sibi libertum queratur, uel conuicium se ab eo passum, liberosque uel uxorem, uel quid huic simile obijciat: praefectus urbi aditus pro modo querelæ corrigere eum, aut comminari, aut fustibus castigare, aut ulterius procedere in poenam eius solet. Nam plerumque puniendi

niendi sunt & liberti. certe si se delatum à liberto, uel si cōspirasse eum contra se cum inimicis doceat: etiam metalli pœna in eum statui debet. Cura carnis omnis, ut iusto precio præbeatur, ad curam præfecturæ pertinet. ideo & forum suariū sub ipsius cura est. sed & cæterorū siue pecorum, siue armentorum, quod ad huiusmodi præbitionē spectat, ad ipsius curam pertinent. Quies quoq; popularium, & disciplina spectaculorum, ad præfecti urbi curam pertinere uidetur. Et sanè debet dispositos milites stationarios habere, ad tuendam popularium quietem, & ad referendum sibi, quid ubi agatur. Et urbe interdiceræ præfectus urbi, & qualibet alia solitarum regionum potest, & negotiatione, & professione, & aduocationibus, & foro, & ad tempus, & in perpetuum interdiceræ poterit & spectaculis: et si quem relegat ab Italia, submouere eū etiam à prouincia sua. Diuus Seuerus rescripsit eos etiam, qui illicitum collegium coisse dicantur: apud præfectum urbi accusandos

II. PAVLVS lib. singulari de officio præfecti urbi.

**A**Diri etiam ab argentarijs, uel aduersus eos, ex epistola diui Hadriani, & in pecuniarijs caussis potest.

III. VLPIANVS lib. II. ad edictum.

**P**ræfectus urbi, cum terminos exierit, potestatem non habet: extra tamen potest iubere iudicare.

## DE OFFICIO QVAESTORIS. Tit. XIII.

VLPIANVS lib. singulari de officio quæstoris.



**Q**RIGO quæstoris creandi antiquissima est, & penè ante omnes magistratus. Iunius certe Gracchanus libro septimo de potestatibus, etiam ipsum Romulū & Numam Pompilium binos quæstores habuisse: quos ipsi non sua uoce, sed populi suffragio crearent: refert. Sed sicuti dubium est, an Romulo & Numa regnātib; quæstor fuerit: ita à Tullo Hostilio rege quæstores fuisse certum est. & sanè crebrior apud ueteres opinio est, Tullum Hostiliū primum in rempublicam induxisse quæstores: & à genere quærendi quæstores initio dictos, & Iunius, & Trebatius, & Fenestella scribunt. Ex quæstoribus quidam solebant prouincias fortiri ex senatuscōsulto, quod factū est Decimo Druso & Porcina consulibus. Sanè non omnes quæstores prouincias sortiebantur: uerū excepti erant Candidati principis. hi enim solis libris principali-  
 \*als Pec-  
 cina. for-  
 te. P. Ce-  
 cina.  
 res in senatu legendis uacabant. Hodie obtinuit indifferenter quæstores creari, tam patricos quàm plebeios. ingressus est enim & quasi primordium gerendorum honorum, sententiæq; in senatu dicendæ. ex  
 c his (sicut

his (sicut diximus) quidam sunt, qui Candidati principis dicuntur, quorum epistolae eius in senatu leguntur.

DE OFFICIO PRAETORIS. Tit. XIII.



VLPIANVS lib. XXVI. ad Sabinum.

APVD filiumfamilias praetorem, potest pater eius manumittere. II. PAVLVS lib. IIII. ad Sabinum.

SEd etiam ipsum apud se emancipari, uel in adoptionem dari placet. III. VLPIANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

BARbarius Philippus, cum seruus fugitiuus esset, Romae praeturam petijt: & praetor designatus est. sed nihil ei seruitutem obstitisse, ait Pomponius, quasi praetor non fuerit: atqui uera etiam praetura eum functum. Et tamen uideamus: si seruus, quam diu latuit, dignitate praetoria functus sit: quid dicemus. an quae dixit, quae decreuit, nullius fore momenti: an fore, propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt uel lege, uel quo alio iure: & uerum puto, nihil eorum reprobari. hoc enim humanius est: cum populus Romanus etiam seruo potuisset decernere hanc potestatem. sed & si scisset seruum esse, liberum effecisset. quod ius multo magis in Imperatore obseruandum est.

PRaetor nec tutorem, nec specialem iudicem ipse se dare potest. IIII. IDEM lib. I. de omnibus tribunalibus.

DE OFFICIO PRAEFECTI VIGILVM. Tit. XV.

PAVLVS lib. singulari de off. praefecti uigilum.



APVD uetustiores incendijs arcendis triumuiui praerant: qui ab eo, quod excubias agebant, nocturni dicti sunt. interueniebant nonnunquam Aediles & Tribuni plebis. erat autem familia publica circa portas & muros disposita: quae inde, si opus esset, euocabatur. fuerunt & priuatae familiae: quae incendia uel mercede, uel gratia exstinguerent. deinde diuus Augustus maluit per se huic rei consuli.

PLuribus uno die incendijs exortis. II. VLPIANVS lib. singulari de off. praefecti uigilum.

III. PAVLVS lib. singulari de off. praefecti uigilum.

NAm salutem reipublicae tueri, nulli magis credidit conuenire, nec alium sufficere ei rei, quam Caesarem. Itaque septem cohortes opportunis locis constituit, ut binas regiones urbis unaquaque cohors tueretur: praepositis eis tribunis, & super omnes spectabili uiro, qui praefectus

ctus uigilum appellatur. Cognoscit præfectus uigilum de incendiarijs, effractoribus, furibus, raptoribus & receptoribus: nisi si qua tam atrox tamq̃ famosa sit persona, ut præfecto urbi remittatur. & quia plerunq̃ incendia fiunt culpa inhabitantium: aut fustibus castigat eos, qui negligentius ignes habuerunt: aut seuera interlocutione comminatus, fustium castigationem remittit. Effracturæ fiunt plerunq̃ in insulis, in horreis, ubi homines preciosissimam partem fortunarum suarum reponunt: cum uel cella effringitur, uel armarium, uel arca. & custodes plerunq̃ puniuntur, ut diuus Antoninus \*Eruatio Claro rescripsit. ait enim, *als\* Eyrtio.* posse cum horreis effractis quæstionē habere de seruis custodibus: licet in illis ipsius Imperatoris portio esset. Sciendū est autem, præfectum uigilum per totam noctem uigilare debere: & coërrare calceatum, cum hamis & dolabris, ut curā adhibeant: omnes inquilinos admonere, ne per negligentiam aliquā incendiij casus oriatur. præterea ut aquā unufq̃ in cænaculo habeat, iubetur admonere. Sed aduersus \*capsarios *aliās \*cā* quoq̃, qui mercede seruanda in balineis uestimenta suscipiunt, iudex *psarios,* est cōstitutus: ut si quid in seruadis uestimentis fraudulēter admiserint, *cum in* ipse cognoscat. *alijs, tū* *Fl. pand.* *als\* Fau* *um.*

DE OFFICIO PROCONSULIS ET LEGATI.

Tit. XVI.

VLP IANVS lib. I. *disputationum.*

**P**ROCONSUL ubiq̃ quidem proconsularia insignia habet, statim atq̃ urbē egressus est: potestatem autem non exercet, nisi in ea prouincia, quæ ei decreta est.

II. MARTIANVS lib. I. *Institutionum.*

**O**mnēs proconsules statim, quam urbē egressi fuerint, habent iurisdictionem: non tamen contentiosam, sed uoluntariam: ut ecce manumitti apud eos possunt tam liberi, quàm serui, & adoptiones fieri. Apud legatum uero proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet iurisdictionem talem.

III. VLP IANVS lib. XXVI. *ad Sabinum.*

**N**ec adoptare potest. omnino enim non est apud eum legis actio.

IIII. IDEM lib. I. *de off. proconsulis.*

e ij Obser.

aliás \*re-  
cusando

**O**bseruare autem procōsulem oportet, ne in hospicijs præbendis oneret prouinciam: ut Imperator noster cū patre Aufidio Seueriano rescripsit. Nemo proconsulū statores suos habere potest: sed uice eorum milites ministerio in prouincijs funguntur. Proficisci autem proconsulē melius quidē est sine uxore. sed & cum uxore potest: dummodo sciat senatū Cotta & Messala consulibus cōsuisse: futurū, ut si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint: ab ipsis ratio & uindicta exigatur. Antequam uero fines prouinciæ sibi decretæ proconsul ingressus sit: edictum debet de aduentu suo mittere, cōtinens commendationem aliquam sui: si qua ei familiaritas sit cum prouincialibus, uel coniunctio. & maxime \*excusans, ne publice uel priuatim ei occurrant. esse enim conueniens, ut unusquisq; in sua eum patria excipiat. Recte autem & ordine faciet, si edictum decessori suo miserit: significetq; qua die fines sit ingressurus. plerumq; enim incerta & inopinata turbant prouinciales, & actus impediunt. Ingressus etiā hoc obseruare debet: ut per eam partē prouinciam ingrediatur, per quā ingredi moris est. sed & quas Græci ἐπιδημίας appellant, siue κατὰ πλοῦν obseruare, in quam primum ciuitatem uel ueniat, uel adplicet. magni enim faciūt prouinciales seruari sibi consuetudinem istam, & huiusmodi prærogatiuas. Quædam prouinciæ etiam hoc habent, ut per mare in eas proconsul ueniat: ut Asia scilicet. usq; adeo, ut imperator Antoninus Augustus ad desideria Asianorum rescripserit: procōsuli necessitatē impositam per mare Asiam adplicare, καὶ τῶν μητροπόλεων ἔφεσον primam attingere. Post hæc ingressus prouinciam, mandare iurisdictionem legato suo debet: neq; hoc ante facere, quā fuerit prouinciam ingressus. est enim per quā absurdum, antequam ipse iurisdictionem nanciscatur: (nec enim prius ei competit, quā in prouinciam uenerit) alij eam mandare, quam non habet. sed si antea fecerit, & ingressus prouinciam in eadem uoluntate fuerit: credendum est, uideri legatum habere iurisdictionem: non exinde, ex quo mandata est, sed ex quo prouinciam proconsul ingressus est.

V. P A P I N I A N V S lib. I. quæstionum.

**A**liquando mandare iurisdictionem proconsul potest, & si nondū in prouinciam peruenerit. quid enim, si necessariam moram in itinere patiat: maturissime autem legatus in prouinciam peruenturus sit.

VI. V L P I A N V S lib. I. de officio procons.

**S**olet etiam custodiarum cognitionem mandare legatis: scilicet ut spræauditas custodias ad se remittant, ut innocentem ipse liberet. sed hoc genus mandati extraordinarium est. nec enim potest quis gladij potestatem sibi datam, uel cuius alterius coercitionis ad aliū transferre.

ferre: nec liberandi igitur reus ius, cum accusari apud eum non possint.

Sicut autem mandare iurisdictionem, uel non mandare, est in arbitrio proconsulis: ita adimere mandatam iurisdictionem licet quidem proconsuli: non autem debet inconsulto principe hoc facere. Legatos non oportet principem consulere, sed proconsulem suum: & is ad consultationes legatorum debet \*respondere. Non uero in totum xenijs abstinere debet proconsul, sed modum adijcere: ut neq; morose in totum abstinat, neq; auare modum xeniorum excedat. quã rem diuus Seuerus & imperator Antonius elegantissima epistola sunt moderati: cuius epistolæ uerba hæc sunt. Quantum ad xenia pertinet, auidi quid sentimus. uetus prouerbium est: *οὐτε πάντα, οὐτε πάντοτε, οὐτε πάντα πάντως*. Nam ualde inhumanum est, à nemine accipere: sed passim, utilissimum est: & per omnia, auarissimum. Et quod mandatis continetur: ne donum uel munus ipse proconsul, uel qui in aliquo officio erit, accipiat: ematue quid, nisi uictus quotidiani causa: ad xenia iam non pertinet, sed ad ea quæ edulium excedunt usum. Sed nec xenia produenda sunt ad munerum qualitatem.

aliàs \* se dedere.

VII. IDEM lib. II. de officio proconsulis.

SI in aliquam celebrem ciuitatē uel prouinciæ caput peruenerit: patri debet commendari sibi ciuitatem, laudesq; suas non grauate audire, cum honori suo prouinciales id uindictent: & ferias secundum mores & consuetudinem, quæ retro obtinuit, dare. Aedes etiam sacras & opera publica circũire inspiciendi gratia, an facta tecta sint, & quæ sint, uel an aliqua refectione indigeant: & si qua cœpta sunt, ut consummentur, prout uires eius reipublicæ permittunt, curare debet. Curatoresq; operũ diligentes & solemniter præponere: ministeria quoq; militaria, si opus fuerit, ad curatores adiunãdos dare. Cum plenissimam autem iurisdictionem proconsul habeat: omnium partes, qui Romæ quasi magistratus, uel extra ordinem ius dicunt, ad ipsum pertinent.

VIII. IDEM lib. XXXVII. ad edictum.

ET ideo maius imperium in ea prouincia habet omnibus, post principem.

IX. IDEM lib. II. de officio proconsulis.

NEC quicquã est in prouincia, quod non per ipsum expediatur. Sanè si fiscalis pecuniaria causa sit, quæ ad procuratorem principis respicit: melius fecerit, si abstinat. Vbi decretum necessariũ est, per libellum id proconsul expedire non potest. omnia enim, quæcunq; causæ cognitionem desiderant: per libellum non possunt expediri.

Circa aduocatos patientem esse proconsulem oportet, sed cũ ingenio, ne contemptibilis uideatur: nec ideo dissimulare, si quos causarum cõcinnatores uel redemptores depræhendat: eos quoq; solos pati

e iij postulare,

postulare, quibus per edictum eius postulare permittit. De plano autem proconsul potest expedire hæc, ut obsequiū parentibus, & patronis, liberisque patronorum exhiberi iubeat: cōminari etiā & terrere filiū a patre oblatum, qui non (ut oportet) cōuersari dicatur. poterit de plano similiter & libertū non obsequentem emendare, aut uerbis, aut fustii castigatione. Obseruare itemque eū oportet, ut sit ordo aliquis postulatonum, scilicet ut omnium desideria audiantur: ne forte dum honori potestulantiū locus datur, uel improbitati ceditur, mediocres desideria sua non proferant: qui aut omnino nō adhibuerunt, aut minus frequentes, neque in aliqua dignitate positos aduocatos sibi prospexerunt. Aduocatos quoque petentibus debet indulgere: plurimumque sceminis uel pupilis, uel aliis debilibus, uel his qui suæ mentis non sunt: si quis eis petat: uel si nemo sit, qui petat: ultro eis dare debet. Sed & si quis per potentiam aduersarij nō inuenire se aduocatū dicat: æque oportebit ei aduocatum dare. Cæterū opprimi aliquē per aduersarij sui potentiam nō oportet. hoc etiā ad inuidiam eius, qui prouinciæ præest, spectat: si quis tam impotenter se gerat, ut oēs metuant aduersus eum aduocationem suscipere. Quæ etiā omnium præsidū cōmunia sunt: debent & ab his obseruari.

X. IDEM lib. X. de offic. proconsulis.

**M**eminisse oportebit, usque in aduentū successoris oīa debere proconsulem agere: cū sit unus proconsulatus. & utilitas prouinciæ exigat, esse aliquē, per quem negocia sua prouinciales explicent. ergo in aduentum successoris debet ius dicere. Legatū suū ne ante se de prouincia dimittat: & lege Iulia repetundarum, & rescripto diui Hadriani ad Calpurnium Rufinū proconsulem Achaïæ admonetur.

XI. VENVLEIVS SATVRNINVS lib. II. de off. procons.

**S**iquid erit, quod maiorem animaduersionē exigat: remittere legatus ad proconsulem debet. neque enim animaduertendi, coercendi, uel atrociter uerberandi ius habet.

XII. PAVLVS lib. II. ad edictum.

**L**egatus mandata sibi iurisdictione, iudicis dandi ius habet.

XIII. POMPONIVS lib. X. ad Q. Mutium.

**L**egati proconsulis nihil proprium habent: nisi à proconsule eis mandata sit iurisdictione.

XIII. VLPPIANVS lib. XX. ad L. Iuliam & Papiam.

**P**roconsules nō amplius, quàm sex fascibus utuntur.

XV. LYCINIUS RVFINVS lib. iij. regularū.

**E**t legati proconsulis tutores dare possunt.

XVI. VLPPIANVS lib. II. ad edictum.

**P**roconsul portam Romæ ingressus, deponit imperium.

DE OFFICIO PRAEFECTI AVGVSTALIS.  
Tit. XVII.

VLPIANVS lib. II. ad edictum.

**P**raefectus Aegypti non prius deponit praefecturam & imperium, quod ad similitudinem proconsulis lege sub Augusto ei datum est: quam Alexandriam ingressus sit successor eius, licet in provinciam venerit: & ita mandatis eius continetur.

DE OFFICIO PRAESIDIS. Tit. XVIII.

MACER lib. I. de off. praesidis.

**P**raesidis nomen generale est: eo quod & proconsules, & legati Caesaris, & omnes provincias regentes (licet senatores sint) praesides appellantur. proconsulis appellatio specialis est.

II. VLPIANVS lib. XXVI. ad Sabinum.

**P**raeses apud se adoptare potest, quemadmodum & emancipare filium, & manumittere servum potest.

III. PAVLVS lib. XIII. ad Sabinum.

**P**raeses in sua provincia homines imperium habet: & hoc dum in provincia est. nam si excesserit, priuatus est. Habet interdum imperium & aduersus extraneos homines: si quid in alium manu commiserint. nam & in mandatis principum est: ut curet is, qui provinciam praest, malis hominibus purgare provinciam: nec distinguitur, unde sint.

III. VLPIANVS lib. XXXVII. ad edictum.

\* **P**raeses provinciae maius imperium in ea provincia habet omnibus, post principem.

V. IDEM lib. I. de omnibus tribunalibus.

\* **P**raeses provinciae non magis tutorem, quam specialem iudicem ipse se dare potest.

VI. IDEM lib. I. opinionum.

**I**licitas exactiones, & uiolentia factas uel extortas metu uenditiones & cautiones, uel sine precij numeratione: prohibeat praeses provinciae. Item ne quis iniquum lucrum, aut damnum sentiat: praeses provinciae provideat. Veritas rerum, erroribus gestorum non uiciatur. & ideo praeses provinciae id sequatur, quod conuenit eum ex fide eorum quae probantur, sequi. Ne potentiores uiri, humiliores iniurijs adficiant

\*Hæc duo capita in nonnullis non habentur.

adficiant: neue defensores eorum calumniolis criminibus infectentur innocentes: ad religionem praesidis prouinciae pertinet. Illicita ministeria, sub praetextu adiuuantium militares uiros, ad concutiendos homines procedentia: prohibere, & deprehensa coercere, praeses prouinciae curet. & sub specie tributorum illicitas exactiones fieri prohibeat.

Nec licita negotiatione aliquos prohiberi, nec prohibita exerceri, nec innocentibus poenas irrogari: ad sollicitudinem suam praeses prouinciae reuocet. Et ne tenuis uitae homines, sub praetextu aduentus officiorum uel militum, lumine unico, uel breui supellestili ad aliorum usus translatis, iniurijs uexentur, praeses prouinciae providebit. Ne quid sub nomine militum, quod ad utilitates eorum in commune non pertinet: a quibusdam, propria sibi commoda inique uindicantibus, committatur: praeses prouinciae providebit. Sicuti medico imputari euentus mortalitatis non debet: ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet. praetextu enim humanae fragilitatis delictum decipientis, in periculo hominis, innoxium esse non debet. Qui uniuersas prouincias regunt, ius gladij habent: & in metallum \* dandi eis potestas permissa est. Praeses prouinciae si multam, quam irrogauit, ex praesentibus facultatibus eorum, quibus eam dixit, redigi non posse deprehenderit: necessitatem solutionis moderetur, reprehensa exactorum illicita auaricia. Remissa propter inopiam multa, a prouincias regentibus exigere non debet.

VII. IDEM lib. III. opinionum.

**P**raeses prouinciae inspectis aedificijs, dominos eorum causa cognita reficere ea compellat: & aduersus detrectantem competenti remedio deformitati auxilium ferat.

VIII. IULIANVS lib. I. digest.

**S**aepe audiui Caesarem nostrum dicentem, hac rescriptione, **EVM QUI PROVINCIAE PRAEEST, ADIRE POTES:** non imponi necessitatem proconsuli, uel legato eius, uel praesidi prouinciae, suscipiendae cognitionis: sed eum existimare debere, ipse cognoscere, an iudicem dare debeat.

IX. CALLISTRATVS lib. I. de cognitionibus.

**G**eneraliter quoties princeps ad praesides prouinciarum remittit negotia per rescriptiones, ueluti **EVM QUI PROVINCIAE PRAEEST, ADIRE POTERIS:** uel cum hac adiectione, **IS EXISTIMABIT, QUID SIT PARTIVM SVARVM:** non imponitur necessitas proconsuli uel legato suscipiendae cognitionis, quamuis non sit adiectum, **IS EXISTIMABIT, QUID SIT PARTIVM SVARVM:** sed is existimare debet, utrum ipse cognoscat, an iudicem dare debeat.

X. HERMOGENIANVS lib. II. *Iuris* ἠδ' ἰστοριῶν.

**D**E omnibus causis, de quibus uel præfectus urbi, uel præfectus prætorio, itemque consules, & prætores, cæterique Romæ cognoscunt: \*Correctorum & præsidum prouinciarum notio est.

als\*Cor-  
reptorū.

XI. MARTIANVS lib. III. *Institutionum*.

**O**Mnia enim prouincialia desideria, quæ Romæ uarios iudices habent, ad officium præsidum pertinent.

XII. PROCVLVS lib. III. ἐπισηλώων.

**S**ed licet is, qui prouinciæ præest, omnium Romæ magistratuum uice & officio fungi debeat: non tam spectandum est, quid Romæ factum est, quam quid fieri debeat.

XIII. VLPIANVS lib. VI. *de officio proconsulis*.

**C**ongruet bono & graui præsidi curare, ut pacata atque quieta prouincia sit, quam regit. quod non difficile obtinebit: si sollicitè agat, ut malis hominibus prouincia careat, eosque conquirat. nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet: & prout quisque deliquerit, in eum animaduertere: receptoresque eorum coercere, sine quibus latro diutius latere non potest. Furiosi si non possint per necessarios contineri: eo remedio per præsidem obuiandum est, scilicet ut carcere continentur: & ita diuus Pius rescripsit. Sanè excutiendum diui fratres putauerunt in persona eius, qui paricidium admiserat: utrum simulato furore facinus admisset, an uero cum re uera compos mentis non esset: ut si simulasset, plesteretur: si fureret, in carcere contineretur.

XIII. MACER lib. II. *de iudicijs publicis*.

**D**iuus Marcus & Commodus Scapulæ Tertilio rescripserunt in hæc uerba. Si tibi liquido cõpertum est, Aelium Priscum in eo furore esse, ut continua mentis alienatione omni intellectu careat: nec subest ulla suspitio, matrem ab eo simulatione dementiae occisam: potes de modo pœnæ eius dissimulare, cum satis furore ipso puniatur. & tamè diligentius custodiendus erit, aut (si putabis) etiam uinculo coercendus: quoniam non tam ad pœnam, quam ad tutelam eius, & securitatem proximorum pertinebit. Si uero (ut plerumque adsolet) inter uallis quibusdam sensu sanior est: num forte eo momento scelus admisit, nec morbo eius danda sit uenia, diligenter explorabis. & si quid tale compereris: consules nos, ut æstimemus, an per immanitatem facinoris: si cum posset uideri sentire, commiserit: supplicio adficiendus sit. Cum autem ex literis tuis cognouerimus, tali eum loco atque ordine esse, ut à suis uel etiam in propria uilla custodiatur: recte facturus nobis uideris, si eos, à quibus illo tempore obseruatus est, uocaueris: & causam tantæ negligentiae excusseris: & unumquemque eorum, prout tibi leuari

f uel

uel onerari culpa eius uidebitur, cōstitueris. nam custodes furiosis non ad hoc solum adhibentur, ne quid perniciosius ipsi in se moliantur, sed ne alijs quoq; exitio sint. quod si committatur: non immerito culpa eorum adscribendum est, qui negligētiores in officio suo fuerint.

XV. MARTIANVS lib. II. de iudicijs publicis.

**I**llud obseruandum est: ne qui prouinciam regit, fines eius excedat, nisi uoti soluendi causa: dum tamen abnoctare ei non liceat.

XVI. MACER lib. I. de off. praesidis.

**S**enatusconsulto cauetur: ut de his, quae prouincias regentes commistesue aut liberti eorum, antequam in prouinciā uenirent, contraxerunt: parcissime ius dicatur: et ut actiones amissae ob eā causam, quod institutae nō sint: postea, q̄ quis eorū ea prouincia excesserit restituantur. Si quid tamē inuito accidit, ueluti si iniuriā, aut furtū passus est: haecenus ius dicendū est, ut lis cōtestetur, resq; ablata exhibeat & deponatur, aut listi exhiberiue satisfactō promittatur.

XVII. CELSVS lib. III. Digestorum.

**S**i forte praeses prouinciā manumiserit, uel tutorem dederit, priusq; cognouerit successorem aduenisse: erunt & haec rata.

XVIII. MODESTINVS lib. VI. regularum.

**P**lebiscito continetur, ut ne quis praesidum munus donumue caperet: nisi esculentū potulētumue, quod intra dies proximos pdigatur.

XIX. CALLISTRATVS lib. I. de cognitionibus.

**O**bseruandū est ius reddenti, ut in adeūdo q̄dem facilem se praebesat, sed contēni non patiatur. unde mandatis adicitur, ne praesides prouinciarū in ulteriorem familiaritatem puinciales admittant. nam ex conuersatione aequali contēptio dignitatis nascitur. Sed & in cognoscendo, neq; excandescere aduersus eos, quos malos putat: neq; precibus calamitosorū in lacrymari oportet. id enim non est constantis & recti iudicis, cuius animi motū uultus detegit. & summatim ita ius reddere debet, ut auctoritatem dignitati ingenio suo augeat.

XX. PAPINIANVS lib. I. responsoforum.

\*als Cor  
reptor.

**L**egatus Caesaris, uel praeses, uel \*corrector puinciaē abdicādo se nō amittit imperiū.

XXI. PAVLVS lib. singulari de officio adfessorum.

**P**raeses cū cognoscit de seruo corrupto, uel ancilla deuirginata, uel seruo stuprato: si actor rerū agentis corruptus esse dicetur, uel eiusmodi homo, ut non solum iactura aduersus substantiam, sed ad totius domus euerfionem pertineat: seuerissime animaduertere debet.

## DE OFFICIO PROCVRATORIS CAESARIS.

ris, uel rationalis.

Tit. XVIII.

Quae

VLPIANVS lib. XVI. ad edictum.

**Q**VAE acta gesta sunt à procuratore Cæsaris: sic ab eo cõproban-  
tur, atq; si à Cæsare gesta essent. Si rem Cæsaris procurator  
eius, quasi rem propriam tradat: non puto eum dominium  
transferre. tunc enim transfert, cum negotium gerens Cæsaris, consen-  
su ipsius tradit. deniq; si uëditionis, transactionis, uel donationis causa  
quid agat: nihil agit. non enim alienare ei rem Cæsaris, sed diligenter  
gerere cõmissum est. Est hoc præcipuum in procuratore Cæsaris, quod  
eius iussu seruus Cæsaris adire hæreditatem potest. & si Cæsar hæres in-  
stituitur: miscendo se opulentæ hæreditati, procurator hæredë Cæsa-  
rem facit.

II. PAVLVS lib. V. sententiarum.

**Q**UOD si ea bona, ex quibus Impator hæres institutus est, soluendo  
non sunt: re perspecta, consulitur Imperatori. hæredis enim insti-  
tuti in adeundis huiusmodi hæreditatibus uoluntas exploranda est.

III. CALLISTRATVS lib. VI. de cognitionibus.

**C**URatores Cæsaris ius deportandi nõ habet: quia pœnæ cõstituendæ  
eius nõ habent. Si tamen q̄si tumultuosum, uel iniuriosum aduer-  
sus colonos Cæsaris, phibuerit in prædia Cæsariana accedere: abstine-  
re debet, idq; diuus Pius Iulio rescripsit. sed deinde neq; redire cuiq;  
possunt permittere: idq; Impatores nostri Seuerus & Antoninus ad li-  
bellum Hermiæ rescripserunt.

## DE OFFICIO IURIDICI.

Tit. XIX.

VLPIANVS lib. XXVI. ad Sabinum.

**A**Doptare quis apud iuridicum potest: quia data est ei legis actio

II. IDEM lib. XXXIX. ad Sabinum

**I**uridico, qui Alexandria agit, datio tutoris constitutione diui Marci  
concessa est.

## DE OFFICIO EIVS, CUI MANDATA EST

iurisdicatio. Tit. XX.

PAPINIANVS lib. I. questionum.

**Q**Uæcunq; specialiter lege, uel senatusconsulto, uel consti-  
tutione principum tribuuntur: mandata iurisdictione nõ  
transferuntur. quæ uero iure magistratus cõpetunt: man-  
dari possunt. & ideo uidetur errare magistratus, qui cum  
publici iudicij habeant exercitionem, lege uel senatus-  
consulto delatam: ueluti lege Iulia de adulterijs, & si quæ sunt aliæ simi-  
les:

f ij les:

les: iurisdictionem suam mandant. Huius rei fortissimum argumentū, quod lege Iulia de ui nominatim cauetur: ut is, cui obrigit exercitio, possit eam, si proficiscatur, mandare. non aliter itaq; mandare poterit, quàm si abesse coeperit: cum aliàs iurisdictione etiam à præsente mandetur. Et si à familia dominus occisus esse dicetur: cognitionem prætor, quam ex Senatusconsulto habet, mandare nõ poterit. Qui mandata iurisdictionem suscepit, proprium nihil habet: sed eius, qui mandauit, iurisdictione utitur. Verius est enim, more maiorum iurisdictionem quidem transferri: sed merum imperium, quod lege datur, non posse transire. Quare nemo dicit, animaduersionem legatum proconsulis habere, mandata iurisdictione. PAVLVS NOTAT: imò imperiū, quod iurisdictioni cohæret, mandata iurisdictione transire, uerius est.

II. VLP IANVS lib. III. de omnibus tribunalibus.

**M**andata iurisdictione à præside, non potest consilium exercere is, cui mandatur. & si tutores uel curatores uelint prædia uendere: causa cognita, id prætor uel præses permittet. quod si mandauerit iurisdictionem, nequaquam poterit, mandata iurisdictione, eā quæ iurisdictionem transferre.

III. IULIANVS lib. V. Digest.

**E**T si prætor sit is, qui alienam iurisdictionem exsequitur: non tamen pro suo imperio agit, sed pro eo, cuius mandatu ius dicit, quoties partibus eius fungitur.

IIII. MACER lib. I. de off. præsidis.

**C**ognitio de suspectis tutoribus mandari potest: imò etiam mandata generali iurisdictione propter utilitatem pupillorū eam contingere, cõstitutum est in hæc uerba. IMPERATORES SEVERVS ET ANTONINVS \*BRADVAE PROCONSULI AFRICAE. Cum propriam iurisdictionem legatis tuis dederis: consequens est, ut etiã de suspectis tutoribus possint cognoscere: ut ab ijs possessio bonorū detur: uel si cui damni infecti non caueatur, ut is possidere iubeatur: aut uentris nomine mulier, uel is cui legatum est, legatorum seruadorum causa in possessionem mittatur.

V. PAVLVS lib. XVIII. ad Plautium.

**M**andatam sibi iurisdictionem mandare alteri neminem posse, manifestum est. Mandata iurisdictione priuato: etiã imperium, quod non est merum, uidetur mandari. quia iurisdictione sine modica coërcitione nulla est.

## DE OFFICIO ADSESSORIS.

Tit. XXI.

PAVLVS lib. singulari de officio adessorum.

Omne

**Q**uone officium adfessorum, quo iuris studiosi partibus suis funguntur, in his ferè caussis constat: in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis.

**L**iberti adfidere possunt: infames autem, licet non prohibeantur lege adfidere: attamen arbitror ( ut aliquo decreto principali referatur constitutum ) non posse officio adfessoris fungi.

II. MARTIANVS lib. I. de iudicijs publicis.

**S**i eadem prouincia postea diuisa, sub duobus præsidibus constituta est: (uelut Germania, Misia ) ex altera ortus, in altera adsidebit, nec uidebitur in sua prouincia adfedissee.

III. MACER lib. I. de officio præsidis.

**D**iem functo legato Cæsaris: salariũ comitibus residui temporis, quod legatis præstitutum est, debetur: modo si non postea comites cum alijs eodem tempore fuerunt. Diuersum in eo seruatur, qui successorem ante tempus accepit.

III. PAPIANVS lib. XXXI. responsorum.

**C**onsiliarijs eo tempore, quo adfident, negocia tractare in suũ quidem auditorium, nullo modo concessum est: in alienum aut non phibentur.

V. PAVLVS lib. I. sententiarum.

**I**n cõsiliũ curatoris reipublicæ, uir eiusdem ciuitatis adfidere non prohibetur: quia publico salario non fruitur.

VI. PAPIANVS lib. I. responsorum.

# DIGESTORVM

SEV PANDECTARVM LIBER SECVNDVS.

## DE IVRISDICTIONE.

VLPIANVS lib. I. regularum.

**L**VS DICENTIS OFFICIUM LATISSIMUM est. nam & bonorum possessionem dare potest, & in possessionem mittere, pupillis non habentibus tutores constituere, iudices litigantibus dare.

II. IABOLENVS lib. VI. ex Cassio.

**C**ui iurisdictio data est: ei quoq; concessa esse uidentur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit.

III. VLPIANVS libro singulari de officio questoris.

**I**mperium aut merum aut mistum est. merum imperium est, habere

bere gladij potestatem, ad animaduertendum in facinerosos homines, quod etiam potestas appellatur. Mistum est imperium, cui etiam iurisdictionis inest, quod in danda bonorum possessione consistit, ut iurisdictionis iudicis dandi licentia.

IIII. IDEM lib. I. ad edictum.

**I**ubere cauere pratoria stipulatione, & in possessionem mittere: imperij magis est, quam iurisdictionis.

V. IULIANVS lib. I. digestorum.

**M**ore maiorum ita comparatum est: ut is demum iurisdictionem mandare possit, qui eam suo iure, non alieno beneficio habet.

VI. PAVLVS lib. II. ad edictum.

**E**T quia nec principaliter ei iurisdictionis data est, nec ipsa lex defert, sed confirmat mandatam iurisdictionem: ideoque si is, qui mandauit iurisdictionem, decesserit antequam res ab eo, cui mandata est iurisdictionis, geri coeperit: solui mandatum Labeo ait, sicut in reliquis causis.

VII. VLPIANVS lib. III. ad edictum.

**S**I quis id, quod iurisdictionis perpetuae causa, non quod ( prout res incidit) in albo, uel in charta, uel in alia materia propositum erit, dolo malo corruerit: datur in eum quinquaginta aureorum iudicium, quod populare est. Serui quoque, & filij familiarum uerbis edicti continentur, sed & utrumque sexum praetor complexus est. Quod si dum proponitur, uel ante propositionem quis corruerit: edicti quidem uerba cessabunt, Pomponius autem ait, sententiam edicti & ad haec porrigendam esse. In seruos autem, si non defendantur a dominis: & eos qui inopia laborant, corpus torquendum est. Doli mali autem ideo in uerbis edicti fit mentio: quod si per imperitiam, uel rusticitatem, uel ab ipso praetore iussus, uel casu aliquis fecerit, non teneatur. Hoc uero edicto tenetur, & qui tollit, quamuis non corruerit: item & qui suis manibus facit, & qui alijs mandat, sed si alius sine dolo malo fecerit, alius dolo malo mandauerit: qui mandauit, tenebitur, si uterque dolo malo fecerit: ambo tenebuntur, nam & si plures fecerint, uel corruerint, uel mandauerint, omnes tenebuntur.

VIII. CAIVS lib. I. ad edictum prouinciale.

**A**deo quidem, ut non sufficiat unum eorum poenam luere.

IX. PAVLVS lib. III. ad edictum.

**S**I familia alicuius album corruerit: non similiter hic edicitur, ut in furto, ne in reliquos actio detur, si tantum dominus (cum defenderet) unius nomine praestitit, quantum liber praestaret. fortasse quia hic & contempta maiestas praetoris uindicatur, & plura facta intelliguntur: quemadmodum & cum plures serui iniuriam fecerunt, uel damnauerunt

derunt, plura facta sunt, nō (ut in furto) unum. Octavianus hic quoque do-  
mino succurrendum ait. sed hoc potest dici, si dolo malo curauerit, ut  
ab alio album corrumpetur: quando tunc unum consiliū sit, nec plu-  
ra facta. idem Pomponius libro decimo notat.

X. VLP IANVS lib. III. ad edictum.

**Q**ui iurisdictioni præest: neque sibi ius dicere debet, neque uxori, uel li-  
beris suis, neque libertis, uel cæteris, quos secum habet.

XI. CAIVS lib. I. ad edictum prouinciale.

**S**i idem cum eodem pluribus actionibus agat: quarum singularum  
quantitas intra iurisdictionem iudicantis sit, coaceruatio uero om-  
nium excedat modum iurisdictionis eius: apud eum agi posse Sabino,  
Cassio, Proculo placuit: quæ sententia rescripto imperatoris Antoni-  
ni confirmata est.

Sed et si mutuae sint actiones, & alter minorem  
quantitatem, alter maiorem perat: apud eundem iudicem agendum  
est ei, qui quantitatem minorem perit. ne in potestate calumniosa ad-  
uersarij mei sit, an apud eundem litigare \* possit. Si una actio com-  
munis sit plurium personarum: ueluti familiae eriscundæ, communi  
diuidendo, finium regundorum: utrum singulae partes spectandæ sint  
circa iurisdictionem eius, qui cognoscit: quod Ofilio & Proculo pla-  
cet, quia quisque de parte sua litigat. an potius tota res: quia tota res  
in iudicium uenit, & uel uni adiudicari potest: quod Cassio & Pegaso  
placet. & sanè eorum sententia probabilior est.

XII. VLP IANVS lib. XVIII. ad edictum.

**M**agistratibus municipalibus supplicium à seruo sumere non li-  
cet: modica autem castigatio in eis non est deneganda.

XIII. IDEM lib. LI. ad Sabinum.

**E**um, qui iudicare iubet, magistratum esse oportet. Magistratus  
autem, uel qui in potestate aliqua sunt: ut puta proconsul, uel præ-  
tor, uel alij, qui prouincias regunt: iudicare iubere eo die, quo priuati fu-  
turi sunt, non possunt.

XIII. IDEM lib. XXXIX. ad edictum.

**E**st receptum, eoque iure utimur: ut si quis maior, uel æqualis subici-  
at se iurisdictioni alterius: possit ei, & aduersus eum ius dici.

XV. IDEM lib. II. de omnibus tribunalijs.

**S**i per errorem alius pro alio prætor fuerit aditus: nihil ualebit, quod  
factum est. Nec enim ferendus est, qui dicat consensisse eos in præsi-  
dem: cum (ut Iulianus scribit) non consentiant, qui errant. quid enim tā  
contrarium consensui, quàm error, qui imperitiam detegit?

XVI. IDEM lib. III. de omnibus tribunalijs.

Solet

**S**Olet prætor iurisdictionem mandare: & aut omnem mandat, aut speciem unam. & is cui mandata iurisdictione est: fungitur uice eius, qui mandauit, non sua.

XVII. IDEM lib. I. *opinionum.*

**P**rætor, sicut uniuersam iurisdictionem mandare alij potest, ita & in personas certas, uel de una specie potest: maxime cum iustam causam susceptæ ante magistratû aduocationis alterius partis habuerit.

XVIII. AFRICANVS lib. VI. *questionum.*

**S**i cõuenerit, ut alius prætor, quàm cuius iurisdictione esset, ius diceret: & priusquàm adiretur, mutata uoluntas fuerit: proculdubio nemo compellitur huiusmodi conventioni stare.

XIX. VLPPIANVS lib. VI. *fidei commissorum.*

**C**um quædam puella apud competentem iudicem litem susceptæ: deinde cõdemnata, ad uiri matrimonium, alij iurisdictioni subiecti, peruenerat: quærebatur, an prioris iudicis sententia exsequi posset: dixi posse, quia ante fuerat dicta sententia. sed & si post susceptâ cognitione, ante sententiâ hoc eueniret: idẽ putare de sententia, quæ a priore iudice recte ferretur. Quod generaliter & in omnibus huiusmodi casibus obseruandum est. Quoties de quâritate ad iurisdictionem pertinente quæritur: semper quantum petatur, quarendum est, non quantum debeat.

XX. PAVLVS lib. I. *ad edictum.*

**E**xtra territorium ius dicenti impune non paretur. Idem & si supra iurisdictionem suam uelit ius dicere.

QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATUIT, UTI IPSE EODEM IURE UTATUR. Tit. II.

VLPPIANVS lib. III. *ad edictum.*



**H**OC edictum summam habet æquitatẽ, & sine cuiuslibet indignatione iusta. quis enim adspernabitur idem ius sibi dici, quod ipse alijs dixit, uel dici effecit? QVI MAGISTRATVM POTESTATEM VÈ HABEBIT, SI QUID IN ALIQVEM NOVI IVRIS STATVERIT: IPSE QVANDOQVE ADVERSARIO POSTVLANTE, EODEM IURE VTI DEBET. SI QVIS APVD EVM QVI MAGISTRATVM POTESTATEM VÈ HABEBIT, ALI QUID NOVI IVRIS OBTINVERIT: QVANDOQVE POSTEA, ADVERSARIO EIVS POSTVLANTE, EODEM IURE ADVERSVS EVM DECERNETVR: SCILICET VT quod

QVOD IPSE IN ALTERIVS PERSONA AEQVVM ESSE  
CREDIT, ID IN IPSIVS QVOQVE PERSONA VALE-  
RE PATIATVR.

Hæc autem uerba, QVOD STATVERIT:  
cum effectu accipimus, non uerbotenus. & ideo si cum uellet statuere,  
prohibitus sit, nec effectum decretum habuerit: cessat edictum. nã uer-  
bum STATVIT, rem perfectam significat, & consummatã iniuriam,  
non cœptam. & ideo si inter eos quis dixerit ius, inter quos iurisdictio-  
nem non habuit: quoniam pro nullo hæc habetur, nec est ulla senten-  
tia: cessare edictum putamus. quid enim obsuit conatus, cū iniuria nul-  
lum habuerit effectum?

II. PAVLVS lib. III. ad edictum.

Hoc edicto dolus debet ius dicentis puniri. nam si adsefforis im-  
prudencia ius aliter dictum sit, quàm oportuit: non debet hoc  
magistratui officere, sed ipsi adseffori.

III. VLPIANVS lib. III. ad edictum.

SI quis iniquum ius aduersus aliquem impetrauit: ipse eo iure ita de-  
sum utetur, si per postulationem eius hoc euenerit. cæterum si  
ipso non postulante: non coërcetur. Sed & siue impetrauit, & usus est iu-  
re aliquo: siue impetrauit, ut uteretur, (licet usus non sit) hoc edicto pu-  
nietur. Si procurator meus \*postulauit: quæritur quis eodem iure al's \* im-  
petrauit. & putat Pomponius, me solum uti, si hoc ei specialiter manda-  
uui, uel ratū habui. Si uero tutor uel curator furiosi uel adolescentis po-  
stulauit: ipse hoc edicto coërcetur. Idem aduersus procuratorem obser-  
uandū est, si in rem suã fuerit datus. Hæc pœna aduersus omnẽ, qui  
in edictum incidit, statuitur: non solum eo postulante, qui ab eo laesus  
est: sed omni, qui quandoq; experitur. Si is pro quo spondesti, impe-  
trauit, ne aliquis debitor ipsius aduersus eum exceptione utatur: dein-  
de tu in negotio, in quo spondesti, uelis exceptione uti: nec te, nec  
ipsum oportet hoc impetrare: & si interdum \*patiatur iniuriam, si sol- aliã \* pa-  
uendo debitor non sit. Sed si tu incidisti in edictum: reus quidem ute- tiaris.  
tur exceptione, tu uero non uteris, nec pœna tua ad reum promitten-  
di ptinebit. & ideo mandati actionẽ nõ habebis. Si filius meus in ma-  
gistratu in hoc edictū incidit: an in ijs actionib9, quas ex psona eius intẽ-  
to, huic edicto loc9 sit: & nõ puto, ne mea cõditio deterior fiat. Quod  
ait ait prætor, VT IS EODEM IURE VTATVR: an etiã ad hære-  
dẽ hæc pœna trãsmittat? & scribit Iulianus, non solū ipsi denegari actio-  
nem, sed etiam hæredi eius. Illud quoq; non sine ratione scribit: non  
solū in his actionibus pati eum pœnã edicti, quas tũc habuit, cum incidit  
in edictū: uerū & si quæ postea ei adgrentur. Ex hac causa solutū re-  
peti non posse, Iulianus putat: supesse em̄ naturalẽ causam, quæ repeti-  
tionem

tionē inhiberet.

IIII. CAIVS lib. I. ad edictum prouinc.

**I**llud eleganter prætor excipit: **PRÆTER QVAM SI QVIS EO RVM CONTRA EVM FECERIT, QVI IPSE EORVM QVID FECISSET.** & recte. ne scilicet uel magistratus, dum studet hoc edictum defendere: uel litigator, dum uult beneficio huius edicti uti, ipse in poenam ipsius edicti committat.

**SI QVIS IVS DICENTI NON OB-**  
temperauerit. Tit. III.

VLPIANVS lib. I. ad edictum.



**Q**UONIAM **MNIBVS** magistratibus (non tamen duumuiris) secundum ius potestatis suæ, concessum est iurisdictionem suam defendere poenali iudicio. Is uidetur ius dicenti non obtemperasse, qui quod extremum est in iurisdictione, non fecit. ueluti si quis rem mobilē uindicari à se passus non est, sed duci eam uel ferri passus est. cæterū si & sequentia recusauit, tunc non obtemperasse uidetur. Si procurator tuus, uel tutor, uel curator ius dicenti non obtemperauerit: ipse punitur, non dominus uel pupillus. Non solum autem reū, qui non obtemperauerit, hoc edicto teneri Labeo ait: uerū etiam petitorē. Hoc iudicium non ad id quod interest, sed quanti ea res est, concluditur: & cum meram poenam contineat, neq; post annum, neq; in hæredem datur.

**DE IN IVS VOCANDO.** Tit. IIII.

PAVLVS lib. IIII. ad edictum.



**I**n ius uocare est, iuris experiundi causa uocare.

II. VLPIANVS lib. V. ad edictum.

**I**n ius uocare non oportet, neq; consulem, neq; præfectum, neq; prætorem, neq; proconsulem, neq; cæteros magistratus, qui imperium habent, & qui coërcere aliquem possunt, & iubere in carcerem duci: neq; pontificem, dum sacra facit: nec eos, qui propter loci religionem inde se mouere nō possunt: nec eum, qui equo publico in causa publica transfuehitur. Præterea in ius uocari non debet, qui uxorem ducit: aut quæ nubit. nec iudicē oportet, dū de re cognoscit: nec dū quis apud prætorē causam agit: neq; funus familiare ducentem, iustā uel mortuo facientem. III. CALLISTRATVS lib. I. cognitionum.

**V**el qui cadauer prosequuntur, quod etiam uidetur rescripto: diuorum fratrum comprobatum esse.

Vlpianus

III. VLP IANVS lib. V. ad edictum.

**Q**uicq; litigandi causa necesse habet in iure, uel certo loco fisci: nec furiosos, uel infantes. Prætor ait: PARENTEM, PATRONVM, PATRONAM, LIBEROS, PARENTES PATRONI PATRONÆ VE IN IUS SINE PERMISSV MEO, NE QVIS VOCET. Parentē hic utriusq; sexus accipe. sed an in infinitū, quæritur & quidam usq; ad tritauiū parentem appellari aiūt, superiores maiores dici: hoc ueteres existimasse Pomponius refert. sed Caius Cassius usq; in infinitū omnes parentes dicit: quod & honestius est, & merito obtinuit. Parentes etiā eos accipi Labeo existimat, qui in seruitute susceperunt. nec tantum ( ut \*Seruius dicebat ) ad solos liberos iustos pertinet: sed & alis \*Seuerus in F. si uulgo quæsitus sit filius, matrem in ius non uocabit.

V. PAVLVVS lib. IIII. ad edictum.

**Q**uia certa est, & si uulgo conceperit: pater uero is tantum, quem nuptiæ demonstrant.

VI. IDEM lib. I. sententiarum.

**P**arentes naturales in ius uocare nemo potest. una est enim omnibus parentibus seruanda reuerentia.

VII. IDEM lib. IIII. ad edictum.

**P**atris adoptiui parentes impune uocabit. quoniam hi parētes eius non sunt: cum ipse tantum cognatus fiat, quibus & adgnatus.

VIII. VLP IANVS lib. V. ad edictum.

**A**doptium patrem, quāmdiu in potestate est, in ius uocare non potest: iure magis potestatis, quā præcepto prætoris: nisi sit filius, qui castrense habeat peculium. tunc enim causa cognita permittitur. Sed naturalem parentem, nec quidem dum est in adoptiua familia, in ius uocari licet. PATRONVM, inquit, PATRONAM. Patroni accipiendi sunt, qui ex seruitute manumiserunt: uel qui collusiones detexerunt: uel si præiudicio pronuncietur esse libertus, cum alioqui non fuerit: aut si iurauit eum libertū meum esse. quemadmodum per contrarium pro patrono non habebor, si contra me iudicatum est: aut si me deferente, iurauerit se libertū non esse. Sed si ad iusiurandū adegit, ne uxorē ducat, ne nubat: impune in ius uocabor. & Celsus quidem ait, in tali liberto ius patronatus ad filiū meū me uiuo non transire: sed Iulianus contra scribit, & pleriq; Iuliani sententiam probant. secundū quod eueniet, ut patronus quidem in ius uocetur, filius quasi innocens non uocetur.

IX. PAVLVVS lib. IIII. ad edictum.

**I**s quoq; qui ex causa fideicommissi manumittit, non debet in ius uocari: quāuis, ut manumittat, in ius uocetur.

X. VLP IANVS lib. V. ad edictum.

**S**ed si hac lege emi, ut manumittam, & ex constitutione diui Marci  
 si suis numis emi, & fidem fregi: pro patrono non habebor. Prosti-  
 tuta contra legem uenditionis, uenditorem habebit patronum: si hac  
 lege uenierat, ut si prostituta esset, fieret libera. At si uenditor, qui ma-  
 nus iniectionem excepit, ipse prostituit: quoniam & hæc peruenit ad  
 libertatem: sub illo quidem, qui uendidit, libertatem consequitur: sed  
 honorem haberi ei æquum non esse, Marcellus libro sexto Digesto-  
 rum existimat. Patronum autem accipimus, etiam si capite minu-  
 tus sit: uel si libertus capite minutus sit, dum adrogaretur per obrepro-  
 nē. cum em hoc ipso, quod adrogatur, cælat conditionem: nõ id actum  
 uidet, ut fieret ingenuus, sed & si ius anulorum accepit: puto eū reueren-  
 tiã patrono exhibere debere, quãuis oĩa ingenuitatis munia habeat. ali-  
 quis natu uel est, si natalibus sit restitutus. nam princeps ingenuũ facit. Qui ma-  
 ralib9. in numittitur à corpore aliquo, uel collegio, uel ciuitate: singulos in ius uo-  
 Flox. cabit. nam non est illorum libertus, sed reipublicæ honorem habere de-  
 bet: & si aduersus rempublicam, uel uniuersitatem uelit experiri, ueni-  
 am edicti petere debet, quamuis actorem eorum constitutum in ius sit  
 uocaturus. LIBEROS, PARENTES, PATRONI, PATRO-  
 NAE'VE, utriusq; sexus accipere debemus. Si per pœnam deportatio-  
 nis ad peregrinitatem redactus sit patronus, putat Pomponius eū ami-  
 sisse honorem: sed si restitutus fuerit, fore ei etiã huius edicti commo-  
 diũ saluũ. \*Parentes etiã patroni adoptiui excipiuntur: sed tam diu, q̃  
 ni etiã pa- diu adoptio durat. Si filius meus in adoptionem datus sit, uocari à li-  
 rēis. et ita berto meo in ius non poterit: sed nec nepos in adoptiua familia susce-  
 quoz; Ac- ptus. Sed si filius meus emãcipatus adoprauerit filium: hic nepos in ius  
 sur. legit. uocari poterit. nam mihi alienus est. Liberos autem secundum Cassi-  
 um (ut in parentibus) & ultra trinepotem accipimus. Si libera ex  
 patrono fuerit enixa: mutuo se ipsa & filius eius in ius non uocabunt.  
 Sin autem liberi patroni capitis accusauerunt libertum paternum, uel  
 in seruitutē petierunt: nullus honor eis debetur. Prator ait. IN IUS  
 SINE PERMISSV MEO NE QVIS VOCĒT. permissurus enim  
 est, si famosa actio non sit, uel pudorem nõ suggillat, qua patronus con-  
 uenitur, uel parentes. & totum hoc caussa cognita debet facere. nam in-  
 terdum etiam ex caussa famosa (ut Pedius putat) permittere debet, pa-  
 tronum in ius uocari à liberto: si eum grauissima iniuria affecit, flagel-  
 lis forte cecidit. Semper autem hunc honorem patrono habendum:  
 & si quasi tutor, uel curator, uel defensor, uel actor interueniat patro-  
 nus. sed si patroni tutor, uel curator interueniat: in p̃pune posse eos in ius  
 uocari, Pomponius scribit, & uerius est.

XI. PAVLVS lib. IIII. ad edictum.

**Q**uamuis non adijciat prætor, causa cognita, se pœnale iudicium daturum: tamen Labeo ait, moderandam iurisdictionem, si pœniteat libertum, & actionem remittat: uel si patronus uocatus non ueniat, aut non inuitus uocatus sit: licet edicti uerba non pariantur.

XII. VLP IANVS lib. V. ad edictum.

**S**i libertus in ius uocauerit contra prætoris edictum filiū patroni sui, quem ipse patronus in potestate habet: probandum est, absente patre, subueniendum esse filio, qui in potestate est: & ei pœnalem in factum actionem, id est, quinquaginta aureorū aduersus libertum competere.

XIII. MODESTINVS lib. X.  $\omega\alpha\upsilon\delta\epsilon\kappa\tau\omega\mu$ .

**G**eneraliter eas psonas, quibus reuerentia præstanda est, sine iussu prætoris in ius uocare non possumus.

XIIII. PAPINIANVS lib. I. responsorum.

**L**ibertus à patrono reus constitutus, qui se defendere paratus, pro tribunali præsidem prouinciæ frequenter interpellat: patronum accusatorem in ius uocare non uidetur.

XV. PAVLVS lib. I. questionum.

**L**ibertus aduersus patronum dedit libellum, non dissimulato, se libertum eius esse. an si ad desiderium eius rescribatur, etiā remissa edicti pœna esse uideatur? Respondi, non puto ad hunc casum edictum prætoris pertinere. neq; enim qui libellum principi uel præsidi dat, in ius uocare patronum uidetur.

XVI. IDEM lib. II. responsorum.

**Q**uæsitum est, an tutor pupilli nomine patronam suam sine permissu prætoris in ius uocare possit? Respondi eum, de quo queritur, pupilli nomine etiam patronam suam in ius uocare potuisse, sine permissu prætoris.

XVII. IDEM lib. I. sententiarum.

**E**um, pro quo quis apud officium cauit, exhibere cogitur. Item qui apud acta exhibiturum se esse quem promisit: & si officio non caueat, ad exhibendum ramen cogitur.

XVIII. CAIVS lib. I. ad L. duodecim tabularum.

**P**leriq; putauerunt, nullum de domo sua in ius uocari licere, quia domus tutissimum cuiq; refugium atq; receptaculum sit: eumq; qui inde in ius uocaret, uim inferre uideri.

XIX. PAVLVS lib. I. ad edictum.

**S**atisq; pœnæ subire eum, si non defendatur & latitet. Certum enim est, quod mittitur aduersarius in possessionem bonorum eius. Sed si aditū ad se præstet, aut ex publico cōspiciatur: recte in ius uocari eū Iulianus ait.

XX. CAIVS lib. I. ad L. XII. tabul.

**S**ed etiam à uinea, & balneo, & theatro nemo dubitat in ius uocare  
 Slicere.

XXI. PAVLVS lib. I. ad edictum.

**S**ed & si is, qui domi est, interdum uocari in ius potest: tamen de do-  
 mo sua nemo extrahi debet.

XXII. CAIVS lib. I. ad L. XII. tabul.

*als \* Neq; impuberes neq; puellas, qui alie no iuri subiecti essent*  
**N**eq; impuberes puellas, quæ alieno iuri subiectæ sunt, in ius uo-  
 care permiffum est. Qui in ius uocatus est, duobus casibus di-  
 mittendus est: si quis eius personam defendat: & si, dum in ius uenitur,  
 de ea re transactum fuerit.

XXIII. MARTIANVS lib. III. Institutionum.

**C**ommunis libertus (licet plurium sit) debet à prætorè petere: ut ei  
 liceat uel quendam ex patronis suis uocare, ne in pœnam incidat  
 ex edicto prætoris.

XXIIII. VLPPIANVS lib. I. ad edictum.

**I**n eum, qui aduersus ea fecit, quinquaginta aureorum iudicium da-  
 tur: quod neq; hæredi, neq; in hæredem, nec ultra annum datur.

XXV. MODESTINVS lib. I. de pœnis.

**S**i sine uenia edicti impetrata, libertus patronum in ius uocauerit: ex  
 querela patroni uel quinquaginta aureorum pœnam dat: uel à præ-  
 fecto urbi quasi inofficiosus castigatur, si inopia dignoscitur laborare.

IN IUS VOCATI UT EANT, VEL  
 satis dent. Tit. V.

PAVLVS lib. I. ad edictum.



Dicto cauetur, ut fideiussor iudicio sistendi causa datus,  
 pro rei qualitate locuples detur: exceptis necessarijs per-  
 sonis. ibi enim qualemcunq; accipi iubet. ueluti pro pa-  
 rente, uel pro patrono.

II. CALLISTRATVS lib. I. ad edictum monitoriũ.

**I**tem pro patrona, liberis uel suis, uel uxore, nuptiæ. tunc enim qualif  
 cunq; fideiussor accipi iubetur: et in eum, qui non accepit, cum sci-  
 ret eam necessitudinem personarum: quinquaginta aureorum iudici-  
 um competit.

III. PAVLVS lib. III. ad edictum.

**Q**uoniam pro locuplete accipit fideiussor in necessarijs personis.

IIII. VLPPIANVS lib. V. ad edictum.

**Q**ui duos homines in iudiciũ sisti promissit: si alterũ exhibeat, alter-  
 rum nõ: ex promissione nõ uidet eos stitisse, cũ alter eorũ nõ sit  
 exhi. itus. Si

## SI QVIS IN IUS VOCATVS NON IERIT:

siue per eū cauerit, per quem ex edicto non debuit.

Tit. VI.

VLPIANVS lib. I. ad edictum.



I quis in ius uocatus, fideiussorem dederit iudicio sistendi causa, nō suppositum iurisdictioni illius, ad quem uocatus est: pro non dato fideiussor habetur, nisi suo priuilegio specialiter renunciauerit.

II. PAVLVS lib. I. ad edictum.

EX quacūq; causa ad prætorem uel alios, qui iurisdictioni præsumunt in ius uocatus, uenire debet: ut hoc ipsum sciatur, an iurisdictione eius sit. Si quis in ius uocatus non ierit: ex causa à cōpetente iudice multa pro iurisdictione iudicis damnabitur. rusticitati enim hominis parcendum erit. Item si nihil interfit actoris, eo tempore in ius aduersariū uenisse, remittit prætor pœnam, puta quia dies feriatu s fuit.

III. VLPIANVS lib. XLVII. ad Sabinum.

CVm quis in iudicium sisti promisit, neq; adiecit pœnam, si statum non esset: incerti cum eo agendum esse, in id quod interest, uerissimum est. & ita quoq; Celsus scribit.

## NE QVIS EVM, QVI IN IUS VOCABI

tur, ui eximat.

Tit. VII.

VLPIANVS lib. V. ad edictum.



OC edictum prætor proposuit, ut metu pœnæ compesceret eos, qui in ius uocatos ui eripiūt. Deniq; Pomponius scribit, serui quoq; nomine noxale iudicium reddendum: nisi sciente domino id fecerit. tunc enim sine noxæ dedicatione iudicium suscipiet. Ofilius putat, locum huic edicto non esse: si persona, quæ in ius uocari non potuit, exempta est: ueluti patrens, patronus, cæteraq; personæ. quæ sententia mihi uidetur uerior. & sanè si deliquit, qui uocat: nō deliquit, qui patronū ui exemit.

II. PAVLVS lib. III. ad edictum.

NAm cum uterq; contra edictum faciat: & libertus, qui patronum uocat, & is qui patronum ui eximit: deteriore tamen loco libertus est, qui in simili delicto petitoris partes sustinet. Eadem æquitas est in eo, qui aliò, quàm quò debuerat, in ius uocabatur. Sed & fortius dicendum est, non uideri eum ui eximi, cui sit ius ibi non conueniri.

III. VLPIANVS lib. V. ad edictum.

QVod si quis seruū exemit in ius uocatū, Pedius putat cessare edictū: quā nō fuerit psona, quæ i ius uocari potuit. quid ergo, ad exhibendū erit

erit agendum. Si quis ad pedaneum iudicem uocatum eximat, poena huius edicti cessabit. Quod prætor præcepit, VI EXIMAT: an & do lo malo: sufficit ui, quamuis dolus malus cesset.

III. PAVLVS lib. III. ad edictum.

**S**ed eximendi uerbum generale est, ut Pomponius ait. eripere enim est, de manibus auferre per raptum: eximere quoquo modo auferre. ut puta si quis non rapuerit quem, sed moram fecerit, quo minus ius ueniret, ut actionis dies exiret, uel res tempore amitteretur: uidebitur exemisse, quamuis corpus non exemerit. Sed & si eò loci detinuerit, nec abduxerit, ijs uerbis tenetur. Item si quis eum, qui per calumiam uocabatur, exemerit: constat eum hoc edicto teneri. Prætor ait: NE VE DOLO MALO FACIAT, QVO MAGIS EXIMATVR. nam & sine dolo malo potest id fieri: ueluti cum iusta causa est exemptionis.

V. VLPPIANVS lib. V. ad edictum.

**S**i per alium quis exemerit, hac clausula tenetur, siue præsens fuit, siue absens. In eum autem, qui ui exemit, in factum iudicium datur: quo non id continetur, quod in ueritate est: sed quanti ea res est ab actore æstimata, de qua cõtrouersia est. hoc enim additum est, ut appareat: etiam si calumniator quis sit: tamen hanc poenam eum persequi.

Docere autem debet quis, per hanc exemptionem factum, quo minus in ius produceretur. Cæterum si nihilominus productus est, cessat poena: quoniam uerba cum effectu sunt accipienda. Hoc iudicium in factum est: & si plures deliquerint, in singulos dabitur: & nihilominus manet, qui exemptus est, obligatus. Hæredibus autem ita dabitur, si eorum inter sit: nec autem in hæredem, nec post annum dabitur.

VI. IDEM lib. XXV. ad edictum.

**I**s qui debitorem ui exemit, si soluerit, reum nõ liberat. quia poenam suam soluit.

QVI SATISDARE COGANTVR, VEL IURATO promittant, uel suæ promissioni cõmittantur. Tit. VIII.

CAIUS lib. V. ad edictum prouinciale.



**S**atisfactio eodẽ modo appellata est, quo satisfactio. nam ut satisfacere dicimur ei, cuius desiderium implemus: ita satisfdare dicimur aduersario nostro, cum p eo, quod à nobis petit, ita cauemus, ut eum hoc nomine securi faciamus, datis fideiussoribus.

II. VLPPIANVS lib. V. ad edictum.

**F**ideiussor iudicio sistendi causa, locuples iubetur dari, non tantum in factis

in facultatibus, sed etiam ex conueniendi facilitate. Si quis ijs personis, quæ agere non potuerunt, fideiufforem iudicio sistendi causa dederit: frustra erit datio. Prætor ait: SI QVIS PARENTEM, PATRONVM., PATRONAM, LIBEROS, AVT PARENTES PATRONI, PATRONAE, LIBEROS VÈ SVOS, EVM VÈ, QVEM IN POTESTATE HABEBIT, VEL VXOREM, VEL NVRVVM IN IUDICIVM VOCABIT: QVALISCVNQVE FIDEIVSSOR IUDICIO SISTENDI CAVSSA ACCIPIATVR. Quod ait prætor, LIBEROS VÈ SVOS: accipimus & ex foemineo sexu descendentes liberos. Parenti quidem dabimus hoc beneficium, non solum si sui iuris, sed etiã si in potestate sit alterius. hoc enim Põponius scribit. Et si alius fideiuffor pro patre fieri potest, etiam si in alterius potestate sit. NVRVVM: & pronurũ, & deinceps accipere debemus. Quod ait prætor: QVALISCVNQVE FIDEIVSSOR ACCIPIATVR: hoc quantum ad facultates, id est etiam nõ locuples. In fideiufforem, qui aliquem iudicio sisti promiserit: tanti, quanti ea res erit, actionem dat prætor. quod utrum veritatem contineat, an uero quantitatem uideamus. & melius est, ut in ueram quãtitatem fideiuffor teneatur: nisi pro certa quantitate accessit.

III. CAIVS lib. V. ad edictum prouinciale.

Sive in duplum est actio, siue tripli, siue quadrupli: tanti eundem fideiufforẽ\* omni modo teneri dicemus, quãti res esse intelligemus. als \* solũ modo.

IIII. PAVLVS lib. IIII. ad edictum.

SI decesserit, qui fideiufforem dedit iudicio sistendi causa: non debet prætor iubere exhiberi eum. Quod si ignorãs iusserit exhiberi, uel post decretum ei9 ante diem exhibitionis decesserit: denegãda erit actio. Si autem post diem exhibitionis decesserit, aut amiserit ciuitatem: utiliter agi potest.

V. CAIVS lib. V. ad edictum prouinciale.

SI uero pro condemnato fideiusserit, & condemnatus decesserit, aut ciuitatem Romanam amiserit: recte nihilo minus cum fideiuffore eius agetur. Qui pro rei qualitate euidentissime locupletem, uel (si dubitetur) adprobatum fideiufforem iudicio sistendi causa non accipit: aduersus eum iniuriarum actio esse potest. quia sanẽ non qualibet iniuria est, duci in ius eum, qui satis idoneũ fideiufforem det. Sed & ipse fideiuffor, qui non sit acceptus, tanq̃ de iniuria sibi facta queri poterit.

VI. PAVLVS lib. LV. ad edictum.

QVoties uiciose cautum uel satisdatum est, non uidetur cautum.

VII. VLPIANVS lib. XIII. ad edictum.

SI fideiuffor nõ negetur idoneus, sed dicatur habere fori præscriptio-  
nem:

nem: & metuat petitor, ne iure fori utatur: uidendum, quid iuris sit. & diuus Pius (ut Pomponius libris epistolarum refert, & Marcellus libro tertio digestorum, & Papinianus libro tertio quaestionum) Cornelio Proculo rescripsit, merito petitorem recusare talem fideiussorem. sed si aliâs caueri non possit: prædicendum ei, non usurum eum priuilegio, si conueniatur. Si necessaria satisfactio fuerit, & nõ facile possit reus eam ibi præstare, ubi conuenitur: potest audiri, si in alia eius prouinciae ciuitate satisfactionem præstare paratus sit. Si autem satisfactio uoluntaria est, non in alium locum remittitur. nec enim meretur, qui ipse sibi necessitatem satisfactionis imposuit. Si satisfactum pro re mobili non sit, & persona suspecta sit, ex qua datio desideratur: apud officium deponi debet (si hoc iudici federit) donec uel satis detur, uel lis finem accipiat.

VIII. PAVLVVS lib. XLIII. ad edictum.

**D**E die ponenda in stipulationem, solet inter litigatores conueniri. si non conueniat: Peditus putat, in potestate stipulatoris esse, moderato spacio de hoc à iudice statuendo. Qui mulierem adhibet ad satisfaciendum, non uidetur cauere. Sed nec miles, nec minor uiginti quinque annis probandi sunt: nisi hæ personæ in rem suam fideiubeant, ut pro suo procuratore. Quidam etiam aiunt, si à marito fundus dotalis peratur, in rem suam fideiussuram mulierem. Si seruus inueniatur, qui antequam iudicium acciperetur, fideiussit iudicatum solui: succurrendum est actori, ut ex integro caueatur. Minori quoque uiginti quinque annis succurrendum est: fortasse & mulieri, propter imperitiam. Si fideiussor iudicatum solui, stipulatori hæres existit, aut stipulator fideiussori: ex integro cauendum erit. Tutor & curator, ut rem saluam fore pupillo caueant, mittendi sunt in municipium: quia necessaria est satisfactio. Item de restituenda domino proprietate, is cui usufructus datus est. Item legatarius, ut caueat euicta hæreditate legata reddi, & quod amplius quam per legem Falcidianam cepit. Hæres quoque, ut legatorum satisfacet, audiendus est, ut in municipium remittatur. Planè si missus iam legatario in possessionem, cum per hæredem stetisset, quò minus caueret: hæres postulet, ut possessione decedat, paratumque se dicat in municipio cauere: impetrare non debet. Diuersum, si sine culpa aut dolo hæredis missus sit in possessionem. Iubetur iurari de calumnia, ne quis uexandi magis aduersarij causa forsitan, cum possit Romæ satisfacere, in municipium euocet. Sed quibusdam hoc iusiurandum de calumnia remittitur: ueluti parentibus, & patronis. Sic autem iurare debet, qui in municipium remittitur: Romæ se satisfacere non posse, & ibi posse, quò postulat remitti

mitti: idque se non calumniae causa facere. Nam sic non est compellendus iurare: alibi se, quam eo loco, satisfacere non posse. quia si Roma non posset, pluribus autem locis posset: cogeret peierare. Hoc autem impetrabitur, cum iusta causa esse uidebitur. quid enim, si, cum erat in municipio, noluit cauere? hoc casu non debet impetrare: cum per eum steterit, quo minus ibi, ubi desiderat, satisfaceret.

IX. CAIVS lib. V. ad edictum provinciale.

**A**rbitro ad fideiussores probandos constituto, si in alterutram partem iniquum arbitrium uideatur, perinde ab eo, atque à iudicibus, appellare licet.

X. PAVLVS lib. LXXXV. ad edictum.

**S**i arbitro probati sunt fideiussores, pro locupletibus habendi sunt: cum potuerit querela apud competentem iudicem deferri. Qui ex causa improbat ab arbitro probatos, aliàs improbatos, pbat. Multoque magis, si sua uoluntate accipit fideiussores, contentus ijs esse debet. Quod si medio tempore calamitas fideiussoribus insignis, uel magna inopia acciderit, causa cognita, ex integro satisfaciendum erit.

XI. VLP IANVS lib. LXXXVIII. ad edictum.

**I**ulianus ait: si antequàm mandarem tibi, ut fundum peteres, satis acceperis, petiturus fundum: & postea mandatu meo agere institueris: fideiussores teneri.

XII. IDEM lib. LXXXVII. ad edictum.

**I**nter omnes conuenit, hæredem sub conditione possidentem hæreditatem, substituto cauere debere de hæreditate: & si defecerit conditio, hæreditatem ad eundem substitutum & petere hæreditatem posse, & si obtinuerit, committi stipulationem. Et plerumque ipse prætor, & ante conditionem existentem, & ante diem petitionis uenientem, ex causa iubere solet stipulationem interponi.

XIII. PAVLVS lib. LXXXV. ad edictum.

**S**ed & si plures substituti sint, singulis cauendum est.

XIIII. IDEM lib. II. responsorum.

**F**ilius familias defendit absentem patrem. quæro, an iudicatum solui satisfacere debeat? PAVLVS respondit, eum qui absentem personam defendit: etiam si filius, uel pater sit: satisfacere petitori ex forma edicti debere.

XV. MACER lib. I. de appellationibus.

**S**ciendum est possessores immobilium rerum satisfacere non compelli. Possessor autem is accipiendus est, qui in agro uel ciuitate rem soli possidet, aut ex asse, aut pro parte. Sed & qui uestigialem, uel emphyteuticum agrum possidet, possessor intelligitur. Item qui solam

h ij proprie

proprietatem habet, possessor intelligendus est. Eum uero, qui tantum usum fructum habet, possessorem non esse Vlpianus scripsit. Creditor, qui pignus accepit, possessor non est: tam & si possessionem habeat, aut sibi traditam, aut precario debitori concessam. Si fundus in dotem datus sit: tam uxor, quam maritus, propter possessionem eius fundi, possessores intelliguntur. Diuersa est causa eius, qui fundi petitionem personalem habet. Tutores: siue pupilli eorum, siue ipsi possideant: possessorum loco habentur. Sed & si unus ex tutoribus possessor fuerit, idem dicendum erit. Si fundum, quem possidebam, a me petieris: deinde cum secundum te esset iudicatum, appellauerim: an possessor eiusdem fundi sim: & recte dicitur, me possessorem esse, quia nihilominus possideo. nec enim ad rem pertinet, quod euinciat possessio possit. Possessor autem quis, nec ne sit: tempus cautionis spectandum est. nam sicut ei, qui post cautionem uendit, nihil obest: ita nec prodest ei, qui post cautionem possidere cepit.

XVI. PAVLVVS lib. VI. ad edictum.

**Q**ui iuratio promissit iudicio sisti: non uideatur peierasse, si ex concessa causa hoc deseruerit.

SI EX NOXALI CAUSSA AGATUR, QVEM  
admodum caueatur. Tit. IX.

VLPIANVS lib. VII. ad edictum.

**S**i quis eum, de quo noxalis actio est, iudicio sisti promissit: praetor ait, IN EADEM CAUSSA EVM EXHIBETO, IN QVA TVNC EST, DONEC IUDICIUM ACCIPIATUR. IN EADEM CAUSSA quid sit, uideamus. & puto eum uerius in eadem causa sistere, qui ad experiendum non facit ius actoris deterius. Si desinat seruus esse promissoris, uel actio amissa sit: non uideri in eadem causa statum. Labeo ait. ueluti nec si qui pari loco erat in litigando, coeperit esse duriore: uel loco, uel persona mutata. Itaque si ei, qui in foro promissoris conueniri non potest, uenditus, aut potentiori datus sit: magis esse putat, ut non uideatur in eadem causa sisti. Sed & si noxae deditus sit, Ofilius non putat in eadem causa sisti: cum noxae deditio, caeteris noxalem actionem perimi putet.

II. PAVLVVS lib. VI. ad edictum.

**S**ed alio iure utimur. nam ex praecedentibus causis non liberatur noxae deditus. perinde enim noxa caput sequitur, ac si uenisset. Si absens sit seruus, pro quo noxalis actio alicui competit: si quidem dominus

nus non negat, in sua potestate esse: compellendum putat Vindius, uel iudicio eum sisti promittere, uel iudicium accipere: aut si nolit defendere, cautum, cum primum poterit, se exhibiturum. Si uero falso neget in sua potestate esse: suscepturum iudicium sine noxæ deditioe. Idem Iulianus scribit, & si dolo fecerit, quo minus in eius esset potestate. Sed si seruus præsens est, & dominus abest, nec quisquam seruum defendit: ducendus erit iussu prætoris. sed causa cognita, domino postea dabitur defensio ( ut Pomponius & Vindius scribunt ) ne ei absentia sua noceat. Ergo actori actio restituenda est, perempta eo, quod ductus seruus in bonis eius esse cœperit.

III. VLP IANVS lib. VII. ad edictum.

**S**I cum usufructuario noxali iudicio agetur, isq; seruum non defendit: denegatur ei per prætorem usufructus persecutio.

IIII. CAI VS lib. VI. ad edictum provinciale.

**S**I cum uno ex dominis noxali agetur: an pro parte socij satisfacere debent? Sabinus ait, non debere. quia quodammodo totum suum hominẽ defendere debeat, cui in solidum defendẽdi necessitas est: nec audiatur, si pro parte paratus sit defendere.

V. VLP IANVS lib. XLVII. ad Sabinum.

**S**I seruum in eadem causa sistere quis promiserit, & liber factus sistatur: si de ipso controuersia est, capitalium actionum iniuriarumq; nomine, non recte sistitur. quia aliter de seruo supplicio & uerberibus satisficit: aliter de libero uindicta sumitur, uel condemnatio pecuniaria. Quod autem ad cæteras noxales causas pertinet: etiam in meliorem causam uidetur peruenisse.

VI. PAVLVS lib. XI. ad Sabinum.

**S**ed si statu liberum sisti promissum sit: in eadẽ causa sisti uidetur, quamuis liber sistatur: quod implicitus ei casus libertatis fuerit.

DE EO, PER QVEM FACTVM ERIT, QVO minus quis in iudicio sistat. Tit. X.

VLP IANVS lib. VII. ad edictum.



Equissimum putauit prætor, dolum eius coërcere, qui impedit aliquem iudicio sisti. Fecisse autem dolo malo non tantum is putatur, qui suis manibus uel per suos retinuit: uerum qui alios quoq; rogauit, ut eum detinerent, uel abducerent, ne iudicio sisteret: siue scientes, siue ignorant, quid esset, quod cõminisceretur. Dolum autem malũ sic accipimus: ut si quis uenienti ad iudicium aliquid pronunciauerit tri-  
h iij ste, pro-

ste, propter quod is necesse habuerit ad iudicium non uenire: teneatur ex hoc edicto. quamuis quidam putent, sibi eum imputare, qui creditus fuerit. Si reus dolo actoris non stiterit, non habebit aduersus eum ex hoc edicto actionem: cum contentus esse possit exceptione, si ex stipularum conueniatur de poena, quod ad iudicium non uenerit: aliter atque si ab alio sit impeditus. nam actionem propositam aduersus eum exercebit.

Si plures dolo fecerint, omnes tenentur: sed si unus praestiterit poenam, caeteri liberabuntur, cum nihil intersit. Serui nomine ex hac causa noxali iudicio agendum, omnes consentiunt. Et haeredi datur, sed non ultra annum: aduersus autem haeredem, haecenus puto dandam, ut ex dolo defuncti haeres non lucretur.

II. PAVLVVS lib. VI. ad edictum.

SI actoris seruus domino sciente, et (cum possit) non prohibente, dolo fecerit, quo minus in iudicio sistam: Ofilius danda mihi exceptio nem aduersus dominum ait, ne ex dolo serui dominus lucretur. Si uero sine uoluntate domini seruus hoc fecerit: Sabinus ait noxale iudicium dandum, nec factum serui domino obesse debere: nisi haecenus, ut ipso careat, quando ipse nihil deliquit.

III. IVLIANVS lib. II. digestorum.

EX hoc edicto aduersus eum, qui dolo fecit, quo minus quis in iudicium uocatus sistat: in factum actio competet, quanti actoris interfuit eum sisti. In quo iudicio deducitur, si quid amiserit actor ob eam rem: ueluti si reus tempore dominium rei interim sibi adquirat, aut actione liberatus sit. Plane si is, qui dolo fecit, quo minus in iudicio sistatur, soluendo non fuerit: nequam erit, aduersus ipsum reum restitutoriam actionem competere: ne propter dolum alienum reus lucrum faciat, & actor damno adficiatur. & si stipulator dolo Titij, & promissor dolo Mauij impeditus fuerit, quo minus iudicio sistatur: uterque aduersus eum, cuius dolo impeditus fuit, actione in factum experietur. Sed si stipulator dolo promissoris, & promissor dolo stipulatoris impeditus fuit, quo minus ad iudicium uenirent: neutri eorum praetor succurrere debet, ab utraque parte dolum dolo compensando. Si a fideiussore quinquaginta stipulatus fuero, si in iudicium reus non uenerit, petitur a reo centum: & dolo Sempronij factum fuerit, ne in iudicium reus ueniat: centum a Sempronio consequar. tanti enim mea interfuisse uideatur. quia si uenisset in iudicium, actio mihi centum aduersus eum, uel haeredem eius competebar: licet fideiussor minorem mihi summam promiserit.

SI QVIS CAUTIONIBVS IN IUDICIO

sistendi causa factis, non obtemperauerit.

Titulus XI.

CAIVS lib. I. ad edictum prouinciale.

**M**ilena milia passuum in singulos dies dinumerari prætor iubet: præter eum diem, quo cautum promittitur, & in quem sistere in iudicium oportet. nam sanè talis itineris dinumeratio neutri litigarorum onerosa est.

II. VLP IANVS lib. LXXIII. ad edictum.

**N**on exigimus reum iudicio sisti: si de negotio, propter quod iudicio sisti promiserit, fuerit transactum. Sed hoc ita, si modo prius id negociū transactum fuit, quàm sisti oporteret. cæterū si postea transactum est: exceptio doli opponi debet. Quis enim de pœna \*promissa

als\* promissi.

laboret post negocium transactum: cum transacti negocij exceptione putauerit quis nocere, quasi etiam de pœna transactum sit: nisi contrariū specialiter partibus placuerit. Si quis municipalis muneris causa, sine dolo malo suo impeditus, in iudicio secundum suam promissionem non stitit: æquissimum est, ei exceptionem tribui. Simili modo, & si ad testimonium desideratus, ad iudicium occurrere non potuit: erit ei subueniendum. Si quis in iudicio se sisti promisit: & ualetudine, uel tempestate, uel ui fluminis prohibitus, se sistere non potuit: exceptione adiuuatur, nec immerito. cū enim in tali promissione præsentia opus sit: quemadmodum potuit se sistere, qui aduersa ualetudine impeditus erat: Et ideo etiam lex duodecim tabularum: si iudex, uel alteruter ex litigatoribus morbo febricitante impediatur: iubet diē iudicij esse diffisum.

Si non propter ualetudinem mulier nō steterit iudicio, sed quod grauida erat, exceptionem ei dandam Labeo ait. Si tamen post partum decubuerit: probandum erit, quasi ualetudine impedita. Idem est & si quis furere cœperit. \*nam qui furore impeditus est, ualetudine impeditur. \*

als\* namq; furore impeditur.

Quod diximus, succurri etiam ei, qui tempestate aut ui fluminis prohibitus, non uenit: tempestatem intelligere debemus, siue marina, siue terrestris sit. tempestatemq; intelligere debemus talem, quæ impedimento sit itineri, uel nauigationi. Vis fluminis etiam sine tempestate accipienda est. Vim fluminis intelligimus: & si magnitudo eius impedimento sit, siue pons solutus sit, uel nauigium non stet. Si quis tamen cum posset non incidere in tempestatem, uel in uim fluminis, si ante profectus esset, uel tempore opportuno nauigasset: ipse se artauerit: nunquid exceptio ei minime proficit? quod quidem causa cognita erit statuendum. Nam neq; sic artandus est, ut possit ei dici: cur nō multo ante profectus es, quàm dies promissionis ueniret? Neq; iterum ei permittendum: si quid sit, quod ei imputetur: causari tempestatem, uel uim fluminis. Quid enim si cū Romæ esset, ipso tēpore promissionis sistendi, nulla necessitate urgente, uoluptatis causa in municipi

um

um profectus sit? nōne indignus est, cui exceptio patrocinetur? Aut quid si tempeftas quidem in mari fuit, terra autem ifte potuit uenire, uel flumen circūire? æque dicendum est, non femper ei exceptionē prodeffe: nifi anguftiæ nō patiebant, terra iter metiri, uel flumē circūire. Si tamen uel flumen fic abundaffet, ut impleffet omnem locum, in quo fiti oportuit: uel aliqua fortuita calamitas eundem locum euertiffet: uel præfentiam uenienti periculofam feciffet: ex bono & æquo etiam hic exceptio ei accōmodanda eft. Simili modo exceptio datur ei, qui cū ad iudicium uenire uolebat, à magiftratu retentus eft, & retentus fine dolo malo ipfius. nam fi ipfe hoc adfectauit, uel cauffam præftitit: non proderit ei exceptio: ac ipfius quidem dolus ei oberit: cæterorum non oberit, qui dolo malo fecerunt, ut retineretur. Sed fi priuatus eum detinuerit: nullo modo proderit hæc exceptio.

**S**ed actio ei datur aduerfus eū, qui eum detinuit, in id quod eius intereft. *III. PAVLVVS lib. LXXIII. ad edictum.*

*III. VLPIANVS lib. LXXIII. ad edictum.*

**S**ed & fi quis rei capitalis ante condemnatus, iudicio fiftere fe nō potuit: merito & huic ignofcitur. Rei capitalis cōdemnatum accipere debemus, qui morte, exiliōue cōcercitus eft. Dixerit aliquis: quo ergo hæc exceptio damnato? refpōdebitur, fideiuffori eius effe neceffarian: aut fi forte in exilium abiit, defensori eius exceptio ifta proderit. Illud sciendū eft: eū, qui idcirco non ftitit, q̄a capitis reus factus eft: in ea cauffa effe, ut exceptione uti non poffit. damnato eū datur. Planē fi uinculis, uel custodia militari impeditus, ideo non ftitit: in ea erit cauffa, ut exceptione utatur. Præterea fi q̄s funere domeftico impeditus, non uenit, debet ei exceptio dari. Item fi quis in feruitute hofitiū fuit, ac per hoc in iudicium non ftitit: debet exceptione adiuuari. Quæfirū eft, an poffit conueniri: ne ulla exceptio in promiffione deferta, iudicio fiftendi cauffa facta, obijciatur? & ait Atilicianus. sed ego puto conuentionē iftam ita ualere: fi fpecialiter cauffæ exceptionē expreffæ fint, quibus à promiffore fponfe renunciatū eft. Item quæritur: fi quis cū iudicio fiftendi cauffa fatifdare non deberet, fatifdatō promiferit: an fideiufforibus eius exceptio detur? puto intereffe: utram per errorem fatifdatō promiffum eft, an ex conuentione. fi per errorem: dandam fideiufforibus exceptionem. fi ex conuentione: minime dandam. Nam & Iulianus fcribit: fi iudicio fiftendi cauffa pluris, quàm statutum eft, per ignorantiam promiffum fuerit: exceptionem dari debere. Si autem ex conuentione tantæ summæ promiffio facta fit: exceptionem pacti conueni replicatione infirmendam.

*V. PAVLVVS lib. LXVIII. ad edictum.*

Si duo

**S**I duo rei stipulādi sint, & uni debitor iudicio se sisti cum pœna promiserit, alter autem impederit: ita demum exceptio aduersus alterum danda est, si socij sint: ne profit ei dolus propter societatem.

Item si duo rei promittendi sint, & unus ad iudicium non uenerit, contempta sua promissione iudicio sistendi causa facta: actor autem ab altero rem petat: ab altero pœnam desertionis petendo, exceptione submouebitur. Aequè si à patre facta fuerit promissio, iudicio sistendi causa, ex filij contractu: deinde de re actor egerit cum filio: exceptione submouebitur, si cum patre ex eius promissione agat. contra idē erit, si filius promiserit, & actor egerit cum patre de peculio.

VI. CAIVS lib. I. ad L. duodecim tabularum.

**S**I quis cū fideiussorē dedit, ideo non steterit, quod reipublicæ causa subfuerit: iniquum est, fideiussorem ob alium sistendi necessitate obligatum esse, cum ipsi liberum esset non sistere.

VII. PAVLVS lib. XIX. ad edictum.

**S**I quis seruum in iudicio sisti promiserit, uel alium, qui in aliena potestate est: isdem exceptionibus utitur, quibus si pro libero, uel patre familias fideiussisset: præterq̄ si reipublicæ causa diceretur abesse. nam seruus reipublicæ causa abesse nō potest. Præter hanc autem exceptionem, cæteræ ( quia communes sunt ) tam in libero homine, q̄ in seruo locum habent.

VIII. CAIVS lib. XXIX. ad edictum provinciale.

**E**T si post tres aut quinq; pluresue dies, quàm iudicio sisti se reus promisit, secum agendi potestatem fecerit: nec actoris ius ex mora deterius factum sit: consequens est dici, defendi eum debere per exceptionem.

IX. VLPPIANVS lib. XX. ad edictum.

**S**I seruus se iudicio sisti promittat: non committitur stipulatio, neq; in eum, neq; in fideiussores eius. Si plurium seruorum nomine, iudicio sistendi causa, una stipulatione promittatur: pœnam quidem integram committi, licet unus status non sit, Labeo ait: quia uerum sit omnes status non esse. uerum si pro rata unius offeratur pœna: exceptione doli usurum eum, qui ex hac stipulatione conuenitur.

X. PAVLVS lib. I. ad Plautium.

**S**I eum iudicio sisti promisero, qui iam tempore liberatus esse dicatur: quamuis forte iam actione non teneatur: actio in me danda est, ut uel exhibeam eum, uel defendam, ut ueritas inquiratur. Homo si sti promissus, ante diē dolo promissoris periit. certo iure utimur, non ante pœnā peti posse, quàm dies promissionis ueniat. tota enim stipulatio in diem collata esse uidetur. Qui iniuriarum acturus, stipulatus erat ante litem contestatam, ut aduersarius suus iudicio sistat: com-

missa stipulatione mortuus est. non competere hæredi eius ex stipulatione actionem placuit: quia tales stipulationes propter rem ipsam dantur. iniuriarum autem actio hæredi non competit. quamuis enim hæc stipulatio, iudicio sistendi causa facta, ad hæredem transeat: tamen in hac causa danda non est. nam & defunctus, si uellet omissa iniuriarum actione, ex stipulatu agere non permetteretur. Idem dicendū est: si is, cum quo iniuriarum agere uolebam, stipulatione tali commissa decesserit. nam non competit mihi, aduersus hæredē ex stipulatu actio: & hoc Iulianus scribit. secundum quod & si fideiussores dati erunt, minime dabitur in eos actio, mortuo reo. Idem Pomponius, si non post longum tempus decesserit. quia si ad iudicium uenisset: litem cum eo contestari actor potuisset.

XI. VLP IANVS lib. XLVII. ad Sabinum.

**S**I quis quempiam iudicio sisti promiserit: in eadem causa eum debet sistere. IN EADEM AUTEM CAUSSA SISTERE, hoc est, sistere, ut auctori persecutio loco deteriore non sit: quamuis exactio rei possit esse difficilior. Licet enim difficilior exactio sit: tamen dicendum est, uideri in eadem eum causa stitisse. Nam & si nouum æs alienum contraxisset, uel pecuniam perdidisset: uideretur tamen in eadem causa stitisse. ergo & qui alij iudicatus sistitur, in eadem causa sisti uideretur.

XII. PAULVS lib. XI. ad Sabinum.

**Q**ui autem nouo priuilegio utitur, non uidetur in eadem causa sisti. Illud tenendum est, æstimationem eius, quod interfit agentis, ad illud tempus referendam, quo sisti debuit: non ad id, quo agitur, quamuis defierit eius interesse.

XIII. IULIANVS lib. LV. Digestorum.

**Q**uoties seruus iudicio sistēdi causa, ut ipse litigaturus, uel ab alio stipulatur, uel ipse promittit: nec committitur stipulatio, nec fideiussores tenentur: quia seruus conueniri, uel conuenire non potest.

XIII. NERATIUS lib. II. membranarum.

**S**i procurator ita stipulatus, ut sistat duntaxat eum, quem stipulatur: non etiam pœnam, si status non esset, stipuletur: propemodum nullius momenti est ea stipulatio. quia procuratoris (quod ad ipsius utilitatem pertinet) nihil interest sisti. Sed cum alienum negocium in stipulando egerit: potest defendi non procuratoris, sed eius cuius negocium gessit, utilitatem in ea respectandam esse: ut quantum domini litis interfuit sisti, tantum ex ea stipulatione, non statim reo, procuratori debeat. Eadem & fortius adhuc dici possunt, si procurator ita stipulatus esset, **QUANTI EA RES ERIT:** ut hanc cōceptionem

ptionē uerborū non ad ipsius, sed ad domini utilitatē relatā interprete-  
mur.

XV. *VLPIANVS lib. III. de omnibus tribunalibus.*

**S**I tutor iudicio sisti promiserit, & stipulationi non obtemperauerit:  
& interea pupillus adoleuerit, aut mortem obierit, aut etiam ab-  
stentus sit hæreditate: denegabitur ex stipulatu actio. nam & ipsius rei,  
quæ petebatur, si tutor iudicatus fuerit. aut eorum quid acciderit: non  
esse dandam in eum actionem iudicati probatum est.

**DE FERIIS, ET DILATIONIBVS, ET DI-**  
uersis temporibus. \* & quibus causis feriæ non im-  
pediantur. Tit. XII.

\* nō habentur in Pan-  
dect. Flo.

*VLPIANVS lib. III. de omnibus tribunalibus.*



**N**E QVIS messium uindemiarumq; tempore aduer-  
sarium cogat ad iudicium uenire, oratione diui Marci  
exprimitur: quia occupati circa rem rusticam, in forum  
compellendi non sunt. Sed si prætor aut per ignorantiam,  
aut socordiā euocare eos perseverauerit, hiq; spon-  
te uenerint: siquidem sententiam dixerit, præsentibus illis, & sponte li-  
tigantibus: sententia ualebit, tam et si non recte fecerit, qui eos euoca-  
uerit. Sin uero cum abesse perseverauerint, sententiam protulerit, eti-  
am absentibus illis: consequens erit dicere, sententiam nullius esse mo-  
menti. neq; enim prætoris factum iuri derogare oportet. Citra igitur  
appellationem sententia infirmabitur. Sed excipiuntur certæ causæ,  
ex quibus cogi poterimus etiam per id temporis, cum messis uinde-  
miæq; sunt, ad prætorē uenire: scilicet si res tempore peritura sit, hoc  
est, si dilatio actionē sit peremptura. Sanè q̄ries res urget, cogendi qui-  
dem sumus ad prætorē uenire: uerum ad hoc tantum cogi æquum  
est, ut lis contestetur: & ita uerbis ipsius orationis exprimitur. deni-  
que alterutro recusante post litem contestatam litigare, dilationem  
oratio concessit.

II. *IDEM lib. V. ad edictum.*

**E**Adem oratione diuus Marcus in senatu recitata effecit, de alijs eti-  
am speciebus prætorē adiri diebus \* feriatis: utputa ut tutores  
aut curatores dentur, ut officia admoneantur, cessantis excusationes  
allegentur, alimenta constituantur, ærates probentur, uentris nomine  
in possessionem mittatur, uel rei seruandæ causa, uel legatorum fi-  
deiū commissorū, uel damni infecti: item de testamentis exhiben-  
dis: & ut curator detur bonorum eius, cui an hæres existurus sit, incer-  
tum est: aut de alendis liberis, parentibus, patronis: aut de adeunda su-

\* feriaticis.  
in Flor. &  
alijs.

specta hæreditate: aut ut ad spectu atrox iniuria æstimetur: uel sicui fidei commissaria libertas præstanda est.

III. IDEM lib. II. ad edictum.

**S**olet etiam messis uindemiarumq; tēpore ius dici rebus, quæ tempore uel morte periturae sunt. morte: ueluti furti, damni iniuriarum, iniuriarum atrocium: quod de incendio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata rapuisse dicentur: & si quæ similes sunt. Item si res tempore periturae sunt, aut actionis dies exiturus. Liberalia quoq; iudicia omni tempore finiuntur. Item in eum, qui quid nundinarum nomine aduersus communem utilitatem accepit, omni tempore ius dicitur.

III. PAVLVVS lib. I. ad edictum.

**P**ræsides prouinciarum ex consuetudine cuiusq; loci solent messis uindemiarumq; causa tempus statuere.

V. VLPPIANVS lib. LXII. ad edictum.

**P**ridie calendas Ianuarias magistratus neq; ius dicere, sed nec sui potestatem facere consuerunt.

VI. IDEM lib. LXXVII. ad edictum.

**Q**uid si feriatibus diebus fuerit iudicatum? lege cautum est, ne ijs diebus iudicium sit, nisi ex uoluntate partium: & si aliter aduersus ea iudicium erit, ne quis iudicatum facere, nèue soluere debeat: neu quis, ad quem de ea re in ius aditum erit, iudicatum facere cogat.

VII. IDEM lib. I. de off. proconsulis.

**O**ratione quidem diui Marci, amplius quàm semel, non esse dandam instrumentorum dilationem, expressum est: sed utilitatis litigantium gratia, causa cognita iterum dilatio tam ex eadem, quàm ex alia prouincia, secundum moderamen locorum \*impertiri solet: & maxime, si aliquid inopinatum emergat. Illud uidendum: si defunctus aliquam dilationem acceperit propter instrumenta, an successori quoq; eius dari debeat: an uero, quia iam data est, amplius dari non possit: & magis est, ut hic causa cognita dari debeat.

VIII. PAVLVVS lib. XIII. ad Sabinum.

**M**ore Romano dies à media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur. ita quidquid in ijs uiginti quatuor horis, id est, duabus dimidiatis noctibus, & luce media actum est: perinde est, quasi qualibet hora lucis actum esset.

IX. VLPPIANVS lib. VII. de off. proconsulis.

**D**iuus Traianus \*Minitio Natali rescripsit, ferias à forensibus tantum negocijs dare uacationem: ea autem, quæ ad disciplinam militarem pertinerent, etiam feriatibus diebus peragenda: interq; ea custodiarum quoq; cognitionem esse.

Paulus

X. PAVLVS lib. V. sententiarum.

**I**N pecuniarijs causis omnibus dilatio singulis causis plus semel tribui non potest: in capitalibus autem reo tres dilationes, accusatori duæ dari possunt: sed utrunq; causa cognita.

## DE EDENDO. Tit. XIII.

VLPIANVS lib. IIII. ad edictum.



**Q**VA quisq; actione agere uolet, eam prius edere debet, nã æquissimũ uidetur, eum qui acturus est, actionem edere: ut p inde sciat reus, utrũ cedere, an contendere ultra debeat: & si contendendum putet, ueniat instructus ad agendum, cognita actione, qua conueniatur. Edere est copiam describendi facere, uel in libello complecti & dare, uel dictare. Eum quoq; edere Labeo ait, qui producat aduersarium suum ad album, & demonstrat, quid dictaturus sit, uel id dicendo, quo uti uelit. **EDITIOES SINE DIE ET CONSULE FIERI DEBENT. NE QUID EXCOGITETVR, AVT PROLATO DIE FIAT.** Diem autem & consulem excepit prætor, quo instrumentum conscriptum est, non in quem solutio concepta est. Nam dies solutionis, sicuti summa, pars est stipulationis. Rationes tamen cum die & consule edebent: quoniã accepta & data non aliàs possunt apparere, nisi dies & consul fuerit editus. Edenda autem sunt omnia, quæ quis apud iudicem editurus est: nõ tamen ut instrumenta, quibus quis usurus non est, compellatur edere. Edere non uidetur, qui totam stipulationem non edit. Eis qui ob ætatem, uel rusticitatem, uel ob sexum lapsi, non ediderunt, uel ex alia iusta causa: subuenietur.

II. PAVLVS lib. III. ad edictum.

**S**ilegatum petatur, nõ iubet prætor uerba testamenti edere: ideo forstasse, quia hæredes solent habere exemplum testamenti.

III. MODESTINVS lib. II. de pœnis.

**S**enatus censuit, ne quisquam eorum, à quibus quid à fisco petitur, alia instrumenta delatori cogatur edere, quàm quæ ad eam causam pertinerent, ex qua se deferre professus esset.

III. VLPIANVS lib. IIII. ad edictum.

**P**rætor ait: **ARGENTARIAE MENSÆ EXERCITORES RATIONEM, QUÆ AD SE PERTINET, EDANT AD IECTO DIE ET CONSULE.** Huius edicti ratio æquissima est. nã cũ singulorũ rationes argentarij conficiant: æquũ fuit, id quod mei causa confecit, meum quodam modo instrumentum mihi edi. Sed & si

liusfamilias continetur his uerbis, ut uel ipse cogatur edere. an & pater, quæritur? Labeo scripsit, patrem non cogendum, nisi sciente eo argentaria exerceretur. Sed recte Sabinus respondit, tunc id admittendum, cum patri quæstum referret. Sed & si seruus argentariâ faciât (potest enim) si quidem uoluntate domini fecerit: compelli dominû edere, ac perinde in eum dandum esse iudicium, ac si ipse fecisset. sed si inscio domino: satis esse dominum iurare, eas se rationes non habere. Si seruus peculiarê faciât argentariam: dominus de peculio, uel de in remuerso tenetur. sed si dominus habet rationes, nec edat: insolidû tenetur.\* Is etiam, qui desijt argentariâ facere, ad editionem compellitur. Sed ibi quis compellitur edere, ubi argentariâ exercuit: & hoc est constitutum. Quod si instrumentum argentariæ in alia prouincia habeat, in alia ad ministrauerit: ibi puto cogendum edere, ubi argentariam exercuit. hic enim primum deliquit, quod aliò instrumentum transtulit. Quod si in alio loco argentariam exerceat, alibi autem ad editionem compellatur: minime hoc facere cogitur: nisi descriptum uelis, ubi de ea re agitur, ibi dari, tuis uidelicet sumptibus.

\* In nonulis adijciuntur hæc uerba. etiâ si nesciuit eum argentiariâ facere.

al's præstandas.

V. PAVLVS lib. .III. ad edictum.

Spaciumq; ad\*perferendas eas tribuendum est.

VI. VLPPIANVS lib. III. ad edictum.

SI quis ex argentarijs (ut pleriq; eorum) in uilla habeat instrumenta, uel in horreo: aut ad locû te perducet, aut descriptas rationes dabit. Cogentur & successores argentarij edere rationes. quod si plures sint hæredes, & unus habeat: solus ad editionem compelletur. Sed si omnes habent, & unus edidit, an oës ad editionem cõpellendi sunt? quid enim si humilis & deploratus unus edidit, ut dubitare merito quis de fide editionis possit: ut igitur cõparari ratioes possint, etiâ cæteri edere debent, aut certe unius editioni subscribere. idem erit & si plures fuerint argentiarij, à quibus editio desideratur. Nam & si plures tutores tutelâ simul administrauerint: aut omnes edere debent, aut unius editioni subscribere.

Exigitur autem ab aduersario argentarij iusiurandum, non calumniæ causa postulare edi sibi: ne forte uel superuacuas rationes, uel quas habet, edi sibi postulet, uexandi argentarij causa. Rationem autem esse Labeo ait: ultro citro dandi, accipiendi, crededi, obligandi, soluendi suicaussa negotiatione: nec ullâ ratione nuda duntaxat solutione debiti incipere: nec si pignus acceperit, aut mandatum, compellendum edere. hoc enim extra rationem esse. Sed & quod solui constituit, argentarius edere debet. nam & hoc ex argentaria uenit. Ex hoc edicto in id, quod interfuit, actio competit. unde apparet ita demum teneri hoc edicto, si ad eum pertineat. Pertinere autem uidetur ad me ratio, si modo eam

eam tractaueris, me mandante, sed si procurator meus, absente me mandauerit: an mihi edenda sit, quasi ad me pertineat? & magis est, ut edatur. Procuratori quoque meo edenda ratione, quam mecum habet, non dubito: quasi ad eum pertineat, & cauturum de rato, si mandatum ei non sit. Si initium tabularum habet diem & consulem, in quibus Titij ratio scripta est: postmodum mea sine die & consule: etiam mihi edendus est dies & consul. communis enim omnis rationis est prepositio diei & consulis.

Edi autem est uel dictare, uel tradere libellum, uel codicem proferre. Prætor ait. ARGENTARIO EI'VE, QUI ITERVM POSTVLauerit, CAUSSA COGNITA EDI IUBEBO. Prohibet argentario edi illa ratione, quod etiam ipse instructus esse potest instrumento suæ professionis: & quod absurdum est, cum ipse in ea sit causa, ut edere debeat: ipsum petere, ut edatur. An uero nec hæredi argentarij edi ratio debeat, uidentum. & quidem si instrumentum argentariæ ad eum peruenerit, non debet ei edi: si minus, edenda est ex causa. Nam & ipsi argentario ex causa edenda est: si naufragio, uel ruina, uel incendio, uel alia simili causa rationes perdidisse se probet: aut in lōginq̄o habere, ueluti trans mare. Nec iterum postulanti, edi prætor iubet, nisi causa cognita.

VII. PAVLVVS lib. III. ad edictum.

Veluti si peregre habere, quod primum editum est, uel minus plene editum doceat: uel eas rationes casu maiore, non uero negligentia perdidit. Nam si quo casu amisit, cui ignosci debeat: ex integro edi iubebit. Hæc uox ITERVM, duas res significat. altera est, qua demonstratur tempus secundum, quod græci δέυτερον dicunt: altera, quæ ad sequentia quoque tempora pertinet, quæ græce dicitur πάλιν: quod ita accipitur, quoties opus erit. nam potest fieri, ut bis editam sibi rationem quis perdidit: ut uerbum ITERVM pro SÆPIVS accipiatur.

VIII. VLPIANVS lib. III. ad edictum.

Ubi exigitur argentarius rationes edere: tunc punitur, cum dolo malo non exhibet: sed culpam non præstabit, nisi dolo proximam. Dolo autem malo non edidit, & qui malitiose edidit, & qui in totum non edidit. Is autem, qui in hoc edictum incidit: id præstat, quod interfuit mea rationes edi, cum decerneretur à prætore: non quod hodie interest. & ideo licet interesse desit, uel minoris uel pluris interesse coepit: locum hæc actio non habebit. neque ad augmentum, neque ad deminutionem.

IX. PAVLVVS lib. III. ad edictum.

Quædam sunt personæ, quas rationes nobis edere oportet, nec tamen à prætore per hoc edictum compelluntur. ueluti cum procurator res rationes uel nostras administravit: non cogitur à prætore per metum actionis in factum rationes edere, scilicet quia id consequi possumus per mandati actionem.

onē. sed & cū dolo malo socij negocia gessit, prætor p hãc clausulã nõ interuenit. est em̃ p socio actio. sed nec tutorē cogit prætor pupillo edere ratios, sed iudicio tutelæ solet cogi edere. Nihil interest, si successores aut pater aut dominus argentarij eiusdem fuerūt professionis: quia cū in locū & in ius succedant argentarij, partibus eius fungi debent. Is autem, cui argentarius rationes suas legauit, non uidetur contineri, (quia iuris successor ijs uerbis significatur) non magis, quàm si ei uiuus eas donasset. Sed nec hæres tenebitur: cum nec possideat, nec dolo malo fecerit. Sed si ei antequàm eas legatarijs traderet, denunciatum fuerit, ne ante tradat: tenebitur, quasi dolo fecerit. quod si nihil dolo fecerit: causa cognita legatarius cogendus est edere. Numularios quoq; non esse iniquum cogi rationes edere, Pomponius scribit: quia & hi, sicut argentarij, rationes conficiunt. & quia accipiunt pecuniã, & erogant per partes, quarum probatio scriptura codicibusq; eorū maxime continetur: ideo frequentissime ad fidem eorū decurritur. Cæterū omnibus postulantibus, & iurantibus nõ calumniæ causa se petere: rationes, quæ ad se pertineant, edi iubet. . Ad nos autem pertinet non tantum, cum ipsi contraximus, uel successimus ei, qui contraxit: sed etiam si is, qui in nostra potestate est, contraxit.

X. CAIVS lib. I. ad edictum provinciale.

**A**rgentarius rationes edere iubetur: nec interest, cum ipso argentario cõtrouersia sit, an cum alio. Ideo autem argentarios tantum, neq; alios ullos absimiles rationes edere cogit: quia officium eorū atq; ministerium publicam habet causam: & hæc principalis eorum opera est, ut actus sui rationem diligenter conficiant. Edi autem ratio ita intelligitur, si à capite edatur. nam ratio, nisi à capite <sup>\*</sup>inspiciatur, intelligi non potest: scilicet ut non totum cuiq; codicem rationum, totasq; membranas inspiciendi, describendiq; potestas fiat: sed ut ea sola pars rationum, quæ ad instruendum aliquem pertineat, inspiciatur & describatur. Cum autem in id actio competat, quanti agentis intersit, editas sibi rationes esse: euenit, ut siue quis condemnatus sit: siue quod petijt, non obtinuerit, eò quod non habuit rationes, ex quibus causam suam tueri posset: id ipsum, quod ita perdidit, hac actione consequatur. Sed an hoc procedat, uideamus. nam si apud hunc iudicem, qui inter eum & argentarium iudicat: potest probare se illo iudicio, quo uictus est, uincere potuisse: poterat & tunc probare. & si non probauit, aut probantem iudex non curauit: de seipso, aut de iudice queri debet. Sed non ita est. fieri enim potest, ut nunc rationes, uel ipso edente, uel alio modo nactus: aut alijs instrumentis uel testibus, quibus illo tempore aliqua ex causa uti nõ potuit: possit probare, potuisse se uincere. Sic enim & de

als\*incipiatur.

& de cautione subrepta aut corrupta, competit conditio & damni iniuriae actio. quia quod ante non potuimus intercepta cautione probare, & ob id amissimus: hoc nunc alijs instrumentis aut testibus, quibus tunc uti non potuimus, probare possumus.

XI. *MODESTINVS lib. III. regularum.*

**E**xempla instrumentorum etiam sine subscriptione edentis ediposse, receptum est.

XII. *CALLISTRATVS lib. I. edicti monitorij.*

**F**oeminae remotae uidentur ab officio argentarij, cum ea opera uirilil sit.

XIII. *VLPIANVS lib. III. ad edictum.*

**H**aec actio neq; post annum, neq; in haeredem, nisi ex suo facto, dabitur: haeredi autem dabitur.

DE PACTIS. Tit. XIII.

*VLPIANVS lib. III. ad edictum.*



**M**IVS edicti aequitas naturalis est. quid enim tam congruum fidei humanae, quam ea seruare, quae inter eos placuerunt? Pactum autem a pactione dicitur, unde etiam pacis nomen appellatum est. Est autem pactio duorum plurimum in idem placitum\* & consensus. Conuentio uerbum generale est: ad omnia pertinens, de quibus negocij contrahendi transigendiq; causa consentiunt, qui inter se agunt. Nam si cuti conuenire dicuntur, qui ex diuersis locis in unum colliguntur & ueniunt: ita qui ex diuersis animi motibus in unum consentiunt, id est, in unam sententiam decurrunt. Adeo autem conuentionis nomen generale est, ut eleganter dicat Pedius: nullum esse contractum, nullam obligationem, quae non habeat in se conuentionem: siue re, siue uerbis fiat. nam & stipulatio, quae uerbis fit, nisi habeat consensum, nulla est. Sed conuentionum pleraeq; in aliud nomen transeunt: ueluti in emptionem, in locationem, in pignus, in stipulationem.

alias \* deest copula.

II. *PAVLVS lib. III. ad edictum.*

**L**abeo ait, conuenire posse, uel re, uel per epistolam, uel per nuncium, inter absentes quoq;. Sed etiam tacito consensu conuenire intelligitur. inde si debitori meo reddiderim cautionem, uidetur inter nos conuenisse, ne peterem: \* profuturamq; ei conuentionis exceptionem placuit.

\* alias, futuranq;

III. *MODESTINVS lib. III. regularum.*

**P**ost pignus uero debitori redditum, si pecunia soluta non fuerit: debitu posse peti, dubium non est: nisi specialiter contrarium actum esse probetur.

k Paulus

## III. PAVLVS lib. III. ad edictum.

**I**tem quia conuentiones tacitæ ualent: placet in urbanis habitationibus locandis inuenta illata pignori esse locatori, etiam si nihil nominatim conuenerit. Secundum hoc & mutus pacisci potest. Huius rei argumentum est & stipulatio dotis causa facta. nam ante nuptias male peritur: quasi si hoc expressum sit, ut nuptijs non secutis, ipso iure euaneſcat stipulatio. Idem Iuliano placet ex facto etiam consulto: cum conuenisset, ut donec usuræ soluerentur, fors non peteretur: & stipulatio pure concepta fuisset: conditione inesse stipulationi, atq; si hoc expressum fuisset.

## V. VLP IANVS lib. III. ad edictum.

**C**onventionum autem tres sunt species. aut enim ex publica causa sunt, aut priuata: priuata aut legitima, aut iuris gentium. Publica conuentio est, quæ fit per principem, aut quoties inter se duces belli quædam paciscuntur.

## VI. PAVLVS lib. III. ad edictum.

**L**egitima conuentio est, quæ aliqua lege confirmatur. & ideo interdum ex pacto actio nascitur, uel tollitur: quoties lege, uel senatus consulto adiuuatur.

## VII. VLP IANVS lib. III. ad edictum.

**I**uris gentium conuentiones quædam actiones pariunt, quædam exceptiones: quæ pariunt actiones in suo nomine non stant, sed transeunt in proprium nomen contractus: ut emptio, uenditio, locatio, conductio, societas, commodatum, depositum, & cæteri similes contractus.

Sed & si in aliud contractum res non transeat, subsit tamen causa: eleganter Aristo Celso respondit esse obligationem: ut puta dedi tibi rem, ut mihi aliam des; dedi, ut aliquid facias: ἢ σὺ ἀλλὰ γὰρ εἶναι, & hinc nasci civilem actionem. Et ideo puto recte Iulianum à Martino reprehensum in hoc: dedi tibi Stichum, ut Pamphilum manumittas. manumifisti. euictus est Stichus. Iulianus, in factum actionem à prætore danda: ille ait, civilem incerti actionem, id est præscriptis uerbis sufficere. esse enim contractum (quod Aristo dicit) σὺ ἀλλὰ γὰρ, unde hæc nascatur actio. Si ut maleficius fiat, promissum sit: nulla est obligatio ex hac conuentione. Sed cum nulla subest causa præter conuentionem: hic constat, non posse constitui obligationem. Igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem.

Quinimò interdum format ipsam actionem, ut in bonæ fidei iudicijs. solemus enim dicere, pacta conuenta inesse bonæ fidei iudicijs. Sed hoc sic accipiendum est: ut siquidem ex continenti pacta subsecuta sunt, etiam ex parte actoris insint. si ex interuallo: non inerunt, nec ualebunt, si agatur: ne ex pacto actio nascatur. ut puta post diuortium conuenit,

ne tempore stato dilationis dos reddatur, sed statim. hoc non ualebit, ne ex pacto actio nascatur. idem Marcellus scribit. Etiam si in tutelæ actione conueniat, ut maiores, quàm statutæ sunt, usuræ præstentur: id cum non habebit, ne ex pacto actio nascatur. Ea enim pacta insunt, quæ legem contractui dant, id est quæ in ingressu cõtractus facta sunt. Itē responsum scio à Papiniano, si post emptionem ex interuallo aliquid extra naturam contractus conueniat: ob hanc causam agi ex empto non posse propter eandem regulam, ne ex pacto actio nascatur. quod & in omnibus bonæ fidei iudicijs erit dicendum. Sed ex parte rei locum habebit pactum: quia solent & ea pacta, quæ postea interponuntur, parere exceptiones. Adeo autem in bonæ fidei iudicijs \*pactiones postea factæ, quæ ex eodem sunt contractu, insunt: ut constat in emptione, cæterisque bonæ fidei iudicijs, re nondū secuta, posse abiri ab emptione. Si igitur in totum potest: cur non & pars eius pactione mutari potest? Et hæc ita Pomponius libro sexto ad edictum scribit. Quod cum est: ex parte agentis pactio locum habet, ut & ad actionem proficiat nondū re secuta, eadem ratione. Nam si potest tota res tolli: cur nõ & reformari, ut quodammodo quasi renouatus contractus uideatur? quod nõ in subtiliter dici potest. Vnde illud æque non reprobato, quod Pomponius libris lectionū probat: posse in partē recedi pacto ab emptione, quasi re petita partis emptione. Sed & cum duo hæredes emptori existerint: si uenditor cū altero pactus est, ut ab emptione recederetur: ait Iulianus ualere pactionē, & dissolui pro parte emptionē: quoniam & ex alio contractu paciscendo alter ex hæredibus acquirere sibi exceptionē potuisset. Vtrūq; itaq; placet, & quod Iulianus, & quod Pomponius ait. Prætor ait. PACTA CONVENTA, QUAE NEQVE DOLO MALO, NEQVE ADVERSVS LEGES, PLEBISCITA, SENATVSCONSULTA, EDICTA, DECRETA PRINCIPVM: NEQVE QVO FRAVS CUIQVE EORVM FIAT, FACTA ERVNT: SERVABO. Pactorum autem quædam in rem sunt, quædam in personā. in rem sunt, quoties generaliter paciscor, ne petam. in personā, quoties ne à persona, id est, ne à L. Titio petā. Vtrū autem in rem, an in personam pactum factum sit: nõ \*nimis ex uerbis, quàm ex mente cõuenientium æstimandum est. Plerunq; enim (ut Pedius ait) persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat: sed ut demonstretur, cum quo pactū factum est. DOLO MALO ait prætor pactum se nõ seruaturū. Dolus malus fit calliditate & fallacia: & (ut ait Pedius) dolo malo pactum fit, quoties circumscribēdi alterius causa aliud agitur, atq; agi simulatur. Sed si fraudandi causa pactum factū esse dicitur, nihil prætor adiicit. Sed eleganter Labeo ait, hoc aut iniquum esse

als \* cõuen  
tiones. in  
pãd. Fl. ex  
ceptiones:  
qd ipsum,  
si q; urge-  
at, possit  
forte obtine-  
ri p l. s. de  
rescind. uē  
dit.

\* Græce lo-  
quitur, oĩ  
μάλιστ'  
pro nõ tam

esse, aut superuacuum, iniquum: si quod semel remisit creditor debitori suo bona fide, iterum hoc conetur destruere. superuacuum, si ipse deceptus hoc fecerit. inest enim dolo & fraus. Siue igitur ab initio dolo malo pactum factum est, siue post pactum dolo malo aliquid factum est: nocebit exceptio propter hæc uerba edicti, NEQVE FIAT. Quod ferè nouissima parte pactorum ita solet inferi, ROGAVIT TITIVS; SPOPONDIT MAEVIVS: hæc uerba non tantum pactionis loco accipiuntur, sed etiam stipulationis. ideoq; ex stipulatu nascitur actio: nisi specialiter contrarium adprobetur, quod non animo stipulantium hoc factum est, sed tantum paciscentium. Si paciscar, ne iudicati uel incensarum ædium agatur: hoc pactum ualet. Si paciscar, ne operis noui nunciacionem exsequar: quidam putant, non ualere pactionem, quasi in ea re prætoris imperium uersetur. Labeo autem distinguit: ut si ex re familiaris operis noui nunciatio sit facta, liceat pacisci: si de republica, non liceat. quæ distinctio uera est: Et in cæteris igitur omnibus ad edictum prætoris pertinentibus: quæ non ad publicam læsionem, sed ad rem familiarem respiciunt: pacisci licet. nam & de furto pacisci lex permittit. Sed & si quis paciscatur, ne depositi agat: secundum Pomponium ualet pactum. Item si quis pactus sit, ut ex causa depositi omne periculum præster: Pomponius ait pactionem ualere, nec quasi contra iuris formam factam, non esse seruandam. Et generaliter, quoties pactum à iure communi remotum est, seruari hoc non oportet. nec legatum, nec iusiurandum de hoc adactum, ne quis agat, seruandum, Marcellus libro secundo digestorum scribit. & si stipulatio sit interposita de his, pro quibus pacisci non licet: seruanda non est, sed omni modo rescindenda. Si ante aditam hæreditatem paciscatur quis cum creditoribus, ut minus soluat, pactum ualiturum est. Sed si seruus sit, qui paciscatur priusquam libertatem & hæreditatem adipiscatur (quia sub conditione scriptus fuerat hæres) non profuturum pactum Vindius scribit. Marcellus autem libro decimo octauo digestorum, & suum hæredem & seruum necessariis pure scriptos, paciscentes priusquam se immisceant, putat recte pacisci: quod & uerum est. Idem & in extraneo hærede, qui si mandatu creditorum adierit: etiam mandati putat eum habere actionem. Sed & si quis (ut supra retulimus) in seruitute pactus est, negat Marcellus. quoniam non solet ei proficere, si quid in seruitute egit, post libertatem. quod in pacti exceptione admittendum est. Sed an doli ei profit exceptio, quaeritur. Marcellus in similibus speciebus, licet antea dubitauit, tamen admittit. ut puta filius familias hæres institutus, pactus est cum creditoribus: & emancipatus adiit hæreditatem. & dicit doli eum exceptione uti posse. Idem probat, & si filius uiuo patre cum creditoribus paternis pactus

als \* pro  
iudicato  
uel incē  
sis ædib.

aliās \* itis

\* Non oīa  
exēplaria  
habent.

aus sit. nam & huic doli exceptionem profuturam. Imò & in seruo doli exceptio nõ est respuenda. Hodie tamẽ ita demum pactio huiusmodi creditoribus obest: si conuenerint in unum, & communi consensu declarauerint, quora parte debiti contenti sint. Si uero dissentiant: tunc prætoris partes necessariae sunt, qui decreto suo sequetur maioris partis uoluntatem.

VIII. P A P I N I A N V S lib. X. *responforum.*

**M**aiorem esse partem pro modo debiti, non pro numero personarum placuit. Quod si æquales sint in cumulo debiti: tunc plurimum creditorum numerus præferendus est. In numero autem pari creditorum, auctoritatem eius sequetur prætor, qui dignitate inter eos præcellit. Sin autem omnia undiq; in unam æqualitatem concurrant: humanior est sententia à prætore eligenda. hoc enim ex diui Marci rescripto colligi potest.

IX. P A V L V S lib. LXII. *ad edictum.*

**S**i plures sint, qui eandem habent actionem, unius loco habentur. Surputa si plures sint rei stipulandi, uel plures argentarij, quorum nomina simul facta sunt: unius loco numerabuntur, quia unum debitum est. Et cum tutores pupilli creditoris plures conueniunt: unius loco numerantur, quia unius pupilli nomine conueniunt. Nec non & unus tutor plurium pupillorum nomine, unum debitum prætendentium, si conuenerit, placuit unius loco esse. Nam difficile est, ut unus homo duorum uicem sustineat. Nam nec is, qui plures actiones habet aduersus eum, qui unam habet: plurium personarum loco accipitur. Cumulum debiti & ad plures summas referemus: si uni forte multae summæ centum aureorum debeantur, alij uero una summa aureorum quinquaginta. Nam in hunc casum spectabimus summas plures: quia illae excedunt in unam summam coadunatae. Summæ autem adplicare debemus etiam usuras.

X. V L P I A N V S lib. III. *ad edictum.*

**R**escriptum diui Marci sic loquitur, quasi omnes creditores debent conuenire. Quid ergo si quidam absentes sint: num exemplum præsentium absentes sequi debeant? Sed & an priuilegijs absentibus hæc pactio noceat, eleganter tractatur: si modo ualeat pactio & contra absentes. Et repeto ante formam à diuo Marco datam, diuui Pium rescriptisse: fisci quæ in ijs casibus, in quibus hypothecas non habeat, & ceteros priuilegiarios exemplum creditorum sequi oportere. Hæc enim omnia in his creditoribus, qui hypothecas non habent, cõseruanda sunt. Si pacto subiecta sit poenae stipulatio: quæritur, utrum pacti exceptio, locum habeat, an ex stipulatu actio? Sabinus putat (quod est nerius) utraq;

nia uti posse, prout elegerit, qui stipulatus est. Si tamen ex causa pacti exceptione utatur: æquum esse acceptò eum stipulatione ferre. <sup>Ple</sup>  
 runq; solemus dicere, doli exceptionem subsidium esse pacti exceptio-  
 nis. quosdam deniq; qui pacti exceptione uti non possint, doli excepti-  
 one usuros: & Iulianus scribit, & alij pleriq; consentiunt. utputa si pro-  
 curator meus paciscatur, exceptio doli mihi proderit, ut Trebatio uide-  
 tur: qui putat, sicut pactum procuratoris mihi nocet, ita etiam pdesse.

**Q** Via & solui ei potest.  
 XI. PAVLVVS lib. III. ad edictum.

**N** Am & nocere cõstat: siue ei mandauit, ut pacisceretur: siue omni-  
 um rerum mearum procurator fuit, ut Puteolanus libro primo  
 adfessorum scribit: cù placuerit eum etiam rem in iudicium deducere.

XIII. PAVLVVS lib. III. ad edictum.

**S** Ed si tantum ad actionem pcurator factus sit: conuentio facta domi-  
 no non nocet, quia nec solui ei potest. Sed si in rem suam datus sit  
 procurator: loco domini habetur, & ideo seruandum erit pactum con-  
 uentum.

**T** Vtoris quoq; ut scribit Iulianus, pactum pupillo prodest.  
 XIII. VLPPIANVS lib. III. ad edictum.

**I** Tem magistri societatum pactum & prodesse constat & obesse.  
 XV. PAVLVVS lib. LII. ad edictum.

XVI. VLPPIANVS lib. LIII. ad edictum.

**S** I cum emptore hæreditatis pactum sit factum, & uenditor hæredita-  
 tis petat: doli exceptio nocet. Nam ex quo rescriptum est à diuo Pio,  
 utiles actiones emptori hæreditatis dandas: merito aduersus uendi-  
 torem hæreditatis exceptione doli mali debitor hæreditarius uti po-  
 rest. Sed si inter dominum rei uenditæ & emptorem conuenisset: ut ho-  
 mo, qui emptus erat, redderetur ei, qui pro domino rem uendidit: pe-  
 tenti ei precium, doli exceptio nocebit.

XVII. PAVLVVS lib. III. ad edictum.

**S** I tibi decem mutua dem, & paciscar, ut mihi uiginti debeantur: nõ  
 nascitur obligatio ultra decem. Re enim non potest obligatio con-  
 trahi, nisi quatenus datum est. Quædam actiones per pactum ipso  
 iure tolluntur: ut iniuriarum, item furti. De pignore iure honora-  
 rio nascitur ex pacto actio: tollitur autem per exceptionem, quoties pa-  
 ciscar, ne petam. Si quis paciscatur, ne à se petatur: hæredi exceptio  
 non proderit. Si pactus sim, ne à me, neue à Titio petatur: non prode-  
 rit Titio, etiam si mihi hæres exstiterit. quia ex post facto id confirma-  
 ri non potest. Et hoc Iulianus scribit in patre, qui pactus erat, ne à se,  
 neue

neue à filia sua peteretur: cum filia patris hæres exstitisset. Pactum conuenientum cum uenditore factum, si in rem constituatur: secundum plurimum sententiam & emptori prodest, & hoc iure uti nos Pomponius scribit. secundum autem Sabini sententiam, etiam si in personam conceptum est, in emptore ualet. Idem existimat, & si per donationem successio facta sit. Cum possessor alienæ hæreditatis pactus est: hæredi (si euicerit) neq; nocere, neq; prodesse, pleriq; putant. Si filius seruusue paciscantur, ne à patre dominoue peratur:

XVIII. CAIVS lib. I. ad edictum provinciale.

**S**ive de eo paciscantur, quod cum ipsis: siue de eo, quod cum patre dominoue contractum est:

XIX. PAVLVS lib. III. ad edictum.

**A**dquirent exceptionem. Idem est & in his, qui bona fide seruiunt. Item si filiusfamilias pactus fuerit, ne à se peratur: proderit ei, & patri quoq; si de peculio,

XX. CAIVS lib. I. ad edictum provinciale.

**V**el de in rem uerso, uel quasi defensor filij (si hoc maluerit) conueniatur:

XXI. PAVLVS lib. III. ad edictum.

**E**t hæredi patris uiuo filio. post mortem uero filij: nec patri, nec hæredi eius, quia personale pactum est. Quod si seruus, ne à se peratur, pactus fuerit: nihil ualebit pactum. de doli exceptione uideamus. Et quidem si in rem paciscatur, proderit domino, & hæredi eius pacti conuenti exceptio. Quod si in personam pactum conceptum est: tunc domino doli superest exceptio. Nos autem ipsi, qui in nostra potestate sunt, paciscendo prodesse non possumus: sed nobis id profuturum, si nomine eorum conueniamur. Proculus ait. quod ita recte dicitur, si in paciscendo id actum sit. cæterum si paciscar, ne à Titio petas: deinde actionem aduersum me nomine eius instituas: non est danda pacti conuenti exceptio. nam quod ipsi inutile est, nec defensori competit. Iulianus quoq; scribit, si pater pactus sit, ne à se, neue à filio suo peratur: magis esse, ut pacti exceptio filiofamilias danda non sit, sed doli proficit. Filiafamilias pacisci potest, ne de dote agat, cum sui iuris esse cœperit. Item filiusfamilias, de eo, quod sub conditione sibi legatum est, recte paciscitur. In his, qui eiusdem pecuniæ exactionem habent in solidum, uel qui eiusdem pecuniæ debitores sunt: quatenus alij quoq; proficit uel noceat pacti exceptio, quæritur. Et in re pacta omnibus proficit, quorum obligationem dissolutam esse eius, qui paciscebatur, interstitit. itaq; debitoris conuentio fideiussoribus proficiet.

XXII. VLP IANVS lib. LIII. ad edictum.

Nisi

**N**isi hoc actum est, ut duntaxat à reo non petatur: tunc enim fideiussor exceptione non utetur.

XXIII. PAVLVVS lib. III. ad edictum.

**F**ideiussoris autem conuentio non proderit reo: quia nihil interest eius à debitore pecuniam non peti. imò nec confideiussoribus proderit. neq; enim quoquo modo cuiusq; interest. Cù alio conuentio facta prodest, sed tunc demum: cum per eum, cui exceptio datur, principaliter ei, qui pactus est, proficiat: sicut in reo promittendi, & ijs, qui pro eo obligati sunt:

XXIII. IDEM lib. III. ad Plautum.

**E**t si fideiussor in rem suam sponderit. hoc enim casu fideiussor pro reo accipiendus est: & pactum cum eo factum, cù reo factum esse uidetur.

XXV. IDEM lib. III. ad edictum.

**I**dem in duobus reis promittendi, & duobus argentarijs socijs. Personale pactum ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad heredem, Labeo ait. Sed quamuis fideiussoris pactum reo non proficit: plerumq; tamen doli exceptionem reo profuturam, Iulianus scripsit:

XXVI. VLP IANVS lib. III. ad edictum.

**V**idelicet si hoc actum est, ne à reo quoq; petatur. idem & in confideiussoribus est.

XXVII. PAVLVVS lib. III. ad edictum.

**S**i unus ex argentarijs socijs cum debitore pactus sit: an etiam alteri noceat exceptio? Neratius, Atilicinus, Proculus aiunt, nec si in rem pactus sit, alteri nocere. tantum enim constitutum, ut solidum alter petere possit. Idem Labeo. Nam nec nouare alium posse, quamuis ei recte soluatur. sic enim & his, qui in nostra potestate sunt, recte solui quod crediderint, licet nouare non possint: quod est uerum. Idemq; in duobus reis stipulandi dicendum est. Si cum reo ad certum tempus personae facta sit: ultra neq; reo, neq; fideiussori proderit. Quod si sine persona reus pepigerit, ne à fideiussore petatur: nihil id prodesse fideiussori quidam putant, quamq; id rei intersit: quod ea demum ei debeat competere exceptio, quae & reo. Ego didici prodesse fideiussori exceptionem, non sic enim illi per liberam personam adquiri: quam ipsi, qui pactus sit, consuli uidetur. quo iure utimur. Pactus, ne peteret: postea conuenit, ut peteret. prius pactum per posterius elidetur: non quidem ipso iure, sicut tollitur stipulatio per stipulationem, si hoc actum est: quia in stipulationibus ius continetur, in pactis factum uersatur. & ideo replicatione elidetur exceptio. Eadem ratione contingit, ne & fideiussoribus prius pactum proficit. Sed si pactum conuentum tale fuit, quod actionem quoq; tolleret (ueluti iniuriarum) non poterit postea paciscendo efficere, ut agi possit. quia & prima actio sublata est, & posterius pactum ad actio-

ad actionem reparandam inefficax est. non enim ex pacto iniuriarum actio nascitur, sed ex contumelia. Idem dicimus & in bonæ fidei contractibus, si pactum conuentum totam obligationem sustulerit, ueluti empti. non enim ex nouo pacto prior obligatio resuscitatur: sed proficit pactum ad nouum contractum. Quod si non, ut tolleret totum contractum, pactum conuentum intercessit, sed ut minueret: posterius pactum potest renouare primū contractum. Quod & in specie dotis actionis procedere potest. puta pactam mulierem, ut præsentē die dos redderetur: deinde pacisci, ut tempore ei legibus dato dos reddatur. incipit et dos redire ad ius suum. Nec dicendum est, deteriorem conditionem dotis fieri per pactum. quoties enim ad ius, quod lex naturæ eius tribuit, de dote actio redit: non fit causa dotis deterior, sed formæ suæ redditur. hæc & Scauolæ nostro placuerunt. Illud nulla pactio effici potest, ne dolus malus præstetur: quamuis si quis paciscatur, ne depositi agat, \*ui ipsa id pactus uideatur, ne de dolo agat: quod pactū proderit.

al. \*re.

Pacta, quæ turpem causam continent, non sunt obseruanda: ueluti si paciscar, ne furti agam, uel iniuriarum, si feceris. expedit enim timeri furti uel iniuriarum poenam. Sed post admissa hæc pacisci possumus. Item ne expiar interdicto VNDE VI: quatenus publicā causam contingit, pacisci non possumus. Et in summa: si pactum conuentum a re priuata remotum sit, non est seruandum. Ante omnia animaduertendum est: ne conuentio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re aliæ persona noceat. Si cum mihi decem deberes, pepigero, ne a te uiginti petam: in decem tibi prodesse pacti conuenti uel doli exceptionem placet. Item si cum uiginti deberes, pepigerim, ne decem petam: efficere exceptionem mihi opponendam, ut tantum reliqua decem exigere debeam. Sed si stipulatus decem aut stichum, decem pactus sim, & petam stichū aut decem: exceptionē pacti conuenti in totum obstaturā. Nam ut solutione, petitione, & acceptilatione unius rei tota obligatio solueretur: ita quoque pacto conuento de una re non petenda interposito, totam obligationem submoueri. Sed si id actum inter nos sit, ne decem mihi, sed stichus præstetur: posse efficaciter de sticho agi, nulla exceptione opponēda. idē est, & si de sticho non petendo conuenit. Sed si generaliter mihi hominē debeas, & paciscar, ne stichum petā: stichum quidem petenti pacti exceptio opponetur: alium autem hominē si petam, recte agam. Item si pactus, ne hæreditatem peterem, singulas res ut hæres petam: ex eo, quod pactum erit, pacti conuenti exceptio apranda erit. Quemadmodum si conuenierit, ne fundum peterem, & usumfructum petam: aut ne nauum ædificiumue peterē, & dissoluitis ijs, singulas res petam. nisi specialiter aliud actum est. Si acceptilatio

patulatio inutilis fuit: tacita pactione id actū uideretur, ne peteretur. Seruus hæredi post adituro nominatim pacisci non potest, quod nondum dominus is sit: sed si in rem pactum cōuentum factū sit, hæredi adquiri potest.

XXVIII. CAIVS lib. I. ad edictum provinciale.

**C**ontra iuris ciuilibus regulas pacta conuenta rata non habentur: ueluti si pupillus sine tutoris autoritate pactus sit, ne à debitore suo peteret, aut ne intra certum tempus (ueluti quinquenniū) peteret, nam nec solui ei sine tutoris autoritate potest. Ex diuerso autem si pupillus paciscatur, ne quod debet, à se petatur: ratum habetur pactum conuentum, quia meliorem conditionem suam facere ei, etiam sine tutoris autoritate, concessum est. Si curator furiosi aut prodigi pactus sit, ne à furioso aut prodigo peteretur: longe utile est, curatoris pactionem recipi, sed non contra. Si filius aut seruus pactus sit, ne ipse peteret: inutile est pactum. Si uero in rem pacti sunt, id est ne ea pecunia peteretur: ita pactio eorum rata habenda erit aduersus patrem dominum, si liberam peculij administrationē habeant: & si ea res, de qua pacti sunt, peculiaris sit. Quod & ipsum non est expeditum. Nam cum uerum est, quod & Iuliano placet: etiam si maxime quis administrationem peculij habeat concessam, donandi ius eum non habere: sequitur, ut si donandi causa de non petenda pecunia pactus sit, non debeat ratum haberi pactum conuentum. Quod si pro eo, ut ita pacisceretur: alii

\*aliās. cō quid, in quo non minus, uel etiam amplius esset, \*consecutus fuerit: ratum habenda est pactio.

XXIX. VLPPIANVS lib. III. ad edictum.

**S**in autem dominicam pecuniam crediderit: quod credendi tempore pactus est, ualere Celsus ait.

XXX. CAIVS lib. I. ad edictum provinciale.

**I**n persona tamen filij familias uidendum est: ne aliquando, & si pactus sit, ne ageret, ualeat pactio: quia aliquando filius familias habet actionem, ueluti iniuriarum. Sed cum per iniuriam filio facta, habeat & pater actionem: quin pactio filij nocitura non sit patri agere uolenti, dubitare non oportet. Qui pecuniam à seruo stipulatus est, quam sibi Titius debebat, si à Titio petat: an exceptione pacti conuenti submoueri & possit & debeat: quia pactus uideretur, ne à Titio petat: quæsitum est: Iulianus ita submouendum putat, si stipulatori in dominum istius serui de peculio actio danda est: \* id est si iustam causam intercedendi seruus habuit, quia forte tantandem pecuniam Titio debuit. Quod si quasi fideiusor interuenit ex causa, qua in peculium actio non daretur: non esse inhibendum creditorem, quominus à Titio petat. Acque nullo modo prohiberi eum debere, si eum seruum liberum esse

\*aliās. idem.

esse credidisset. Si sub conditione stipulatus fuerim à te, quod mihi Titius pure debebat: an deficiente conditione, si à Titio petam, exceptione pacti conuentioni & possim & debeam submoueri? & magis est, exceptionem non esse opponendam.

XXXI. VLP IANVS lib. I. ad edict. ædilium curulium.

**P**acisci contra edictum ædilium curulium omnimodo licet: siue in ipso negotio uenditionis gerendo conuenisset, siue postea.

XXXII. PA VLVS lib. III. ad Plautium.

**Q**uod dictum est: si cum reo pactum sit, ut non petatur, fideiussori quoq; competere exceptionem: propter rei personam placuit, ne mandati iudicio conueniatur. Igitur si mandati actio nulla sit (forte si donandi animo fideiusserit) dicendum est, nõ prodesse exceptionem fideiussori.

XXXIII. CELSVS lib. I. Digestorum.

**A**vus neptis nomine, quam ex filio habebat, dotem promisit: & pactus est, ne à se, neue à filio suo dos peteretur. si à cohærede filij dos petetur: ipse quidem exceptione conuentionis tuendus non erit: filius uero exceptione conuentionis recte utetur. quippe hæredi consuli concessum est. nec quidquam obstat: uni tantum ex hæredibus prouidere, si hæres factus sit: cæteris autem non consuli.

XXXIII. MODESTINVS lib. V. regularum.

**I**us autem adgnationis non posse pacto repudiari: non magis, quam ut dicat quis, nolle suum esse: Iuliani sententia est.

XXXV. IDEM lib. II. responsorum.

**T**res fratres Titius, Mæuius & Seia cõmunem hæreditatem inter se diuiserunt: instrumentis interpositis, quibus diuisisse maternã hæreditatem dixerunt, nihilq; sibi commune remansisse cauerunt. Sed postea duo de fratribus, id est Mæuius & Seia, qui absentes erant tempore mortis matris suæ: cognouerunt pecuniam auream à fratre suo esse subtractam, cuius nulla mentio in instrumento diuisionis continebatur. Quæro, an post pactũ diuisionis, de subtracta pecunia, fratribus aduersus fratrem cõpetat actio? MODESTINVS respondit, si agentibus infra, ob portionem eius, quod subreptum à Titio dicitur: generalis pacti conuentioni exceptio ipsi, qui fraudem à Titio cõmissam ignorantes transigerunt, obiciatur: de dolo utiliter replicari posse.

XXXVI. PROCVLVS lib. V. ἐπιστολῶν.

**S**i cum fundum meum possideres, conuenisset mihi tecum, ut eius possessionem Titio traderes: uindicantem eum fundum à te, non aliter me conuentionis exceptione excludi debere: quàm si aut iam ante tradidisses: aut si tua causa id inter nos conuenisset, & per te non staret, quo minus iam traderes.

XXXVII. PAPIRIVS IVSTVS lib. II. *constitutioni.*

**I**mperatores Antoninus & Verus rescripserunt: debitori reipublicæ à curatore remitti pecunias non posse: & cum Philippésibus remis-  
sæ essent, reuocandas.

XXXVIII. PAPINIANVS lib. II. *questionum.*

**I**vs publicum priuatorum pactis mutari non potest.

XXXIX. IDEM lib. V. *questionum.*

**V**eteribus placet: pactionem obscuram, uel ambiguam uenditori,  
& qui locauit, nocere: in quorum fuit potestate, legem apertius  
conscribere. XL. IDEM lib. V. *responsorum.*

**T**ale pactum, PROFITEOR TE NON TENERI, non in per-  
sonam dirigitur: sed cum generale sit, locum inter hæredes quoque  
litigantes habebit. Qui prouocauit, pactus est: intra diem certum pe-  
cunia, qua transegerat, non soluta: iudicatis se satisfacturum. iudex ap-  
pellationis, nullo alio de principali causa discussio, iustam conuentionem,  
ueluti confessi, sequetur. Post diuisionem bonorum & æris ali-  
eni, singuli creditores à singulis hæredibus, non interpositis delegatio-  
nibus, in solidum ( ut conuenerat ) usuras acceptauerunt. actiones, quas  
aduersus omnes pro partibus habet, impediendæ non erunt: si non sin-  
guli pro fide rei gestæ, totum debitum singulis offerant. Pater, qui  
dotē pmisit: pactus est, ut post mortē suā in matrimonio sine liberis  
defuncta filia, portio dotis apud hæredem suum fratrem maneret. ea  
conuentione liberis à socero postea susceptis, & hæredibus testamento re-  
lictis, per exceptionē doli proderit: cum inter contrahentes, id actū sit,  
ut hæredibus consulatur: & illo tempore, quo pater alios non habuit, in  
fratrem suum iudicium supremum contulisse uideatur.

XLI. IDEM lib. XI. *responsorum.*

**S**i intra illum diem debiti partem mihi solueris, acceptum tibi reso-  
lutum feram, & te liberabo. licet actionem non habeat, pacti tamē  
exceptionem competere debitori constat.

XLII. IDEM lib. XVII. *responsorum.*

**I**nter debitorem & creditorem conuenerat: ut creditor onus tributi  
rem spectaret. Talem conuentionem, quantum ad fisci rationem, non  
esse seruandam respondi. pactis etenim priuatorum formam iuris fi-  
scalis conuelli non placuit.

aliās\* ad  
debito-  
rem.

XLIII. PAVLVS lib. V. *questionum.*

**I**n emptionibus scimus, quid præstare uenditor debeat, quidque ex cō-  
trario emptor. quod si in contrahendo aliquid exceptū fuerit, id ser-  
uari debet.

## XLIII. SCAEVOLA lib. II. responsorum.

**C**um in eo esset pupillus, ut ab hereditate patris abstineret: tutor cum plerisque creditoribus decidit, ut certam portionem acciperent. *Quæro, an & tutor idemque creditor patris, eandem portionem retinere debeat?* Respondi. eum tutorem, qui cæteros ad portionem uocaret, eadem parte contentum esse debere.

XLV. HERMOGENIANVS lib. II. Iuris *ἰδὲ τὸ μὲν*

**D**ivisionis placitum, nisi traditione, uel stipulatione sumat effectum: ad actionem, tanquam nudum pactum, nulli prodesse poterit.

## XLVI. TRIPHONINVS lib. II. disputationum.

**P**actum inter heredem & legatarium factum, ne ab eo satis accipatur (cum in Semestribus relata est constitutio diui Marci, seruari in hoc quoque defuncti uoluntatem) ualidum esse constat: nec à legatario remissa heredi satisfactio per pactum, ex pœnitentia reuocari debet: cum liceat sui iuris persecutionem, aut spem futuræ perceptionis deteriorem constituere.

## XLVII. SCAEVOLA lib. I. Digestorum.

**E**mpor prædij niginti cauerat se soluturum, & stipulanti sponderat. postea uenditor cauerat sibi conuenisse, ut cõtentus esset tredecim, & ut ea intra præfinita tempora acciperet. debitor ad eorum solutionem conuentus, pactus est: si ea soluta intra præfinitum tempus non essent, ut ex prima cautione ab eo petitio esset. *Quæsitum est, an cum posteriori pacto satisfactum non sit: omne debitum ex prima cautione peti possit?* Respondi secundum ea, quæ proponeretur, posse.

L. Titius C. Seium \* numularium, cum quo rationem implicitam *als\*men* habebat: propter accepta & data debitorem sibi constituit, & ab eo epistolarium *fulariũ.* accepit in hæc uerba. EX RATIONE MENSÆ, QUAM MENCVM HABVISTI VSQVE IN HVNC DIEM EX CONTRACTIBVS PLVRIMIS, REMANSERVNT APVD ME AD MENSAM MEAM TRECENTA ET OCTOGINTA SEX, ET VSVRAE, QUAE COMPETIERVNT. SVMMAM AVREORVM, QUAM APVD ME TACITAM HABES, REFVNDAM TIBI. SI QVOD INSTRVMENTVM A TE EMISSVM, CIVSCVNQVE SVMMÆ EX QVACVNQVE CAVSSA APVD ME REMANSIT: VANVM ET PRO CANCELATO HABEBITVR. *Quæsitum est, cum L. Titius ante hoc chirographum C. Seio \* numulario man-* *als\*men* *fulario.* *dauerat, ut patrono eius trecenta redderet: an propter illa uerba epistolarum, quibus omnes cautiones ex quocunq; contractu uanæ & pro cancellatis ut haberentur, cautum est: neque ipse, neque filius eius eo nomine conueniri possit?* Respondi. si tantum ratio accepti atque expensi esset computata: cæteras obligationes manere in sua causa.

XLVIII. CAIVS lib. III. ad L. XII. tabul.

**I**N traditionibus rerū quodcunq; pactum sit, id ualere manifestissimum est.

XLIX. VLP IANVS lib. XXXVI. ad Sabinum.

**S**I quis crediderit pecuniam, & pactus sit, ut quatenus facere possit debitor, eatenus agat: an pactum ualeat? & magis est, hoc pactum ualere. nec enim improbum, & si quis hactenus desideret conueniri, quatenus facultates patiuntur.

L. IDEM lib. XLII. ad Sabinum.

**N**on impossibile puto in contractibus depositi, commodati, locati, & cæteris similibus hoc pactū: NE FACIAS FVREM, VEL FUGITIVVM SERVVM MEVM: hoc est, ne sollicites, ut fur fiat, uel fugitiuus fiat: ne ita negligas seruum, ut fur efficiatur. Sicut enim serui corrupti actio locum habet: ita potest etiam hæc pactio locum habere, quæ ad non corrumpendos seruos pertinet.

LI. IDEM lib. XXVI. ad edictum.

**S**I cum te ex causa legati debere debitori tuo existimares, pactus sis, Sine ab eo peteres: neq; iure ipso liberabitur debitor, neq; petentem submouebit exceptione conuentionis, ut Celsus libro uicesimo scribit. Idem eodem loco scribit: si debitorem tuum iussisti soluere Titio, cui legatum falso debere existimabas, & debitor pactus sit cum Titio suo debitore constituto: neq; tibi aduersus tuum debitorem, neq; ipsi aduersus suum actionem peremptam.

LII. IDEM lib. III. opinionum.

**E**pistola, qua quis cohæredem sibi aliquem cauit: petitionem nullam aduersus possessore rerum hæreditariarum dabit. Si inter debitorem & eum, qui fundum pignoratū à creditore, quasi debitoris negocium gerens, emit: placuerit, ut habita compensatione fructuum, solutoq; eo, quod reliquum deberetur, fundus debitori restituere: etiam hæres pacto, quod defunctus fecit, fidē præstare debet. Pactum, ut si quas summas propter tributiones prædij pignori nexi factas creditor soluisset, à debitore reciperet: & ut tributa eiusdem prædij debitor penderet: iustum est, & ideo seruandum. De inofficioso patris testamento acturus: ut ei certa quantitas, quoad uiueret hæres, præstare: pactus est. produci ad perpetuam præstationem id pactum postulabatur. rescriptum est: neq; iure ullo, neq; æquitate tale desiderium admitteri.

LIII. IDEM lib. III. opinionum.

**S**umptus quidem prorogare litiganti, honestum est: pacisci autē, ut non quantitas eo nomine expensa cum usuris licitis restituatur, sed pars dimidia eius, quod ex ea lite datum erit: non licet.

Scæuola apud Iulianum lib. XXXII. notat. si pactus sim, ne stichum, qui mihi debebatur, petam: non intelligi morâ fieri: mortuocq; sticho non teneri reum, qui ante pactum moram non fecerat.

LIIII. IULIANVS lib. XXXV. *Digestorum.*

**S**i debitor sit fructuarius: & paciscatur seruus, in quo usum fructum habet, ne ab eo petatur: paciscendo meliorem conditionem eius facit. Ita & si creditor esset fructuarius, & pactus esset, ne peteret: seruus autem fructuarius pacisceretur, ut peteret: beneficio pacti, quod seruus interposuisset, utiliter ad petitionem admitteretur.

LV. IDEM lib. VI. *ad Minutium.*

**S**i conuenerit, ne dominus à colono quid petat, & iusta causa conuentionis fuerit: nihilominus colonus à domino petere potest.

LVI. FLORENTINVS lib. VIII. *Institutionum.*

**Q**ui in futurum usuras à debitore acceperit: tacite pactus uideatur, ne intra id tempus sortem petat. Si ex altera parte in rem, ex altera in personam pactum conceptum fuerit: ueluti ne ego petam, uel ne à te petatur: & hæres meus ab omnibus uobis petitionem habeat, & ab hærede tuo omnes petere poterimus.

LVII. NERATIVS lib. III. *membranarum.*

**A** B emptione, uenditione, locatione, conductione, cæterisq; similibus obligationibus: quin integris omnibus, consensu eorum, qui inter se obligati sunt, recedi possit: dubium nõ est. Aristoni hoc amplius uidebatur. si ea, quæ me ex empto præstare tibi oporteret, præstitissem: & cum tu mihi precium deberes, conuenisset mihi tecum, ut rursum præstitis à te in rem ueditam omnibus, quæ ego tibi præstitissem, precium mihi non dares: tuq; mihi præstitissem: precium te debere definire. quia bonæ fidei, ad quam omnia hæc rediguntur, interpretatio hanc quoq; conuentionem admitteret. Nec quidq; interesse: utrum integris omnibus, in quibus obligati essemus, conueniret, ut ab eo negotio discederetur: an in integrum restituis ijs, quæ ego tibi præstitissem, consentiremus, ne quid tu mihi eo nomine præstares. Illud planè conuentione, quæ pertinet ad resoluendum id, quod actum est, perfici non potest: ut tu, quod iam ego tibi præstiti, contra præstare mihi cogaris. quia eo modo non tam hoc agitur, ut à pristino negotio discedamus: quàm ut nouæ quædam obligationes inter nos constituentur.

LVIII. PAVLVS lib. VI. *regularum.*

**P**er quos adquiri nobis stipulationibus potest: per eosdè pactis conuentis meliorem conditionem nostram fieri posse placet.

LIX. PAPYRIVS IVSTVS lib. VIII. *constitutionum.*

**I**mperator Antoninus Auidio Cassio rescripsit. Si creditores parati sunt,

sint, partem ex bonis ( licet ab extraneo ) consequi : rationem habendam prius necessariorum personarum, si idoneæ sint.

LX. POMPONIVS lib. III. ad Sabinum.

**N**emo paciscendo efficere potest, ne sibi locum suum dedicare liceat: aut ne sibi in suo sepelire mortuum liceat: aut ne vicino inuito prædium alienet.

LXI. FVRIVS ANTHINVS lib. I. ad edictum.

**S**i reus, postquam pactus est à se non peti pecuniam, ideoq; coepit id pactum fideiussori quoq; prodesse: pactus sit, ut à se peti liceat: an utilitas prioris pacti sublata sit fideiussori, quæsitum est: Sed uerius est, semel adquisitam fideiussori exceptionem pacti ulterius inuito extorqueri non posse.

### DE TRANSACTIONIBVS. Tit. XV.



VLPIANVS lib. L. ad edictum.

**Q**ui transigit, quasi de re dubia, & lite incerta, neq; finita transigit: qui uero paciscitur, donationis causa rem certam, & indubitaram liberalitate remittit.

II. IDEM lib. LXX. ad edictum.

**T**ransactum accipere quis potest, non solum si Aquiliana stipulatio fuerit subiecta, sed & si pactum conuentum fuerit factum.

III. SCAEVOLA lib. I. digestorum.

**I**mperatores Antoninus & Verus ita rescripserunt. Priuatis transactionibus non dubium est, non lædi ius cæterorum. quare transactione, quæ inter hæredem & matrem defuncti facta est: neq; testamentum rescissum uideri potest: neq; manumissis, uel legatarijs actiones suæ ademptæ sunt. Quare quidquid ex testamento petunt, scriptum hæredem conuenire debent: qui in transactione hæreditatis, aut cauit sibi pro oneribus hæreditarijs: aut si non cauit, non debet negligentiam suam ad alie nam iniuriam referre. Cû transactio propter fideicommissum facta esset, postea codicilli reperti sunt. quæro: an quanto minus ex transactione consecuta mater defuncti fuerit, quam pro parte sua est: id ex fideicommissi causa consequi debeat: respondi debere. Debitor, cuius pignus creditor distraxerat: cû Mæuius, qui se legitimum creditoris hæredem esse iactabat, minimo transigit. postea testamento prolato, Septitium hæredem esse apparuit. quæsitum est: si agat pignoratitia debitor cum Septitio, an is uti possit exceptione transactionis factæ cum Mæuius, qui hæres eo tempore non fuerit: possitq; Septitius pecuniam, quæ Mæuius ut hæredi à debitore numerata fuit, conditione repetere, quasi

quasi sub prætextu hæreditatis accepta? Respondi secundum ea, quæ proponerentur, non posse: quia neq; cum eo ipse transigit, neq; negotium Septicij Mæuius gerens accepit.

III. VLP IANVS lib. XLVI. ad Sabinum.

**A**quiliana stipulatio omnino omnes præcedentes obligationes no-  
uat, & perimit: ipsaq; perimitur per acceptilationem, & hoc iure  
utimur. ideoq; & legata sub conditione relicta, in stipulatione Aquilia-  
nâ deducuntur.

V. PAPIANVS lib. I. definitionum.

**C**um Aquiliana stipulatio interponitur, quæ ex cõsensu redditur:  
lites, de quibus non est cogitatum, in suo statu retinentur. libera-  
litem enim captiosam interpretatio prudentium fregit.

aliâs \*co-  
gnitum.

VI. CAIVS lib. XVII. ad edictum provinciale.

**D**e ijs controuersijs, quæ ex testamento proficiscuntur: neq; transi-  
gi, neq; exquiri ueritas aliter potest, q̄ inspectis cognitisq; uerbis  
testamenti.

VII. VLP IANVS lib. VII. disputationum.

**E**t post rem iudicatam transactio ualeat: si uel appellatio intercesse-  
rit, uel appellari potuerit. Si fideiussor conuentus & cõdemna-  
tus fuisse, & mox reus transigisset cum eo, cui erat fideiussor condem-  
natus: an transactio ualeat, quæritur: puto ualere: quasi omni causa, &  
aduersus reum, & aduersus fideiussorem dissoluta. Si tamen ipse fidei-  
ussor condemnatus transigit: & si transactio non perimit rem iudica-  
tam: tamen eo, quod datum est, releuari rem iudicatam oportet. Vsq;  
adeo autem quod datum est, etiam si non proficit ad transactionem,  
extenuat tamen rem iudicatam: ut inde sit & edictum & rescriptum, cir-  
ca alimentorû transactionem citra prætoris auctoritatem factam, ut  
quod datum est, proficiat ad alimenta: ita ut si quid amplius ex causa  
alimentorû deberi potest, id præstetur: quod aut datum est, imputetur.

VIII. IDEM lib. V. de omnibus tribunalibus.

**C**um hi, quibus alimenta relicta erant, facile transigerent, contem-  
ti modico præsentate: diuus Marcus oratione in senatu recitata effe-  
cit, ne aliter alimentorum transactio rata esset, quàm auctore præto-  
re facta. Solet igitur prætor interuenire, & inter consentientes arbitrari: an  
transactio, uel quæ admitti debeat. Eiusdem prætoris notio ob transac-  
tionem erit: siue habitatio, siue uestiarium, siue de prædijs alimentum  
legabitur. Hæc oratio pertinet ad alimenta, quæ testamento uel co-  
dicillis fuerint relicta. Idem erit dicendum, & si mortis causa donata sint:  
uel ab eo, cui mortis causa donata sint, relicta. Sed & si conditionis im-  
plendæ gratia relicta sunt: adhuc idem dicemus. Planè de alimentis, quæ  
non mortis causa data sunt, licebit & sine præto-  
re auctore transigere.

Siue igitur in menses singulos, siue in dies, siue in annos fuerint reli-  
m sta:

sta: oratio locum habet. Sed & si non fuerint perpetuo relicta, sed usque ad annos certos: idem est. Si integra quantitas alicui fuerit legata, ut ex usuris eius se alat, & mortis tempore pecunias restituat: non cessabit oratio, licet non in annos singulos uideatur id relictum. Sed & si sit certa quantitas relicta Titio, uel res, ita ut inde alimenta Seio præstentur: magis est, ut transigere possit. nec enim transactione Titij minuuntur alimenta Sej. Idemque est, & si per fidei commissum alimenta ad hoc legatario fuerint relicta. Eam transactionem oratio improbat, quæ idcirco fit, ut quis representatam pecuniam cõsumat. Quid ergo si quis vitra prætoris auctoritatem transegerit, ut quod per singulos annos ei relictum erat, consequeretur per singulos menses: aut quod per singulos menses ei relictum erat, mox consequeretur per singulos dies? Quid deinde si ita quod cõsummato anno acciperet, ut initio anni consequeretur: & puto eam transactionem ualere: quia meliorem conditionem suam tali transactione alimētarius facit. noluit enim oratio alimenta per transactionem intercipi. Nihil autem interest: utrum libertini sint, quibus alimenta relicta sunt, an ingenui: satis locupletes, an minus. Vult igitur oratio apud prætorē de istis queri: in primis de causa transactionis, deinde de modo, tertio de personis transigentium. In causa erit inquirendum, quæ causa sit transigendi. sine causa enim neminem transigentem audiet prætor. Causæ huiusmodi ferè solent allegari. si alibi domiciliū hares, alibi alimētarius habeat: aut si destinet domiciliū trāsferre alteruter eorum: aut si causa aliq̄ urgeat præsentis pecuniæ: aut si à pluribus ei alimenta relicta sint, & minutatim singulos cõuenire difficile ei sit: aut si alia qua causa sit (ut plures solent incidere:) quæ prætori suadeat transactionem admittere. Modus quoque pecuniæ, qui in transactionem uenit, æstimandus est: ut puta quantitas transactionis. nam etiam ex modo fides transactionis æstimabitur. Modus autē pro ætate eius, qui transigit, arbitrandus est, & ualitudine. nam aliter cum puero, aliter cum iuene, aliter cum sene transigi palam est. constat enim alimenta cum uita finire. Sed & personarum contemplatio habenda est: hoc est cuius uitæ sint hi, quibus alimenta relicta sunt: utrum frugi uitæ, & qui alias sufficere sibi possint: an sequioris, qui de alimentis pendeant. In persona autem eius, à quo alimenta relicta sunt, hæc erunt spectanda: in quibus facultatibus sit, cuius propositi, cuiusque opinionis. tunc enim apparebit, nunquid circumuenire uelit eum, cum quo transigit. Qui transigit de alimentis, nõ uidebitur neque de habitatiõne, neque de uestiario transigisse: cum diuus Marcus etiam specialiter de istis transigi uoluerit. Sed & si quis de alimentis transegerit: nõ habebit necesse, etiã de habitatione, uel ceteris iniquis transigere. poterit igitur uel de omnibus simul, uel de quibusdam

busdā facere transactionem. De calceario quoq; arbitrio prætoris transi-  
 gendum est. Si uni pluribusue fundus ad alimenta fuerit relictus, ue-  
 lintq; eū distrahere: necesse est prætorem de eius distractione & transa-  
 ctione arbitrari. Sed & si pluribus fundus ad alimenta fuerit relictus, &  
 ij inter se transigant: sine prætoris autoritate facta transactio rata esse  
 non debet. Idem est, & si ager in alimenta fuerit obligatus. nam nec pi-  
 gnus ad hoc datū, inconsulto prætore poterit liberari. Arbitratu præto-  
 ris uel de uniuersis alimentis, uel de parte eorū transigi oportere, plusq;  
 manifestū est. Si prætor aditus citra causæ cognitionē, transigi per-  
 miserit: transactio nullius erit momenti. prætori enim ea res quærenda  
 commissā est, nō negligenda, nec donanda. Sed & si non de omnibus in-  
 quisierit, quæ oratio mandat: hoc est de causā, de modo, de personis  
 transigentū: dicendum est, quamuis de quibusdā quæsierit, transactio-  
 nem esse irritā. Sed nec mandare ex hac causā iurisdictionē, uel præ-  
 ses provincie, uel prætor poterit. Transactiones alimentorū etiam  
 apud procuratorē cæsaris fieri possunt, si à fisco petantur alimenta. se-  
 cundū quæ apud præfectos ærarij transigi potest. Si cū lis quidē esset  
 de alimentis, transactum autē de lite fuisset: transactio ualere inconsul-  
 to prætore nō potest, ne circumueniatur oratio. fingi enī lites poterūt,  
 ut transactio etiā citra prætoris fiat autoritatē. Si eidem alimenta, &  
 præterea legatū præsentē die datum sit, & transactū fuerit citra prætoris  
 autoritatē: id quod datū est, imputabitur prius in legatū, quod præsen-  
 te die datū est: superfluum in alimentariā causam est. Si quis de alimentis  
 transigat sine prætoris autoritate: id quod datū est, in præterita ali-  
 menta cedit. nec interest, tantū in quantitate sit debita, quantū datū est: an  
 minus, an etiā plus. nam & si minus sit: adhuc tamen id, quod in solutū  
 datū est, in præterita alimenta imputabit. Sanē si is, qui de alimentis  
 transigat, locupletior factus sit ea solutione: in quod factū est locupletior,  
 æquissimū erit eius in eū dari repetitionē. nec enī debet ex alieno dāno  
 esse locupletior. Si in singulos annos certa quantitas alicui fuerit <sup>als\* relicta</sup> reli-  
 cta: ueluti homini honestioris loci salariū annuū, uel usufructus: transa-  
 ctio etiā sine prætore fieri poterit. Cæterū si usufructus uel modicus ali-  
 mentorū uice sit relictus: dico transactioem citra prætorē factā, nullius <sup>ueluti hone-  
stioris loci  
solarij an-  
num.</sup> esse momenti. Si cui nō numus ad alimenta, sed frumentū atq; oleū &  
 cætera, quæ ad uictū sunt necessaria, fuerint relicta: nō poterit de his tra-  
 sigere, siue annua, siue mensura ei relinquuntur. Si tamen ita sine præ-  
 tore transigerit, ut in uicē eorū numum quotannis uel quot mensibus  
 acciperet: & neq; diē, neq; modū permutauit, sed tantū genus: uel ex con-  
 trario si pactus fuerit, ut in generibus alimenta acciperet, quæ in numis  
 ei relicta fuissent: uel si uinū pro oleo, uel oleū p uino, uel qd aliud cōmu-  
 m ij tauit.

tauit. uelut si locū pmutauit, ut quæ erant ei Romæ alimenta relicta, in municipio uel in prouincia accipet, uel contra: uel personam, ut quod à pluribus erat accepturus, ab uno acciperet: uel alium pro alio debitorum acciperet. hæc omnia habent disceprationem prætoris, & pro utilitate alimentarij accipienda sunt. Si ad habitationem certa sit quantitas annua relicta: & ita sit transactum sine prætore, ut habitatio præstetur: ualet transactio, quia fructus habitationis præstatur: licet ruinae uel incendio subiecta transactio est. Per contrariū quodq; si pro habitatione, quæ erat relicta, placuit certā quantitātē præstari: transactio rata est, etiā citra prætorem.

IX. IDEM lib. I. *opinionum.*

**Q**ui cum tutoribus suis de sola portione administratæ tutelæ suæ egerat, & trāsegerat: aduersus eosdem tutores ex persona fratris sui, cui hæres exstiterat, agens: præscriptione factæ transactionis non submouetur. Transactio enim (quæcunq; sit) de his tantum, de quibus inter conuenientes placuit, interposita creditur. Qui per fallaciam cohæredis, ignorans uniuersa, quæ in uero erant, instrumentum transactionis sine Aquiliana stipulatione interposuit: non tam paciscitur, & decipitur. Ei qui nondum certus ad se querelam contra patris testamentum pertinere, de alijs caussis cum aduersarijs pacto transegit: tantum in his interpositū pactum nocebit, de quibus inter eos actum esse probatur. siquidem in his tantum transactio obest (quamuis maior uiginti quinque annis eam interposuit) de quibus actum probatur. nō autē quorum actiones competere postea compertum est. iniquum est enim perimi pacto id, de quo cogitatum non docetur.

X. IDEM lib. I. *responsorum.*

**D**ere filiorum, quos in potestate non habuit, trāsigentem patrem minime eis obesse placuit.

XI. IDEM lib. III. *ad edictum.*

**P**ost rem iudicatam, etiā si prouocatio non est interposita: tamen si negetur iudicatum esse, uel ignorari potest, an iudicatum sit: quia adhuc his subesse possit, transactio fieri potest.

XII. CELSVS lib. III. *digestorum.*

**N**on est ferendus, qui generaliter de his, quæ testamento ei relicta sunt, transegerit: si postea caussetur de eo solo se cogitasse, quod prima parte testamenti, ac non etiam quod posteriore legatum sit. Si tamen postea codicilli proferuntur, non improbe mihi dicturus uideatur: de eo dumtaxat se cogitasse, quod illarum tabularum, quas tunc nouerit, scriptura contineretur.

XIII. AEMYLIVS MACER lib. I. *ad L. uicissimam hereditatum.*  
**N**vlli procuratorū principis, inconsulto principe, transigere licet.  
 Scauola

XIII. SCAEVOLA lib. I. *responsorum.*

**C**ontrouersia inter legitimum & scriptum heredem orta est: eaq̄ transactione facta, certa lege finita est. quæro, creditores quæ conuenire possint: Respondi. si iidem creditores essent, qui transactionem fecissent: id obseruandū esse de ære alieno, quod inter eos conuenisset. Si alij creditores essent: propter incertum successionis, pro parte hereditatis, quam uterq̄ in transactione expressit, utilibus actionibus conueniendos esse.

XV. PAVLVS lib. I. *sententiarum.*

**P**acto conuento Aquiliana quidem stipulatio subijci solet: sed consultius est, huic pœnalem quoq̄ stipulationem subiungere: quia rescisso forte pacto, pœna ex stipulatu peti potest.

XVI. HERMOGENIANVS lib. I. *iuris Æπιτομῶν.*

**Q**ui fidem licite transactionis rupit: non exceptione tantum submouebitur, sed etiam pœnam, quam (SI CONTRA PLACITVM FECERIT, RATO MANENTE PACTO) stipulanti recte promiserat, præstare cogetur.

XVII. PAPINIANVS lib. II. *questionum.*

**V**enditor hereditatis, emptori mandatis actionibus, cum debitore hereditario, qui ignorabat uenditam esse hereditatem, transigit: Si emptor hereditatis hoc debitum ab eo exigere uelit: exceptio transacti negocij debitori, propter ignorantiam suam, accomodanda est. Idem respondendum est & in eo, qui fideicommissam recepit hereditatem: si hæres cum ignorante debitore transfegerit.

# DIGESTORVM

SEV PANDECTARVM LIBER TERTIVS.

DE POSTVLANDO. Tit. I.

VLPIANVS lib. VI. *ad edictum.*



**M**VC. titulum proposuit prætor habendæ rationis causa, suæq̄ dignitatis tuendæ, & decoris causa: ne sine delectu passim apud se postuletur. Ea propter tres fecit ordines. nam quosdam in totum prohibuit postulare, quibusdam pro se permisit, quibusdam & pro certis dumtaxat personis & pro se permisit. POSTVLARE autem est desiderium suum, uel amici sui in iure apud eum, qui iurisdictioni præest, exponere.

m. iij. re. uel

re: uel alterius desiderio contradicere. Initium autem fecit prætor ab his, qui in totum prohibentur postulare. In quo edicto, aut pueritiâ, aut casum excusauit. Pueritiâ: dum minorem annis decē & septem, qui eos non in totum compleuit, prohibet postulare: quia moderatam hanc ætatem ratus est ad procedendum in publicum. Quæ ætate, aut paulo maiore fertur Nerua filius, & publice de iure responsitasse. Propter casum: surdum, qui profus non audit, prohibet apud se postulare. nec enim erat permittendum ei postulare, qui decretum prætoris exaudire non poterat, quod etiam ipsi erat periculosum futurum. nam non exaudito decreto prætoris, quasi non obtemperasset, pœna ut contumax plecteretur. Ait prætor: SI NON HABEBVNT ADVOCATVM, EGO DABO. non solum his psonis hanc humanitatem prætor solet exhibere: uerum etiam si quis alius sit, qui certis ex causis, uel ambitione aduersarij, uel metu patronum non inuenit. Secundo loco edictum proponitur in eos, qui prohibentur, ne pro alijs postulent: in quo edicto excepit prætor sexum & casum, item personas turpitudine notabiles. Sexum quidem, dum fœminas prohibet pro alijs postulare. & ratio quidem prohibendi est, ne contra pudicitiam sexui congruentē alienis causis se immisceant: ne uirilibus officijs fungantur mulieres. Origo uero introducta est à \* Calpurnia improbissima fœmina: quæ in uerrecunde postulans, & magistratum inquietans, causam dedit edicto. Casum, dum cæcum utriusq; luminibus orbatum, prætor repellit: uidelicet, quod insignia magistratus uidere & reuereri non possit. Refert etiam Labeo, Publium cæcū Asprenati Nonij patrē auersa sella à Bruto destitutū, cum uellet postulare. Quamuis autem cæcus pro alio postulare non possit: tamen & senatorium ordinem retinet, & iudicandi officio fungitur. Nunquid ergo & magistratus gerere possit? Sed de hoc de liberabimus. exstat quidem exemplum eius, qui gessit. Appius denique Claudius cæcus consilijs publicis intererat, & in senatu seuerissimā dixit sententiam de Pyrrhi captiuis. Sed melius est, ut retinere quidem dicamus iam acceptum magistratū posse: aspirare autem ad nouum, penitus prohiberi: idē multis cōprobatur exemplis. Remouet autem à postulādo pro alijs & eum, qui corpore suo muliebria passus est. Si quis tamen ui prædonum uel hostium stupratus est: non debet norari, ut & Pomponius ait. Et qui capitali crimine damnatus est, nō debet pro alio postulare. Item Senatuscōsulto etiam apud pedaneos iudices postulare prohibetur, calumniæ causa publico iudicio damnatus. Et qui operas suas, ut cum bestijs depugnaret, locauit. **BESTIA S** autem accipere debemus ex feritate magis, q̄ ex animalis genere. nam quid si leo sit, sed mansuetus, uel alia dentata mansueta? Ergo qui locauit,

als\*Car-  
funia.

Solum

solus notatur: siue depugnauerit, siue non. Quid si depugnauit, cum non locasset operas suas: non tenebitur. non enim qui cum bestijs depugnauit, tenetur: sed qui operas suas in hoc locauit. Deniq; eos, qui uirtutis ostendendæ causa hoc faciunt sine mercede, non teneri aiunt ueteres: nisi in arena passi sunt sese honorari: eos enim puto notam non euadere. Sed si quis operas suas locauerit, ut feras uenetur: uel ut depugnet feram, quæ regioni nocet, extra arenam: non est notatus. His igitur personis, quæ non uirtutis causa cū bestijs pugnauerunt: pro se prætor pmissit allegare, pro alio prohibet. Sed est æquissimum, si tutelam uel curam huiusmodi personæ administrent: postulare eis pro his, quorum curam gerunt, concedi. Qui aduersus ea fecisse monstratur, & pro alijs interdicta postulatione repellitur: & pro æstimatione iudicis extra ordinem pecuniaria pœna multatur. Ut initio huius tituli diximus, tres ordines prætor fecit non postulantium: quorum tertius est, quibus non in totum denegat postulandi facultatem, sed ne pro omnibus postulent: quasi minus deliquerint, q̄ hi qui superioribus capitibus notantur. Ait prætor. QVI LEGE, PLEBISCITO, SENATVSCONSVLTO, EDICTO, DECRETO PRINCIPVM ( NISI PRO CERTIS PERSONIS ) POSTVLARE PROHIBENTVR: HI PRO ALIO, QVAM PRO QVO LICEBIT, IN IVRE APVD ME NE POSTVLENT. Hoc edicto continentur etiam alij omnes, qui edicto prætoris ut infames notantur: qui oēs, nisi pro se & certis personis, nõ postulant. Deinde adiicit prætor: QVI EX OMNIBVS HIS, QVI SVPRA SCRIPTI SVNT, IN INTEGRVM RESTITVTVS NON ERIT. QVI EX HIS, QVI SVPRA SCRIPTI SVNT, sic accipitur: si fuerit inter eos, qui tertio edicto continentur, & nisi pro certis personis, postulare prohibentur. Cæterũ si ex superioribus: difficile in integrum restitutio impetrabitur. De qua autẽ restitutione prætor loquatur: utrum de ea, quæ à principe datur, an quæ à senatu: Põponius quærit. et putat de ea restitutione sensum, quam uel princeps, uel senatus indulsit. An autẽ & prætor restituere possit, quæritur. & mihi uidetur talia prætorum decreta non esse seruanda: nisi sicubi ex officio iurisdictionis suæ subueniant: ut in ætate obseruatur, si quis minor deceptus sit: cæterisq; speciebus, quas sub titulo DE IN INTEGRVM RESTITVTIONE, exsequemur. Pro qua sententia est: quod si quis famoso iudicio condemnatus, per in integrum restitutionem fuerit absolutus: Põponius putat hunc infamia eximi. Deinde adiicit prætor. PRO ALIO NE POSTVLENT: PRAETER QVAM PRO PARENTE, PATRONO, PATRONA'VE, LIBERIS PARENTIBVS'QVE PATRONI PATRONAEQVE. de quibus psonis sub titulo DE IN IVS VOCANDOPlenius diximus. Item adiicit: LIBERIS'VE. SVIS, FRATRE, SORORE, uxore

RE, VXORE, SOCERO, SOCRV, GENERO, NVRV, VITRICO, NOVER-  
CA, PRIVIGNO, PRIVIGNA, PVPILLO, PVPILLA, FVRIOSO, FVRIO-  
SA,

II. CAIVS lib. III. ad edictum provinciale.

FATVO, FATVA: cum istis quoq; personis curator detur.

III. VLP IANVS lib. VI. ad edictum.

CVI EORVM A' PARENTE, AVT MAIORIS PARTIS TVTORVM  
SENTENTIA: AVT AB EO, CVIVS DE EA RE IVRISDICTIONE FV-  
IT: EA TVTELA, CVRATIO VE DATA ERIT. Adfinitates non eas  
accipere debemus, quæ quondam fuerunt, sed præsentēs. Item Pom-  
ponius, APPELLATIONE NVRVS ET GENERI, SOCERI ET SOCRVS:  
& ultetiores, quibus PRO præposito solet accedere, contineri ait. In cu-  
ratoribus item debuisse eum adijcere: CAETERORVM QVE, QVIBVS  
DARI SOLENT: id est muto, surdo, prodigo, & adolescenti.

III. PAVLVVS lib. V. ad edictum.

Item quibus propter infirmitatem curator dari solet.

V. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

ET qui negocijs suis, aliquo ppetuo morbo, superesse non possunt

VI. IDEM lib. VI. ad edictum.

PVro autem omnes, qui non sponte, sed necessario funguntur offi-  
cio: posse sine offensa edicti postulare: etiam si hi sint, qui non nisi  
pro se postulare possunt. Si quis aduocatione præstare fuerit prohibi-  
tus: siquidem apud se (ut solent facere tempore magistratus sui) puro  
eum postea apud successorem eius adesse posse.

VII. CAIVS lib. III. ad edictum provinciale.

QVos prohibet prætor apud se postulare: omni modo prohibet,  
etiam si aduersarius eos patiatur postulare.

VIII. PAPINIANVS lib. II. questionum.

IMperator Titus Antoninus rescripsit: eum, cui aduocationibus in  
quinquennium interdictum esset: post quinquennium pro omnibus  
postulare non prohiberi. Diuus quoq; Hadrianus rescripsit, de exilio re-  
uersum postulare posse: nec adhibetur distinctio, quo crimine silētium  
uel exilium sit irrogatū: ne scilicet pœna tempore determinata, contra  
sententiæ fidem ulterius porrigatur.

alijs\* fi-  
nem.

IX. IDEM lib. I. responforum.

EX ea causa prohibitus pro alio postulare, quæ infamiam non irro-  
gat, ideoq; ius postulandi pro omnibus non aufert: in ea tantum  
provincia pro alijs non recte postulat, in qua præses fuit, qui sententiā  
dixit. In alia uero non prohibetur, licet eiusdem nominis sit.

X. PAVLVVS.

IQui fisci causas agunt: suam, uel filiorum, uel parentum suorum  
uel

uel pupillorum, quorum tutelae gerunt, causam etiã aduersus fiscum agere non prohibentur. Decuriones quoq; cõtra patriam suã causam agere prohibentur, præter superiores personas.

XI. TRIPHONIVS lib. V. *disputationum.*

**A** Principe nostro rescriptum est: non prohiberi tutorem adesse pupillo in negotio, in quo aduocatus cõtra patrem eius fuisset. Sed & illud ab eo permissum est: agere tutorem pupilli causam aduersus fiscum, in qua aduersus patrem pupilli ante aduocatus fisci fuisset.

DE HIS QUI NOTANTVR INFAMIA. Tit. II.

IULIANVS lib. I. *ad edictum.*

**P**raetoris uerba dicunt. INFAMIA NOTATVR, QUI AB EXERCITV IGNOMINIAE CAUSSA, AB IMPERATORE, EO'VE, CVI DE EA RE STATVENDI POTESTAS FVERIT: DIMISSVS ERIT. QUI ARTIS LVDICRAE PRONVNCIANDI'VE CAUSSA IN SCENAM PRODIERIT. QUI LENOCINIVM FECERIT. QUI IVDICIO PVBLICO, CALVMNIAE PRAEVARICATIONIS'VE CAUSSA QVID FECISSE, IVDICATVS ERIT. QUI FVRTI, VI BONORVM RAPTORVM, INIVRIARVM, DE DOLO MALO ET FRAVDE, SVO NOMINE DAMNATVS, PACTVS'VE ERIT. QUI PRO SOCIO, TVTELAE, MANDATI, DEPOSITI, SVO NOMINE, NON CONTRARIO IVDICIO DAMNATVS ERIT. QUI EAM, QVAE IN POTESTATE EIVS ESSET, GENERO MORTVO (CVM EVM MORTVVM ESSE SCIRET) INTRA ID TEMPVS, QVO LVGERE VIRVM MORIS EST: ANTEQVAM VIRVM ELVGERET, IN MATRIMONIVM COLLOCAVERIT: EAMVE SCIENS QVIS VXOREM DVXERIT, NON IVSSV EIVS, IN CVIVS POTESTATE EST. ET QUI EVM, QVEM IN POTESTATE HABET: EAM, DE QVA SVpra COMPRAEHENSVM EST, VXOREM DVCERE PASSVS FVERIT. QVIVE SVO NOMINE, NON IVSSV EIVS, IN CVIVS POTESTATE EST: EIVSVE NOMINE, QVEM QVAM'VE IN POTESTATE HABET: BINA SPONSALIA, BINAS'VE NVPTIAS EODEM TEMPORE CONSTITVTAS HABVERIT.

II. VLP IANVS lib. VI. *ad edictum.*

**Q**uod ait praetor, QUI AB EXERCITV DIMISSVS ERIT: dimissum accipere debemus militem caligatum: uel si quis alius usq; ad centurionem, uel praefectum cohortis, uel alae, uel legionis dimissus est. Hoc amplius Pomponius ait: etiam eum, qui exercitui praest (licet consularibus insignibus utitur) ignominiae causa ab Imperatore missus, hac nota laborare. Ergo & si dux, cum exercitui praest, dimissus

erit: notatur. Et si princeps dimiserit, & adiecerit ignominia causa se mittere: (ut plerumq; facit) non dubitabitur, & hoc edicto pratoris eum infamia esse notatum. Non tamen, si citra indignationem principis successor ei datus est. Exercitum autem non unam cohortem, neq; unam alam dicimus: sed numeros multos militum. Nam exercitui praetore committas administrat. Sed etiam eum, qui ab aliquo numero militum missus est: quasi ab exercitu missum, sic accipiemus. **IGNOMINIAE CAUSSA.** hoc ideo adiectum est, quoniam multa genera sunt missionum. Est honesta, quae emeritis stipendijs, uel ante ab imperatore indulgetur. est causaria, quae propter ualitudinem laboribus militum soluit. est ignominiosa. Ignominiosa autem missio toties est: quoties is qui mittit, addidit nominatim ignominiae causa se mittere. semper enim debet addere, cur miles mittatur. Sed & si ita exauthorauerit, ut insignia militaria detraheret: inter infames efficit, licet non addidit, ignominiae causa se ita exauthorasse. Est & quartum genus missionis, si quis euitandorum munerum causa militiam subisset. haec autem missio existimationem non laedit, ut est sapissime rescriptum. Miles, qui lege Iulia de adulterijs fuerit damnatus: ita infamis est, ut etiam ipsa sententia eum sacramento ignominiae causa soluat. Ignominia missis neq; in urbe, neq; alibi, ubi Imperator est, morari licet. Ait praetor, **QUI IN SCENAM PRODIERIT.** Scena est (ut Labeo definit) quae ludorum faciendorum causa quolibet loco, ubi quis consistat, moueaturq; spectaculum sui praebiturus, posita sit in publico, priuatoe, uel in uico: quo tamen loco passim homines spectaculi causa admittat. Eos enim, qui quaestus causa in certamina descendunt, & omnes propter praemium in scenam prodeuntes: famosos esse, Pegafus & Nerua filius responderunt.

III. CAIVS lib. III. ad edictum provinciale.

**Q**ui autem operas suas locauit, ut prodiret artis ludicae causa, neq; prodiret: non notatur. quia non est ea res adeo turpis, ut etiam consilium puniri debeat.

IIII. VLPIANVS lib. VI. ad edictum.

**A**thletas autem Sabinus & Cassius responderunt, omnino artem ludicram non facere. uirtutis enim gratia hoc eos facere. & generaliter ita omnes opinantur, & utile uidetur: ut neq; thumelici, neq; xyftici, nec agitadores, nec qui aquam equis spargunt, caeteraq; eorum ministeria, qui certaminibus sacris deseruiunt, ignominiosi habeantur. Designatores autem, quos Graeci *ἑραβεύται* appellat, artem ludicram non facere, Celsus probat: quia ministerium, non artem ludicram exercent. Et sane

Et sanè locus iste à principe hodie nō pro modico beneficio dat̄. Ait prætor, *QUI LENOCINIUM FECERIT*. Lenocinium facit, qui quæstuar̄ia mancipia habet. Sed & qui hunc quæstum in liberis exercet, in eadem causa est. Siue autem principaliter hoc negotium gerat, siue alterius negotiationis accessione utatur: ut puta si caupo fuerit uel stabularius, & mancipia talia habuerit ministrantia, & occasiōe ministerij quæstū facientia: siue balneator fuerit, & (ueluti in quibusdā prouincijs fit) in balneis ad custodienda uestimenta conducta habeat mancipia, hoc genus obseruantia in officina: lenocinij pœna tenebitur. Pomponius eum, qui in seruitute peculiaria mancipia prostituta habuit, notari & post libertatem ait. Calumniator ita demū notatur, si fuerit calumniæ causa damnatus. neq̄ enim sufficit calumniatum. item præuaricator, præuaricator autem est, quasi uaricator: qui diuersam partem adiuvat, prodita causa sua: quod nomen Labeo à uaria certatione tractum ait. nam qui præuaricatur, ex utraq̄ parte consistit: quin imò ex aduersa. Item si quis furti, ni bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo malo, suo nomine damnatus, pactus uē erit: simili modo\* infamis est.

V. PAVLVVS lib. V. ad edictum.

**Q**uoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur.

VI. VLPIANVS lib. VI. ad edictum.

**F**VRTI accipe: siue manifesti sit, siue nec manifesti. Sed si furti, uel alijs famosis actionibus quis condemnatus prouocauerit: pendente iudicio, nondum inter famosos habetur. Si aut̄ oīa tempora prouocatiōis lapsa sunt: retro infamis est. Quāuis si iniusta appellatio eius uisa sit: hodie notari puto, non retro. Si quis alieno nomine condemnatus fuerit, non laborat infamia. & ideo nec procurator, uel defensor, uel curator, uel tutor, uel hæres: furti, uel ex alia simili specie condemnatus, infamia notabuntur: nec ergo si ab initio per procuratorem causa agitata est. *PACTVS UEB* (inquit) *ERIT*. pactū sic accipimus, si cum precio quantocunq̄ pactus est: alioquin & qui precibus impetrat, ne secum ageretur, erit notatus, nec erit ueniam ulla ratio: quod est inhumanum. Qui iussu prætoris precio dato, pactus est, non notatur. Sed & si iureiurando delato iurauerit quis non deliquisse, non erit notatus. nam quodammodo innocentiam suā iureiurando approbauit. *MANDATI*. Verbis edicti notatur, non solum qui mandatum suscepit: sed & is, qui fidē, quā aduersarius secutus est, nō præstat. ut puta si fideiussi pro te & solui. mandati si te condēnauero, famosum facio. Illud planē addendū est, quod interdū & hæres suo nomine damnatur, & ideo infamis fit: si in deposito, uel in mandato male uersatus sit. Non tamē in tutela uel pro socio hæres suo nomine dānari potest: quia hæ-

res neq; in tutelã, neq; in societatem succedit, sed tantum in æs alienũ defuncti. Contrario iudicio damnatus non erit infamis, nec immerito. nam in contrarijs non de perfidia agitur, sed de calculo, qui ferè in iudicio solet dirimi.

VII. PAVLVVS lib. V. ad edictum.

**I**n actionibus, quæ ex contractu proficiuntur: licet famosæ sunt, & damnati notantur: attamen pactus non notatur, merito. quoniam ex his causis non tam turpis est pactio, quàm superioribus.

VIII. VLPPIANVS lib. VI. ad edictum.

**G**ENERO (inquit) MORTVO. merito adiecit prætor, CVM EVM MORTVVM ESSE SCIRET: ne ignorantia puniatur. Sed cū tempus luctus continuum est: merito & ignorantia cedit ex die mortis mariti. & ideo si post legitimum tempus cognouit: Labeo ait, ipso die & sumere ipsam lugubria, & deponere.

IX. PAVLVVS lib. V. ad edictum.

**V**xores uiri lugere non compelluntur. Sponsi nullus luctus est.

X. IDEM lib. XXXV. ad edictum.

**S**olet à principe impetrari, ut intra legitimum tempus mulieri nubere liceat. Quæ uirum eluget, intra id tempus sponsam fuisse nõ nocet.

XI. VLPPIANVS lib. VI. ad edictum.

**L**iberorum autem & parentum luctus impedimento nuptijs non est. Et si talis sit maritus, què more maiorũ lugeri non oportet: nõ poterit tamen nuptiũ intra legitimũ tempus collocari. prætor enim ad id tempus se rerulit, quo uir elugeretur: qui solet elugeri propterurbationem sanguinis. Vnde Pomponius eam, quæ intra legitimum tempus partum edidit: putat uel statim posse se nuptum collocare: quod uerum puto. Non solent autem lugeri (ut Neratius ait) hostes, uel perduellionis damnati: nec suspendiosi: neq; qui manus sibi intulerint, non tædio uitæ, sed mala conscientia. Si qua ergo post huiusmodi exitum mariti se nuptum collocauerit: infamia notetur. Notatur etiam qui eam duxit, sed sciens ignorantia enim excusatur, non iuris, sed facti. Excusatur, qui iussu eius, in cuius potestate erat, duxerit: & ipse, qui passus est ducere, notatur. utrũq; recte. nam & qui obtemperauit, uenia dignus est: & qui passus est ducere, notatur ignominia.

XII. PAVLVVS lib. V. ad edictum.

**Q**ui iussu patris duxit: quamuis liberatus patria potestate eam retinuit: non notatur.

XIII. VLPPIANVS lib. VI. ad edictum.

**Q**uid ergo, si non ducere passus, posteaquàm duxit, ratum habuerit: utputa initio ignorauit talem esse, postea scit: nõ notabitur. prætor

aliàs\*gs.

prætor enim ad initium nuptiarum se retulit. Si quis alieno nomine bina sponsalia constituerit, non notatur: nisi eius nomine constituerat, quæ quamvis in potestate habet. Certe qui filiū uel filiam cōstituere patitur, quodammodo ipse uidetur constituisse. Quod ait prætor, EODEM TEMPORE: non initia sponsaliorum eodem tempore factorum accipiendū, sed si in idem tēpus concurrant. Item si alteri sponsa, alteri nupta sit: ex sententia edicti punitur. Cum autem factum notetur: etiam si cum ea quis faciat nuptias, uel sponsalia constituat, quam uxore ducere non potest, uel fas non est: erit notatus. Ex com promisso arbiter infamiam non facit: quia non per omnia sententia est. Quantum ad infamiam pertinet, multum interest: in causa, quæ agitur, causa cognita aliquid pronunciatum sit: an quædam extrinsecus sint elocuta. nam ex his infamia non irrogatur. Poena grauior ultra legem imposita, existimationem conseruat: ut & constitutum est, & responsum. ut puta si eum, qui parte bonorum multari debuit, præses relegauerit: dicendum erit, duriore sententia cum eo transactum de existimatione eius: idcircoque non esse infamem. Sed si in causa furti nec manifesti in quadruplum iudex cōdemnauerit: onerat quidem reum poena aucta (nam ex furto nec manifesto in duplum conueniri debuit) uerum hac re existimationem ei nō conseruat: quamuis si in poena non pecuniaria eum onerasset, transactum cum eo uideretur. Crimen stellionatus infamiam irrogat damnato, quamuis publicum iudicium non est.

XIIII. PAVLVS lib. V. ad edictum.

Seruus, cuius nomine noxale iudicium dominus acceperat, deinde se eundem liberum & hæredem instituerat: ex eodem iudicio damnatus, non est famosus: quia non suo nomine condemnatur, quippe cum initio lis in eum contestata non sit.

XV. VLP IANVS lib. VIII. ad edictum.

Notatur, quæ per calumniam uentris nomine in possessione missa est, dum se adseuerat prægnantem:

XVI. PAVLVS lib. VIII. ad edictum.

Cum non prægnans esset, uel ex alio concepisset.

XVII. VLP IANVS lib. VIII. ad edictum.

Debit enim coerceri, quæ prætorem deceptit. Sed ea notatur, quæ cum suæ potestatis esset, hoc fecit.

XVIII. CAIUS lib. III. ad edictum prouinciale.

Ea, quæ falsa existimatione decepta est: non potest uideri, per calumniam fuisse in possessionem.

XIX. PAVLVS lib. VIII. ad edictum.

iiij Non

**N**on alia autem notatur, quàm ea, de qua pronúciatum est, calumniae causa eam fuisse in possessione missam. Idcirco erit & in patre seruandum: qui calumniae causa passus est filiam, quam in potestate habebat, in possessionem ventris nomine mitti.

XX. PAPINIANVS lib. I. responsorum.

**O** B hac uerba sententiae praesidis, puincia, CALLIDO COMMENTO VIDERIS ACCVSATIONIS INSTIGATOR FVISSE: pudor potius onerat, quàm uidetur irrogari ignominia. non enim qui exhortatur, mandato ris opa fungitur. XXI. PAVLVS lib. II. responsorum.

**L**vcius Titius crimé intendit C. Seio, quasi iniuriam passus: atque in eam rem testationem apud praefectum praetorio recitauit. praefectus fide non habita testationi, nullá iniuriam L. Titium passum esse à C. Seio pronunciauit. Quaro: an testes, quorum testimonium reprobatum est, quasi ex falso testimonio inter infames habeantur? Paulus respondit. Nihil proponi, cur hi, de quibus quaeritur, infamium loco haberi debeant: cum non oporteat ex sententia (siue iusta, siue iniusta) pro alio habita, alium praegrari.

XXII. MARTIANVS lib. II. publicorum.

**I**ctus\* fustium infamiam non importat: sed causa, propter quam id pati meruit: si ea fuit, quae infamiam damnato irrogaret. In ceteris quoque generibus poenarum eadem forma statuta est.

XXIII. VLPIANVS lib. VIII. ad edictum.

**P**arentes & liberi utriusque sexus, nec non & ceteri adgnati uel cognati, secundum pietatis ratione, & animi sui patientiam (prout quisque uoluerit) lugendi sunt: qui autem eos non eluxit, non notatur infamia.

XXIII. IDEM.

**I**mperator Seuerus rescripsit, non obtuisse mulieris famae quaestum eius in seruitute factum. XXV. PAPINIANVS lib. II. quaest.

**E**xhaereditatum quoque filium luctum habere patris memoriae placuit. idemque & in matre iuris est: cuius haereditas ad filium\* non pertinet. Si quis in bello ceciderit: & si corpus eius non compareat, lugebitur.

### DE PROCURATORIBVS ET DEFENSORIBVS. Tit. III.

VLPIANVS lib. IX. ad edictum.

**P**rocurator est, qui aliena negocia mandatu domini administrat. Procurator autem uel omnium rerum, uel unius rei esse potest: constitutus uel coram, uel per nuncium, uel per epistolam. quamuis quidam (ut Pomponius libro uicesimo quarto scribit) non

non putent unius rei mandatum suscipientem, procuratorem esse: si-  
cuti nec is quidem, qui rem perferendam, uel epistolam, uel nuncium  
perferendum suscepit, proprie procurator appelletur. Sed uerius est,  
eum quoque procuratorem esse, qui ad unam rem datus sit. Vfus au-  
tem procuratoris perquam necessarius est: ut qui rebus suis ipsi super-  
esse, uel nolunt, uel non possunt: saltem per alios possint, uel agere, uel  
conueniri. Dari autem procurator etiam absens potest.

II. PAVLVS lib. VIII. ad edictum.

**D**Ummodo si certus sit, qui datus intelligitur: & is ratum habue-  
rit. Furiosus non est habendus, absentis loco: quia in eo animus  
deest, ut ratum habere non possit.

als\*deest  
negatio.

III. VLPPIANVS lib. IX. ad edictum.

**L**item ad litē futurā, & in diē, & sub cōditione, & usque ad diē dari pot.,

IIII. PAVLVS lib. VIII. ad edictum.

**E**T in perpetuum.

V. VLPPIANVS lib. VII. ad edictum.

**P**ræsens habetur, & qui in ortis est,

VI. PAVLVS lib. VI. ad edictum.

**E**T qui in foro, & qui in urbe, & qui in continentibus ædificijs.

VII. VLPPIANVS lib. VII. ad edictum.

**E**T ideo procurator ei præsentem esse uidetur.

VIII. IDEM lib. VIII. ad edictum.

**F**ilius familias & ad agendum dare procuratorem potest, si qua sit  
ei actio, qua ipse experiri potest: non solum si castrense peculium  
habeat. Sed & uim, aut (puta) iniuriam passus, procuratorem dabit ad  
iniuriarum actionē: si forte neque pater præsentem sit, nec patris procurator  
uelit experiri: & erit iure ab ipso filiofamilias procurator datus. Hoc  
amplius Iulianus scribit: & si filiofamilias patri, per filiū eius, in eadem  
potestate manentē, fiat iniuria: neque auus præsentem sit: posse patrem pro-  
curatorem dare ad ulciscendam iniuriam, quam nepos absentis passus  
est. Ad defendendum quoque poterit filiusfamilias procuratorem da-  
re. Sed & filiafamilias poterit dare procuratorem ad iniuriarū actio-  
nem. Nam ad doris exactionem cum patre dari procuratorem, super-  
uacuum esse Valerius Severus scribit: cum sufficiat patrē dare ex filia  
uoluntate. Sed puto si forte pater absens sit, uel suspectæ uitæ (quo casu  
solet filia competere de dote actio) posse eam procuratorem dare. Ipse  
quoque filius procurator dari poterit & ad agendum & ad defenden-  
dum. Inuitus procurator non solet dari. inuitum accipere debemus,  
non eum tantum, qui contradicit: uerum eū quoque, qui consensisse non  
probat. Veterani procuratores fieri possunt. Milites autē, nec si ue-  
lit ad-

lit aduersarius, procuratores dari possunt: nisi hoc tempore litis contestatæ quocunq; casu prætermisum est. excepto eo, qui in re suam procurator datus est: uel qui communem causam omnis sui numeri persequitur uel suscipit. quia talis procuratio concessa est. PROCURATOREM AD LITEM SVSCIPIENDAM DATVM, PRO QVO CONSENTIENTE, DOMINVS IVDICATVM SOLVI EXPOSUIT: prætor ait, IVDICIVM ACCIPERE COGAM. Verum ex causa non debet compelli. utputa si inimiciæ capitales interuenerint inter ipsum procuratorem & dominum: scribit Iulianus, debere in procuratorem denegari actionem. Item si dignitas accesserit procuratori, uel reipublicæ causa ab eo futurus sit.

**A** IX. CAIVS lib. III. ad edictum prouinciale.  
Ut si ualetudinem, uel necessariam peregrinationem alleget.

X. VLPPIANVS lib. VIII. ad edictum.

**V** El hæreditas superueniens eum occupet: uel alia iusta causa. Hoc amplius, & si habeat præsentem dominum: nõ debere cõpelli procuratorem.

XI. PAVLVS lib. VIII. ad edictum.

**S** I tamen dominus cogi possit.

XII. CAIVS lib. III. ad edictum prouinciale.

**S** Ed etiam ex his causis dicitur aliquando cogendum procuratorem iudicium accipere: ueluti si dominus præsens non sit, & actor adsit: met tractu temporis futurum, ut res pereat.

XIII. VLPPIANVS lib. VIII. ad edictum.

**S** Ed hæc neq; passim admittenda sunt, neq; districte deneganda: sed à prætore causa cognita temperanda.

XIII. PAVLVS lib. VIII. ad edictum.

**S** I post datum procuratorem capitales inimiciæ intercesserint: non cogendum accipere iudicium, nec stipulationem ob rem non defensam committi: quoniam noua causa sit.

XV. VLPPIANVS lib. VIII. ad edictum.

**S** I defunctus sit dominus ante litē contestatā, IUDICATVM SOLVI stipulatione pro suo procuratore data: procurator compellendus est ad iudicium accipiendum: ita tamen, si hoc dominus sciente procuratore, & non contradicente fecit. Quod si aliter actum est: inscium quidem procuratorem teneri, satis iniuile est. Committitur autē ob rem non defensam stipulationis clausula. Qui ad communi diuidendo iudicium datus est agendum: idem & ad defendendum uidebitur datus, duplici cautela interponenda.

**A** Nte litem contestatam libera potestas est, uel mutandi procuratoris

toris, uel ipsi domino iudicium accipiendi.

XVII. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

**P**ost litem autem contestatam reus, qui procuratorem dedit, mutare quidem eum, uel in se litem transferre \*a uiuo procuratore, uel in ciuitate manente potest: caussa tamen prius cognita. Non solum autem ipsi, qui dedit procuratorem, hoc permittitur: sed etiam heredi eius, & ceteris successoribus. In caussa autem cognitione non solum hæc uersantur, quæ supra diximus, in procuratore non compellendo suscipere iudicium: uerum & aras,

abs. inuio-  
to.

**E**T religionis beneficium.

XVIII. MODESTINVS lib. X. τὸ καὶ ἐκ τῶν.

**I**tem si suspectus sit procurator, aut in uinculis, aut hostium prædationum potestate:

XIX. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

**V**el iudicio publico priuatione, uel ualetudine, uel maiore sua re difringatur,

XX. PA VLVS lib. VIII. ad edictum.

**V**el exilio: uel si latitet, uel si inimicus postea fiat,

XXI. CA IVS lib. III. ad edictum provinciale.

**A**ut ad finitatem aliquam aduersario iungatur, uel hæres ei existat:

XXII. PA VLVS lib. VIII. ad edictum.

**A**ut longa peregrinatio, & aliæ similes caussæ impedimento ei sint:

XXIII. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

**M**utari debet, uel ipso procuratore postulante:

XXIII. PA VLVS lib. IX. ad edictum.

**Q**uæ omnia non solum ex parte rei, sed etiam in persona actoris obseruabuntur. Sed & si aduersarius uel ipse procurator dicat dominum mentiri: apud prætorem hoc finiri oportet, nec ferendus est procurator, qui sibi adserit procuratorem. nam hoc ipso suspectus est, quod operam suam ingerit inuito: nisi forte purgare magis conuicium, quam procuratorem exsequi maluerit. & hætenus erit audiendus, si dicat se procuratorem quidem carere uelle: sed ita, si id illæsa existimatione sui fiat. Cæterum ferendus est pudorem suum purgans. Planè si dicat in rem suam se procuratorem datum, & hoc probauerit: non debet carere propria lite. Item si retentione aliqua, procurator uti uelit: non facile ab eo lis erit

XXV. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

**N**on transferenda.

XXVI. PA VLVS lib. VIII. ad edictum.

**I**n caussa cognitione etiam hoc uersabitur: ut ita demum transferretur

XXVII. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

à procuratore iudicium permittatur, si quis omnia iudicia ab eo transferre paratus sit. Cæterum si uelit quædam transferre, quædã relinquere: inſte procurator hanc inconstantiam recuſabit. Sed hæc ita, ſi mandatu domini procurator egerit. cæterum ſi mandatum non eſt: cū nec in iudicio quidquã deduxit, nec tu ea comprobasti, quæ inuito te acta ſunt: tibi non præiudicant. ideoq; translatio earum litium non eſt tibi neceſſaria, ne alieno facto onereriſ. Hæc autem cognitio procuratoris mutandi prætoris eſt. Si ex parte actoris translatio litis fiat: dicimus cõmitti *IVDICATVM SOLVI* ſtipulationẽ à reo factam: idq; & Neratius & Iulianus probãt, & hoc iure utimur: ſcilicet, ſi dominus ſatis acceperit. Sed ſi procurator ſatis acceperit, & transferatur iudicium in dominum: uerius eſt, committi ex ſtipulatu actionem, & à procuratore in dominum transferri. Sed & ſi à domino uel à procuratore in procuratorem iudiciũ transferatur: non dubitat Marcellus, quin committatur ſtipulatio: & hæc uera ſunt. Et licet procuratori commiſſa ſit ſtipulatio: tamen domino erit danda utilis ex ſtipulatu actio, directa penitus tollenda.

XXVIII. IDEM lib. I. *diſputationum.*

**S**i procurator meus *IVDICATVM SOLVI* ſatis accepit: mihi ex ſtipulatu actio utilis eſt, ſicuti iudicati actio mihi indulget. Sed & ſi agat procurator meus ex ea ſtipulatione, me inuito: nihilominus tamen mihi ex ſtipulatu actio tribuetur, quæ res facit, ut procurator meus ex ſtipulatu agendo, exceptione debeat repelli: ſicut cū agit iudicati, non in rem ſuam datus, neq; ad eandem rem procurator factus. Per contrarium autem ſi procurator meus *IVDICATVM SOLVI* ſatiſdederit: in me ex ſtipulatu actio non datur. Sed & ſi defenſor meus ſatiſdederit, in me ex ſtipulatu actio non datur, quia nec iudicati mecum agi poteſt.

XXIX. IDEM. lib. IX. *ad edictum.*

**S**i actor malit dominium potius conuenire, quam eum, qui in rem ſuam procurator eſt: dicendum eſt ei licere.

XXX. PAVLVS lib. I. *ſententiarum.*

**A**ctoris procurator, non in rem ſuam datus: propter ſimpenſas, quas in litem fecit: poteſt deſiderare, ut ſibi ex iudicatione ſatis fiat: ſi dominus litis ſoluendo non ſit.

XXXI. VLPIANVS lib. IX. *edictum.*

**S**i quis cum procuratorio nomine condemnatus eſſet, hæres exſtiterit domino litis: iudicati actionem non recte recuſabit. hoc, ſi ex aſe. Si autẽ ex parte hæres exſtiterit, & rotum ſoluerit: ſiquidẽ ei mandatum eſt, hoc quoq; ut ſoluat: mandati actionẽ aduerſus cohæredes habebit. ſi non ſit mandatu: negotiorum geſtorũ actio dabitur, quod eſt. & ſi hæres procurator nõ exſtiterit, & ſoluerit. Vnius litis pluriũ perſona-

rum, plures dari procuratores non est prohibitum. Iulianus ait: eum, qui dedit diuersis temporibus procuratores duos: posteriore dando, priorem prohibuisse uideri. XXXII. PAVLVVS lib. VIII. ad edictum.

**P**uribus procuratoribus in solidum simul datis, occupantis melior conditio erit: ut posterior non sit in eo, quod prior petit, procurator.

XXXIII. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

**S**eruum quoque & filium familias, procuratorem posse habere aiunt. & quantum ad filium familias, uerum est: in seruo subsistimus & negocia quidem pecuniaria serui posse gerere aliquem, & hoc casu procuratorem eius esse, admissimus: (quod & Labeoni uidetur) actionem autem intendere uetamus. Eum uero, qui de statu suo litigat, procuratorem habere posse, non dubitamus: non solum in administratione rerum, sed etiam in actionibus, quae ei uel aduersus eum competunt: siue ex possessione seruitutis, siue libertatis de suo statu litiget. Ex contrario quoque eum procuratorem dari posse, manifestum est. Publice utile est, absentes a quibuscumque defendi. Nam & in capitalibus iudicijs defensio datur. Vbi cumque itaque absens quis damnari potest: ibi quemuis uerba pro eo facientem, & innocentiam excusantem, audiri aequum est, & ordinarium admittere: quod ex rescripto imperatoris nostri apparet. Ait praetor. CUIVS NOMINE QVIS ACTIONEM SIBI DARI POSTVLAVERIT, IS EVM VIRI BONI ARBITRATV DEFENDAT: ET EI QVO NOMINE AGET, ID RATVM HABERE EVM, AD QVEM EA RES PERTINET, VIRI BONI ARBITRATV SATISDET. Aequum uisum est praetori eum, qui alicuius nomine ut procurator experitur: eundem etiam defensionem suscipere. Si quis in rem suam procurator interueniat: adhuc erit dicendum, debere eum defendere: nisi forte ex necessitate fuerit factus.

XXXIII. CAIVS lib. III. ad edictum provinciale.

**S**i quis in re suam procuratorio nomine agat, ueluti emptor haereditatis: an debeat inuicem uenditorem defendere? & placet: si bona fide, & non in fraudem eorum, qui inuicem agere uellent, gestum sit negocium: non oportere eum inuicem defendere. XXXV. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

**S**ed & eae personae procuratorum debebunt defendere, quibus sine mandato agere licet: ut puta liberi, licet sint in potestate. Item parentes, fratres, & adfines, & liberti. Et patronus libertum per procuratorem, ut ingratum, accusare potest: & libertus per procuratorem respondere. Non solum autem si actio postuletur a procuratore, sed etiam si praedictum, uel interdictum: uel si stipulatione legatorum, uel damni infecti uelit caueri: debet absentem defendere in competenti tribunali, & eadem provincia. Caeterum cogi eum etiam in puinciam de Roma abire, uel

contrario, uel à prouincia in aliam prouinciam, & defendere: durum est. Defendere autem est id facere, quod dominus in litem faceret, & cauere idonee. nec debet durior conditio procuratoris fieri, quàm est domini: præterquàm in satisfadando. Præter satisfadationem procurator ita defendere uidetur, si iudiciũ accipiet. unde quæsitum est apud Iulianum, an compellatur: an uero sufficiat, ob rem non defensam stipulationem cõmitti? & Iulianus scribit libro tertio digestorum, compellendum accipere iudiciũ: nisi & agendum causa cognita recusauerit, uel ex iusta causa remotus fuerit. Defendere uidetur procurator, & si in possessionem uenire patiatur: cum quis damni infecti satisfadari, uel legatorum desideret,

XXXVI. PAVLVS lib. VIII. ad edictum.

**V**el in operis noui nunciatione. Sed & si seruum ex causa noxali patiatur duci, defendere uidetur: ita tamen, ut in his omnibus ratam rem dominum habiturum caueat.

XXXVII. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

**O**mniũ aut actionum nomine debet defendere: etiam earũ, quæ in heredem non dantur. Vnde est quæsitum: si aduersarius plures intendat actiones, & in singulas singuli existant defensionem suscipere parati: an absens defendi uideatur? & uideri eum recte defendi Iulianus ait: quo iure nos uti Pomponius scribit.

XXXVIII. IDEM lib. III. ad edictum.

**N**on tamen eõsq; procedendum erit: ut si decem petantur, & existant duo defensores parati in quina defendere: audiantur.

XXXIX. IDEM lib. VIII. ad edictum.

als \*stipu  
latiõib9.

**N**on solum autẽ in actionibus, & interdicitis, & \* postulationibus debet dominum defendere: uerum in interrogationibus quoq; ut in iure interrogatus, ex omnibus causis respõdeat, ex quibus dominus. an ergo hæres sit absens, respondere debet: & si respõderit, uel recuerit, tenebitur. Qui nomine alieno agit quacũq; actione: id ratũ habiturum eum, ad quem ea res pertinebit, cauere debet. Sed interdum licet suo nomine procurator experiatur: tamen de rato debet cauere, ut Pomponius libro uicesimo quarto scribit. ut puta iusiurandum procuratori retulit, iurauitq; absenti dari oportere. agit hoc iudicio suo nomine propter suum iusiurandum ( nec enĩ hæc actio competere domino potuit ) sed debet de rato cauere. Sed & si procuratori constitutum est, & ex ea causa agat: dubitandum non est, quin locus sit de rato cautioni: idq; Pomponius scribit. Quæritur apud Iulianum: utrum dominum solum ratam rem habere debet satisfadare, an etiam ceteros creditores? & ait dumtaxat de domino cauendum, nec illis uerbis, A D quem

QVEM EA RES PERTINET, creditores contineri. nam nec ipsi domino hæc incumbat cautio. Si de dote agat pater, cauere debet ratam rem filiam habituram. Sed & defendere eam debet, ut & Marcellus scribit. Si pater filij nomine iniuriarum agat: cum duæ sint actiones, una patris, altera filij: cessat de rato cautio. Si status controuersiam cui faciat procurator: siue ex seruitute in libertatē aduersus eum quis litiget, siue ipse ex libertate in seruitutem petat: debet cauere ratam rem dominū habiturū: & ita edicto scriptum est, ut ex utroq; latere quasi actor habeatur. Est & casus, quo quis eiusdem actionis nomine, & de rato caueat, & iudicatum solui. ut puta postulata est cognitio de integro restitutione, cum minor circumscriptus in uenditione dicitur. alterius procurator existit. debet cauere hic procurator, ratam rem dominum habiturum: ne forte dominus reuersus, uelit quid petere. Item iudicatum solui: ut si quid forte propter hanc restitutionē in integrum, præstari adolescenti debeat, hoc præstetur. & hæc ita Pomponius libro uicesimo quinto ad edictū scribit. Item ait, & si suspectus tutor postuletur: defensorem eius oportere etiam de rato cauere, ne reuersus ille uelit retractare, quod actum est. Sed non facile per procuratorem quis suspectus excusabitur: quoniam famæ causa est. nisi contra accuset ei à tutore mandatū nominatim: aut si etiam absente tutore, quasi fabitur non defenderetur, prætor erat cogiturus.

XL. IDEM lib. IX. ad edictum.

Pomponius scribit, non omnes actiones per procuratorem posse quem instituere. deniq; ut liberi, qui in potestate absentis dicuntur, dicantur: interdicitū non posse desiderare ait: nisi ( ut Iulianus ait ) causa cognita: id est, si nominatim ei mandatū sit, & pater ualitudine, uel alia iusta causa impediatur. Si stipuletur procurator damni infecti, uel legatorum: debet de rato cauere. Sed & is, qui quasi defensor, in rem actione conuenitur: præter solitam satisfactionem IUDICATVM SOLVI, etiam de rato debet cauere. Quid enim si in hoc iudicio rem meam esse pronuncietur: & reuersus ille, cuius defensor existit, uelit fundum uindicare: nonne ratum nō uidebitur habere, quod iudicatum est? Deniq; si uerus procurator existisset, uel ipse præsens causam suā egisset, & uictus esset: si à me uindicaret, exceptione rei iudicatæ submoueretur: & ita Iulianus libro quinquagesimo digestorum scribit. nam cum iudicatur rem meam esse, simul iudicatur illius non esse. Rati habitationis autem satisfactio ante litis contestationē à procuratore exigitur. cæterum semel lite contestata, non compelleretur ad cautionē. In his autem personis, in quibus mandatū non exigimus, dicendum est: si forte euidens sit, contra uoluntatem eos experiri

eorum, pro quibus interueniunt: debere eos repelli. Ergo non exigemus, ut habeant uoluntatem uel mandatum: sed ne contraria uoluntas probetur, quamuis de rato offerant actionem.

XLII. PAVLVVS lib. IX. ad edictum.

**F**Oemini pro patribus agere interdum permittetur, causa cognita: si forte parentes morbus, aut aetas impediatur: nec quenquam, qui agat, habeant.

XLIII. IDEM lib. VIII. ad edictum.

**L**icet in popularibus actionibus procurator dari non possit: tamen dicendum est, merito eum, qui de uia publica agit, & priuato damno ex prohibitione adficitur: quasi priuatae actionis dari posse procuratorem. multo magis dabit ad sepulchri uiolati actionem is, ad quem ea res pertinet. Ad actionem iniuriarum ex lege Cornelia procurator dari potest. nam & si pro publica utilitate exercetur, priuata est tamen. Ea obligatio, quae inter dominum & procuratorem consistere solet, mandati actionem parit. aliquando tamen non contrahitur obligatio mandati: sicut euenit, cum in rem suam procuratorem praestamus, eoque nomine indicatum solui promittimus. nam si ex ea promissione aliquid praestiterimus: non mandati, sed ex uendito, si haereditatem uendidimus: uel ex pristina causa mandati agere debemus, ut fit, cum fideiussor reum procuratorem dedit. Is, cui haereditas ex Trebelliano Senatusconsulto restituta est: haereditatem iure dabit procuratorem. Sed & dominum pignoris creditor recte dabit procuratorem ad *SERVIANAM*. Porro si uni ex reis credendi constitutum sit: isque alium in constitutam pecuniam det: non negabimus posse dare. Sed & ex duobus reis promittendi alter alterum ad defendendum procuratorem dabit. Si plures haeredes sint, & *FAMILIAE ERISCIVNDAE*, aut *COMMVNIDIVIDVND* agatur: pluribus eundem procuratorem non est permittendum dare: quoniam explicari res non potest citra adiudicationes & condemnationes. Plane permittendum est dare, si uni cohæredi plures haeredes existant. Reo litigante post litem contestatam, ita demum fideiussores eum defendere uidebuntur: si uel unus ex his eum pro solido defendat: uel omnes, uel quidam ex his unum procuratorem dederint, in quem iudicium transferatur.

XLIII. IDEM lib. IX. ad edictum.

**M**vtus & surdus per eum modum, qui procedere potest, procuratorem dare non prohibentur. Forsitan & ipsi dantur: non quidem ad agendum, sed ad administrandum. Cum quaeritur, an alicui procuratorem eum habere liceat: inspiciendum erit, an non prohibea-

tur procuratorem dare: quia hoc edictum prohibitorium est. In popularibus actionibus, ubi quis quasi unus ex populo agit: defensionem, ut procurator, prestare cogendus non est. Is, qui curatorem alicui presenti petit: non aliter audietur, nisi adulto consentiente. quod si absenti: ratam rem eum habiturum, necesse habebit satisfare. Poena non defendentis, procuratoris hæc est, ut denegetur ei actio. Si procurator agat, & præsens sit absentis seruus: Atilicinus ait, seruo cauendum, non procuratori. Et qui non cogitur defendere absentem: tamen si iudicatum solui satisfecit, defendendi absentis gratia: cogendus iudicium accipere, ne decipiatur is, qui satis accepit. eos tamē, qui nō coguntur rem defendere, post satisfactionem cogi, Labeo causa cognita temperandum ait: & si captio actoris sit propter temporis tractum, iudicium eum accipere cogendum. Quod si aut ad finitas dirempta sit, aut inimicitiae intercesserint, aut bona absentis possideri cœperint:

als \* neu  
cautio.

**V** El si longinquo sit absaturus, uel alia iusta causa interuenerit:

XLIIII. VLP IANVS lib. VII. *disputationum.*

XLV. PAVLVS lib. IX. *ad edictum.*

**N**on cogendum. Sabinus ait, nullas prætoris esse partes ad compellendum defendere, sed ex stipulatu ob rem non defensam agere posse. At si iustam causam habeat, cur iudiciū accipere nolit: nec fidei iussores teneri, quia uir bonus arbitraturus nō fuit, ut qui iustā excusationem adferret, defendere cogeretur. Sed & si satis nō dedit, sed ei reponenti creditum est: idem statuendum est. Qui ita de publico agūt, ut & priuatum cōmodum defendant: causa cognita permittuntur procuratorem dare: & postea alius agens, exceptione repellitur. Si procuratori opus nouū nunciatum sit, isq; interdicto utatur, NE BIVIS FIAT AEDIFICANTI: defensoris partes eum sustinere, nec cōpelli caueat, ratam rem dominū habiturū, Iulianus ait. Et si satisfecerit: non animaduerto (inquit Iulianus) quo casu stipulatio committatur.

XLVI. CAIVS lib. III. *ad edictum prouinciale.*

**Q**ui proprio nomine iudiciū accepit, si uelit procuratorem dare, in quem actor transferat iudicium: audiri debet, solenniterq; pro eo IUDICATVM SOLVI satisfactione cauere. Ei qui defendit eum, cuius nomine ipse non agit: liberum est uel in unam rem defendere. Qui alium defendit, satisfare cogitur. nemo enim alienæ litis idoneus defensor sine satisfactione intelligitur. Item quaeritur, si iudiciū acceperit defensor, & actor in integrum restitutus sit: an cogendus sit restitutoriū iudiciū accipere: & magis placet cogendum. Procurator ut in cæteris negocijs gerendis, ita & in litibus bona fide rationē reddere debet. Itaq; quod ex lite consecutus erit; siue principaliter ipsius rei nomine

nomine, siue extrinsecus ob eam rem: debet mandati iudicio restituere. usq; adeò, ut si per errorem, aut per iniuriam iudicis non debitum consecutus fuerit: id quoq; reddere debeat. Item contra, quod ob rem iudicatam procurator soluit: contrario mandati iudicio recuperare debet. Pœnam autem, quam ex suo delicto præstitit, recuperare non debet. Litis impendia bona fide facta, uel ab actoris procuratore, uel rei: debere ei restitui, æquitas suadet. Si duobus mandata administratione, eorum alter debitor sit mandatoris: an alter cū eo recte acturus sit: & utiq; recte. nõ enim ob id minus procurator intelligitur: quod is quoq; cum quo agitur, procurator sit.

XLVII. IULIANVS lib. III. ad Vrseium Feroam.

**Q**ui duos procuratores omnium rerum suarum reliquit: nisi nominatim præceperit, ut alter ab altero pecuniam petat: non uideatur mandatum utrilibet eorum dedisse.

XLVIII. CAIVS lib. III. ad edictum provinciale.

**I**taq; si hoc specialiter mandatum est: tunc excipiente eo, cum quo agitur, **SINON MIHI MANDATVM SIT, VT A' CREDITO RIBVS PETEREM:** actorẽ ita debere replicare placet, **AT SI MIHI MANDATVM EST, VT A' TE PETEREM.**

XLIX. PAVLVS lib. III. ad edictum.

**I**gnorantis domini conditio deterior per procuratorẽ fieri nõ debet.

L. CAIVS lib. XXIII. ad edictum provinciale

**Q**uacumq; ratione procurator tuus à me liberatus est, id tibi prodesse debet.

LI. VLPPIANVS lib. LX. ad edictum.

**M**inor uiginti quinque annis, si defensor existat, in quibus causis in integrum restitui potest: defensor idoneus non est. quia & ipsi, & fideiussoribus eius per in integrum restitutionem succurritur. Quoniam autem defendere est eandem uicem, quam reus, subire: defensor mariti amplius, quam maritus facere possit, non est condemnandus. Is, qui suscepit defensionem, & si locupletissimus sit,

LII. PAVLVS lib. VI. ad edictum.

**A**ut si consularis sit:

LIII. VLPPIANVS lib. LX. ad edictum.

**N**on uidetur defendere, nisi satisfacere fuerit paratus.

LIIII. PAVLVS lib. I. ad edictum.

**N**eq; foemina, neq; miles, neq; qui reipublicæ causa abfuturus est, aut morbo perpetuo tenetur, aut magistratum initurus est, aut inuitus iudicium pati non potest: idoneus defensor intelligitur. Tu-  
tores quo in loco administrauerunt, eodem loco & defendi debent.

Vlpianus

**P**ROCURATORE in rem suam dato: præferendus non est dominus procuratori in litem mouendam, uel pecuniam suscipiendam. qui enim suo nomine utiles actiones habet: rite eas intendit.

L V. VLP IANVS lib. LXV. ad edictum.

**A**D rem mobilem petendam datus procurator, ad exhibendum recte ager.

LVI. IDEM lib. LXVI. ad edictum.

**Q**VI procuratorem dat, ut confestim agat: is intelligendus est permittere procuratori, & postea litem peragere. Si quis remisit exceptionem procuratoriam, non poterit ex poenitentia eam opponere.

LVII. IDEM lib. XXIII. ad edictum.

**P**ROCURATOR, cui generaliter libera administratio rerum commissa est: potest exigere, \* aliud pro alio permutare.

LVIII. PAVLVS lib. LXXX. ad edictum.

**S**ED & id quoque ei mandari uidetur, ut soluat creditoribus.

LIX. IDEM lib. X. ad Plautium.

\* al's addi  
tur noua  
re.

**M**ANDATU generali non contineri etiam transactionem decidendi causa interpositam. & ideo si postea is, qui mandauit, transactionem ratam non habuit: non posse eum repelli ab exercendis actionibus.

LX. IDEM lib. III. responsorum.

**P**LAUTIUS ait, procuratorem damnatum non debere conueniri: nisi si aut in rem suam datus esset, aut obtulisset se, cum sciret cautum non esse: omnibus placuit. Idem erit obseruandum, & si defensoris loco cum satisfactione se liti obtulerit.

LXI. IDEM lib. I. ad Plautium.

**A**D legatum petendum procurator datus, si interdicto utatur aduersus heredem DE TABVLIS EXHIBENDIS: procuratoria exceptio, quasi non & hoc ei mandatum esset, non obstat.

LXII. POMPONIVS lib. II. ad Plautium.

**P**ROCURATOR totorum bonorum, cui res administrandæ commissæ sunt: res domini neque mobiles, neque immobiles, uel seruos sine speciali domini mandatu alienare potest: nisi fructus, aut alias res, quæ facile corrumpi possunt.

LXIII. MODESTINVS lib. II. differentiarum.

**I**S, cuius nomine defensor existit: si ante litem contestatam in præsentia fuerit, & postulet suo nomine litem suscipere: causa cognita audiendus est.

LXIV. IDEM lib. III. regularum.

**S**I procuratorem absentem dominus satisfactione releuare uelit, litem suas ad aduersarium dirigere debet: quibus significet, quem

**P** aduersus

aduersus eum procuratorē, & in quā caussa fecerit: ratumq; se habiturum, quod cum eo actum sit. hoc enim casu, literis eius adprobatis, uelut præsentis procuratorem interuenire intelligendum est. Itaq; & si postea, mutata uoluntate, procuratorem esse noluerit: tamen iudicium, quo procurator expertus est, ratum esse debet.

LXVI. IDEM lib. X. *ᾠανδ'εκτῶν.* & PAPINIAN, lib. IX. *respōf.*

**S**is, qui Stichum aut Damam, utrum eorum ipse uellet, stipulatus est: ratum habeat, quod alterum procuratorio nomine Titius petiit: facit, ut res in iudicium deducta uideatur, & stipulationem consumat.

LXVII. PAPINIANVS lib. I. *responsorum.*

**P**rocurator, qui pro emictione prædiorum, quæ uendidit, fidem suā adstrinxit: & si negocia gerere desierit, obligationis tamen onere prætoris auxilio non leuabitur. nam procurator, qui pro domino uinculū obligationis suscepit, onus eius frustra recusat.

LXVIII. IDEM lib. II. *responsorum.*

**Q**uod procurator ex re domini, mandato non refragante, stipulatur: inuito procuratore dominus petere potest.

LXIX. PAVLVS lib. III. *responsorum.*

**P**aulus respondit: etiam eum, qui ad litem suscipiendam procuratorem dedit, causæ suæ adesse non prohiberi.

LXX. SCAEVOLA lib. I. *responsorum.*

**P**ater filio suo pupillo, tutorem dedit Sempronium creditorem suum. is administrata tutela, reliquit fratrem suum hæredem: qui & ipse decessit, & per fidei commissum nomen debitoris Titio reliquit: cuius mandatæ sunt actiones ab hæredibus. quæro: cū tam tutelæ actio, quæ pecuniæ creditæ ex hæreditate Sempronij descendant: an nõ aliter mandata ei actio detur, quæ si defendat hæredes, à quibus ei actiões mandatae sunt: respondi, debere defendere.

LXXI. PAVLVS lib. I. *Sententiarum.*

**A**bsens reus causas absentiae per procuratorem reddere potest.

LXXII. IDEM lib. I. *Manualium.*

**P**er procuratorē nõ semper adquirimus actiones, sed retinemus: ueluti si reū conueniat intra legitimū tempus: uel si prohibeat opus nouū fieri, ut interdictū nobis utile sit, **Q**UOD VI A V T C L A M. nam & hic pristinum ius nobis conseruat.

LXXIII. IDEM lib. *singulari de officio adsefforum.*

**S**i reus paratus sit ante litem cõtestatam pecuniā soluere, procuratore agente, quid fieri oportet: nam iniquū est cogi eū iudiciū accipere, propter quod suspectus uideri potest, qui præsente domino nõ obtulit

tulerit pecuniam. Quid enim si tunc facultatem pecuniæ non habuit? nunquid cogi debet iudicium accipere? quid si & famosa sit actio? Sed hoc constat: ut ante litem contestatam præses iubeat in æde sacra pecuniam deponi. hoc enim fit & in pupillaribus pecunijs. Quod si lis contestata est: hoc omne officio iudicis dirimendum est.

LXXIII. VLP IANVS lib. VI. *opinionum.*

**N**ec ciuitatis actor negotium publicum per procuratorem agere potest.

LXXV. IULIANVS lib. III. *digestorum.*

**Q**ui absentem emptorem, eundemq; possessorem fundi defendebat, & iudicium nomine eius accipiebat: postulabat à uenditore fundi, ut ab eo defenderetur. uenditor desiderabat cauere sibi, ratam re emptorem habiturum, puto cum uenditori de rato satis dare debere. quia si fundum agenti restituerit: nihil prohibet dominum repetere, & cogi uenditorem rursus defendere.

LXXVI. IDEM lib. V. *ad Minitium.*

**T**itius cum absentem defenderet, satisdedit: & prius, q; iudicium acciperet, desijt reus soluendo esse: quam ob causam defensor recusat iudicium in se reddi oportere. quæro, an id ei concedi oporteat? IULIANVS respondi: defensor, cum satisdedit, domini loco habendus est. nec multum ei præstiturus est prætor, si eum non coegerit iudicium accipere: cum ad fideiussores eius actor ire possit, & ij quidquid præstiterint, à defensore consecuturi sint.

LXXVII. PAVLVS lib. VIII. *ad edictum.*

**O**mnis qui defenditur, boni uiri arbitratu defendendus est.

LXXVIII. AFRICANVS lib. VI. *questionum.*

**E**t ideo non potest uideri boni uiri arbitratu litem defendere is, q; actorem frustrando efficiat, ne ad exitum controuersia deducatur. Ad duas res petendas procurator datus, si unam rem petat: exceptionem non excluditur, & rem in iudicium deducit.

QVOD CVIVSCVNQVE VNIVERSITATIS NOMINE, uel contra eam agetur. Tit. IIII.

CAIUS lib. III. *ad edictum prouinciale.*



**N**eq; societatem, neq; collegium, neq; huiusmodi corpus passim omnibus habere conceditur. nam & legibus, & senatusconsultis, & principalibus constitutionibus ea res coercetur. Paucis admodum in causis concessa sunt huiusmodi corpora: ut ecce uectigalium publicorum

p ij corum

corum socijs permissum est corpus habere: uel auri fodinarum, uel argenti fodinarum, & salinarum. Item collegia Romæ certa sunt, quorum corpus Senatusconsultis atq; constitutionibus principalibus confirmatum est: ueluti pistorum, & quorundam aliorum, & nauiculariorum, qui & in prouincijs sunt. Quibus autem permissum est corpus habere, collegij, societatis, siue cuiuscunq; alterius nomine: eorum proprium est, ad exemplum reipublicæ habere res cõmunes, arcam communem, & actorem, siue syndicum: per quem, tanquam in rempublicam, quod communiter agi fieri oporteat, agatur fiat. Quod si nemo eos defendat: quod eorum commune erit, possideri: & si moniti, nõ excitentur ad defensionem sui, uenire se iussurum proconsul ait. Et quidem non esse actorem uel syndicum, tunc quoq; intelligimus: cum is absit, aut ualitudine impediatur, aut inhabilis sit ad agendum. Et si extraneus defendere uelit uniuersitatem, permittit proconsul, sicut in priuatorum quoq; defensionibus obseruatur: quia eo melior conditio uniuersitatis fit.

II. VLP IANVS lib. VIII. ad edictum.

**S**I municipes, uel aliqua uniuersitas ad agendum det actorem: nõ erit hic dicendum, quasi à pluribus datum, sic haberi: hic enim pro re publica, uel uniuersitate interuenit, non pro singulis.

III. IDEM lib. IX. ad edictum.

**N**Vlli pmittitur nomine ciuitatis uel curiæ experiri, nisi ei, cui lex permittit: aut lege cessante, ordo dedit: cum duæ partes adessent, aut amplius, quàm duæ.

IIII. PA VLVS lib. IX. ad edictum.

**P**lanè ut duæ partes decurionum adfuerint: is quoq; quem decernunt, adnumerari potest.

V. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

**I**llud notandum Pomponius ait, quod & patris suffragium filio proderit, & filij patri.

VI. PA VLVS lib. IX. ad edictum.

**I**tem eorũ, qui in eiusdem patris potestate sunt, quasi decurio enim hoc dedit, non quasi domestica persona. Quod & in honorum petitione erit seruandum: nisi lex municipij, uel perpetua consuetudo prohibeat. Si decuriones decreuerint actionem per eum mouendam, quem Duumuiro elegerunt: is uidetur ab ordine electus, & experiri potest. parui em̄ refert, ipse ordo eligat, an is cui ordo negociũ dedit. Sed si ita decreuerint, ut quæcunq; incidisset controuersia, eius petendæ negocium Titius haberet: ipso iure id decretum nullius momenti esse uideatur: quia non possit uideri, de ea re, quæ adhuc in controuersia non sit,

fit, decreto datam persecutionem. Sed hodie hæc omnia per syndicos solent, secundum locorum consuetudinem, explicari. Quod si actor datus, postea decreto decurionum, prohibitus sit: an exceptio ei nocere: & puto sic hoc accipiendum: ut ei permissa uideantur, quæ & permissa durant. Actor uniuersitatis si agat, compellitur etiam defendere: non autem compellitur de rato cauere. Sed interdum, si de decreto dubitetur, puto interponendam & de rato cautionem. Actor itaque iste procuratoris partibus fungitur: & iudicati actio ei ex edicto non datur, nisi in rem suam datus sit: & constitui ei potest. Ex iisdem causis mutandi actoris potestas erit, ex quibus etiam procuratoris. Actor etiam filius familias dari potest.

## VII. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

Sicut municipum nomine actionem prætor dedit: ita & aduersus eos edicendum, iustissime putauit. Sed & legato, qui in negotio publico sumptum fecit, puto dandam actionem in municipes. Si quid uniuersitati debetur, singulis non debetur: nec quod debet uniuersitas, singuli debent. In decurionibus, uel alijs uniuersitatibus nihil refert: utrum omnes iisdem maneant, an pars maneat, uel omnes immutati sint. Sed si uniuersitas ad unum recidit: magis admittitur posse eum conuenire & conueniri: cum ius omnium in unum reciderit, & extet nomen uniuersitatis.

## VIII. IABOLENVS lib. XV. ex Casio.

Ciuitates si per eos, qui res earum administrant, non defenduntur: nec quidquam est corporale reipublicæ, quod possideatur: per actiones debitorum ciuitatis, agentibus satisfieri oportet.

## IX. POMPONIVS lib. XII. ad Sabinum.

Si tibi cum municipibus hæreditas communis erit: familiæ eris: secundæ iudicium inter uos redditur. Idemque dicendum est in finium regundorum, & aquæ pluuiæ arcendæ iudicio.

## X. PAVLVS lib. I. manualium.

Constitui potest actor & ad operis noui nunciationem, & ad stipulationes interponendas: ueluti legatorum, damni infecti, iudicatum solui: quamuis seruo potius ciuitatis cauere debeat. sed & si actori cautum fuerit: utilis actio administratori rerum ciuitatis dabitur.

## NEGOCIORVM GESTORVM.

Tit. V.

## VLP IANVS lib. X. ad edictum.



Occurrit edictum necessarium est, quoniam magna utilitas absenti tum uersatur: ne indefensi rerum possessione, aut uenditionem

p iij patiam

als\* flet.

patiantur, uel pignoris distractionem, uel poenae committendae actionem, uel iniuria rem suam amittant.

II. CAIVS lib. III. ad edictum provinciale.

**S**I quis absentis negocia gesserit, licet ignorantis: tamen quidquid utiliter in rem eius impenderit, uel etiã si se in rem absentis alicui obligauerit: habet eo nomine actionem. Itaque eo casu ultro citroque nascitur actio, quae appellatur *NEGOCIORVM GESTORVM*. Et sanè sic æquum est ipsum actus sui rationem reddere: & eo nomine condemnari, quidquid uel non, ut oportuit, gessit, uel ex his negocijs retinet: ita ex diuerso iustum est, si utiliter gessit, præstari ei, quidquid eo nomine uel abest ei, uel abfuturum est.

III. VLP IANVS lib. X. ad edictum.

**A** It prætor. *SI QVIS NEGOCIA ALTERIVS: SIVE QVIS NEGOCIA, QVAE CVIVS, CVM IS MORIRETUR, FVERINT, GESSERIT: IUDICIUM EO NOMINE DABO.* Hæc uerba si *QVIS*, accipienda sic sunt, *SIVE QVAE*. nam & mulieres negociorum gestorum agere posse & conueniri, non dubitatur. *NEGOCIA* sic accipe: siue unum, siue plura. *ALTERIVS*, inquit. & hoc ad utriusque sexum refertur. Pupillus sanè, si negocia gessit, post rescriptum diuini Pij conueniri potest in id, quod factus est locupletior: agendo autem compensationem eius, quod gessit, patitur. Et si furiosi negocia gesserim: cõpetit mihi aduersus eum negociorũ gestorũ actio. Curatori autem furiosi uel furiosae aduersus eum eam uide danda actionem, Labeo ait. Hæc uerba, *SIVE QVIS NEGOCIA, QVAE CVIVS, CVM IS MORIRETUR, FVERINT, GESSERIT*: significat illud tempus, quo quis post mortem alicuius negocia gessit. de quo fuit necessarium edicere: quoniam neque testatoris iam defuncti, neque hæredis, qui nõdum adijt, negocium gessisse uidetur. Sed si quid accessit post mortem, ut partus, & foetus, & fructus, uel si quid serui adquisierunt: & si his uerbis non continetur, pro adiecto tamen debet accipi. Hæc actio autem, cum ex negotio gesto oriatur: & hæredi, & in hæredem competit. Si exsecutor à prætore datus, in negotio gerendo dolum mihi fecerit: dabitur mihi aduersus eum actio. Interdum in negociorum gestorum actione Labeo scribit, dolum solummodo uersari. nam si adfectione coactus, ne bona mea distrahantur, negocijs te meis obtuleris: æquissimum esse dolum duntaxat te præstare. quæ sententia habet æquitatem. Hac actione tenetur, non solum is, qui sponte & nulla necessitate cogente, immiscuit se negocijs alienis, & ea gessit: uerum is etiam, qui aliqua necessitate urgente, uel necessitatis suspitione, gessit. Apud Marcellum libro secundo digestorum quaeritur: si cum proposuissim

negocia Titij gerere, tu mihi mandaueris, ut geram: an utraq; actione  
 uti possim: & ego puto utramque locum habere: quemadmodum ipse  
 Marcellus scribit, si fideiufforem accepero negocia gesturus. nam &  
 hic dicit aduersus utrumq; esse actionem.

IIII. IDEM lib. XLV. ad Sabinum.

Sed uideamus, an fideiuffor hic habere aliquam actionem possit. &  
 uerum est negociorum gestorum eum agere posse, nisi donandi  
 animo fideiuffit.

V. IDEM lib. X. ad edictum.

Item si, cum putauit te mihi mandatum, tua negocia gessi: & hic  
 nascitur negociorum gestorum actio, cessante mandati actione.  
 Idem est etiam, si pro te fideiuffero, dum puto mihi à te mandatum  
 esse. Sed & si putauit Titij negocia esse, cū essent Sempronij, eaq; gessi:  
 solus Sempronius mihi actione negociorum gestorum tenetur, ut Lu-  
 lianus libro tertio digestorum scribit. Si pupilli tui negocia gesserō  
 non mandatu tuo, sed ne tutelae iudicio tenearis: negociorum gesto-  
 rum te habebō obligatum. Sed & pupillum: modo si locupletior fa-  
 ctus sit. Item si procuratori tuo mutuam pecuniam dederō tui con-  
 templatione, ut creditorem tuum, uel pignus tuum liberet: aduersus  
 te negociorum gestorum habeo actionem: aduersus eum, cum quo  
 contraxi, nullam. Quid tamen, si à procuratore tuo stipulatus fuero:  
 potest dici, superesse mihi aduersus te negociorum gestorum actio-  
 nem: quia ex abundanti hanc stipulationem interposui. Si quis pe-  
 cuniam, uel aliam quandam rem ad me perferendam acceperit: quia  
 meum negocium gessit, negociorum gestorum mihi actio aduersus  
 eum competit. Sed si quis negocia mea gesserit, non mei contem-  
 platione, sed sui lucri causa: Labeo scribit, suum eum potius, quàm me-  
 um negocium gessisse, qui enim deprædandi causa accedit: suo lucro,  
 non meo commodo studet. Sed nihilo minus, imò magis & is tenebitur  
 negociorum gestorum actione. Ipse tamen, si circa res meas ali-  
 quid impenderit: non in id, quod ei abest, (quia improbe ad negocia  
 mea accessit) sed in quo ego locupletior factus sum, habet contra me  
 actionem. Sed si quis ita simpliciter uersatus est, ut suum negocium  
 in suis bonis, quasi meum, gesserit: nulla ex utroq; latere nascitur  
 actio: quia nec fides bona hoc patitur. Quod si & suum negocium &  
 meum, quasi meum gesserit: in meum tenebitur. nam & si cui mau-  
 dauero, ut meum negocium gerat, quod mihi tecum erat commune:  
 dicendum esse Labeo ait, si & tuum gessit sciens, negociorū gestorū eum  
 tibi teneri. Si quis quasi seruus meus negocium meū gesserit, cū esset  
 uel libertus, uel ingenuus: dabitur negociorum gestorum actio. Sed  
 si ego

si ego filij tui negocia gesserim, uel serui: uideamus, an tecum negotiorum gestorum habeam actionem. & mihi uideatur uerum, quod Labeo distinguit, & Pomponius libro uicesimo sexto probat: ut siquidem contemplatione tui negocia gessi peculiaria, tu mihi tenearis, quod si amicitia filij tui, uel serui, uel eorum contemplatione: aduersus patrem uel dominum de peculio duntaxat dandam actionem. Idemq; est, & si iuris esse eos putauit. Nam & si seruū non necessarium emerō filio tuo, & tu ratum habueris: nihil agitur rati habitatione. Eodem loco Pomponius scribit, hoc adiecto: quod putat, & si nihil sit in peculio (quoniam plus patri dominoue debetur) & in patrem dandam actionem, in quantum locupletior ex mea administratione factus sit. Sed & si hominis liberi, qui tibi bona fide seruiabat, negocia gessero: siquidem putans tuum esse seruū gessi: Pomponius scribit, earum rerum <sup>\* causa,</sup> quæ te sequi debent, tecum mihi fore negotiorum gestorum actionem: earum uero rerum, quæ ipsum sequuntur: non tecum, sed cum ipso. Sed & si liberum sciui: earum quidem rerum, quæ eum consequuntur, habeo aduersus eū actionē: earum uero rerum, quæ te sequuntur, aduersus te. Si Titij seruū putans, qui erat Sempronij, dederō pecuniā, ne occideretur: ut Pomponius ait, habeo negotiorum gestorum aduersus Sempronium actionem. Item queritur apud Pedium libro septimo: si Titium quasi debitorem tuum extra iudicium admodum uero, & is soluerit mihi, cum debitor tuus nō esset: tūc; postea cognoueris, & ratum habueris: an negotiorum gestorum actione me conuenire possis? Et ait dubitari posse: quia nullum negotium tuū gestum sit, cum debitor tuus non fuerit. Sed rati habitio (inquit) fecit tuum negotium. Et sicut ei, à quo exactum est, aduersus eum datur repetitio, qui ratum habuerit: ita & ipsi debet post rati habitioē aduersus me competere actio. Et sic rati habitio constituit negotiū tuum, quod ab initio tuum non erat, sed tui contemplatione gestum. Item ait: si Titij debitorem, cui te hæredem putabam, cum esset Seius, conuenero similiter & exegero: mox tu ratum habueris: esse mihi aduersus te, & tibi mutuam negotiorum gestorum actionem. Atqui alienum negotium gestum est, sed rati habitio hoc conciliat, quæ res efficit, ut tuum negotium gestum uideatur, & à te hæreditas peti possit. Quid ergo (inquit Pedius) si cum te hæredem putarem, insulam fulsero hæreditariā: tūc; ratum habueris: an sit mihi aduersus te actio? Sed non fore ait: cum hoc factum meo alter sit locupletatus, & alterius re ipsa gestum negotium sit: nec possit, quod alij acquisitum est ipso gestu, hoc tuum negotium uideri. Videamus in persona eius, qui negocia administrat, si quædam gessit, quædam non: contemplatione tamen eius alius ad hoc non accessit, &

\* als additur, peculiarium.

uir dili

uir diligens ( quod ab eo exigimus ) etiam ea gesturus fuit: an dici debeat, negotiorum gestorum actione eum teneri & propter ea, quæ non gessit, quod puto uerius. Certe si quid à se exigere debuit, proculdubio hoc ei imputabitur. Quamquam enim hoc ei imputari nõ possit, cur alios debitores non conuenerit ( quoniam conueniendi eos iudicio facultatem non habuerit, qui nullam actionem intendere potuit ) tamen à se metipso cur non exegerit, ei imputabitur. & si forte non fuerat usurarium debitum, incipiet esse usurarium: ut diuus Pius Flauio Longino rescripsit: nisi forte ( inquit ) usuras ei remiserit.

VI. PAVLVVS lib. IX. ad edictum.

**Q**uia tantumdem in bonæ fidei iudicijs officium iudicis ualet, quantum in stipulatione nominatim eius rei facta interrogatio.

VII. VLPIANVS lib. X. ad edictum.

**S**i autem is fuit, qui negocia administrauit, à quo mādatum non exigebatur: posse ei imputari, cur oblata de rato cautione eum non conuenerit: si modo facile ei fuit satisfacere. certe in sua persona non dubitatum est. & ideo si ex causa fuit obligatus, quæ certo tempore finiebatur, & tempore liberatus est: nihilo minus negotiorum gestorum actione erit obligatus. Idem erit dicendum & in ea causa, ex qua hæres non teneretur, ut Marcellus scribit. Item si fundum tuum uel ciuitatis per obreptionem petiero, negociũ tuum uel ciuitatis gerens: & aliis, etiam pliores, quàm oportuit, fructus fuero consecutus: debebo hoc ipsum tibi uel reipublicæ præstare, licet petere nõ potuerim. Si quocumque modo ratio compensationis habita non est à iudice: potest contrario iudicio agi. Quod si post examinationem reprobata fuerint compensationes: uerius est, quasi re iudicata, amplius agi contrario iudicio non posse: quia exceptio rei iudicatae opponenda est. Iulianus libro tertio tractat, si ex duobus socijs alter me prohibuerit administrare, alter non: an aduersus eum, qui non prohibuit, habeam negotiorum gestorum actionem. mouetur eo: quod si data fuerit aduersus eum actio, necesse erit & eum perstringi, qui uetuit. Sed & illud esse iniquum, eum, qui non prohibuit, alieno facto liberari: cum & si mutuum pecuniam alteri ex socijs prohibente socio dedissem, utique eum obligarem. & puto secundum Iulianum debere dici, superesse contra eum, qui nõ prohibuit, negotiorum gestorum actionem: ita tamen, ut is, qui prohibuit, ex nulla parte neque per socium, neque per seipsum damni aliquid sentiat.

VIII. SCAEVOLA lib. I. questionum.

**P**omponius scribit. SI NEGOCIUM A TE, QUAMVIS MALÉ GESTUM, PROBAVERO: NEGOCIORUM TAMEN GESTORUM TE MIHI NON TENERI. Videndum ergo, ne in

q dubio

dubio hoc, an ratū habeam, actio negotiorum gestorū pendeat. nam quomodo, cum semel cœperit, nuda uoluntate tolletur? SED SUPERIVS ITA SE PVTAERE, SI DOLVS MALVS A TE ABSIT. imò puto, & si comprobem, adhuc negotiorū gestorum actionē esse. SED EO DICTO TE MIHI NON TENERI, QVOD REPROBARE NON POSSIM SEMEL PROBATVM: ET QVEM ADMODVM, QVOD UTILITER GESTVM EST APVD IVDICEM, NECESSE EST PRO RATO HABERI: ITA OMNE, QVOD AB IPSO PROBATVM EST. Cæterum si, ubi probavi, non est negotiorum gestorum actio: quid fiet, si à debitore meo exegerit, & probauerim, quemadmodum recipiant? Item si uendiderit: ipse deniq; si quid impenderit, quemadmodum recipiet? nam utiq; mandatum non est. erit igitur & post rati habitionem negotiorū gestorum actio.

IX. VLP IANVS lib. X. ad edictum.

SEd an ultro mihi tribuatur actio sumptuū, quos feci? & puto competere: nisi specialiter id actum est, ut neuter aduersus alterū habeat actionem. Is autem, qui negotiorum gestorum agit: non solum si effectum habuit negocium, quod gessit, actione ista utetur: sed sufficit, si inutiliter cœpit, etiam si effectum non habuit negocium. & ideo si insulam fulsit, uel seruū ægrum curauit: etiam si insula exusta est, uel seruus obiit: aget NEGOCIORVM GESTORVM, idq; & Labeo probat. Sed (ut Celsus refert) Proculus apud eum notat, non semper debere dari. quid enim si eam insulā fulsit, quam dominus quasi impar sumptui dereliquerit, uel quam sibi necessariam non putarit? oneravit (inquit) dominum secundum Labeonis sententiam, cum unicuiq; liceat & damni infecti nomine rem derelinquere. Sed istam sententiam Celsus eleganter deridet. is enim negotiorū gestorum (inquit) habet actionem, qui utiliter negocia gessit. non autē utiliter negocia gerit: qui non necessariā rem, uel quæ oneratura est patrem familias, aggreditur. iuxta hoc est, & quod Iulianus scribit: cum, qui insulam fulsit, uel seruū ægrum curauit: habere negotiorum gestorum actionem, si utiliter hoc faceret, licet euentus non sit secutus. Ego quæro: quid si putauit se utiliter facere, sed patrem familias non expediebat? dico hunc non habiturū negotiorum gestorum actionem. ut enim euentum non spectemus, debet utiliter esse cœptum.

X. POMPONIVS lib. VII. ad Q. Mutium.

SI negocia absentis & ignorantis geras: & culpam, & dolū præstare debes. Sed Proculus, interdū ait casum præstari debere etiā: ueluti si nouū negociū, quod non sit solitus absens facere, tu nomine eius geras: ueluti uenales nouitios cœmendo, uel aliquam negociationem in eundo. nam

do. nam si quod damnū ex ea re secutum fuerit, te sequetur: lucrū uero absentem. q̄ si in quibusdam lucrum factum fuerit, in quibusdam damnū: absens compensare lucrum cum damno debet.

XI. VLP IANVS lib. X. ad edictum.

**S**uccessori eius, cui⁹ fuerūt negocia, si apud hostes decessit: hæc actio sc̄da erit. Sed & si filij familias militis defuncti testamēto facto gessi: similiter erit danda actio. Sicut autem in negocijs uiuorum gestis, sufficit negociū utiliter cœptū: ita & in bonis mortuorū, licet diuersus exitus sit secutus.

XII. PA VLVS lib. IX. ad edictum.

**D**ebitor meus, qui mihi quinquaginta debebat, decessit. eius hæreditatis curationem suscepi, & impendi decem. demū redacta ex uenditione rei hæreditariæ centū, in arca reposui. hæc sine culpa \* mea al's \* in ea perierūt. Quæsitū est, an ab hærede, qui quādoq; exstitisset: uel credita quinquaginta petere possim, & decem, quæ impedi: Iulianus scribit in eo uerti quæstionē: ut animaduertamus, an iustam causam habuerim seponendorum centum. nam si debuerim & mihi & cæteris hæreditarijs creditoribus soluere: periculū non solum sexaginta, sed etiam reliquorum quadraginta me præstaturū: decem tamē, quæ impenderim, reterentur. Si uero iusta causa fuerit, propter quā integra centū custodirentur: ueluti si periculum erat, ne prædia in publicum cōmitterentur: ne pœna traiectionis pecuniæ augetur, aut ex compromisso cōmitteretur: non solum decem, quæ in hæreditaria negocia impenderim: sed etiā quinquaginta, quæ mihi debita sunt, ab hærede me cōsequi posse.

XIII. VLP IANVS lib. X. ad edictum.

**S**i filius familias negocia gessisse proponatur: æquissimum erit in patrem quoq; actionem dari: siue peculium habeat, siue in rem patris sui uerterit. & si ancilla: simili modo.

XIIII. PA VLVS lib. IX. ad edictum.

**P**omponius libro uicesimo sexto, in negocijs gestis initio cuiusq; tēporis conditionē spectandam ait. Quid enim (inquit) si pupilli negocia cœperim gerere, & inter moras pubes factus sit: uel serui, aut filij familias, & interea liber, aut pater familias effectus sit: & hoc uerius esse didici: nisi si ab initio quasi unum negocium gesturus accessero, deinde alio animo ad aliud: ac eo tempore, quo iam pubes, uel liber, uel pater familias effectus est. hic enim, quasi plura negocia gesta sint: pro qualitate personarum & actio formatur, & condemnatio moderatur.

XV. IDEM lib. VII. ad Plautum.

**S**ed & cum aliquis negocia mea gerit: non multa negocia sunt, sed unus cōtractus: nisi si ab initio ad unū negociū accessit, ut finito cōdiscederet. hoc em̄ casu, si noua uolūtate aliud quoq; aggredi cœperit: alius cōtractus erit.

XVI. VLP IANVS lib. XXV. ad edictum.

**E**Vm actum, quē quis in seruitute egit, manumissus nō cogitur red-  
dere. Planē si quid cōnexum fuerit, ut separari ratio eius, quod in  
seruitute gestum est, ab eo quod in libertate gessit, nō possit: constat ne  
nire in iudicium, uel mandati, uel negotiorum gestorū, & quod in ser-  
uitute gestum est. Deniq; si tempore seruitutis aream emerit, & in eam  
insulam ædificauerit, eaq; corruerit: deinde manumissus fundum loca-  
uerit: sola locatio fundi in iudicium negotiorum gestorū deducitur.  
quia ex superioris temporis administratione nihil amplius in iudiciū  
deduci potest: quā id, sine quo ratio libertatis tempore administrato-  
rum negotiorum expediri non potest.

XVII. PAVLVS lib. IX. ad edictum.

**P**roculus & Pegasus bonam fidem eum, qui in seruitute gerere cœ-  
pit, præstare debere aiunt. Ideoq; quantū, si alius eius negocia ges-  
sisset, seruari potuisset: tantum eum, qui à semetipso non exegerit, ne-  
gociorum gestorū actione præstaturum: si aliquid in peculio habuit,  
cuius retentione id seruari potest.

XVIII. IDEM lib. II. ad Neratium.

**E**T qui natura debitor fuit (etiam si in peculio nihil habuit) sibi po-  
tēta soluere debet, in eodem actu perseverans: sicut is, qui tempo-  
rali actione tenebatur, etiam post tempus exactum negotiorum gestorū  
actione id præstare cogitur. Scauola noster ait: putare se, quod  
Sabinus scribit, A' CAPITE RATIONEM REDDENDAM, de-  
bere sic intelligi: ut appareat, quid reliquum fuerit tunc, cum primum  
liber esse cœperit: non ut dolum aut culpam in seruitute admissam in  
obligationē reuocet. itaq; si inueniatur, uel malo more pecunia in ser-  
uitute erogata, liberabitur. Si libero homini, qui mihi bona fide ser-  
uiebat, mandem, ut aliquid agat: non fore cum eo mandati actionem,  
Labeo ait: quia nō libera uoluntate exsequatur rem sibi mādatam, sed  
quasi ex necessitate seruili erit igitur negotiorum gestorū actio: quia  
& gerendi negocij mei habuit affectum: & is fuit, quē obligare possem.

Si cum me absente negocia mea gereres, imprudens rem meā emi-  
isti, & ignorans usucepisti: mihi negotiorum gestorū, ut restituas, ob-  
ligatus nō es. Sed si antequam usu capias, cognoscas rem meam esse:  
subijcere debes aliquem, qui à te petat meo nomine: ut & mihi rem, &  
tibi stipulationem euictionis committat. Nec uideris dolum malum fa-  
cere in hac subiectione. ideo enim hoc facere debes, ne actione negocio-  
rum gestorū tenearis. Non tantum sortem, uerum etiā usuras ex  
pecunia aliena perceptas, negotiorum gestorū iudicio præstabimus:  
uel etiam, quas percipere potuimus. Contra quoq; usuras, quas præsti-  
timus

timus, uel quas ex nostra pecunia percipere potuimus, quam in aliena  
negocia impendimus: seruabimus iudicio negociorum gestorum.

Dum apud hostes esset Titius, negocia eius administraui. postea re-  
uersus est. negociorum gestorum mihi competit actio: etsi eo tempo-  
re, quo gerebantur, dominum non habuerunt.

XIX. VLP IANVS lib. X. ad edictum.

SI autem apud hostes constitutus, decessit: & successori, & aduersus  
successorem eius, negociorū gestorum directa & contraria cōpetit.

XX. PAVLVS lib. IX. ad edictum.

NAM & Seruius respondit ( ut est relatum apud Alfenum libro tri-  
cesimo septimo digestorum ) cum à Lusitanis tres capti essent, &  
unus ea conditione missus, ut pecuniam pro tribus adferret: & nisi re-  
disset, ut duo pro eo quoque pecuniam darent: isque reuerti noluisse, & ob  
hanc causam illi pro tertio quoque pecuniā soluissent: æquum esse, præ-  
torem in eum reddere iudicium. Qui negocia hæreditaria gerit: quo-  
dammodo sibi hæreditatem, seque ei obligat. ideoque nihil refert, an eti-  
am pupillus hæres existat: quia id æs alienum cum cæteris hæreditarijs  
oneribus ad eū transit. Si uiuo Titio negocia eius administrare cœpi,  
intermittere mortuo eo non debeo: noua tamē inchoare necesse mihi  
nō est, licet uetera explicare, ac cōseruare necessariū sit: ut accidit, cū al-  
ter ex socijs mortuus est. nā quæcunque prioris negocij explicandi causa  
geruntur: nihil refert, quo tēpore consumuntur, sed quo tempore in-  
choantur. Mandatu tuo negocia mea L. Titius gessit. quod si non re-  
ste gessit: tu mihi actione negociorum gestorum teneris, non in hoc  
tantum, ut actiones tuas præstes: sed etiam, quod imprudenter eum  
elegeris, quidquid detrimenti negligentia eius fecit, ut mihi præstes.

XXI. CAIVS lib. III. ad edictum prouinciale.

Sive hæreditaria negocia, siue quæ alicuius essent, gerens aliquis, ne-  
cessario rem emerit: licet ea interierit, poterit quod impendit, iu-  
dicio negociorum gestorum consequi. ueluti si frumētum aut uinum  
familia parauerit, idque casu quodam interierit: forte incendio, ruina.  
Sed ita scilicet hoc dici potest, si ipsa ruina uel incendiū sine uicio eius  
acciderit. nam cum propter ipsam ruinam, aut incendium damnādus  
sit: absurdum est, eum istarū rerum nomine, quæ ita consumptæ sunt,  
quidquam consequi.

XXII. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

SI quis negocia aliena gerens, indebitum exegerit: restituere cogi-  
tur. de eo autem, quod indebitum soluit: magis est, ut sibi imputare  
debeat.

XXIII. IDEM lib. XXIII. ad edictum.

SI hac mente pecuniam procuratori dem, ut ea ipsa creditoris fieret:

q iij pro-

proprietas quidem per procuratorem non acquiritur: potest tamen creditor, etiam inuito me, ratum habendo, pecuniam suam facere: quia procurator in accipiendo creditoris duntaxat negotium gessit: & ideo creditoris rati habitione liberor.

XXIII. IDEM lib. XXVII. ad edictum.

SI quis aliena negotia gerens, plus quam oportet, impenderit: rector peraturum eum id, quod praestari debuit.

XXV. MODESTINVS lib. I. responsorum.

CVm aliquando ciuitati per fideicommissum restitui iussa esset hereditas: magistratus actores horum bonorum Titium & Seium & Caium tunc idoneos creauerunt. postmodum hi actores inter se diuiserunt administrationem bonorum: idque egerunt sine autoritate & sine consensu magistratum. post aliquod tempus testamentum quoque, per quod restitui ciuitati hereditas fideicommissa est, irritum probatum est praetribunali: atque ita ab intestato Sempronius legitimus haeres defuncti existit, sed ex his actoribus unus non soluendo decessit, & nemo eius haeres existit. Quæro, si Sempronius conueniet actores horum bonorum, periculum inopis defuncti, ad quos pertinet? HERENNIVS MODESTINVS respondit: quod ab uno ex actoribus ob ea, quæ solus gessit, negotiorum gestorum actione seruari non potest: ad damnum eius, cui legitima hereditas quaesita est, pertinere.

XXVI. IDEM lib. V. responsorum.

EX duobus fratribus, uno quidem suæ ætatis, alio uero minore ætatis: cum haberent communia rustica prædia, maior frater in saltu communi, habente habitationes paternas, ampla ædificia ædificauerat: cuique eundem saltum cum fratre diuideret, sumptus sibi quasi re meliore ab eo facta desiderabat, fratre minore iam legitimæ ætatis constituto. Herennius Modestinus respondit, ob sumptus nulla re urgente, sed uoluptatis causa factos: eum, de quo quaeritur, actionem non habere. Idem Titium, si pietatis respectu, sororis aluit filiam: actionem hoc nomine contra eam non habere, respondit. XXVII. IABOLENVS lib. VIII. ex Casio.

SI quis mandatu Titij negotia Sei gesserit, Titio mandati tenetur: Si quisque æstimari debet, quanti Sei & Titij interest. Titij autem interest, quantum is Seio præstare debet, cui uel mandati, uel negotiorum gestorum nomine obligatus est. Titio autem actio competit cum eo, cui mandauit aliena negotia gerenda, & antequam ipse quidquam domino præstet: quia id ei abesse uidetur, in quo obligatus est.

XXVIII. CALLISTRATVS lib. III. edicti monitorij.

CVm pater testamento postumo tutorem dederit, isque tutelam interrim administrauerit, nec postumus natus fuerit: cum eo non tutelam

relæ, sed negociorum gestorū erit agendum. quod si natus fuerit postu-  
mus, tutelæ erit actio: & in ea utrumq; tempus ueniet: & quo, ante quàm  
nasceretur infans, gessit: & quo postea, quàm natus sit.

XXIX. IULIANVS lib. III. d. gestorum.

**E**X facto ferebatur, quendam ad filiginem emendam curatorem de  
creto ordinis constitutū: eidemq; aliū subcuratorē cōstitutum, sili-  
ginē miscēdo corrupisse: atq; ita preciū filiginis, quæ in publicū empta  
erat, curatori inflictum esse. quærebatq; qua actione curator cū sub-  
curatore experiri posset: & consequi, ut ei saluum esset, quod causa  
eius damnū accepisset: & Valerius Severus respondit aduersus contu-  
torem negociorum gestorū actionem tutori dandam. Item respondit  
ut magistratui aduersus magistratum eadem actio detur: ita tamen, si  
non sit conscius fraudis. Secundum quæ, & in subcuratore idem dicen-  
dum est. XXX. PAPIANVS lib. II. responsorum.

**L**iberto uel amico mādauit, ut pecuniā acciperet mutuā: cuius literas  
creditor secutus contraxit, & fideiussor interuenit. etiā si pecunia  
nō sit in rem uersa: tamē dabitur in eum negociorū gestorum actio cre-  
ditori uel fideiussori, scilicet ad exemplum institoria actionis. Inter  
negocia Sempronij, quæ gerebat, ignorans Titij negocium gessit. ob  
eam quoq; speciem Sempronio tenebitur: sed ei cautionem indemni-  
tatis, officio iudicis præberi necesse est aduersus Titium, cui datur actio.  
Idem iuris est in tutore. Litem in iudicium deductam, & à reo deser-  
tam, frustratoris amicus ultro egit, causas absentia eius allegans iudi-  
ci. culpam contraxisse non uidebitur, quod ab sententia contra absen-  
tem dicta ipse non prouocauit. VLPPIANVS NOTAT. & hoc ue-  
rum est, cum frustrator condemnatus est. Cæterum si amicus, cum ab-  
sentem defenderet, condemnatus negociorum gestorum ager: poterit  
ei imputari, si cum posset, non appellarit. PAPIANVS. Qui  
aliena negocia gerit, uisuras præstare cogitur: eius scilicet pecuniæ, quæ  
putatis necessarijs sumptibus superest. Libertos certam pecuni-  
am accipere testator ad sumptum monumenti uoluit. si quid amplius  
fuerit erogatum: iudicio negociorum gestorum nec ab hærede recte  
petetur, nec de iure fidei commissi: cum uoluntas finem erogationi fe-  
cerit. Tutoris hæres impubes filius ob eā, quæ tutor eius in rebus pu-  
pillæ paternæ gessit, non tenetur: sed tutor proprio nomine iudicio ne-  
gociorum gestorū conuenitur. Quamq; mater filij negocia secum dū  
patris uoluntate pietatis fiducia gerat: tamen ius actoris, periculo suo li-  
tium causa constituendi, non habebit. Quia nec ipsa filij nomine recte  
agit, aut res bonorū eius alienat, uel debitorē impuberis accipiendo pe-  
cuniā liberat. Vno defendēte causam cōmunis aquæ, sentētia prædio  
datur

datur. sed qui sumptus necessarios ac probabiles in communi lite fecit, negociorum gestorum actionem habet.

XXXI. IDEM lib. III. *responsorum.*

**F**ideiussor imperitia lapsus: alterius quoque contractus, qui personam eius non contingebat, pignora uel hypothecas suscepit: & utramque pecuniã creditori soluit, existimans indemnitati suã confusis prædijs consuli posse. Ob eas res iudicio mandati frustra cõuenietur, & ipse debitorem frustra conueniet: negociorum autem gestorum actio utriusque necessaria erit. in qua lite culpam æstimari satis est, non etiam casum: quia prædo fideiussor non uidetur. Creditor ob id factum, ad restituendum iudicio, quod de pignore dato redditur (cum uideatur ius suum uendidisse) non tenebitur. Ignorante uirgine mater à sponso filiarum res donatas suscepit. quia mandati uel depositi cessat actio, negociorum gestorum agitur.

XXXII. IDEM lib. X. *responsorum.*

**H**aeres uiri defuncti uxorem, quæ res uiri tempore nuptiarum in sua potestate habuit, expilatæ hæreditatis postulare non debet. prudentius itaque fecerit, si ad exhibendum, & negociorum gestorum (si negocia quoque uiri gessit) cum ea fuerit expertus.

XXXIII. PAVLVS lib. I. *questionum.*

**N**ESENNIVS APOLLINARIS IULIO PAVLO S. Auiæ nepotis sui negocia gessit. defunctis utriusque auiæ hæredes cõueniebantur à nepotis hæredibus negociorum gestorum actione. reputabatur hæredes auiæ alimenta præstita nepoti. Respondebatur, auiam iure pietatis de suo præstitisse. nec enim aut desiderasse, ut decernerentur alimenta, aut decreta esse. præterea constitutum esse dicebatur: ut si mater aluisset, nõ posset alimenta, quæ pietate cogente de suo præstitisset, repetere. E contrario dicebatur: hoc recte dici, cum de suo aluisset mater probaretur. at in proposito auiam, quæ negocia administrasset: uerisimile esse, de re ipsius nepotis eũ aluisse. Tractatũ est, nunquid de utroque patrimonio erogata uiderentur. Quæro, quid tibi iustius uideatur? Respondi. hæc disceptatio in factum cõstitit. Nam & illud, quod in matre constitutum est, nõ puto ita perpetuo obseruandum. Quid enim, si etiam protestata est, se filium ideò alere, ut aut ipsum, aut tutores eius conueniret? Pone peregre patrem eius obisse: & matrem, dum in patriam reuerteretur, tam filiũ eius, quàm filiam exhibuisse. in qua specie & in ipsum pupillum negociorum gestorum dandam actionem, diuus Pius Antoninus cõstituit. Igitur in re facti facilius putabo, auiã uel hæredes eius audiendos, si reputari uelint alimenta: maxime si etiam in rationes impensam eam retulisse auiam apparebit. Illud nequaquam admittendum

mittendum puto, ut de utroq; patrimonio erogata uideantur.

XXXIII. SCAEVOLA lib. I. *questionum.*

**D**iuortio facto, negotia uxoris gessit maritus. dos non solum do-  
ris actione, uerum & negotiorum gestorum seruari potest. Hoc  
ita, si maritus, dū gessit, facere potuit. aliās enim imputari non potest,  
quod à se non exegerit. Sed & postea, quān patrimonio amiserit,  
plena erit negotiorum gestorum actio: quamuis si dotis actione mari-  
tus cōueniatur, absoluendus sit. Sed hic quidā modus seruandus est, ut  
ita querelæ locus sit, **QUANTVM FACERE POTVIT, POSTEA QVA'M**  
**IS AMISERIT:** si illo tēpore ei soluere potuit. nō em̄ euestigio in officio  
deligt, si nō protinus res suas distraxit ad pecuniam\* redigendā. prate- <sup>als\*redhi-</sup>  
rire deniq; aliquid tēporis debeat, quo cessasse uideat. Quod si interea, <sup>bendā. prae</sup>  
priusquā officium impleat, res amissa est: perinde negotiorum ge- <sup>stare de-</sup>  
storum non tenerur, ac si nunc; facere potuisset. Sed & si facere possit niq;  
maritus, actio negotiorum gestorum inducitur: quia forte periculum  
est, ne posse facere desinat. Illum etiam non credimus teneri, ad red-  
dendum pignus, qui gerit negotia debitoris: cum pecunia ei debeat, <sup>re</sup>  
nec fuerit, quod sibi possit exsoluere. Sed nec redhibitoriae speciē ueni-  
re in negotiorum gestorum actionem, & per hoc sex mensibus actis pe-  
rire: siue mancipium in rebus non inuenit: uel eo inuento, aut deterior  
homo factus est: aut quod accessionum nomine additum erat, uel per  
eum aduersum non ex re emptoris, nec inuenit, nec recepit: nec erat  
in ipsius emptoris negocijs, quæ gerebat, unde sibi in præsenti redde-  
ret. Cæterum si ex alia causa perpetua obligationis, cum sit locuples,  
debeat: non est imputandum, quod non soluit: utiq; si neq; usurarum  
ratio querelam mouet. Diuersumq; est in tutore debitore: quia ibi in-  
terfuit ex priore obligatione solui, ut deberetur ex tutelæ actione.

XXXV. PAVLVS lib. III. *questionum.*

**S**iliber homo bona fide mihi seruiens, mutuam pecuniam sumpse-  
rit, eamq; in rem meā uerterit: qua actione id, quod in rem meam  
uertit, reddere debeat, uidendum est. non enim quasi amici, sed quasi  
domini negocium gessit. sed negotiorum gestorū actio danda est: quæ  
desinit competere, si creditoribus eius soluta sit.

XXXVI. IDEM lib. I. *sententiarum.*

**L**itis contestatæ tempore quæri solēt: an pupillus, cuius sine tuto-  
ris autoritate negotia gesta sunt, locupletior sit ex ea re factus, cū  
is patitur actionem. Si pecuniæ quis negocium gerat: usuras quoq;  
præstare cogitur, & periculum eorum nominum, quæ ipse contraxit:  
nisi fortuitis casibus debitores ita suas fortunas amiserint, ut tempore  
litis ex ea actione contestatæ soluendo non essent. Pater si emanci-  
pati

pati filij res à se donatas administrauerit: filio actione negotiorum gestororum tenebitur.

XXXVII. TRIPHONINVS lib. II. *disputationum.*

**Q**ui sine usuris pecuniam debebat, creditoris sui negocia gessit. quæsitum est, an negotiorum gestorū actione, summæ illius usuras præstare debeat? dixi: si à semetipso exigere eū oportuit, debiturum usuras. Quod si dies soluendæ pecuniæ, tempore quo negocia gerebat, nondū uenerat: usuras nō debiturū. Sed die præterito, si non intulit rationibus creditoris, cuius negocia gereret, pecuniam à se debitam: merito usuras bonæ fidei iudicio præstaturum. Sed quas usuras debeat, uideamus: utrum eas, quibus alijs idem creditor fœnerasset? an & maximas usuras? quoniam & ubi quis eius pecuniam, cuius tutelam negocia uē administrauit, aut magistratus municipij publicam, in usus suos conuertit: maximas usuras præstat, ut est constitutum à diuinis principibus. Sed istius diuersa causa est: quia non sibi sumpsit ex administratione numos, sed ab amico accepit, ante negotiorū gestororum administrationem. Nam in illis, de quibus constitutum est (cum gratiam, certe integram & abstinentem in lucro præstare fidem debeant) licentia, qua uidentur abuti, maximis usuris uice cuiusdam pœnæ subicitur. hic bona ratione accepit ab alio mutuū: & usuris, quia non soluit: nō quia ex negocijs, quæ gerebat, ad se pecuniā transtulit: condemnandus est. Multum autem refert, incipiat nunc debitum, an ante nomen debitoris fuerit: quod satis sit, ex non usurario facere usurarium.

XXXVIII. CAIUS lib. III. *de uerborum obligationibus.*

**S**oluendo quisq; pro alio, licet inuito & ignorāte, liberat eum: quod autem alicui debetur, alius sine uoluntate eius non potest iure exigere. Naturalis enim simul & ciuilis ratio suadet: alienā conditionem meliorem, etiam ignorantis & inuiti, nos facere posse: deteriores non posse.

XXXIX. PAVLVS lib. X. *ad Sabinum.*

**S**i communes ædes tecum habeam, & pro tua parte damni infecti uis scino cauero: dicendum est, quod præstitero, negotiorum gestororum actione potius, q̄ communi diuidendo iudicio me posse petere: quia potui partem meam ita defendere, ut socij partē defendere non cogerer.

XL. IDEM lib. XXX. *ad edictum.*

**Q**ui seruum meum, me ignorante uel absente, in noxali causa defendit: negotiorū gestorū insolidū meū, non de peculio aget.

XLI. IDEM lib. XXXII. *ad edictum.*

**S**i serui mei rogatu negocia mea susceperis: si duntaxat admonitus à seruo meo id feceris, erit inter nos negotiorū gestorū actio. Si uero quasi mandatu serui: etiā de peculio, & de in rem uerso actione agere te posse, respōsum est.

Labeo

XLII. LABEO lib. VI. *Posteriorum epitomatorum.*

**C**um pecuniam eius nomine solueris, qui tibi nihil mandauerat: negotiorum gestorum actio tibi competit, cum ea solutione debitor à creditore liberatus sit: nisi si quid debitoris interfuit, eam pecuniam non solui.

XLIII. VLP IANVS lib. VI. *disputationum.*

**I**s, qui amicitia ductus paterna, pupillis tutorem petierit, uel suspectos tutores postulauerit: nullam aduersus eos habet actionem, secundum quod diui Seueri constitutione declaratur.

XLIII. IDEM lib. III. *opinionum.*

**Q**ua utiliter in negocia alicuius erogantur, in quibus est etiam sumptus, honeste ad honores per gradus obtingentes factus: actio negotiorum gestorum peti possunt. Qui pure testamento libertatem acceperunt: actus, quem uiuentibus dominis administrauerunt, rationem reddere non compelluntur. Titius pecuniam creditoribus hereditarijs soluit, existimans sororem suam defuncto heredem testamento existitisse. quamuis animo gerendi sororis negocia id fecit: in ueritate tamen filiorum defuncti, qui sui heredes patri sublato testamento erant, gessit. sed quia æquum est, in damno eum non uersari: actione negotiorum gestorum id eum petere placuit.

XLV. AFRICANVS lib. VII. *questionum.*

**M**andasti filio meo, ut tibi fundum emeret. quod cum cognouissem, ipse eum tibi emi. puto referre, qua mente emerim. nam si propterea, quod tibi necessarium esse scirem, & te eius uoluntatis esse, ut emptum habere uelles: agemus inter nos negotiorum gestorum: sicut ageremus, si aut nullum omnino mandatum intercessisset, aut Titio mandasses, sed ego (quia per me commodius possem negocium conficere) emissem. Si uero propterea emerim, ne filius mandati iudicio teneretur: magis est, ut ex persona eius, & ego tecum mandati agere possim, & tu mecum habeas actionem de peculio. Quia & si Titius id mandatum suscepisset, & ne eo nomine teneretur, ego emissem: agere cum Titio negotiorum gestorum: & ille tecum, & tu cum illo mandati. Idem est, & si filio meo mandaueris, ut pro te fideiuberet, & ego pro te fidei iusserim. Si proponatur, te Titio mandasse, ut pro te fideiuberet, liberandæ fidei is aliqua de causa impediretur, quo minus fideiuberet, liberandæ fidei eius causa fideiussisse negotiorum gestorum mihi competit actio.

XLVI. PAVLVS lib. I. *Sente miarum*

**A**ctio negotiorum gestorum illi datur, cuius interest hoc iudicio experiri. Nec refert, directa quis, an utili actione agat, uel conueniatur. Planè in extra ordinarijs iudicijs, ubi conceptio formulari non obseruatur, hæc subtilitas superuacua est: maxime cum utraq; actio eiusdem potestatis sit, eundemque habeat effectum.

XLVII. PAPINIANVS lib. III. *questionum.*

**I**gnorante quoq; sorore, si frater negocium eius gerens, dotem à uirō stipulatus sit: iudicio negociorum gestorum, ut uirum liberet, in re conuenietur.

XLVIII. AFRICANVS lib. VIII. *questionum.*

**S**i rem, quam seruus uenditus subripuisset à me uenditore, emprore uendiderit, eaq; in natura rerum esse desierit: de precio negociorum gestorum actio mihi danda est: ut dari deberet, si negocium, quod tuū esse existimares, cum esset meum, gessisses. Sicut ex contrario, in me tibi daretur: si cum hereditatem, quæ ad me pertinebat, tuam purares, res tuas, pprias legatarijs soluisses: quandoquidē ea solutione liberaret.

## DE CALVMNIATORIBVS.

Tit. VI.

VLP IANVS lib. X. *ad edictum.*

**N**eum, qui ut calumniæ causa negociū faceret, uel non faceret, pecuniam accepisse dicitur: intra annum, in quadruplum eius pecuniæ, quam accepisse dicitur: post annum simpli in factum actio competit. Hoc autem iudicium non solum in pecuniarijs causis, sed etiam ad publica crimina pertinere, Póponius scribit. Maxime cum & lege Repetundarū teneatur, qui ob negocium faciendum, uel non faciendum per calumniam, pecuniam accepit. Qui accepit pecuniā: siue ante iudicium, siue post iudicium acceptū: tenetur. Sed & constitutio imperatoris nostri, quæ scripta est ad Cassium Sabinum: prohibuit iudici uel aduersario in publicis, uel priuatis, uel fiscalibus causis pecuniā dare: & ex hac causa litem perire iussit. Et tractari potest, si aduersarius nō per calumniam, sed transigendi animo pecuniam acceperit: an constitutio cesset. & puto cessare: sicuti hoc quoq; iudicium, neq; enim transactionibus licitis est interdictum, sed sordidis concussionibus. Pecuniam autem accepisse dicemus, etiam si aliquid pro pecunia accepit.

II. PAVLVVS lib. X. *ad edictum.*

**Q**uin etiam si quis obligatione liberatus sit, potest uideri cepisse. Idemq; si gratuita pecunia utenda data sit, aut minoris locata, uenditæ res sit. nec refert, ipse pecuniā acceperit, an alij iusserit dari, uel acceptum suo nomine ratum habuerit.

III. VLP IANVS lib. X. *ad edictum.*

**E**T generaliter idem erit, si quid omnino compendij sensit propter hoc: siue ab aduersario, siue ab alio quocunq;. Si igitur accepit, ut negocium faceret: siue fecit, siue non fecit, tenetur. & qui accepit, ne faceret

ceret: & si fecit, tenetur. Hoc edicto tenetur etiam is, qui \* depectus  
 est. Depectus autem dicitur, turpiter factus. Illud erit notandum, quod  
 qui dedit pecuniam, ut negotium quis pateretur: non habebit ipse re-  
 petitionem (turpiter enim fecit) sed ei dabitur repetitio, propter quem  
 datum est, ut calumnia ei fiat. Quare si quis & à te pecuniam acceperit,  
 ut mihi negotium faceret: & à me, ne mihi faceret: mihi duobus iudi-  
 cijs tenebitur.

aliàs \*  
 utrinque  
 dispectus.

III. CAIVS lib. III. ad edictum provinciale.

**H**æc actio hæredi quidem non competit: quia sufficere ei debet,  
 quod eam pecuniam, quam defunctus dedit, repetere potest.

V. VLPPIANVS lib. X. ad edictum.

**I**n hæredem autem competit in id, quod ad eum peruenit. Nam con-  
 stitutum est, turpia lucra ab hæredibus quoque extorqueri, licet crimi-  
 na extinguantur. ut puta ob falsum testimonium, uel iudici ob gratio-  
 sam sententiam datum, & hæredi extorquebitur: & si quid aliud scelere  
 quaesitum est. Sed etiam præter hanc actionem condictio competit, si  
 sola turpitudine accipientis uersetur. nam si & dantis: melior causa erit  
 possidentis. Queritur, si fuerit condictum, utrum tollatur hæc actio, an  
 uero in triplum danda sit: an exemplo furis, & in quadruplum actio-  
 nem damus, & condictionem? Sed puto sufficere alterutram actionem.  
 Vbi autem condictio competit, ibi post annum non est necesse dare in  
 factum actionem.

VI. CAIVS lib. III. ad edictum provinciale.

**A**nnum autem in persona quidem eius, qui dedit pecuniam, ne  
 secum ageretur: ex eo tempore cedit, ex quo dedit: si modo po-  
 restas ei fuerit experiundi. In illius uero persona, cum quo ut agatur, ali-  
 us pecuniam dedit: dubitari potest, utrum ex die data pecuniæ numera-  
 ri debeat, an potius ex quo cognouit datam esse: quia qui nescit, is uide-  
 tur experiundi potestatem non habere. & uerius est, ex eo annum nu-  
 merari, ex quo cognouit.

VII. PAVLVS lib. X. ad edictum.

**S**i quis ab alio acceperit pecuniam, ne mihi negotium faceret: si qui-  
 dem mandatu meo ei datum est, uel à procuratore meo omnium  
 rerum, uel ab eo, qui negotium meum gerere uolebat, & ratum habui:  
 ego dedisse intelligor. Si autem non mandatu meo alius ei (licet misericor-  
 dia causa) dederit, ne fieret, neque ratum habui: tunc & ipsum repetere, &  
 me in quadruplum agere posse. Si ut filiofamilias negotium fie-  
 ret, acceptum est: etiam patri actio danda est. Item si filiofamilias pe-  
 cuniam accepit, ut faceret negotium, uel non faceret: in ipsum iudi-  
 cium dabitur. Et si alius non meo mandatu ei dederit, ne fiat: tunc

& ipsum repetere, & me in quadruplum agere posse. Cum publicanus mancipia retinet, dataque ei pecunia est, quæ non debetur: & ipse ex hac parte edicti in factum actione tenetur.

VIII. VLP IANVS lib. IIII. opinionum.

**S**I ab eo, qui innocens fuit: sub specie criminis alicuius, quod in eo probatum non est: pecuniam acceptam, cuius de ea re notio est, edictus fuerit: id quod illicite extortum est (secundum edicti formam, quod de his est, qui pecuniam, ut negotium facerent, aut non facerent, accipisse dicentur) restitui iubeat: & ei, qui id commisit, pro modo delicti poenam irroget.

IX. P A P I N I A N V S lib. II. de adulterijs.

**D**E seruo, qui accusatur, si postuletur, quaestio habetur. quo absoluto, in duplum precij accusator domino damnatur. Sed & circa precij aestimationem quaeritur de calumnia eius. separatum est enim calumniae crimen à damno, quod in seruo propter quaestionem domino datum est.

# DIGESTORVM

## SEV PANDECTARVM LIBER QVARTVS.

### DE IN INTEGRVM RESTITVTIO. NIBVS. Tit. I.

VLP IANVS lib. XI. ad edictum.



**M**ILITAS huius tituli non eget commendatione. ipse enim se ostendit. Nam sub hoc titulo plurifariam praetor hominibus uel lapsis, uel circumscriptis subuenit: siue metu, siue calliditate, siue aetate, siue absentia inciderunt in captionem.

II. PAVLVVS lib. I. sententiarum.

**S**ive per status mutationem, aut iustum errorem.

III. M O D E S T I N V S lib. VIII. τὸ ἀποστρέφειν.

**O**mnes in integrum restitutiones causa cognita à praetore permittuntur: scilicet ut iustitiam earum causarum examinet, an ueræ sint, quarum nomine singulis subuenitur.

IIII. C A L L I S T R A T V S lib. I. edicti monitorij.

**S**cio illud à quibusdam obseruatum: ne propter minimam sanè rem uel summam (si maiori rei uel summæ praëiudicaretur) audiatur is, qui in integrum restitui postulat.

Paulus

**N**emo uidetur re exclusus, quem prætor in integrum restitutorum se pollicetur.

V. **PAVLVS** lib. VII. *ad edictum.*

**N**on solum minoris, uerum eorum quoque, qui reipublicæ causa abfuerunt: item omnium, qui ipsi potuerunt restitui in integrum: successores in integrum restitui possunt, ut sapissime constitutum est. Siue igitur hæres sit, siue is cui hæreditas restituta est, siue filius familias militis successor: in integrum restitui potest. Proinde & si minor in seruitutem redigatur, uel ancilla fiat: dominis eorum dabitur (non tamen ultra tempus statutum) in integrum restitutio. Sed & si forte hic minor erat captus in hæreditate, quam adierat: Iulianus libro septimo digestorum scribit, abstinendi facultatem dominum posse habere: non solum ætatis beneficio, uerum etiam si ætas non patrocinetur, quia non adipiscendæ hæreditatis gratia legum beneficio usi sunt, sed uindictæ gratia.

VII. **MARCELLVS** lib. III. *digestorum.*

**D**iuus Antoninus Marcio Auito prætori de succurrendo ei, qui abfens rem amiserat, in hanc sententiam rescripsit. **ET SI NIHIL FACILE MVTANDVM EST EX SOLENNIBVS: TAMEN VBI AEQVITAS EVIDENS POSCIT, SVBVENIENDVM EST. ITAQVE SI CITATVS NON RESPONDIT, ET OB HOC MORE SOLITO PRONVNCIATVM EST, CONFESTIM AVTEM PRO TRIBVNALITE SEDENTEM ADIIT: EXISTIMARI POTEST, NON SVA CVLPA, SED PARVM EX AVDITA VOCE PRÆCONIS DEFVISSE: IDEOQVE RESTITVI POTEST.** Nec intra has solummodo species consistet huius generis auxilium. etenim & deceptis sine culpa sua (maxime si fraus ab aduersario interuenerit) succurri oportebit: quamuis etiam de dolo malo actio competere soleat. & boni prætoris est, potius restituere lirem, ut ratio & æquitas postulabit, quam actionem famosam constituere: ad quam tunc demum descendendum est, cum remedio locus esse non potest.

VIII. **MACER** lib. II. *de appellationibus.*

**I**nter minores uiginti quibus annis, & eos qui reipublicæ causa absunt, hoc interest: quod minores annis, etiam si per tutores curatoresque suos defensi sunt: nihilominus in integrum contra reipublicam restituuntur, cognita scilicet causa. Ei uero, qui reipublicæ causa absit, cæterisque qui in eadem causa habentur: si per procuratores suos defensi sunt, hætenus in integrum restitutione subueniri solet, ut appellare ijs permittatur.

Quod

QVOD METVS CAVSSA GESTVM  
ERIT. Tit. II.

VLPIANVS lib. XI. ad edictum.



It prætor: QVOD METVS CAVSSA GESTVM ERIT, RATVM NON HABEBO. Olim ita dicebatur, QVOD VI METVS VE CAVSSA. uis em̄ fiebat mentio, propter necessitatem impositam contrariam uoluntati: metus autem, propter instantis uel futuri periculi causæ a mentis trepidationem. Sed postea detracta est uis mentio: quia quodcumq; ui atroci sit, id metu quoq; fieri uideretur.

II. PAVLVS lib. I. sententiarum.

V Is autem est maioris rei impetus, qui repelli non potest.

III. VLPIANVS lib. XI. ad edictum.

Continet igitur hæc clausula & uim & metum: & si quis ui compulsus aliquid fecit, per hoc edictum restituitur. Sed uim accipimus atrocem, & eam, quæ aduersus bonos mores fiat: non eam, quam magistratus intulit, scilicet iure licito & iure honoris, \*quem sustinet. Etenim si per iniuriam quid fecit populi Romani magistratus uel prouinciae præses, Pomponius scribit hoc edictum locum habere: si forte (inquit) mortis aut uerberum terrore pecuniam alicui extorsit.

IIII. PAVLVS lib. XI. ad edictum.

E Go puto etiam seruitutis timorem, & similia admittendum.

V. VLPIANVS lib. XI. ad edictum.

M Etum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed maioris mali.

VI. CAIVS lib. III. ad edictum prouinciale.

M Etum autem non uani hominis, sed qui merito & in hominem constantissimum cadat, ad hoc edictum pertinere dicemus.

VII. VLPIANVS lib. XI. ad edictum.

N Ec timorem infamiae hoc edicto contineri, Pedius dicit libro octauo: neq; alicuius uexationis timorem per hoc edictum restitui. Proinde si quis meticulosus rem nullam frustra metuerit, per hoc edictum non restituitur: quoniam neq; ui, neq; metu factum est. Proinde si quis in furto, uel in adulterio deprehensus, uel in alio flagicio: uel dedit aliquid, uel se obligauit: Pomponius libro uicesimo octauo recte scribit, posse eum ad edictum hoc pertinere. timuit enim uel mortem, uel uincula. quanq; non omnem adulterum uel furẽ licet occidere, nisi se telo defendat: sed potuerat uel nõ iure occidi, & ideo iustus fuit metus. Sed & si ne pdatur ab eo, q deprehedit, alienauerit: succurri ei per hoc edictum

edictū uidetur. quoniā si proditus esset, potuisset ea pati, quæ diximus.

VIII. PAVLVS lib. XI. ad edictum.

**I**sti quidem & in legem Iuliam incidunt, qui quid pro comperto stupro acceperunt: prætor tamen, ut restituant, interuenire debet. nam & gestum est malo more: & prætor non respicit, an adulter sit, qui dedit: sed hoc solum, quod hic accepit, metu mortis illato. Si is accipiat pecuniam, qui instrumenta status mei interuer furus est, nisi dem non dubitatur, quin maximo metu compellat: utiq; si iam in seruitutem petor, & illis instrumentis perditis, liber pronounciari non possum.

Quod si dederit, ne stuprum patiatur, uir seu mulier: hoc edictum locum habet: cū uiris bonis iste metus maior, quàm mortis esse debeat.

Hæc, quæ diximus ad edictum pertinere: nihil interest, in se quis ueritus sit, an liberis suis: cum pro affectu magis in liberis parentes terreantur.

IX. VLP IANVS lib. XI. ad edictum.

**M**etum autem præsentem accipere debemus, non suspicionem inferendi eius: & ita Pomponius libro uicesimo octauo scribit. Ait enim metum accipiendum, si illatus est timor ab aliquo. Deniq; tractat: si fundum meum dereliquero, audito quod quis cum armis ueniret: an huic edicto locus sit. & refert Labeonem existimare, edicto locum non esse. sed & VNDE VI interdictum cessare: quoniam non uidear ui deiectus, qui deijci non expectaui, sed profugi. Aliter atq; si possea, quàm armati ingressi sunt, tunc discessi. huic enim edicto locum fore. Idem ait, & si forte adhibita manu, in meo solo per uim ædifices: & interdictum QVOD VI AVT CLAM, & hoc edictum locum habere: scilicet, quoniam metu patior id te facere. Sed & si per uim tibi possessionem tradidero: dicit Pomponius, huic edicto locum esse.

Ani aduertendum est autē, quod prætor hoc edicto generaliter & in rem loquitur, nec adiicit à quo gestū sit. & ideo siue singularis sit persona, quæ metum intulit, uel populus, uel curia, uel collegiū, uel corpus: huic edicto locus erit. Sed licet uim à quocunq; prætor factam completatur: eleganter tamen Pomponius ait: si quo magis te de ui hostium, uel latronum, uel populi tuerer uel liberarem, alicuius accipero à te, uel te obligauero: non debere me hoc edicto teneri, nisi ipse hanc tibi uim submisi. cæterum si alienus sum à ui: teneri me non debere. ego enim operæ potius meæ mercedem accepisse uideor. Idem Pomponius scribit, quosdam bene putare: etiam serui manumissionem, uel ædificij depositionē, quam quis coactus fecit, ad restitutionem huius edicti porrigendā. Sed quod prætor ait, RATVM NON HABEBO: quatenus accipiendū est, uideamus. Et quidē aut imperfecta res est, licet metus interuenierit, ut puta stipulationē numeratio non est secuta: aut perfecta

s. stipulatio

stipulationem & numeratio facta est, aut per metum acceptò debitor liberatus est, uel quid simile còtigit, quòd negocium perficeret. Et Pomponius scribit, in negocijs quidem perfectis, & exceptionem interdum, & actionem competere: in imperfectis autem solam exceptionem. Sed ex facto scio (cum Campani metu cuidam illato extorsissent cautionem pollicitationis) rescriptum esse ab Imperatore nostro, posse eum à pratore in integrum restitutionem postulare: & pratore me adfidente interlocutum esse, ut siue actione uellet aduersus Campanos experiri, esse propositam: siue exceptione, aduersus petentes non deesse exceptionem. Ex qua constitutione colligitur: ut siue perfecta, siue imperfecta sit res: & actio & exceptio detur. Volenti aut datur, & in rem actio, & in personā: rescissa acceptilatione, uel alia liberatione. Item Iulianus libro tertio digestorum putat eum, cui res metus causa tradita est, non solum reddere, uerum etiam de dolo repromittere debere.

Licet etiam in rem actionem dandam existimemus, quia res in bonis eius est, qui uim passus est: uerum non sine ratione dicetur, si in quadruplum quis egerit, finire in rem actionem, uel contra. Ex hoc edicto restitutio facienda est in integrum officio iudicis: id est, ut si per uim res tradita sit, retradatur: & de dolo (sicut dictum est) repromittatur, ne forte deterior res sit facta. Et si acceptilatione liberatio interuenerit, restituenda erit in pristinum statum obligatio: usque adeo, ut Iulianus scribat libro quarto, si pecunia, quæ debita fuit, acceptò per uim facta sit: nisi uel soluat, uel restituta obligatione iudicium accipiatur, in quadruplo eum condemnandum. Sed & si per uim stipulanti promiserit, stipulatio acceptò faciēda erit. Sed & si ususfructus, uel seruitutes amissæ sint, restituendæ erunt. Cum autem hæc actio in rem sit scripta, nec personam uim facientis coërceat, sed aduersus omnes restitui uellet, quod metus causa factum est: non immerito Iulianus à Marcello notatus est scribens, si fideiussor uim intulit, ut acceptò liberaretur: in reum non esse restituendam actionem, sed fideiussorem (nisi aduersus reum quoque actionem restituat) debere in quadruplum condemnari. Sed est uerius, quod Marcellus notat: etiam aduersus reum competere hanc actionem, cum in rem sit scripta.

X. CAIVS lib. IIII. ad edictum prouinciale.

**I**llud uerum est: si ex facto debitoris metum adhibentis, fideiussores acceptilatione liberati sint: etiam aduersus fideiussores agi posse, ut se reponant in obligationem. Si metu à te coactus, acceptam tibi stipulationem fecerim: arbitrato iudicis, apud quem ex hoc edicto agitur, non solum illud continetur, ut in tua persona redintegretur obligatio: sed ut fideiussores quoque, uel eosdem, uel alios non minus idoneos adhibeas

hibeas: præterea ut & pignora, quæ dederas, in eadem causa restituas.

XI. MARCELLVS lib. III. Iuliani digestorū notat.

**S**I quis alius sine malicia fideiussoris, ut fideiussori accepto fieret, uim fecit: non tenebitur fideiussor, ut rei quoque obligationem restituat.

XII. VLP IANVS lib. XI. ad edictum.

**S**ed & partus ancillarum, & foetus pecorum, & fructus restitui, & omnem causam oportet. nec solum eos, qui percepti sunt: uerū si plus ego percipere potui, & per metum impeditus sum: hæc quoque præstabit. Quæri poterit: an etiā ei, qui uim fecerat, passio uim restitui prætor uelit per hoc edictū, ea quæ alienauit? Et Pomponius scribit libro nicefimo octauo, non oportere ei prætorem opem ferre. nam cum liceat (inquit) uim ui repellere: quod fecit, passus est. Quare si metu te coegerit sibi promittere: mox ego tum eum coëgero, metu te accepto liberare: nihil esse, quod ei restituatur. Iulianus ait & eū, qui uim adhibuit debitori suo, ut ei solueret: hoc edicto nō teneri, propter naturam **Q**UOD METVS CAUSSA actionis, quæ damnum exigit: quamuis negari non possit, in legem Iuliam eum de ui incidisse, & ius crediti amisisse.

XIII. CALLISTRATVS lib. V. de cognitionibus.

**E**xistat enim decretum diui Marci in hæc uerba. Optimum est, ut si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris. Et cum Marcianus inde diceret, uim nullam feci. Cæsar dixit. Tu uim putas esse solum, si homines uulnerentur? uis est & tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit, rem ullam debitoris, non ab ipso sibi sponte datam, sine ullo iudice temere possidere, uel accepisse, sibi quoque ius in eam rem dixisse: ius crediti non habebit.

XIIII VLP IANVS lib. XI. ad edictum.

**I**tem si cum exceptione aduersus te perpetua tutus essem, coëgero te acceptum mihi facere: cessare hoc edictum. quia nihil tibi abest. Si quis non restituat: in quadruplum iudiciū in eum pollicetur. Quadruplabitur autem omne, quodcumque restitui oportuit. Satis enim clemēter cum reo prætor egit: ut daret ei restituēdi facultatem, si uult potius euitare. Post annum uero in simplum actionem pollicetur: sed nō semper, sed causa cognita. In causæ autem cognitione uersatur: ut si actio non sit, tunc hæc detur. & sanè cum per metum facta iniuria anno quidem utili exoleuerit: idonea causa esse debet, ut post annum actio hæc dari debeat. Alia autē actio esse sic potest: si is, cui uis admessa est, decesserit: hæres eius habet hæreditatis petitionem. quoniam pro possessore, qui uim intulit, possidet. propter quod hæredi non erit **Q**UOD

METVS CAVSSA actio: quamuis si annus largiretur, etiam hæres in quadruplum experiri possit. Ideo autem successoribus datur, quoniam & rei habet persecutionem. In hac actione non quæritur, utrū is, qui conuenitur, an alius metum fecerit. sufficit enim hoc docere, metū sibi illatum, uel uim: & ex hac re eum, qui conuenitur, & si crimine caret, lucrum tamen sensisse. Nam cum metus habeat in se ignorantia: merito quis non adstringitur, ut designet, quis ei metum uel uim adhibuerit, & ideo ad hoc tantum actor adstringitur: ut doceat metū in causa fuisse, ut alicui acceptam pecuniam faceret, uel rem ita traderet, uel quid aliud faceret. Nec cuiquam iniquum uideatur, ex alieno facto alium in quadruplum condemnari: quia non statim quadrupli est actio, sed si res nō restituatur. Hæc autē actio cum arbitraria sit: habet reus al's \* usq; a licentiam ab arbitrio dato \* usq; ad sententiam, restitutionem (secundū sentētia ab quod supra diximus) rei facere. quod si non fecerit: iure meritoq; quadrupli condemnationem patietur. Aliquando tamen, & si metus ad arbitrio data. hibitus proponatur, arbitrium absolutionem adfert. Quid enim, si metum quidem Titius adhibuit, me non conscio: res autem ad me peruenit, & hæc in rebus humanis non est sine dolo malo meo: non iudicis officio absoluar? Ita & si seruus in fuga est: æque iudicis officio (si caueo me, si in meam potestatem peruenit, restitutum) absoluti debebo. Vnde quidam putant, bonæ fidei emptorē ab eo, qui uim intulit, comparantem, non teneri: nec eum, qui dono accepit, uel cui res legata est. Sed rectissime \* Iuliano uidetur, etiam hos teneri: ne metus, quem passus sum, mihi captiosus sit. Pedius quoq; libro octauo scribit, arbitrium iudicis in restituenda re tale esse: ut eum quidem, qui uim admisit, iubeat restituere, etiam si ad alium res peruenit: eum autem, ad quem peruenit, etiam si alius metum fecit. Nam in alterius præmium uerti alienū metum non oportet. Labeo ait, si quis per metum reus sit constitutus, & fideiussorem nolentem dederit: & ipse & fideiussor liberabitur. Si solus fideiussor metu accessit, non etiam reus: solus fideiussor liberabitur. Quadruplatur autem id, QUANTIEA RES ERIT, cum fructibus & omni causa. Si quis per uim fisti promittendo, postea fideiussorē adhibeat: is quoq; liberatur. Sed & si quis per uim stipularis, cum acceptū non faceret, fuerit in quadruplū cōdemnatus: ex stipulatu eū agentem, aduersus exceptionem replicatione adiuuari, Iulianus putat: cum in quadruplo & simplum sit reus consecutus. Labeo autē etiam post quadrupli actionē, nihilominus exceptione submouendū eū, qui uim intulit, dicebat. quod cū durū uideatur, ita temperandū est: ut tripli condēnatione plestat, q̄ acceptilationē omnimodo facere cōpeltat. Quatenus autē diximus, quadruplo simplum inesse, sic hoc disponendum

nendū est: ut in condemnatione quadrupli res quidē omnimodo con-  
tineatur, & eius restitutio fiat: pœna autē usq; ad triplū\* præstetur. Quod aliās\* ste-  
si homo sine dolo & culpa eius, qui uim intulit, & condemnatus tur.  
est, perijt: in hoc casu à rei cōdemnatione ideo relaxabitur ( si intra tem-  
pora iudicati actionis moriatur ) quia tripli pœna, ppter facinus satisfac-  
cere cogitur. Pro eo autem, qui in fuga esse dicitur: cautio extorquen-  
da est, quatenus & psequatur, & omnimodo eum restituat: & nihilomi-  
nus in rem, uel ad exhibēdum, uel si qua alia ei competit actio, ad eum  
recipiendum integra ei, qui uim passus est, seruabitur. ita tamen, ut si  
dominus eum quocunq; modo receperit: is qui ex stipulatione conue-  
nitur, exceptione tutus fiat. hæc si post condemnationem. Si autem an-  
te sententiam homo sine dolo malo & culpa mortuus fuerit: tenebitur,  
idēq; his uerbis edicti, NEQVE EA RES ARBITRIO IV-  
DICIS RESTITVATUR. Ergo & si in fuga sit seruus sine dolo ma-  
lo & culpa eius, cum quo agetur: cauendum est per iudicem, ut eum ser-  
uum persecutus, reddat. Sed & si non culpa eius, cum quo agetur, obie-  
rit: si tamen peritura res non fuit, si metum non adhibuisset: tenebitur  
reus, \* sic & in interdicto VNDE VI, uel QVOD VI AVT CLAM ob aliās\* si-  
seruatur. Itaq; interdum hominis precium recipit, quāti eum uenditur- cut &  
rus fuerat, si uim passus non esset. Qui uim intulit, cū possessionem  
à me sit consecutus, fur non est: quamuis qui ui raptit, fur improbius  
esse uideatur, ut Iuliano placet. Eum qui metum fecit, & de dolo tea-  
neri certum est: (& ita Pomponius) & consumi alteram actionem per  
alterā, exceptione in factum opposita. Iulianus ait, quod interest qua-  
druplari solum. & ideo eum, qui ex causa fideicommissi quadraginta  
debeat, si trecenta promiserit per uim, & soluerit: ducentorum sexagin-  
ta quadruplum consecuturum. in his enim cum effectu uim passus est.

Secundū hæc si plures metum adhibuerint, & unus fuerit conuentus:  
si quidem sponte rem ante sententiam restituerit, omnes liberati sunt.  
Quod etsi non fecerit, sed ex sentētia quadruplū restituerit: uerius est,  
etiam sic perimi aduersus cæteros QVOD METVS CAVSSA actio-  
nem.

XV. PAVLVS lib. XI. ad edictum.

**A** Ut in id dabitur aduersus cæteros actio, quod minus ab alio exa-  
ctum est.

XVI. VLP IANVS lib. XI. ad edictum.

**Q**uod diximus, si plures metum admiserunt: idem dicendum erit,  
& si ad alium res peruenit, & alter metum adhibuit. Sed & si ser-  
ui metum adhibuerunt, noxalis quidem actio ipsorum nomine erit:  
poterit autem quis & dominum, ad quem res peruenerit, conuenire:  
quod conuentus, siue rem, siue (secūndum quod iam dictum est) quadru-  
plum

plum præstitit: proderit & seruis. Si uero noxali conuentus, maluerit noxæ dedere: nihilominus poterit & ipse conueniri, si ad eum res peruenit. Hæc actio hæredi cæterisque successoribus datur, quoniam rei habet persecutionem. In hæredem autem & cæteros in id, quod ad eos peruenit, datur non immerito. licet enim pœna ad hæredem non transeat: attamen quod turpiter uel scelere quæsitum est (ut est rescriptum) ad compendium hæredis non debet pertinere.

XVII. PAVLVVS lib. V. *questionum.*

**V**ideamus ergo: si hæres, ad quem aliquid peruenit, consumpserit quod peruenit, an desinat teneri: an uero sufficiat semel peruenisse: & si consumpto eo decesserit, utrum aduersus hæredem eius omnimodo competat hæc actio, quoniam hæreditariam suscepit obligationem: an non sit danda, quoniam ad secundum hæredem nihil peruenit. Et melius est, omnimodo competere in hæredem hæredis actionem. sufficit enim semel peruenisse ad proximum hæredem: & quod perpetua actio esse cœpit. Alioquin dicendum erit: nec ipsum, qui cōsumpsit, quod ad eum peruenit, teneri.

XVIII. IULIANVS lib. LXIII. *digestorum.*

**S**i ipsa res, quæ ad alium peruenit, interijt: nõ esse locupletio rem dicemus. si uero in pecuniam, aliã uel rem conuersa sit: nihil ultra quærendum est, quis exitus sit: sed omnimodo locuples uideatur, licet postea deperdat. Nam & Imperator Titus Antoninus Claudio Frontiano, de precijs rerum hæreditariarum rescriptit: ob id ipsum peti hæreditatem ab eo posse, quia licet res, quæ in hæreditate fuerant, apud eum non sint: tamen precium earum locupletem eum uel sæpius mutata specie faciendo, perinde obliget, ac si corpora ipsa in eadem specie mansissent.

XIX. CAIVS lib. III. *ad edictum provinciale.*

**Q**uod autem in hæredem pollicetur actionem proconsul, quatenus ad eum peruenit: intelligendum est, ad perpetuo dandam actionem pertinere.

XX. VLPPIANVS lib. XI. *ad edictum.*

**Q**uantum autem ad hæredem peruenit, litis contestatæ tempore spectabitur: si modo certum sit aliquid peruenisse. Idem & si in ipsum, qui uim intulit, corpus patrimonij sic peruenit aliquid, ut certum sit ad hæredem peruenturum. idem, si debitor liberatus est.

XXI. PAVLVVS lib. XI. *ad edictum.*

**S**i mulier contra patronum suum ingrata facta: sciens se ingratan, cum de suo statu periclitabatur, aliquid patrono dederit uel promiserit, ne in seruitutem redigatur: cessat edictum, quia hunc sibi metum ipsa

ipsa infert. Quod metus causa gestum erit, nullo tempore praetor raturum habebit. Qui possessionem non sui fundi tradidit: non quanti fundus est, sed quanti possessio: eius quadruplum, uel simplum cum fructibus consequetur. aestimatur enim quod restitui oportet, id est, quod abest. Abest autem nuda possessio cum suis fructibus, quod & Pomponius scribit. Si dos metu promissa sit, non puto nasci obligationem: quia est uerissimum, nec talem promissionem dotis ullam esse. Si metu coactus sim ab emprione uel locatione discedere: uidendum est, an nihil sit actum, & antiqua obligatio remaneat: an hoc simile sit acceptilationi, quia nulla bonae fidei obligatione possumus niti, cum finita sit, dum amittitur. & magis est, ut similis species acceptilationis sit, & ideo praetoria nascatur. Si metu coactus adij hereditatem, puto me heredem effici: quia quamuis, si liberum esset, noluissem: tamen coactus uolui. Sed per praetorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur. Si coactus hereditatem repudiem, duplici uia praetor mihi succurrit: aut utiles actiones quasi heredi dando, aut actionem QVOD METVS CAVSSA praestando: ut qua uiam ego elegero, haec mihi pateat.

XXII. PAVLVS lib. I. *sententiarum.*

Qui in carcerem quem detrusit, ut aliquid ei extorqueret: quid quid ob hanc causam factum est, nullius momenti est.

XXIII. VLPIANVS lib. V. *opinionum.*

Non est uerisimile, compulsus in urbe inique indebitum soluisse eum, qui claram dignitatem se habere praetendat: cum potuerit is ius publicum inuocare, & adire aliquem potestate praeditum, qui utique uim eum pati prohibuisset. sed huiusmodi praesumptioni debet apertissimas probationes uolentiae opponere. Si iusto metu perterritus, cognitione iudicis: ad quem ut uinctus iret, potens aduersarius minabatur: id quod habere licebat, compulsus uendidit: res suae aequitati per praesidem provinciae restituitur. Si foenerator inciuiliter custodiendo athletam, & a certaminibus prohibendo, cauere compulerit ultra quantitate pecuniae debitae: his probatis, competens iudex re suae aequitati restitui decernet. Si quis quod aduersario non debebat, delegante eo per uim apparitione praesidis interueniente, sine notione iudicis coactus est dare: iudex inciuiliter extorta restitui ab eo, qui rei danum praestitit, iubeat. Quod si debitor satisfecit, simplici iussione, & non cognitione habitata: quauis non extra ordinem exactionem fieri, sed ciuiliter oportuit: quae tamen solutioni debitorum ab eo quantitatim praefecerunt, reuocari inciuile est.

DE DOLO MALO. Tit. III.

Vlpianus

VLPIANVS lib. XI. ad edictum.



**H**OC edicto prætor aduersus uarios & doloſos, qui alijs ob fuerunt calliditate quadam, ſubuenit: ne uel illis malicia ſua ſit lucroſa, uel iſtis ſimplicitas dānoſa. Verba autem edicti talia ſunt: QVÆ DOLO MALO FACTA ESSE DICENTVR: SI DE HIS REBVS ALIA ACTIO NON ERIT, ET IVSTA CAVSSA ESSE VIDEBITVR, IVDICIVM DABO. Dolum malum Seruius quidem ita definit: machinationem quandam alterius decipiendi cauſa, cum aliud ſimulatur, & aliud agitur. Labeo autem ait, poſſe ſine ſimulatione id agi, ut quis circūueniatur: poſſe & ſine dolo malo aliud agi, & aliud ſimulari: ſicuti faciunt, qui per eiufmodi diſſimulationem ſeruant & tuentur, uel ſua uel aliena. Itaq; ipſe ſic definit: dolum malum eſſe, omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circūueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Labeonis definitio uera eſt. Non fuit autem contentus prætor DOLUM dicere, ſed adiecit MALVM: quoniam ueteres etiam bonum dolum dicebant, & pro ſolertia hoc nomen accipiebant: maxime ſi aduersus hoſtem latronem uel quiſ machinaretur. Ait prætor, SI DE HIS REBVS ALIA ACTIO NON ERIT. merito prætor ita demū hanc actionem pollicetur, ſi alia actio non ſit: quoniam tam famoſa actio non temere debuit à prætore decerni: ſi ſit ciuiliſ, uel honoraria, qua quis poſſit experiri. Uſq; adeo, ut Pædius libro nono ſcripſerit: etiā ſi interdictum ſit, quo quis experiri: uel exceptio, qua ſe tueri poſſit: ceſſare hoc edictum. Idem & Pomponius libro uiceſimo octauo. & ita adijcit: etſi ſtipulatione tutus ſit quis, eum actionē de dolo habere non poſſe: ut puta ſi de dolo ſtipulatus ſit. Idē Pomponius ait, & ſi actionem in nos dari non oporteat: ueluti ſi ſtipulatio tam turpis de dolo malo facta ſit, ut nemo daturus ſit ex ea actionem: nō debere laborari, ut habeā de dolo malo actionem: cum nemo ſit aduerſum me daturus actionem. Idem Pomponius refert Labeonem exiſtimare: etiam ſi quis in integrum reſtitui poſſit, non debere ei hanc actionē cōpetere. Sed & ſi alia actio tēpore finita ſit, hanc cōpetere nō debere: ſibi imputaturo eo, qui agere ſuperſederit: niſi in hoc quoq; doloſus malus admiſſus ſit, ut tēpus id exiret. Si quis cum actionem ciuilem haberet, uel honorariam in ſtipulatū deductam, eam acceptilatione uel alio modo ſuſtulerit: de dolo experiri nō poterit, quoniam niam habuit aliam actionem: niſi & in amittenda actione dolum malum paſſus eſt. Non ſolum autem ſi aduerſus eum ſit alia actio, aduerſus quem de dolo quæritur,

II. PAVLVS lib. XI. ad edictum.

Vel

**V**el à quo seruari res poterit.

III. *VLPIANVS lib. XI. ad edictum.*

**N**on habet hoc edictum locum: uerum etiam si aduersus alium

III. *PAVLVS lib. XI. ad edictum.*

**S**it actio, uel si ab alio res mihi seruari poterit.

V. *VLPIANVS lib. XI. ad edictum.*

**I**deoque si quis pupillus à Titio, tutore authore colludente, circumscriptus sit: non debere eum de dolo malo actionem aduersus Titium habere, cum habeat tutelæ actionem, per quam consequatur, quod sua intersit. Planè si tutor soluendo non sit: dicendum erit de dolo actionem ei dari.

VI. *CAIUS lib. III. ad edictum prouinciale.*

**N**am is nullam actionem uidetur habere, cui propter inopiam ad uersarij inanis actio est.

VII. *VLPIANVS lib. XI. ad edictum.*

**E**t eleganter Pōponius hæc uerba, *SI ALIA ACTIO NON SIT*, sic ex cepit: quasi res alio modo ei, ad quæ ea res pertinet, salua esse non possit. Nec uidetur huic sententiæ aduersari, quod Iulianus libro quarto scribit: si minor annis uiginti quinque consilio serui circumscriptus, eum uendiderit cum peculio, emptorq; eum manumiserit: dandam in manumissum de dolo actionem. Siue enim accipimus, carere dolo emptorem, ut ex empto teneri non possit: siue nullam esse uenditionem; si in hoc ipso, ut uideret, circumscriptus est (quod & proponitur) non inducitur in integrum restitutio. nã aduersus manumissum nulla in integrum restitutio locum habet. Secundum quæ, etiã si pœnali actione indemnitati eius consuli possit: dicendum erit cessare de dolo actionem. Pomponius etiam si popularis actio sit, cessare de dolo actionem ait. Non solum autem si alia actio non sit, sed & si dubitetur, an alia sit: putat Labeo de dolo dandam actionem: & adfert talem speciem. Qui seruum mihi debebat (uel ex uenditione, uel ex stipulatu) uenenum ei dedit, & sic eum tradidit: uel fundum, & dum tradidit, imposuit ei seruitutem, uel ædificia diruit, uel arbores excidit, uel uineam extirpauit. ait Labeo: siue cauit de dolo, siue non: dandam in eum de dolo actionem. quoniam si cauit: dubium sit, an competat ei ex stipulatu actio. Sed est uerius: siquidem de dolo cautum est, cessare actionem de dolo, quoniã est ex stipulatu actio. si nõ est cautum: in ex empto quidem actione cessat de dolo actio, quoniam est ex empto: in ex stipulatu uero, de dolo actio necessaria est. Si seruum usufructuarius proprietarius occiderit: legis Aquiliæ actioni, & ad exhibendũ id accedit, si possidentis proprietarius occidit: ideoq; cessat de dolo actio. Item si seruum legatum

tum hæres ante aditam hæreditatem occiderit: quoniam prius, quam factus sit legatarij, interemptus est: cessat legis Aquiliæ actio. de dolo autem actio, quocumq; eum tempore occiderit, cessat: quia ex testamento actio competit. Si quadrupes tua dolo alterius damnum mihi dederit: quæritur, an de dolo habeam aduersus eum actionem: & placuit mihi, quod Labeo scripsit: si dominus quadrupedis non sit soluendo, dari debere de dolo actionem: quamuis si noxæ deditio sit secuta, non præterea dandam, nec in id, quod excedit. Idem Labeo quærit: si compeditum seruum meum, ut fugeret, solueris: an de dolo actio danda sit? & ait Quintus apud eum notans. si non misericordia ductus fecisti, furti teneris: si misericordia, in factum actio dari debet. Seruus pro libertate pactionis reum domino dedit: ea conditione, ut post libertatem transferatur in eum obligatio. manumissus non patitur in se obligationem transferri. Pomponius scribit, locum habere de dolo actionem, sed si per patronum stabit, quo minus obligatio transferatur: dicendum ait, patronum exceptione à reo submouendum. Ego moueor. quemadmodum enim de dolo dabitur, cum sit alia actio: nisi forte quis dicat: quoniam niam exceptione patronus submoueri potest, si agat cum reo: debere dici (quasi nulla actio sit, quæ exceptione repellitur) de dolo decernendam. Atquin patronus tunc submouetur: si nolit expromissionem ipsum manumissum accipere. expromissori planè aduersus manumissum dari debet de dolo actio: aut si non sit soluendo expromissor, domino dabitur. Si dolo malo procurator passus sit uincere aduersariū meum, ita ut absolueretur: an de dolo actio mihi aduersus eum, qui uicit, cõpetat: potest quæri. & puto nõ cõpetere: si paratus sit reus trãsserre iudiciū in se sub exceptione hac, *SI COLLVSVM SIT*. alioquin de dolo actio erit danda: scilicet si cum procuratore agi non possit, quia non est soluendo. Item Põponius refert: Cecidianum prætorem non dedisse de dolo actionem aduersus eum, qui adfirmarat idoneū esse eum, cui mutua pecunia dabatur: quod uerum est. nam nisi ex magna & euidenti calliditate, non debet de dolo actio dari.

VIII. CAIVS lib. IIII. ad edictum prouinciale.

**Q**uod si cum scires eum facultatibus labi, lucri tui gratia adfirmasti mihi idoneum esse: merito aduersus te (cum mei decipiendi gratia alium falsò laudasti) de dolo iudicium dandum est.

IX. VLP IANVS lib. XI. ad edictum.

**S**i quis adfirmauerit minimam esse hæreditatem, & ita eam ab hærede emit: non est de dolo actio, cum ex uendito sufficiat. Si autem mihi per suaserit, ut repudiem hæreditatem, quasi minus soluendo ea sit: uel ut optem seruum, quasi melior eo in familia non sit: dico de dolo dandum.

dam, si callide hoc fecerit. Itē si tabulæ testamenti, ne de inofficioso diceretur, diu suppressæ sint, mox mortuo filio prolata: hæredes filij aduersus eos, qui suppresserunt, & lege Cornelia & de dolo posse experiri. Labeo libro septimo posteriorum scribit: si oleum tuum quasi suum defendat Titius, & tu hoc oleū deposueris apud Seium, ut is hoc uenderet, & precium seruaret, donec inter nos dijudicaretur, cuius oleū esset, neq; Titius uelit iudicium accipere: quoniam neq; mandati, neq; sequestraria Seiū conuenire potes, nondum impleta cōditione depositionis: de dolo aduersus Titium agendum. Sed Pomponius libro uicesimo septimo, posse cum sequestro præscriptis uerbis actione agi: uel si is soluendo non sit, cum Titio de dolo: quæ distinctio uera esse uideatur. Et si seruum pignoratam noxæ mihi dederis: per iudicem absolutus, de dolo teneris, si apparuerit eum esse pignori datum. Hæc de dolo actio noxalis erit. ideo Labeo quoq; libro tricesimo prætoris peregrini scribit, de dolo actionem serui nomine interdum de peculio, interdum noxalem dari. Nam si ea res sit, in qua dolus commissus est, ex qua de peculio daretur actio: tunc de peculio dandam. Si uero ea sit, ex qua noxalis: hoc quoq; noxale futurum. Merito causæ cognitionē prætor inseruit, neq; enim passim hæc actio indulgēda est. nam ecce in primis si modica summa sit,

X. PAVLVVS lib. XI. ad edictum.

**I**D est usq; ad duos aureos,

XI. VLPPIANVS lib. XI. ad edictum.

**N**on debet dari. Sed & quibusdam personis non dabitur: ut puta liberis uel libertis aduersus parentes patronosue, cum sit famosa. Sed nec humili aduersus eum, qui dignitate excellit, debet dari: ut puta plebeio aduersus consulem receptæ authoritatis: uel luxurioso atq; prodigo, aut aliâs uili aduersus hominem uitæ emendatoris: & ita Labeo. Quid ergo in horum persona? dicendum est, **IN FACTVM** uerbis temperandam de dolo actionem, ut bonæ fidei mentio fiat.

XII. PAVLVVS lib. XI. ad edictum.

**N**Ex dolo suo lucrentur.

XIII. VLPPIANVS lib. XI. ad edictum.

**H**æredibus tamē harum personarū, item aduersus hæredes de dolo actio erit danda. Item in causæ cognitionē uersari Labeo ait, ne in pupillum de dolo detur actio, nisi forte nomine hæreditario conueniatur. Ego arbitror, & hunc ex suo dolo conueniendū, si proximus pubertati est: maxime si locupletior ex hoc factus sit.

XIIII. PAVLVVS lib. XI. ad edictum.

**Q**uid enim si impetrauerit à procuratore petitoris, ut ab eo absolueretur

ueretur: uel si de tutore mentitus, pecuniam acceperit, uel alia similia admiserit, quæ non magnam machinationem exigunt?

XV. VLP IANVS lib. XI. ad edictum.

**S**ed & ex dolo tutoris (si factus est locupletior) puto in eum dandam actionem, sicut exceptio datur. Sed an in municipes de dolo detur actio, dubitatur. Et puto ex suo quidem dolo non posse dari (quid enim municipes dolo facere possunt?) sed si quid ad eos puenit ex dolo eorum, qui res eorum administrant: puto dandam. De dolo autem de curionum, in ipsos decuriones dabitur de dolo actio. Item si quid dolo procuratoris ad dominum peruenerit: datur in dominum de dolo actio, in quantum ad eum peruenerit, nam procurator ex suo dolo proculdubio tenebitur. In hac actione designari oportet, cuius dolo factum sit: quamuis in metu non sit necesse.

XVI. PAVLVVS lib. XI. ad edictum.

**I**tem exigit prætor, ut comprehendatur, quid dolo malo factum sit. Scire enim debet actor, in qua re circumscriptum sit, nec in tanto crimine uagari.

XVII. VLP IANVS lib. XI. ad edictum.

**S**i plures dolo fecerint, & unus rem restituerit: omnes liberantur. quod si unus, quanti ea res est, præstiterit: puto adhuc cæteros liberari. Hæc actio in hæredem & in cæteros successores datur, dumtaxat de eo, quod ad eos peruenerit.

XVIII. PAVLVVS lib. XI. ad edictum.

**A**rbitrio iudicis in hac quoque actione restitutio comprehenditur: & nisi restitutio fiat, sequitur cõdemnatio quanti ea res est. Ideo autem hic & in metus causa actione certa quantitas non adijcitur: ut possit per contumaciam suam tanti reus cõdemnari, quanti actor in litem iniurauerit: licet officio iudicis debeat in utraque actione taxatione iudicium refrenari. Non tamen semper in hoc iudicio arbitrium iudicis dandum est. Quid enim si manifestum sit, rem restitui non posse: ueluti si seruus dolo malo traditus, defunctus sit: ideoque protinus cõdemnari debet in id, quod interfit actoris. Si dominus proprietatis insula, cuius ususfructus legatus erat, incenderit: non est de dolo actio, quonia alia ex hoc oriuntur actiones. De eo, qui sciens cõmendasset fallaciously pondera, ut uenditor emptori, merces adpenderet: Trebatius de dolo dabat actionem. Atquin si maiora pondera commendauit: id quod amplius mercis datum est, repeti conditione potest. si minora: ut reliqua merx detur, ex empto agi potest. Nisi si ea conditione merx uenit, ut illis ponderibus traderetur: cum ille decipiendi causa, adfirmasset, se æqualis pondera habere. Si cuius dolo effectum est, ut lis temporibus legitimis transactis pereat: Trebatius ait, aduersus eum de dolo dandum iudicium

als \* cõmo  
dasset et cõ  
modauit.

iudicium: non ut arbitrio iudicis restituatur, sed ut tantum actor con-  
 quatur, quanti eius interfuit, id non esse factum: ne aliter obseruanti-  
 bus lex circumscribatur. Si seruum, quem tu mihi promiseras, alius  
 occiderit: de dolo malo pleriq; in eum dandam actionem recte putant:  
 quia tu à me liberatus sis, ideoq; legis Aquiliæ actio tibi denegerur.

XIX. P A P I N I A N V S lib. XXXVII. *questionum.*

**S**I fideiussor promissum animal ante moram occiderit: de dolo acti-  
 onem reddi aduersus eum oportere, Neratius Priscus & Iulianus re-  
 sponderunt: quoniam debitore liberato, per cōsequentiam ipse quoq;  
 dimittitur.

XX. P A V L V S lib. XI. *ad edictum.*

**S**eruus tuus cum tibi deberet, nec soluendo esset: hortatu tuo pecu-  
 niam mutuam à me accepit, & tibi soluit. Labeo ait, de dolo malo  
 actionem in te dandam: quia nec de peculio utilis sit, cum in peculio tui  
 nihil sit: nec in rem domini uersum uideatur, cum ob debitum dominus  
 accepit. Si persuaseris mihi, nullam societatem tibi fuisse cum eo,  
 cuius haeres sum: & ob id iudicio absolui te passus sim: dandam mihi de  
 dolo actionem, Iulianus scribit.

XXI. V L P I A N V S lib. XI. *ad edictum.*

**Q**uod si deferente me iuraueris, & absolutus sis, postea periurium  
 fuerit adprobatum: Labeo ait de dolo actionem in eum dandam,  
 Pomponius autem per iusiurandum transactum uideri, quam senten-  
 tiam & Marcellus libro septimo digestorum probat. statim enim reli-  
 gioni debet.

XXII. P A V L V S lib. XI. *ad edictum.*

**N**am sufficit periurij pœna.

XXIII. C A I V S lib. III. *ad edictum prouinciale.*

**S**illegatarius, cui supra modum legis Falcidiae legatum sit, hæredi ad-  
 huc ignorantia substantiam hæreditatis, ultro iurando uel quadam  
 alia fallacia persuaserit, tanquam satis ab eoque ad solida legata soluenda  
 sufficiat hæreditas: atq; eo modo solida legata fuerit consecutus: da-  
 tur de dolo malo actio.

XXIII. V L P I A N V S lib. XI. *ad edictum.*

**S**i dolo acciderit eius, qui uerba faciebat pro eo, qui de libertate con-  
 stendebat, quo minus præsente aduersario secundum libertatem pro-  
 nunciaretur: puto statim de dolo dandam actionem in eum: quia semel  
 pro libertate dictam sententiam retractari non oportet.

XXV. P A V L V S lib. XI. *ad edictum.*

**C**um à te pecuniam peterem, eoque nomine iudicium acceptum  
 cesseret: falso mihi persuasisti, tanquam eam pecuniam seruo meo,  
 aut procuratori soluisses: eoque modo cōsecutus es, ut consentiente me  
 t iij absolue

absoluereris. quærentibus nobis, an in te doli iudicium dari debeat: placuit de dolo actionem non dari. quia alio modo mihi succurri potest. nam ex integro agere possum: & si obijciatur exceptio rei iudicatæ, replicatione iure uti poterò.

ais\* in rē.  
ais in re.

XXVI. CAIVS lib. IIII. ad edictum prouinciale.

**I**n heredē eatenus daturum se eam actionem proconsul pollicetur, quatenus ad eum peruenit: id est, quatenus ex ea re locupletior ad eum hereditas peruenit.

XXVII. PAVLVS lib. XI. ad edictum.

**D**olus malo eius factum est, quo minus perueniret.

XXVIII. CAIVS lib. IIII. ad edictum prouinciale.

**I**taq; si acceptò lata sit tibi pecunia: omnimodo cū heredē tuo agitur. At si res tibi tradita sit: siquidem mortuo te ea res existit, agitur cum heredē tuo. si minus: non agitur. Sed utiq; in heredem perpetuo dabitur: quia nō debet lucrari ex alieno damno. Cui conueniens est, ut & in ipsum, qui dolum commisit: in id, quod locupletior est, perpetuo danda sit in factum actio.

XXIX. PAVLVS lib. XI. ad edictum.

**S**abinus putat, calculi potius ratione, q̄ maleficij heredem contineri: deniq; famosum non fieri, ideoq; in perpetuum teneri oportere.

XXX. VLP IANVS lib. XI. ad edictum.

**N**eq; causæ cognitio erit in heredis persona necessaria.

XXXI. PROCVLVS lib. II. ἐπισολῶν.

**C**um quis persuaserit familiæ meæ, ut de possessione decedat: possessio quidem non amittitur, sed de dolo malo actio in eum competit, si quid damni mihi accesserit.

XXXII. SCAEVOLA lib. II. digestorum.

**F**ilius legatum sibi seruum per præceptionem rogatus manumittere post certum tempus, quàm rationes ipsi & cohæredibus fratribus reddidisset: ante diem, & ante redditas rationes, ad libertatem uindicta manumittendo perduxerat. quæsitum est, an ex fideicommissio fratribus teneretur, ut rationes pro portionibus eorum redderent: Respondi. cum liberum fecit, ex causa quidem fideicommissi non teneri: uerum si ideo properasset manumittere, ne rationes fratribus redderentur, posse de dolo actionem in eum exerceri.

XXXIII. VLP IANVS lib. IIII. opinionum.

**R**eius, quam uenalem possessor habebat, litem proprietatis aduersa rius mouere cœpit: & postea, quàm opportunitatem emproris, cui uenundari potuit, peremit: destitit. placuit possessori hoc nomine actionem in factum cum sua indemnitate competere.

Idem

XXXIII. IDEM lib. XLIII. ad Sabinum.

**S**I cum mihi permisisses saxum ex fundo tuo eijcere, uel cretam, uel arenam fodere: & sumptum in hanc rem fecerim, nec patiaris me tollere: nulla alia, quàm de dolo, actio locum habebit.

XXXV. IDEM lib. XXX. ad edictum.

**S**I quis tabulas testamenti apud se depositas, post mortem testatoris deleuerit, uel alio modo corruerit: hæres scriptus habebit aduersus eum actionem de dolo. Sed & his, quibus legata data sunt, erit de dolo actio.

XXXVI. MARTIANVS lib. II. regularum.

**S**I duo dolo malo fecerint, inuicem de dolo non agent.

XXXVII. VLP IANVS lib. XLIII. ad Sabinum.

**Q**uod uenditor, ut commendet, dicit: sic habendum, quasi neq; dictum, neq; promissum sit. Si uero decipiendi emptoris causa dictum est: æque sic habendum est, ut non nascatur aduersus dictum promissumue actio: sed de dolo actio detur.

XXXVIII. IDEM lib. V. opinionum.

**Q**uidam debitor epistolam, quasi à Titio, mitti creditori suo effecit, ut ipse liberaret. hac epistola creditor deceptus, Aquiliana stipulatione & acceptilatione eum liberauit. postea epistola falsa, uel inanis reperta. creditor quidem maior annis uiginti quinq; de dolo habebit actionem: minor autem in integrum restituetur.

XXXIX. CAIVS lib. XXVI. ad edictum prouinciale.

**S**I te Titio obtuleris de ea re, quam non possidebas, in hoc ut alius suscipiat: & iudicatum solui satisfeceris: quamuis absolutus sis, de dolo malo tamen teneberis: & ita Sabino placet.

XL. FVRIVS ANTHINVS lib. I. ad edictum.

**I**S qui decepti aliquem, ut hæreditatem nõ idoneam adiret, de dolo tenebitur: nisi fortasse creditor erat, & solus erat. tunc enim sufficit contra eum doli mali exceptio.

### DE MINORIBVS VIGINTI quinq; annis. Tit. III.

VLP IANVS lib. XI. ad edictum.

**H**OC edictum prætor, naturalem æquitatē secutus, proposuit: quo tutelam minorum suscepit. nam cum inter omnes constet: fragile esse & infirmum huiusmodi ætatum cõsiliū, & multis captionibus suppositū, multorumq; insidijs expositum: auxilium eis prætor hoc edicto pollicitus

citus est, & aduersus captiones opitulationem. Prætor edicit. QVOD CVM MINORE, QVAM VIGINTI QVINQVE ANNORVM NATV GESTVM ESSE DICETVR: VTIQVE QVAE EA RES ERIT, ANIMADVERTAM. Apparet minoribus annis uiginti quinque eum opem polliceri. nam post hoc tempus compleri uirilem uigorem constat. Et ideo hodie in hanc usque ætatem adolentes cura torum auxilio reguntur: nec ante rei suæ administratio eis committi debet, quam uis bene rem suam gerentibus.

II. IDEM lib. XVIII. ad L. Iuliam & Papiam.

**N**ec per liberos suos rem suam maturius à curatoribus recipiant. Quod eim legibus cauetur, ut singuli anni per singulos liberos rem mittantur: ad honores diuus Seuerus pertinere ait, non ad rem suam recipiendam.

III. IDEM lib. XI. ad edictum.

**D**eniq; diuus Seuerus & Imperator noster, huiusmodi consulum uel præsidum decreta, quasi ambitiosa esse interpretati sunt. Ipsi autem perraro minoribus rerum suarum administrationem extra ordinem indulerunt: & eo iure utimur. Si quis cum minore contraxerit, & contractus inciderit in id tempus, quo maior efficitur: utrum intetium spectamus, an finem? & placet ( ut est constitutum ) si quis maior factus comprobauerit, quod minor gesserat: restitutionem cessare. Unde illud non ineleganter Celsus epistolarum libro undecimo, & digesto rum secundo tractat, ex facto à Fuluio Respecto prætoris consultus. Minor annis uiginti quinque, annos forte uigintiquatuor agens, iudicium tutelæ hæredi tutoris dictauerat. mox factum, ut non finito iudicio, iam eo maiore effecto uiginti quinque annis, tutoris hæres absolutus proponeretur. in integrum restitutio desiderabatur. Celsus igitur Respecto suasit, non facile hunc quondam minorem in integrum restitui: sed si ei probaretur, calliditate aduersarij id actum, ut maiore effecto liberaretur. neq; enim extremo ( inquit ) iudicij die uidetur solum deceptus hic minor: sed totum obstructum: ut maiore eo facto liberaretur. Idem tamen confitetur: si leuior sit suspitio aduersarij, quasi dolose uersati: non debere hunc in integrum restitui. Scio etiam illud aliquando incidisse. Minor uiginti quinque annis miscuerat se paternæ hereditati, maiorq; factus exegerat aliquid à debitoribus paternis. mox desiderabat in integrum restitui, quo magis abstineret paterna hereditate. contradicebatur ei, quasi factus maior comprobasset, quod minori sibi placuisset. Putauimus tamen restituendum in integrum, in initio inspecto. Idem puto, & si alienam adiit hereditatem. MINORE QVAM VIGINTI QVINQVE ANNORVM NATV. uidendum est, an diem natalis sui ad hoc ducimus: an horam, in qua natus est: ut si captus sit, cum

als \* Fla-  
uio.

als \* hoc  
structū.

cum nondum compleuerit, restituitur. & ita erit dicendum: ut à momento in momentum tempus spectetur. Proinde etsi bissexto natus est ( siue priore, siue posteriore die ) Celsus scribit, nihil referre. nam id biduum pro uno die habetur, & posterior dies Calendarum intercalatur.

Sed utrum solis patribus familiarum, an etiam filijs familiarum succurri debeat, uidentum. Mouet dubitationem, quod si quis dixerit, etiam filijs familiarum in re peculiari subueniendum: efficiet, ut per eos etiam maioribus subueniatur, id est, patribus eorum: quod nequaquam fuit prætoris propositum. prætor enim minoribus auxilium promissit, non maioribus. Ego autem uerissimam arbitror sententiam existimantium, filium familias minorem annis in integrum restitui posse ex his solum causis, quæ ipsius intersunt: puta si sit obligatus. Proinde si iussu patris obligatus sit: pater utiq; poterit in solidum conueniri. filius autem cum & ipse possit, uel in potestate manens, uel etiam emancipatus, uel exheredatus, in id quod facere potest: (& quidem & in potestate manens, inuito patre) ex condemnatione conueniri: auxilium impetrare debet, si ipse conueniatur. Sed an hoc auxilium patri quoq; proficit, ut solet interdum fideiussori eius prodesse, uideamus. & non puto. Si igitur filius conueniatur, postulat auxilium: si patrem conueniat creditor, auxiliū cessat, excepta mutui datione. in hac enim si iussu patris mutuam pecuniam acceperit, non adiuuatur. Proinde etsi sine iussu patris contraxit, & captus est: siquidem pater de peculio conueniatur, filius non erit restituendus. si filius conueniatur: poterit restitui. Nec eo mouemur, quasi intersit filij peculium habere. magis etenim patris, quam filij interest: licet aliquo casu peculium ad filium spectet: ut puta si patris eius bona à fisco propter debitum pecuniarū occupata sunt. nam peculiū eius ex constitutione diui Claudij separatur. Ergo etiam filiam familias in dote captam: dum patri consentit, non statim dotem stipulanti, quam dedit: uel adhibenti aliquē, qui dotem stipularetur: puto restituendam. quoniam dos ipsius filię proprium patrimonium est. Si quis minor uiginti quinque annis adrogandum se dederit, & in ipsa adrogatione se circūuentum dicat ( sive enim à prædone eum hominem locupletem adrogatum ) dico debere eum audiri, in integrū se restituentem. Si quid minori filio familias legatum fuerit post mortem patris, uel fideicommissum relictum, & captus est ( forte, dum cōsensit patri pacifcenti, ne legatum peteretur ) potest dici in integrum restituendum, quoniam ipsius interest, ppter spem legati, quod ei post mortem patris competit. Sed & si ei legatum sit aliquid, quod personæ eius cohæret ( puta ius militiæ ) dicendū est posse eum restitui in integrum. interfuit enim eius non capi: cum hanc

patri non acquireret, sed ipse haberet. Et si hæres sit institutus, si à patre in diebus centū emancipatus sit: moxq; patrē debuerit certiorare, nec fecerit: qui tamen emancipasset, si cognouisset: dicendum erit posse eum in integrum restitui, parato patre eum emancipare. Pomponius adiicit: ex his causis, ex quibus in re peculiari filij familiarum restituantur: posse & patrem, quasi hæredem, nomine filij, post obitum eius impetrare cognitionem. Sin autem filius familias sit, qui castrense peculium habeat: proculdubio ex his, quæ ad castrense peculium spectant, in integrum restituendus erit, quasi in proprio patrimonio captus. Seruus autem minor uiginti quinq; annis nullo modo restitui poterit: quoniam domini persona spectatur: qui sibi debet imputare, cur minori rem commisit. Quare & si per impuberem cōtraxerit, idem erit dicendum: ut & Marcellus libro secundo digestorum scribit. Et si forte libera peculij administratio minori seruo sit concessa: maior dominus ex hac causa non restituetur.

IIII. AFRICANVS lib. VII. *questionum.*

**E**tenim quodcumq; seruus ita gerit, uoluntate domini gerere intelligendus est. & magis hoc apparebit, si aut de institoria actione queratur: aut si proponatur maiorem uiginti quinq; annis negocium alio quod gerendum minori mandasse, & illum in ea re deceptum esse.

V. VLPIANVS lib. XI. *ad edictum.*

**S**i tamen seruus fuit is, cui fideicommissaria libertas debebatur præsens, & fuit captus: quoniam re mora ei sit, poterit dici, prætoris eius succurrere oportere.

VI. IDEM lib. XXI. *ad edictum.*

**M**inoribus uiginti quinq; annis subuenitur per in integrum restitutionem, non solum cum de bonis eorum aliquid minuitur: sed etiam cum inter sit ipsorum, litibus & sumptibus non uexari.

VII. IDEM lib. XI. *ad edictum.*

**A**it prætor, GESTVM ESSE DICETVR. GESTVM sic accipitur, qualiter qualiter: siue contractū sit, siue quid aliud cōtrigerit. proinde & si emit aliquid, si uendidit, si societatem cōiit, si mutuam pecuniam accepit, & captus est: ei succurretur. Sed & si ei pecunia à debito paterno, uel proprio soluta sit, & hanc perdidit: dicendum est ei subueniri, quasi gestum sit cum eo. Et ideo si minor conueniat debitorum: adhibere debet curatorem, ut ei soluatur pecunia. cæterum non ei compellitur soluere. Sed hodie solet pecunia in ædem deponi (ut Pomponius libro uicesimo octauo scribit) ne uel debitor ultra usuris oneretur, uel creditor minor perdat pecuniam: aut curatoribus solui, si sunt. Permittitur etiam ex constitutione principum debitori, compelle-  
re ad o-

re adolēcentes ad petēdos sibi curatores. Quid tamen, si prætor decernat soluendam pecuniam minori sine curatoribus, & soluerit? an possit esse securus, dubitari potest. Puto autem, si allegans minorem esse, conipulsus sit ad solutionem: nihil ei imputandum: nisi forte, quæ si aduersus iniuriam, appellandum quis ei putet. Sed credo prætorem hunc minorem in integrum restitui uolentem, auditurum non esse.

Non solum autem in his ei succurritur, sed etiam in interuentionibus: ut puta si fideiussorio nomine se uel \*rem suam obligauit. Pompo aliàs \* in  
 nius uidetur adquiescere distinguētibus: an arbiter ad fideiussores probandos constitutus eum probauerit, an uero ipse aduersarius. mihi autem semper succurrendum uidetur, si minor sit, & se circūuentum doceat. Sed & in iudicijs subuenitur: siue dum agit, siue dum conuenitur, captus sit. Sed & si hæreditatem minor adit minus lucrosam: succurritur ei, ut se possit abstinere. nam & hic captus est. Idem & in bonorum possessione, uel alia successione. Non solum autē filius, qui se miscuit paternæ hæreditati: sed & si aliquis sit ex necessarijs minor annis: simili modo restitutionem impetrabit. ueluti si seruus sit cum libertate institutus. dicendum enim erit, si se miscuit, posse ei subueniri ætatis beneficio, ut habeat bonorum suorum separationem. Planè qui post aditam hæreditatem restituitur: debet præstare, si quid ex hæreditate in rem eius peruenit, nec perijt per imbecillitatem ætatis. Hodie certo iure utimur, ut & in lucro minoribus succurratur & Pomponius libro uicesimo octauo scribit, si sine dolo cuiuslibet legatū repudiauerit: uel in optionis legato captus sit, dum elegit deteriores: uel si duas res promiserit illam aut illam, & preciosiorem dederit: debere subueniri. Quæ situm est ex eo, quod in lucro quoque minoribus subueniendum dicitur: si res eius uenerit, & existat, qui plus liceatur: an in integrum propter lucrum restituendus sit? & quotidie prætores eos restitunt, ut rursus admittatur licitatio. Idem faciunt & in his rebus, quæ seruari eis debent. quod circumspecte erit faciendum. Caterum nemo accedat ad emptionem rerum pupillarum, nec si bona fide distrahantur. Et districte probandum est: in rebus, quæ fortuitis casibus subiectæ sunt, non esse minori aduersus emptorem succurrendum: nisi aut sordes, aut eui dens gratia tutorum siue curatorum doceatur. Restitutus autem, ut se hæreditati misceat: uel ut eam adeat, quam repudiauit: rursus restitui poterit, ut se abstinat: & hoc rescriptum & responsum est. Sed quod Papinianus libro secundo responsorum ait: minori substitutum seruum necessarium, repudiante quidem hæreditatem minore, necessarium fore: & si fuerit restitutus minor, liberum nihilominus manere: si autem prius minor adierit hæreditatem, mox ab-

stentus sit, substitutum pupillo seruum cum libertate non posse hæredem existere, neque liberum esse: non per omnia uerum est. Nam si non est soluendo hæreditas, abstinente se hærede: & diuus Pius rescriptis, & Imperator noster (& quidem in extraneo pupillo) locum fore necessario substituto. Et quod ait, LIBERVM MANERE: tale est, quasi non etiam hæres maneat, cum pupillus impetrat restitutionem postea, quàm abstentus est. cum enim pupillus hæres non fiat: sed utiles actiones habeat: sine dubio hæres manebit, qui semel exstitit. Item si non prouocauit intra diem: subuenitur ei, ut prouocet. finge enim hoc desiderare. Item in eremodicijs eis subuenitur. constat autem omnibus ætatis hominibus restaurationem eremodicij præstari, si se doceat ex iusta causa abfuisse.

VIII. HERMOGENIANVS lib. I. *Iuris ἐπιτρομῶν.*

**M**inor, etiam si quasi contumax cõdemnatus sit, in integrum restitutionis auxilium implorabit.

IX. VLP IANVS lib. XI. *ad edictum.*

**S**I ex causa iudicati pignora minoris capta sint, & distracta: mox restitutus sit aduersus sententiam præsidis uel procuratoris Cæsaris: uidendum, an ea quæ sunt distracta, reuocari debeant. nam illud certum est, pecuniam ex causa iudicati solutam, ei restituendam. sed si inter est ipse, corpora potius habere, puto interdum permittendum, id est, si grande damnũ sit minoris. In dotis quoq; modo mulieri subuenitur: si ultra uires patrimonij, uel totum patrimonium circumscripta in dotem dederit. Nunc uidendum, utrum minoribus in contractibus captis duntaxat subueniatur, an etiam delinquentibus. ut puta si dolo aliquid minor fecit in re deposita, uel commodata, uel aliàs in contractu: an ei subueniatur, si nihil ad eum peruenit. Et placet in delictis minoribus non subueniri. nec hic itaq; subuenietur. Nam & si furtum fecit, uel damnnum iniuria dedit: non subuenietur ei. Sed si cum ex damno dato confiteri possit, ne dupli teneatur, maluit negare: in hoc solum restituendus est, ut pro confesso habeatur. Ergo & si potuit pro furto damnnum decidere magis, quàm actionem dupli, uel quadrupli pati: ei subuenietur. si mulier, cum culpa diuortisset, uelit sibi subueniri: uel si maritus: puto restitutionem non habendã. est enim non modicum delictum. nam si adulterium minor commisit, ei non subuenitur. Pomponius ait: si maior annis uiginti, minor autem uiginti quinque se in seruitutem uenire patiat: non solere restitui, & hoc merito. quoniam res non capit restitutionem, cum statum mutat. Si in commissum incidisse uectigalis dicantur: erit in integrum restitutio. quod erit sic accipiendum si non dolus ipsorum interueniat: alioquin cessabit restitutio.

Aduersus

uerfus libertatem minori quoq; à prætorè subueniri impossibile est:

X. PAVLVS lib. XI. ad edictum.

**N**isi ex magna caussa hoc à principe fuerit consecutus:

XI. VLP IANVS lib. XI. ad edictum.

**V**erum de dolo utilis actio erit in id, quod minoris interfuit, non manumitti. proinde quidquid hic haberet, si non manumisisset, id ei nunc præstabitur. Sed & nomine earum rerum, quas dominicas seruus manumisus supprimebat: competunt aduersus eum actiones ad exhibendū, & furti, & condictio: uidelicet, quoniam & manumisus eas contrectabat. Cæterum ex delicto in seruitute facto, domino aduersus eum post libertatem actio nõ competit: & hoc rescripto diui Seueri continetur. Quid si minor uiginti quinq; annis, maior uiginti, hac lege uēdiderit, ut manumittatur: ideo proposui maiorem uiginti, quoniam sic & Scæuola scribit libro decimo quarto quæstionum. & magis est, ut sententia cōstitutionis diui Marci ad Aufidium Victorinū, hunc minorem non complectatur. quare uidendum, an maiori uiginti annis subueniatur. Et siquidem ante desideret, quàm libertas competat, audiatur. si uero postea: nõ possit. Item quæri potest: si is, qui emit hac lege, minor sit: an restitui possit: & siquidem libertas nondum competit: dicendum est, posse ei subueniri. si uero postea, quàm dies uenit: uoluntas maioris uenditoris libertatem imponit. Ex facto quæsitum est. adolescentes quidam acceperant curatorem Saluianum quendam nomine. hic cum curam administrasset, & beneficio principis urbicam procurationē esset adeptus: apud prætorem se à cura adolescentiū excusauerat, absentibus eis. adolescentes adierant prætorem, desiderantes integrum aduersus eum restitui, eò quod esset contra cōstitutiones excusatus: cum susceptam tutelam non alij soleant deponere, quàm qui trans mare reipublicæ caussa absint, uel hi qui circa principē sunt occurrant: ut in consiliarij Menandri Arrij persona esset indultum. \* Arrius Seuerus, quia dubitabat, ad imperatorē Seuerum retulit. ad quam cōsultationem successori eius Ventidio Quieto rescripsit, nullas partes esse prætoris (neq; enim contractum proponi cum minore annis uiginti quinq; ) sed principem interuenire, & reducere hūc ad administrationē, qui perperam esset per prætorem excusatus. Sciendum est autem, non passim minoribus subueniri, sed caussa cogita, si capti esse proponantur. Ita non restituetur, qui sobrie rem suam administrans, occasione dāni non inconsulte accidentis, sed fato: uelit restitui. Nec enim euentus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas. & ita Pomponius libro uicesimo octauo scripsit. Vnde Marcellus apud Iulianum notat. si minor seruum sibi necessarium comparauerit, mox decesserit: non

al's \* Detri  
us, al's De-  
metrius.

rit: non debere eum restitui. neq; enim captus est, emendo sibi rem necessariam, licet mortalem. Si locupletis haeres exstiterit, & subito hereditas lapsa sit (puta praedia fuerunt, quae chasinate perierint, insulae exusta sunt, serui fugerunt aut decesserunt) Iulianus quidem libro uicesimo sexto sic loquitur, quasi possit minor in integrum restitui. Marcellus autem apud Iulianum notat, cessare in integrum restitutionem. neque enim aetatis lubrico captum esse, adeundo locupletem hereditatem: & quod fato contigit, cuius patrifamilias (quamuis diligentissimo) posse contingere. Sed haec res adferre potest restitutionem minori: si ad hanc hereditatem, in qua res erant multae mortales, uel praedia urbana ruinosa, res autem alienum graue: quod non prospexit posse euenire, ut demoriantur mancipia, praedia ruant: uel quod non cito distaxerit haec, quae multis casibus obnoxia sunt. Item quaeritur: si minor aduersus minorem restitui desiderat, an sit audiendus? & Pomponius simpliciter scribit, non restituendum. Puto autem inspiciendum a praetore, quis captus sit. proinde si ambo capti sunt (uerbi gratia, minor minori pecuniam dedit, & ille perdidit) melior est causa secundum Pomponium eius, qui accepit, & dilapidauit, uel perdidit. Planè si minor annis cum filiofamilias maiore contraxerit: & Iulianus libro quarto digestorum, & Marcellus libro secundo digestorum scribit, posse in integrum restitui: ut magis aetatis ratio, quam senatusconsulti habeatur.

XII. CAIVS lib. IIII. ad edictum prouinciale.

**S**I apud minorem mulier pro alio intercesserit: non est ei actio in mulierem danda, sed perinde atque caeteri, per exceptionem submoueri debet: scilicet, quia communi iure in priore debitore ei actio restituitur. haec si soluendo sit prior debitor: alioquin mulier non utetur senatusconsulti auxilio. XIII. VLP IANVS lib. XI. ad edictum.

**I**N causae cognitione uersabitur, utrum soli ei succurrendum sit: an etiam his, qui pro eo obligati sunt, ut puta fideiussoribus. itaque si cum scirem minorem, & ei fidem non haberem, tu fidei iusseris pro eo: non est aequum fideiussori in necem meam subueniri. sed potius ipsi deneganda erit mandati actio. In summa perpendendum erit praetori, cui potius subueniat: utrum creditori, an fideiussori. nam minor captus neutri tribuitur. facilius in mandatore dicendum erit, non debere ei subueniri. hic enim uelut adfirmator fuit & suasor, ut cum minore contraheret. Unde tractari potest, utrum minor in integrum restitutionem aduersus creditorem, an & aduersus fideiussorem implorare debeat. & puto tutius aduersus utrumque.

Causa autem cognita, & praesentibus aduersariis, uel si per contumaciam desint, in integrum restitutiones perpendendae sunt. Interdum autem restitutio & in rem datur minori, id est, aduersus rei eius possessorem, licet

ret cum eo non sit contractum, ut puta rem à minore emisti, & alij uen- didisti potest desiderare interdum aduersus possessore restitui, ne rem sua perdat, uel re sua careat: & hoc uel cognitione prætoris, uel rescissa alienatione, dato in rem iudicio. Pomponius quoq; libro uicesimo octa- uo scribit Labeonem existimasse: si minor annis uiginti quinq; fundum uendiderit, & tradiderit, & emptor rursus eum alienauerit: si quidē em- ptor sequens scit rem ita gestam: restitutionem aduersus eum faciendā: si ignorauit, & prior emptor soluendo est: non esse faciendam. Si uero non est soluendo: æquius esse, minori succurri, etiā aduersus igno- rantem: quamuis bona fide emptor est.

XIII. PAULVS lib. XI. ad edictum.

**P**lanè quàm diuis, qui à minore rem accepit, aut hæres eius, idone- us sit: nihil noui constituendū est in eum, qui rem bona fide emi- dit: & Pomponius scripsit.

XV. CAIUS lib. III. ad edictum prouinciale.

**S**ed ubi restitutio datur, posterior emptor reuerti ad auctorem suū poterit. Per plures quoque personas si emptio ambulauerit, idem iuris erit.

XVI. VLPIANVS lib. XI. ad edictum.

**I**n causæ cognitione etiam hoc uersabitur: num forte aliqua actio possit competere, citra in integrum restitutionem. Nam si commu- ni auxilio & mero iure munitus sit, non debet ei tribui extraordinariū auxilium: ut puta cum pupillo contractum est sine tutoris autoritate, nec locupletior factus est. Ita relatam est apud Labeonem: si minor cir- cumscriptus societatem coierit, uel etiam donationis causa: nullā esse societatem, ne inter maiores quidem: & ideo cessare partes prætoris. Idem & Ofilius respondit. satis enim ipso iure munitus est. Pōponius quoq; refert libro uicesimo octauo: cum quidam hæres rogatus esset, fratris filiæ cōplures res dare ea conditione, ut si sine liberis decessisset, restitueret eas hæredi: & hæc defuncto hærede, hæredi eius cauisset se re- stitutam: Aristonem putasse in integrum restituendam. Sed & illud Pomponius adiecit, quod potuit incerti cōdici hæc cautio etiam à ma- iore. non enim ipso iure, sed per conditionem munita est. Et generali- ter probandū est: ubi contractus non ualet, pro certo prætorum se nō debere interponere. Idem Pomponius ait: in precio emptionis & uenditionis naturaliter licere contrahentibus se circūuenire. Nunc uidendum, qui in integrum restituere possunt, & tam præfectus urbi, q̄ alij magistratus pro iurisdictione sua restituere in integrū possunt: tam in alijs omnibus causis, quàm contra sententiam suam.

XVII. HERMOGENIANVS lib. I. ἀντιοχείου iuris.

**P**ræfecti etiā prætorio ex sua sentētia in integrum possunt restituere,

re, quamuis appellari ab ijs non possit. Hæc idcirco tam uarie, quia appellatio quidem iniquitatis sententiæ querelam: in integrum uero restitutio erroris proprij ueniæ petitionem, uel aduersarij circumuentio- nis allegationem continet.

## XVIII. VLPIANVS.

**M**inor autem magistratus, contra sententiam maiorum non restituet. Si autem princeps sententiam dixit: perraro solet permittere restitutionem, & induci in auditorium suum eum, qui per infirmitatem ætatis captum se dicat: dum ea, quæ pro causa sunt, non dicta allegat, uel ab aduocatis præuaticatum queratur. Deniq; Glabrio- nem Atilium diuus Seuerus & imperator Antoninus non audiuerunt, incolorate restitui desiderantem aduersus fratrem, post speciem in auditorio eorû finitam. Rursum Pescennio Seuerus contra res bis iudicatas in integrum restitui desideranti, diuus Seuerus & imperator Antoninus permiserunt, in auditorio suo examinari. Idem Imperator Licinio Frontoni rescripsit: insolitum esse, post sententiam uice sua ex appellatione dictam, alium in integrum restitutionem tribuere, nisi solum principem. Sed & si ab Imperatore iudex datus cognoscat: restitutio ab alio, nisi à principe, qui iudicem destinauit, non fiet. Non solum autem minoribus, uerum successoribus quoq; minorum datur in integrum restitutio, & si sint ipsi maiores.

als\* pro-  
ditum.

als\* Per-  
cenino.

## XIX. IDEM lib. XI. ad edictum.

**I**nterdum tamen successori plus, quam annum dabimus, ut edictum est expressum: si forte ætas ipsius subueniat. nam post annum uicesimum quintum habebit legitimum tempus. hoc enim ipso deceptus uidetur: quod cum posset restitui intra tempus statutum ex persona defuncti, hoc non fecit. Planè si defunctus ad in integrum restitutionem modicum tempus ex anno utili habuit: huius hæredi minori post annum uicesimum quintum completum, non totum statutum tempus dabimus ad in integrum restitutionem: sed id dumtaxat tempus, quod habuit is, cui hæres exstitit.

## XX. IDEM lib. XI. ad edictum.

**P**apinianus libro secundo responsorum ait: exuli reuerso non debere prorogari tempus in integrum restitutionis statutum, quia abfuit: cum potuerit adire prætorem per procuratorem. nec dixit, uel præsidem, ubi erat. Sed quod idem dicit, id indignum esse propter irrogatam pœnam: non recte. quid enim commune habet delictum cū uenia ætatis? Si quis tamen maior uiginti quinq; annis, intra tempus restitutioni statutum, litem contestatus, postea destiterit: nihil ei proficiet ad in integrum restitutionem contestatio, ut est sapissime rescriptum.

Idem

## XXI. IDEM lib. XI. ad edictum.

**D**editisse autem is uideretur, non qui distulit, sed qui liti renunciauit in totum.

## XXII. IDEM lib. XI. ad edictum.

**I**n integrum uero restitutione postulata aduersus aditionem à minore factam: si quid legatis expensum est, uel precia eorum, qui ad libertatem aditione eius puenierunt: à minore refundenda non sunt. quæ admodum per contrarium, cum minor restituitur ad adeundam hereditatem, quæ ante gesta erant per curatorem bonorum, decreto prætoris ad distrahenda bona secundum iuris formam constitutum: rata esse habenda, Calpurnio Flacco Seuerus & Antoninus rescripserunt.

## XXIII. PAVLVS lib. XI. ad edictum.

**C**um mandatu patris filius familias res patris administrat, non habet beneficium restitutionis. nam & si alius ei mandasset, non succurreretur: cum eo modo potius maiori consuleretur, cuius damno res sit cessura. Sed si in euentu damnum minor passurus sit: quia quod præstitit, seruari ab eo, cuius negocia gessit, non potest (quia is non erit sol uendo) sine dubio prætor interueniet. Si autem ipse dominus minor sit, procurator uero maioris ætatis: non potest facile dominus audiri: nisi mandatu eius gestum erit, nec à procuratore seruari res possit. Ergo si procuratorio nomine minor circūscriptus sit: imputari debet hoc domino, qui tali commisit sua negocia: idque & Marcello placet.

## XXIII. IDEM lib. I. sententiarum.

**Q**uod si minor sua sponte negocijs maioris interuenerit: restituendus erit, ne maiori damnum accidat. Quod si hoc facere refusus erit: tunc si cōuentus fuerit *NEGOCIORVM GESTORVM*, aduersus hanc actionem non restituitur: sed cōpellendus est, sic cedere auxilio in integrum restitutionis, ut procuratorem eum in rem suam faciat: ut possit per hunc modum, damnum sibi propter minorem contingens refarcire. Non semper autem ea, quæ cum minoribus geruntur, rescindenda sunt, sed ad bonum & æquum redigenda: ne magno incommodo huius ætatis homines adficiantur, & nemine cum his contrahente, quodammodo commercio eis interdicator. Itaque nisi aut manifesta circūscriptio sit, aut tam negligenter in ea causa sint uersati, prætor interponere se non debet. Scauola noster aiebat: si quis iuuenili leuitate ductus, omiserit uel repudiauerit hereditatem, uel bonorum possessionem: si quidem omnia integra sint, omnimodo audiendum esse. si uero iam distracta hereditate, & negocijs finitis, ad paratam pecuniam laboribus substituti ueniat: repellendum. multoque parcius ex hac causa heredem minoris restituendum esse. Si seruus uel filius familias

lias minorem circumscriserit: pater dominusque, quod ad eum peruenit, restituere iubendus est. quod si non peruenit: ex peculio eorum prestare. si ex neutro satisfiet, & dolus serui interuenerit: aut uerberibus castigandus, aut noxæ dedendus erit. sed si filiusfamilias hoc fecerit: ob dolum suum condemnabitur. Restitutio autem ita facienda est, ut unusquisque integrum ius suum recipiat. Itaque si in uendendo fundo circumscriptus restituetur: iubebit prætor emptorem fundum cum fructibus reddere, & precium recipere: nisi si tunc dederit, cum eum perditurum non ignoraret: sicuti facit in ea pecunia, quæ ei consumpturo crederetur. Sed parcius in uenditione: quia æs alienum ei soluitur, quod facere necesse est: credere autem, non est necesse. Nam & si origo contractus ita constitit, ut infirmenda sit: si tamen necesse fuit precium solui, non omnimodo emptor damno adficiendus est. Ex hoc editio nulla propria actio uel cautio proficiscitur. Totum enim dependet ex prætoris cognitione.

## XXV. CAIUS lib. IIII. ad edictum provinciale.

**I**llud nullam habet dubitationem, quin si minor non debitum soluerit ex ea causa, ex qua iure civili repetitio non est danda, sit ei utilis actio ad reperendum: cum & maioribus uiginti quinque annis iustis ex causis dari soleat repetitio. Si talis interueniat iuuenis, cui præstanda sit restitutio: ipso postulante prestari debet, aut procuratori eius, cui id ipsum nominatim mandatum sit. qui uero generale mandatum de uniuersis negocijs gerendis alleget, non debet audiri.

## XXVI. PAVLVS lib. XI. ad edictum.

**Q**uod si de speciali mandato dubitetur, cum restitutio postuletur interposita stipulatione, RATAM REM DOMINVM HABITVRVM, rei poterit mederi. Quod si is, qui circumscripsisse dicitur, absit: defensor eius satis IUDICATVM SOLVI dare debebit.

## XXVII. CAIUS lib. IIII. ad edictum provinciale.

**P**atri pro filio omnimodo prestanda restitutio est, licet filius restitui nolit: quia patris periculum agitur, qui de peculio tenetur. Ex quo apparet, ceteros cognatos uel adfines alterius esse conditionis: nec aliter audiri oportere, quam si ex uoluntate adolescentis postulent: aut eius uitæ sit iste adolescens, ut merito etiam bonis ei interdici debeat.

Si pecuniam, quam mutuam minor accepit, dissipauit: denegare debet proconsul creditori aduersus eum actionem. Quod si egenti minor eam credidit: ulterius procedendum non est, quam ut iubeatur iuuenis actionibus suis, quas habet aduersus eum, cui ipse credidisset, cedere creditori suo. Prædium quoque, si ex ea pecunia pluris, quam oportet, emerit: ita temperanda res erit, ut iubeatur uenditor reddito precio recipere

pere prædiū: ita ut sine alterius damno etiam creditor à iuvene suum cōsequatur. Ex quo scilicet simul intelligimus, quid obseruari oporteat, si sua pecunia pluris, quàm oportet, emerit. ut tamen hoc & superiore casu uenditor, qui præcium reddidit: etiam usuras, quas ex ea pecunia percepit, aut percipere potuit, reddat: & fructus, quibus locupletior est factus iuuenis, recipiat. Item ex diuerso, si minore precio, quàm oportuit, uendiderit adolescens: empror quidem iuberi debebit, prædia cum fructibus restituere: iuuenis autem eatenus ex precio reddere, quatenus ex ea pecunia locupletior est. Si minor annis uigintiquinq; sine causa debitori acceptum tulerit: non solum in ipsum, sed & in fideiussorem, & in pignora actio restitui debet. Et si ex duobus reis alteri acceptum tulerit, in utrunque restituenda est actio. Ex hoc intelligimus, si damnosam sibi nouationem fecerit ( forte si ab idoneo debitore ad inopem nouandi causa transtulerit obligationem ) oportere eum in priorem debitorem restitui. Aduersus eos quoq; restitutio præstanda est, quorum de dolo agere non permittitur: nisi si quædam personæ speciali lege exceptæ sint, ut pater & patronus.

## XXVIII. CELSVS lib. II. digestorum.

**C**um minor, quàm quinq; & uiginti annorum, aduersus eum, cum quo tutela egit, restituitur: non ideo tutori contrarium tutelæ iudicium restituendum est.

## XXIX. MODESTINVS lib. II. responsum.

**E**tiam si patre, eodemq; tutore authore, pupillus captus probari possit: curatorem postea ei datum, nomine ipsius in integrum restitutionem postulare, non prohiberi. Ex causa curationis condemnata pupilla, aduersus unū caput sententiæ restitui uolebat: quia uidebatur in cæteris litis speciebus releuata fuisse. actor maior ætate, qui adqueuit tunc temporis sententiæ, dicebat: totam debere litem restaurari. Herennius Modestinus respondit. si species, in qua pupilla in integrum restitui desiderat, cæteris speciebus non cohæret: nihil proponitur à tota sententia recedi actor postulans, audiendus sit. Si hæreditate patris, ætatis beneficio in integrum restitutus abstinuit, nemine de creditoribus paternis præsentem, uel ad agendum à præside euocato: an ea restitutio recte facta uideatur, quæritur? Herennius Modestinus respondit. cum non euocatis creditoribus, in integrum restitutionis decretum interpositum proponatur: minime id creditoribus præiudicasse.

## XXX. PAPINIANVS lib. III. questionum.

**S**i filius emancipatus non accepta contra tabulas possessione, post sincohatâ restitutionis quæstionem, legatum ex testamento patris

maior uiginti quinque annis petisset: liti renunciaſſe uidetur: cum & ſi bonorum poſſeſſionis tempus largiretur, electo iudicio defuncti, repudiatum beneficium prætoris exiſtimaretur.

XXXI. IDEM lib. IX. reſponſorum.

**S**i mulier poſtquã hæres exſtitit, propter ætatem abſtinendi cauſa ſi integrum reſtituta fuerit: ſeruos hæreditarios ex fideicommiſſo ab ea recte manumiſſos, retinere libertatem reſpondi. Nec erunt cogendi uiginti aureos pro libertate retinenda dependere, quã iure optimo conſecuti uidentur. Nam & ſi quidam ex creditoribus pecuniam ſuam ante reſtitutionem ab ea recuperafſent: cæterorum querela contra eos, qui acceperunt, ut pecunia communicetur, non admittetur.

XXXII. PAVLVS lib. I. quæſtionum.

**M**inor uiginti quinque annis, adito præſide, ex adſpectu corporis falſo probauit perfectam ætatem. curatores cum intellexiſſent eſſe ſe minorem, perſeuerauerunt in adminiſtratione. medio tempore poſt probatam ætatem, ante impletum uigeſimum quintum annum, ſolutæ ſunt adoleſcenti pecuniæ debitæ, eaſque male conſumpſit. quæro, cuius ſit periculû: Et quid ſi curatores quoque eo modo in eodẽ errore perſeuerafſent, curationem etiã reſtituiſſent: an periculû temporis, quod poſt probatam ætatem interceſſit, ad eos pertineat? Reſpõdi. hi, qui debita exſoluerunt, liberati iure ipſo, non debent iterum conueniri. Planè curatores, qui ſcientes eum minorem eſſe, perſeuerauerunt in eodẽ officio: non debuerunt eum pati accipere pecunias debitas, & debebunt hoc nomine conueniri. Quod ſi & ipſi decreto præſidis crediderunt, & adminiſtrare ceſſauerunt, uel etiam rationem reddiderunt: ſimiles ſunt cæteris debitoribus, ideoque non conueniuntur.

XXXIII. ABRNIVS VALENS lib. V. fideicommiſſorum.

**S**i minor uiginti quinque annis ſeruum ſuum, qui pluris eſt, quã in teſtamento ei legatum ſit, manumittere rogatus fuerit, & legatũ acceperit: non cogendum libertatem præſtare, ſi legatum reddere paratus ſit, Iulianus reſpondit. Vt quemadmodum maioribus liberum ſit, non accipere, ſi nolunt manumittere: ſic huic reddenti legatum, neceſſitas manumittendi remittatur.

XXXIII. PAVLVS lib. I. ſententiarum.

**S**i minor uiginti quinque annis filiofamilias minori pecuniam creditur, melior eſt cauſa conſumentis: niſi locupletior in hoc inueniatur litis conſtatæ tẽpore, qui accepit. Minores, ſi in iudicem commiſerunt: licet tutore auctore ſtipulati ſunt: integri reſtitutionem aduerſus talem obligationem iure deſiderant.

XXXV. HERMOGENIANVS lib. I. *ἠρωπιῶν*.

Si in

**S**i in emptionem penes se collocatam, minor adiectione ab alio susperetur: implorans in integrum restitutionem audietur, si eius interesse emptam ab eo rem fuisse, adprobetur: ueluti, quod maiorum eius fuisset. ita tamen, ut id quod ex licitatione accessit, ipse offerat uenditori.

XXXVI. PAVLVS lib. V. *Sententiarum.*

**M**inor uiginti quinque annis omissam allegationem, per in integrum restitutionis auxilium repetere potest.

XXXVII. TRIPHONINVS lib. III. *disputationum.*

**A**uxiliū in integrum restitutionis in exemptionibus poenarū paratū non est. Ideo quod iniuriarum iudicium semel omissum, repeti non potest: & in sexaginta diebus praeteritis, in quibus iure mariti sine calūnia uir accusare mulierem adulterij potest, denegatur ei in integrum restitutio. quia ius omissum si nunc repetere uult, quid aliud, quam delicti ueniam, id est calumniae deprecatur: & cum neque in delictis, nec calumniatoribus praetorem succurrere oportere, certi iuris sit: cessabit in integrum restitutio. In delictis autem minor annis uiginti quinque non meretur in integrum restitutionem ( utique in atrocioribus ) nisi quatenus interduca miseratio aetatis ad mediocre poenam iudicem produxerit. Sed ( ut ad legis Iuliae de adulterijs coercendis praecipua ueniamus ) utique nulla deprecatio adulterij poenae est, si se minor annis adulterium fateatur commississe. sed nec si quid eorum commiserit, quae pro adulterio eadem lex punit: ueluti si adulterij damnatam sciens uxorem duxerit, aut in adulterio deprehensam uxorem non dimiserit, quae summe de adulterio uxoris fecerit, precium uel pro comperto stupro acceperit, aut donum praebuerit ad id stuprum adulterium uel in eam committendum. & non sit aetatis excusatio aduersus praecipua legum ei, qui dum leges inuocat, contra eas committit.

XXXVIII. PAVLVS lib. I. *decretorum*

**A**emylius \* Larianus ab Ouinio fundum puteolanum lege commissoria emerat, data parte pecuniae: ita ut si intra duos menses ab emptione reliqui precij partem dimidiam non soluisset, inemptus esset. item si intra alios duos menses reliquū precium non numerasset, similiter esset inemptus. intra priores duos menses Lariano defuncto, Rutiliana pupillaris aetatis successerat, cuius tutores in solutione cessauerunt. uenditor denunciationibus tutoribus saepe datis, post annum eandem possessionem Claudio Telemacho uendiderat. pupilla in integrum restitui desiderabat. uicta tam apud praetorem, quam apud praefectum urbi prouocauerat. Putabam bene iudicatum: quod pater eius, non ipsa contraxerat. Imperator autem motus est, quod dies committit

als\* Lari  
anus.

tendi in tempus pupillæ incidisset: eaq; effecisset, ne pareretur legi ueritatis conditionis. Dicebam, magis posse eam ea ratione restitui: quod uenditor renunciando post diem, quo placuerat esse commissum, & precium petendo, recessisse à lege sua uideretur. nec me mouere, quod dies postea transisset: non magis, quàm si creditor pignus distraxisset post mortem debitoris, die solutionis finita. Quia tamè lex commissoria displicebat ei: pronúciauit in integrum restituendam. Mouit & illud Imperatorem quod priores tutores, qui non restitui desiderassent, suspecti pronúciati erant. Id quod dicitur, non solere filijs familiarum post emancipationem adhuc minoribus succurri in his, quæ omisissent manentes in potestate: tunc recte dicitur, cum patri acquirere possunt.

## XXXIX. SCAEVOLA lib. II. digestorum.

**I**ntra utile tempus restitutionis apud præsidem petierunt in integrum restitutionem minores, de ætate sua probauerunt. dicta pro ætate sententia. aduersarij, ut impedirent cognitionem præsidis, appellauerunt ad Imperatorem. præses in euentum appellationis cætera cognitionis distulit. Quæsitum est: si finita appellationis apud Imperatorem cognitione, & iniusta appellatione pronúciata, egressi ætatem deprehendantur: an cætera negocia implere possint, cum per eos nõ steterit, quominus res finem accipiat. Respondi: secundum ea, quæ proponerentur, perinde cognosci, atq; si nunc intra ætatem essent. Vendentibus curatoribus minoris fundum, emptor exstitit Lucius Titius: & sex ferè annis possedit, ac longe lateq; rem meliorem fecit. Quæro, cū sint idonei curatores: an minor aduersus Titium emptorem in integrum restitui possit. Respondi. ex omnibus, quæ proponerentur, uix eum esse restituendum: nisi maluerit omnes impensas, quas bona fide emptor fecisse adprobauerit, ei præstare: maxime cum sit ei paratum auxilium, curatoribus eius idoneis constitutis.

## XL. VLPIANVS lib. VI. opinionum.

**M**inor annis uiginti quinq; cui fidei commissum solui pronúciatum erat, cauerat id se accepisse: & cautionem eidem debitor quasi creditæ pecuniæ, fecerat. in integrum restitui potest: quia partam ex causa iudicati persecutionem, nouo contractu ad initium alterius petitionis redegerat. Prædia patris sui minor annis uiginti quinq; ob debita rationis tutelæ aliorum, quam pater administrauerat, insolutum inconsulte dedit. ad suam æquitatem per in integrum restitutionem reuocanda res est: usuris pecuniæ, quam constiterit ex tutela deberi, repertatis: & cum quantitate fructuum perceptorum compensatis.

**S**i iudex circumuento in uenditione adolescenti, iussit fundum restitui

tui, eumq; precium emptori reddere: & hic nolit uti hac in integrum restitutione, pœnitentia acta: exceptionem utilem aduersus petentem precii, quasi ex causa iudicati adolescens habere poterit: quia unicuiq; licet contēnere hæc, quæ pro se introducta sunt. nec queri poterit uenditor, si restitutus fuerit in eandem causam, in quâ se ipse cōstituerat: & quâ mutare non potuisset, si minor auxiliū prætoris non implorasset.

XLII. VLP IANVS lib. II. de officio proconsulis

**P**raefes prouinciæ minorem in integrum restituere potest, etiã contra suam, uel decessoris sui sententiam. quod enim appellatio maioribus interposita præstat, hoc beneficio ætatis consequitur minores.

XLIII. MACER lib. I. de officio præsidis.

**D**æ tate eius, qui se maiorem annis uiginti quinq; dicit, causa cognita probandum est: quia per eam probationem in integrum restitutioni eiusdem adolescentis in alijs causis præiudicatur.

XLIII. VLP IANVS lib. V. opinionum.

**N**on omnia, quæ minores uiginti quinq; annis gerunt, irrita sunt: sed ea tantum, quæ causa cognita eiusmodi deprehensa sunt: ut ab alijs circumuenti, uel sua facilitate decepti, aut quod habuerunt, amiserint: aut quod acquirere emolumentum potuerunt, omiserint: aut oneri, quod non suscipere licuit, se obligauerint.

XLV. CALLISTRATVS lib. I. edicti monitorij.

**E**tiam ei, qui prius, quàm nasceretur, usucaptum amisit: restituentem actionem, Labeo scribit. Imperator Titus Antoninus rescripsit: eum, qui fraude tutoris aduersarium suum diceret absolutum, & agere cū eo ex integro uellet: licetiam habere prius cū tutore agere.

XLVI. PAVLVS lib. II. responsorum.

**E**um, qui ex sua uoluntate minorē annis in iudicio defendit, & condemnatus est: ex causa iudicati posse conueniri: nec eius, quem defendit, ætatem ad restitutionem impetrandam ei prodesse: cū causam iudicati recusare non possit. Ex quo apparet: nec eū, cuius nomine condemnatus est, auxiliū restitutionis ppter eam sententiã implorare posse.

XLVII. SCAEVO LA lib. I. responsorum.

**T**utor urgentibus creditoribus, rem pupillare bona fide uendidit, denunciante tamen matre emptoribus. quæro, cū urgentibus creditoribus distracta sit, nec de sordibus tutoris merito qdpiã dici possit: an pupillus in integrum restitui potest? Respondi. cognita causa æstimandū: nec idcirco, si iustū sit restitui, denegandū id auxiliū, q̄ tutor delicto caret. Curator adolescentiū prædia cōmunia sibi & his, quorum curam administrauerat, uendidit. Quæro, si decreto prætoris adolescentes in integrū restituti fuerint, an eatenus uenditio rescindenda sit, quatenus

quatenus adolescentium pro parte fundus communis fuit? Respondi: quatenus rescindi: nisi si emptor à toto contractu uelit discedi, quod partem empturus non esset. Item quæro: utrum emptor à Seio & Sempronio adolescentibus precium cum usuris recipere deberet, an uero ab hærede curatoris? Respondi, hæredem quidem curatoris teneri: uerum & in Seium & Sempronium pro parte, qua eorum fundus fuit, actiones dandas: utiq; si ad eos accepta pecunia pro eadem parte peruenisset.

XLVIII. PAVLVS lib. III. *sententiarum.*

**M**inor se in id, quod fideiussit uel mandauit, in integrum restituo: reum principalem non liberat. Minor ancillam uenudidit: si eam emptor manuiferit, ob hoc in integrum restitui non poterit: sed aduersus emptorem, quanti sua interest, actionem habebit. Mulier minor uiginti quinq; annis, si pactioe dotis deterior conditio eius fiat: & tale pactum inierit, quod nunquam maioris ætatis constituta pacisceretur, atq; ideo reuocare uelit: audienda est.

XLIX. VLPPIANVS lib. XXV. *ad edictum.*

**S**i res pupillaris uel adolescentis distracta fuerit, quam lex distrahi non prohibet: uenditio quidem ualet, ueruntamen si grande damnum pupilli uel adolescentis uersatur (etiam si collusio non intercessit) distractio per in integrum restitutionem reuocatur.

L. POMPONIVS lib. IX. *ἐπιστολῶν.*

als \* Mitius.

**I**\*Unius Diophantus Pomponio suo salutem. Minor uiginti quinq; annis nouandi animo intercessit pro eo, qui temporali actione tenebatur, tunc cum adhuc supererant decem dies: & postea in integrum restitutus est. utrum restitutio, quæ creditori aduersus priorẽ debitorem datur, decem dierũ sit, an plenior? Ego didici: ex tempore in integrum restitutionis tantundem temporis præstandum, quantum supererat. tu quid de eo putas, uelim rescribas. Respondit: sine dubio, quod de temporali actione, in qua intercessit minor, sensisti: puto uerius esse, ideoq; & pignus, quod dederat prior debitor, manet obligatum.

## DE CAPITE MINVTIS. Tit. V.

CAIUS lib. IIII. *ad edictum provinciale.*



**C**APITIS deminutio est status mutatio.

II. VLPPIANVS lib. XI. *ad edictum.*

**P**ertinet hoc edictum ad eas capitis deminutiones, quæ salua ciuitate contingunt. cæterum siue amissione ciuitatis, siue libertatis contingat capitis diminutio: cessabit edictũ, neq; possunt hi penitus conueniri. dabitur planè actio in eos, ad quos bona eorũ peruenierunt. Ait prætor

prætor. QVI QVÆVE POSTEA, QVAM QUID CVM HIS ACTVM CONTRACTVMVE SIT, CAPITE MINVTI MINVTAEVE ESSE DICENTVR: IN EO SEASVE PERINDE, QVA SI ID FACTVM NON SIT, IVDICIUM DABO. Hi qui capite minuuntur: ex ijs causis, quæ capitis deminutionem præcesserunt, manent obligati naturaliter. cæterum si postea: imputare quis sibi debet, cur contraxerit, quantum ad uerba huius edicti pertinet. Sed interdum si contrahatur cum his post capitis deminutionem, danda est actio. Et quidem si adrogatus sit, nullus labor est. nam perinde obligatur, ut filiusfamilias. Nemo delictis exuitur, quamuis capite minutus sit. Ei, qui debitorè suum adrogauit, non restituitur in eū actio, postquam sui iuris fiat. Hoc iudicium perpetuum est, & in hæredes, & hæredibus datur.

III. PAVLVVS lib. XI. ad edictum.

**L**iberos, qui adrogatum parentem sequuntur, placet minui capite: cum in aliena potestate sunt, & familiam mutauerunt. Emancipato filio, & cæteris psonis capitis deminutio manifeste accidit: cum emancipari nemo possit, nisi in imaginariam seruilem causam deductus. Aliter atq; cum seruus manumittitur: quia seruile caput nullum ius habet, ideoq; nec minui potest.

IIII. MODESTINVS lib. X. *τὸν ἐκ τῶν*.

**E**odie enim incipit statum habere.

V. PAVLVVS lib. XI. ad edictum.

**A**missione ciuitatis fit capitis deminutio, ut in aquæ & ignis interdictione. Qui deficiunt, capite minuuntur. deficere autem dicuntur, qui ab his, quorum sub imperio sunt, desistunt, & in hostium se numerum conferunt. sed & ij, quos senatus hostes iudicauit, lege lata: utiq; usq; adeo, ut ciuitatem amittant. Nunc respiciendum, quæ capitis deminutione iura pereant: & primo de ea capitis deminutione, quæ salua ciuitate accidit, per quam publica iura nõ interuerti constat. nam manere magistratum, uel senatorem, uel iudicem certum est.

VI. VLPIANVS lib. I. ad Sabinum.

**N**am & cætera officia, quæ publica sunt, in eo non finiuntur. Capitis enim deminutio priuati hominis & familiæ eius iura, non ciuitatis amittit.

VII. PAVLVVS lib. XI. ad edictum.

**T**velas etiam non amittit capitis deminutio: exceptis his, \*quæ in alijs \*quæ iure alieno personis positis non deferuntur. Igitur testamento da alieno iure ti, uel ex lege, uel ex senatusconsulto, erunt nihilominus tutores: licet personis legitimæ tutelæ ex duodecim tabulis interuertantur eadem ratione, proximis qua deferuntur.

qua & hæreditates exinde legitimæ, quæ adgnatis deferuntur, quia defuncti esse, familia mutata. Ex nouis aut legibus & hæreditates & tutelæ plerumque sic deferuntur, ut personæ naturaliter designentur: ut ecce deferunt hæreditatem senarum consulta matri & filio. Iniuriarum & actionum ex delicto uementium obligationes cum capite ambulant. Si libertate adempta, capitis deminutio subsequuta sit, nulli restitutioni aduersus seruum locus est: quia nec prætoriam iurisdictionem ita seruus obligatur, ut cum eo actio sit. sed utilis actio aduersus dominum danda est, ut Iulianus scribit: & nisi insolidum defendatur, permittendum mihi est in bona, quæ habuit, mitti. Item cum ciuitas amissa est: nulla restitutionis æquitas est aduersus eum, qui amissis bonis, & ciuitate relicta, nudus exulat.

## VIII. CAIVS lib. IIII. ad edictum provinciale.

**E**as obligationes, quæ naturalem præstationem habere intelliguntur, palam est capitis deminutione non perire: quia civilis ratio naturalia iura corrumpere non potest. Itaque de dote actio (quia in bonum & æquum concepta est) nihilominus durat, etiam post capitis deminutionem.

## IX. PAVLVS lib. XI. ad edictum.

**E**T quandoque emancipata aget.

## X. MODESTINVS lib. VIII. differentiarum.

**L**egatum in annos singulos uel menses relictum, uel si habitatio legitur: morte quidem legatarij legatum intercidit, capitis deminutione tamen interueniente perseverat: uidelicet quia tale legatum in factum potius, quam in iure consistit.

## XI. PAVLVS lib. II. ad Sabinum.

**C**apitis deminutionis tria genera sunt: maxima, media, minima. tria enim sunt, quæ habemus: libertatem, ciuitatem, familiam. Igitur cum hæc omnia amittimus, hoc est libertatem, & ciuitatem, & familiam: maximam esse capitis deminutionem. Cum uero amittimus ciuitatem, & libertatem retinemus: mediam esse capitis deminutionem. Cum autem & libertas & ciuitas retinetur, familia tantum mutatur: minimam esse capitis deminutionem constat.

EX QVIBVS CAVSSIS MAIORES  
in integrum restituantur. Tit. VI.

## VLP IANVS lib. XII. ad edictum.

**E**DICTI CAUSSAM NEMO NON IUSTISSIMAM ESSE CONFITEBITUR. la sum enim ius per id tempus, quo quis reipublicæ operam dabat

dabat, uel aduerso casu laborabat, corrigitur: nec non & aduersus eos, qui uel absentes reipublicæ caussa fuerant, uel apud hostes detenti, succurritur: ne uel obsit, uel profit, quod euenit. Verba autem edicti talia sunt.

SI CUIVS QUID DE BONIS, CVM IS METV, AVT SINE DOLO REIPUBLICÆ CAUSSA ABESSET: SIVE IN VINCVLIS, SERVITVTE, HOSTIVMVE POTESTATE ESSET: POSTEA VE CUIVS ACTIONIS EORVM CVI DIES EXISSE DICETVR. ITEM SI QVIS QUID VSV FECISSE SVVM, AVT QVOD NON VTENDO AMISSVM SIT, CONSECVTVS ESSE, ACTIONE VE QVA SOLVTVS OB ID, QVOD DIES EIVS EXIBRAT, CVM ABSENS NON DEFENDERETVR, INVE VINCVLIS ESSET, SECVMVE AGENDI POTESTATEM NON FACERET: AVTCVM EVM INVTVM IN IVS VOCARE NON LICERET, NEQVE DEFENDERETVR: SIVE CVIPER MAGISTRATVS FACTVM SINE DOLO MALO IPSIVS ACTIO EXEMPTA ESSE DICETVR. EARVM RERVM ACTIONEM INTRA ANNVVM, QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS ERIT: ITEM SI QVA ALIA MIHI IVSTA CAUSSA ESSE VIDEBITVR, IN INTEGRVM RESTITVAM. QVOD EIVS PER LEGES, PLEBISCITA, SENATVS CONSVLTA, EDICTA, DECRETA PRINCIPVM LICEBIT.

II. CALLISTRATVS lib. II. edicti monitorij.

**H**oc edictum, quod ad eos pertinet, qui eo continentur, minus in usu frequentatur. Huiusmodi enim personis extra ordinem ius dicitur ex senatusconsultis & principalibus constitutionibus. Hoc autem capite adiuantur in primis hi, qui metus caussa abfuissent: scilicet si non superuacuo timore deterriti abfuissent.

III. VLPPIANVS lib. XII. ad edictum.

**M**etus autem caussa abesse uidetur, qui iusto timore mortis, uel cruciatu corporis conterritus, abest: & hoc ex affectu eius intelligitur. Sed non sufficit quolibet terrore adductum timuisse, sed huius rei disquisitio iudicis est.

IIII. CALLISTRATVS lib. II. edicti monitorij.

**I**tem hi, qui reipublicæ caussa sine dolo malo abfuissent. Dolum malū eō pertinere accipi: ut qui reuerti posset, neq̄ reuenteretur: in eo, quod per id tempus aduersus eum factum esset, non adiunetur. Veluti si alterius grandis commodi captandi gratia id egerit, ut reipublicæ caussa abesset, reuocetur ab isto priuilegio.

V. VLPPIANVS lib. XII. ad edictum.

**S**ed & qui data opera & sine lucro hoc adfectauit, uel qui maturitus profectus est, uel litis gratia coepit reipublicae causa abesse. Sed haec adiectio doli mali ad reipublicae causa absentes refertur, non ad eum qui metus causa: quonia nullus metus est, si dolus intercedit. Sed qui Romae reipublicae operam dant, reipublicae causa non absunt.

**V** VI. PAVLVVS lib. XII. ad edictum.  
T sunt magistratus.

VII. VLP IANVS lib. XII. ad edictum.

**M**ilites plane, qui Romae militant, pro reipublicae causa absentibus habentur.

VIII. PAVLVVS lib. III. breuis edicti.

**L**egatis quoque municipiorum succurritur ex principum Marci & Commodi constitutione.

IX. CALLISTRATVS lib. II. edicti monitorij.

**S**uccurritur etiam ei, qui in uinculis fuisset. quod non solum ad eum spectat, qui publica custodia coercetur: sed ad eum quoque, qui a laetronibus, aut praedonibus, uel potentioribus ui oppressus, uinculis coercetur. uinculorum autem appellatio latius accipitur. nam etiam inclusos (ueluti latumius) uinctorum numero haberi placet: quia nihil interfit, parietibus, an compedibus teneatur. Custodiam autem solam publicam accipi Labeo putat.

X. VLP IANVS lib. XII. ad edictum.

**I**n eadem causa sunt, & qui a militibus, statoribusque, uel a municipalibus ministerijs adseruantur: si probentur rei suae superesse non potuisse. In uinculis autem etiam eos accipimus, qui ita alligati sunt, ut sine dedecore non possint in publico apparere.

XI. CALLISTRATVS lib. II. edicti monitorij.

**E**i quoque succurritur, qui in seruitute fuerit: siue bona fide seruiat homo liber, siue detentus.

XII. VLP IANVS lib. XII. ad edictum.

**I**s autem, qui de statu suo litigat: ex quo lis incohata est, hoc edicto non continetur. tam diu igitur in seruitute esse uidebitur, quam diu non est eiusmodi lis coepta.

XIII. PAVLVVS lib. XII. ad edictum.

**R**ecte Labeo ait eum non contineri, qui liber & haeres institutus est, antequam sit haeres: quia nec bona habet, & praetor de liberis loquitur hominibus. puto tamen filium familias in castrensi peculio pertinere ad hoc edictum.

**I**tem ei succurritur, qui in hostium potestate fuit, id est, ab hostibus captus

captus

captus. Nam transfugis nullū credendū est beneficium tribui, quibus negatū est postliminiū. Poterant tamen qui in hostiū potestate essent: & illa parte edicti cōtineri, quæ loquitur de his, qui in seruitute fuerint.

XV. VLP IANVS lib. XII. ad edictum.

**A**B hostibus captis, postliminio reuersis succurritur, aut ibi mōrtu is: quia nec procuratorem habere possunt, cum alijs suprascriptis per procuratorem possit subueniri: præter eos, qui in seruitute detinentur. Ego autem etiam nomine eius, qui hostium potitus est: si curator (ut plerunq;) fuerit bonis constitutus, auxilium competere existimo.

Non minus autem ab hostibus capto, quàm ibi nato, qui postliminium habet, succursum uidetur. Si damni infecti missum sit in ædes militis: siquidem præsentē eo iussit prætor possideri, non restituitur. si uero absente eo: dicendum, subueniri ei debere. Sed quod simpliciter prætor edixit, POSTEA VE, ita accipiendū est: ut si incohata sit bona fidei possessoris detentio ante absentiam, finita autem eo reuerso: restitutionis auxilium locum habeat, non quodocunq; sed ita demū, si intra modicum tempus, quàm redijt, hoc cōtingat: id est, dum hospitium quis conducit, sarcinulas componit, quærit aduocatū. nam eum, qui differt restitutionem, non esse audiendum, Neracius scribit.

XVI. PAVLVVS lib. XII. ad edictum.

**N**on em̄ negligentibus subuenitur, sed necessitate rerū impeditis. Totumq; illud arbitrio prætoris temperabitur: id est, ut ita datum restituat, si non negligentia, sed temporis angustia non poterunt litem contestari.

XVII. VLP IANVS lib. XII. ad edictum.

**I**ulianus libro quarto scribit, non solū aduersus possessorē hæreditatis succurrendū esse militi, uerum aduersus eos quoq; qui à possessore emerunt: ut uindicari res possint, si miles hæreditatem agnouerit. quod si non agnouerit: ex post facto usucapionem processisse manifestatur. Eum quoq; cui sic legatum sit, IN ANNOS SINGVLOS, QUIBVS IN ITALIA ERIT: restituendum, ut capiat, atq; si in Italia fuisset, Labeo scribit, & Iulianus libro quarto, & Pomponius libro tricesimo primo probant. nō enim dies actionis existit, ut prætoris auxilium necessarium sit, sed conditio in caussa est.

XVIII. PAVLVVS lib. XII. ad edictum.

**S**ciendum est, quod in ijs casibus restitutionis auxilium maioribus damus, in quibus rei dumtaxat perfequendæ gratia queruntur: non cum & lucri faciendi caussa, ex alterius pœna uel damno, auxilium sibi impertiri desiderant.

XIX. PAPINIANVS lib. III. questionum.

y iij Deniq;

**D**Eniq; si emptor prius, quã per usum sibi acquireret, ab hostibus captus sit: placet interruptam possessionem postliminio non restitui: quia hæc sine possessione non constitit. possessio autem plurimum facti habet, causa uero facti non continetur postliminio.

XX. IDEM lib. XII. *questionum.*

**N**ec utilem actionem ei tribui oportet: cum sit iniquissimum, auferre dominiũ, quod usus nõ abstulit. nec enim intelligitur amissum, quod ablatum alteri non est.

XXI. VLP IANVS lib. XII. *ad edictum.*

**I**TEM (ait prætor) SI QVIS QUID VSV SVVM FECISSE, AVT QVOD NON VTENDO AMISSVM SIT, CONSECVTVS ESSE: ACTIONE VE QVA SOLVTVS OB ID, QVOD DIES EIVS EXIERIT, CVM ABSENS NON DEFENDERETVR. Quã clausulã prætor inseruit, ut quemadmodum succurrat supradictis personis, ne capiantur. ita & aduersus ipsas succurrat, ne capiãt. Et erit notandum, quod plus prætor expressit, cum aduersus eos restituit, quã cum ipsis subuenit. nam hic non certas personas enumerauit, aduersus quas subueniat, ut supra: sed adiecit clausulã, qua oēs, qui absentes non defenduntur, complexi sunt. Hæc autem restitutio locum habet: siue per se, siue per subiectas sibi personas usu adquisierint, qui absentes nõ defendebantur: & id, si nemo eorum defensor. Nam si fuit procurator: cum habueris, quem conuenias, non debet inquietari. Cæterum si non existeret defensor, æquissimum erit subueniri: eo potius, quod qui nõ defenduntur (si quidem latitent) prætor pollicetur ex edicto in bona eorum mittere: ut si res exegerit, etiam distrahantur: si uero non latitent, licet non defendantur, in bona tantum mitti. Defendi aut non is tantũ uidet, cuius se defensor ingerit: sed & qui requisitus ab actore, nõ est defensionis defuturus. Plenaq; defensio accipietur, si & iudicium nõ detrectetur, & indicatum solui satisfidetur.

XXII. PAVLVVS lib. XI. *ad edictum.*

**E**Rgo sciendum est, non aliter hoc edictum locum habere, quã si amici eius interrogati fuerint, an defendant: aut si nemo sit, qui interrogari potest. Ita enim absens defendi non uidetur: si actor ultro interpellat, nec quisquã defensionis se offerat: eaq; testatione \* cõplecti oportet. Sicut igitur damno eos adfici non uult, ita lucrum facere non patitur. Quod edictum etiam ad furiosos, & infantes, & ciuitates pertinere Labeo ait.

XXIII. VLP IANVS lib. XII. *ad edictum.*

**A**it prætor, IN VE VINCVLIS ESSET. hæc particula merito adiecta est. fieri enim poterat, ut quis in uinculis præsens esset: uel

fer: ueluti in publica, uel in priuata uincula ductus. nam & eum, qui in uinculis est, ( si modo non sit in seruitute ) posse usu adquirere constat. igitur & is, qui in uinculis est, si defendatur, cessat restitutio. Is autē, qui apud hostes est, nihil per usum sibi adquirere potest: nec cōceptā possessionem poterit implere, dum est apud hostes. hoc amplius: nec postli- minio reuersus, recuperabit per usum dominij adquisitionem. Item ei, qui per captiuitatem fundi possessionem, uel ususfructus quasi pos- sessionem amisit: succurrendum esse, Papinianus ait. & fructus quoq; medio tempore ab alio ex usufructu perceptos, debere captiuo restitui, æquum putat. Hi planē, qui fuerunt in potestate captiui, usu rem ad- grere possunt ex re peculiari: & æquū erit, ex hac clausula præsentibus subueniri: si cū non defenderentur, usucaptū quid sit. Sed & si dies actio- nis, quæ aduersus captiuum cōpetebat, exierit: aduersus eū succurritur.

Deinde adiicit prætor, *SECVM'VE AGENDI POTESTATEM NON FACERET*: ut si, dū hoc faciat, per usum sit adquisitio impleta, uel qd ex supra scriptis cōtigerit: restitutio cōcedatur, merito. nec enim sufficit semper in possessionē bonorū eius mitti: quia interdum species esse potest, ut in bonis latitātis mitti non possit, aut nō latitet. Finge em̄ dum aduocationē postulat, diem exisse: uel dum alia mora iudicij con- tingit.

XXIII. PAVLVVS lib. XII. ad edictum

Ed & ad eos pertinet, qui conuenti frustrantur: & qualibet tergiver- satione & solertia efficiunt, ne cum ipsis agi possit.

XXV. CAIVS lib. III. ad edictum prouinciale.

Q uod quidem simili modo ad eum quoq; pertinere dicimus, qui non frustrandi gratia id faceret, sed q̄ multitudinem rerum distribu- geretur.

XXVI. VLPPIANVS lib. XII. ad edictum.

Ed & si per prætorē steterit, restitutio indulgetur. Aduersus re- legatum restitutionem faciendam ex generali clausula Pomponi- us ait, sed nō & ipsi concedendam: quia potuit procuratorem relinque- re. ex causa tamen, puto etiam ipsi succurrendum. Ait prætor, *AUT CVM EVM INVITVM IN IVS VOCARE NON LICERET*. hæc clausula ad eos pertinet, quos iure magistratus sine fraude in ius uocare non licet: ut consulē, prætorem, ceterosq; q̄ti imperium pote- statemūe quam habent. Sed nō ad eos pertinet hoc edictū, quos prætor phibet sine permisso suo in ius uocari: quoniā aditus potuit pmittere: patronos puta & parentes. Deinde adiicit, *NE QVE DEFENDERE TVR*, quod ad omnes supra scriptos pertinet: præter q̄ ad eum, qui ab- sens quid uiceperit: quoniam plene de eo supra cautū est. Ait prætor, *SI VE CUI PER MAGISTRATVS FACTVM SINE DOLO MA- LO IPSIVS ACTIO EXEMPTA ESSE DICETVR*: hocq; ut si per

per dilationes iudicis effectum sit, ut actio eximatur, fiat restitutio. Sed & si magistratus copia non fuit, Labeo ait restitutionem faciendam. **PER MAGISTRATVS** autem **FACTVM**, ita accipiendum est, si ius non dicit. alioquin si causa cognita denegauit actionem, restitutio cessat: & ita Seruio uidetur. Item **MAGISTRATVS FACTVM** uidetur, si per gratiam, aut sordes magistratus ius non dixerit. quo casu & hæc pars locum habebit, nec non & superior, **SECVM VE AGENDI POTESTATEM NON FACERET**. Nam id egit litigator, ne secum agatur, dum iudicem corrumpit. **ACTIO EXEMPTA** sic erit accipienda, si desijt agere posse. & adijcitur **SINE DOLO MALO IPSIVS**: uidelicet, ut si dolus eius interueniat, nec ei succurratur. Ipsi enim delinquentibus prætor non subuenit. Proinde si dum uult apud sequentem prætorem agere, tempus frustratus est: non ei subuenietur. Sed & si dum decreto prætoris non obtemperat, iurisdictionem ei denegauit: non esse eum restitutum, Labeo scribit. Idemque si ex alia iusta causa non fuerit ab eo auditus. Si feriarum extra ordinem sint indictæ (ob res puta prospere gestas, uel in honorem principis) & propterea magistratus ius non dixerit: Caius Cassius nominatim se dicebat restitutum, quia per prætorem uideretur factum. Solennium enim feriarum rationem haberi nõ debere, quia prospicere eas potuerit, & debuerit actor, ne in eas incideret: quod uerius est, & ita Celsus libro secundo digestorum scribit. Sed cum feriarum tempus eximium: restitutio duntaxat ipsorum dierum facienda est, nõ totius temporis, & ita Iulianus libro quarto digestorum scribit. Ait enim rescissionem usucapionis ita faciendam: ut hi dies restituantur, quibus actor agere uoluit, & interuentu feriarum impeditus est. Quoties per absentiam quis non toto tempore aliquem exclusit (ut puta rem tuam possedi uno minus die, statuto in usucapionibus tempore) deinde reipublicæ causa abesse coepi: restitutio unius diei aduersum me facienda est. **ITEM** (inquit prætor) **SI QVA ALIA MIHI IUSTA CAUSSA VIDEBITUR, IN INTEGRVM RESTITVAM**. Hæc clausula edicto inserta, necessaria est. multi enim casus interuenire poterunt, qui deferant restitutionis auxilium, nec singulatim tamen enumerari potuerunt. unde quoties æquitas restitutionem suggerit, ad hanc clausulam erit descendendum. ut puta legatione quis pro ciuitate functus est. æquissimum est eum restitui, licet reipublicæ causa nõ absit: & sapissime constitutum est, adiuuari eum debere, siue habuit procuratorem, siue nõ. Idem puto, & si testimonij causa sit euocatus quis ex qualibet prouincia, uel in urbem, uel ad principem. nam & huic subueniri sapissime rescriptum est. Sed & his, qui cognitionis gratia, uel appellationis peregrinari

grinati sunt, similiter subuenitur. Et generaliter quotiescunq; quis ex necessitate, non ex uoluntate absuit: dici oportet, ei subueniendum.

XXVII. PAVLVS lib. XII. ad edictum.

**E**T siue quid amiserit, siue lucratus non sit, restitutio facienda est: etiam si non ex bonis quid amissum sit.

XXVIII. VLP IANVS lib. XII. ad edictum.

**N**ecno & si quis de causa probabili absuerit, deliberare debet praetor, an ei subueniri debeat (puta studiorum causa) forte procuratore suo defuncto, ne decipiatur per iustissimam absentiae causam.

Item si quis nec in custodia, nec in uinculis sit, sed sub fideiussorum satisfatione: & dum propter hoc, quod recedere non potest, captus sit: & restituetur, & aduersus eum dabitur restitutio. QVOD EIVS (inquit praetor) PER LEGES, PLEBISCITA. SENATVS CONSULTA, EDICTA, DECRETA PRINCIPVM LICEBIT. quae clausula non illud pollicetur: restitutum scilicet, si leges permittant: sed si leges non prohibeant. Si quis saepius reipublicae causa absuit ex nouissimo reditu tempus restitutionis esse ei computandum, Labeo putat. Sed si omnes quidem absentiae annum colligant, singulae minus anno: utrum annum ei damus ad restitutionem, an uero tantum temporis, quantum nouissima eius absentia occupauit, uidendum, & puto annum dandum.

Si cum in provincia domicilium haberes, esses autem in urbe: an mihi annus cedat, quasi experiundi potestatem habeam? & ait Labeo, non cedere. Ego autem puto hoc ita uerum, si ius reuocandi domum aduersarius habuit: si minus: uideri esse experiundi potestatem, quia & Romanae contestari litem potuit. Exemplo rescissoriae actionis etiam exceptio ei, qui reipublicae causa absuit, competit: forte si res ab eo, possessione nacta uindictetur. In actione rescissoria, quae aduersus militem competit: aequissimum esse Pomponius ait, eius quoque temporis, quo absens defensus non est, fructus eum praestare. Ergo & militi debentur restitui, & utriusque actio erit.

XXIX. AFRICANVS lib. VII. quaestionum.

**V**idelicet ut ne cui officium publicum uel damno, uel dampno sit.

XXX. PAVLVS lib. XII. ad edictum.

**C**um miles, qui usucapiebat, decesserit: & haeres impleuerit usucapionem: aequum est rescindi, quod postea usucaptum est: ut eadem in haeredibus, qui in usucapionem succedunt, seruanda sint: quia possessio defuncti quasi iniuncta descendit ad haerem, & plerumque non dum haereditate adita completur. Si is qui reipublicae causa absuit, usuceperit, & post usucapionem alienauerit rem: restitutio facienda erit, & (licet sine dolo malo absuerit, & usuceperit) lucro eius occurrere oportet.

Item ex reliquis omnibus causis restitutio facienda erit: ueluti si aduersus eum pronunciatum sit.

XXXI. IDEM *lib. IIII. ad edictum.*

Si is, cuius rem ufuceperit reipublicæ causa absens, possessione sua rei ab illo ufucaptæ nactus sit: & si post ea amiserit: non temporalē, sed perpetuam habet actionem.

XXXII. MODESTINVS *lib. VIII. regularum.*

Alicet nondum prouinciam excesserit, sed & is, qui excessit, donec in urbem reuertatur, & hoc etiā ad proconsules legatosq; eorum, & ad eos, qui prouincijs præfunt, procuratorē sue principum, qui in prouincijs tenentur, pertinet: & ad tribunos militum, & præfectos, & comites legatorū, qui ad ærarium, aut in commentariū principis relati sunt.

XXXIII. IDEM *lib. singulari de enucleatis casibus.*

Inter eos, qui ex generali clausula adiuantur, & fisci patronus connumeratur. Eos, qui notis scribunt acta præsidū, reipublicæ causa non abesse, certum est. Militum medici (quoniam officium, quod gerunt, & publicæ prodest, & fraudem eis adferre non debet) restitutionis auxilium implorare possunt.

XXXIIII. IABOLENVS *lib. XV. ex Cassio.*

Milles comætu accepto, si domi suæ est, reipublicæ causa abesse non uidetur. Qui operas in publicum, quod uestigialiū causa locatum est, dat: reipublicæ causa non abest.

XXXV. PAVLVS *lib. IIII. ad L. Iuliam et Papiam.*

Qui mittuntur, ut milites ducerent, aut reducerent, aut legendi curam gerent: reipublicæ causa absunt. hi quoq; qui missi sunt ad gratulandum principi. Item procurator Cæsaris, non solum cui rerum prouinciæ cuiusq; procuratio mandata erat: sed & is, cui rerum, quamuis non omnium. Itaq; plures ibi procuratores diuersarum rerum reipublicæ causa abesse intelliguntur. Præfectus quoq; Aegypti reipublicæ causa abest, quæ aliā ob causam reipublicæ gratia extra urbem abierit. Sed & in urbanicis militibus idē diuus Pius constituit. Quæ sitū est, & de eo, qui ad compescendos malos homines missus est, an reipublicæ causa abesset: & placuit reipublicæ causa eum abesse. Item paganum, qui in expeditionem consulari iussu transierat, ibiq; in acie ceciderat. hæredi enim eius succurrendum est. Qui reipublicæ causa Romam profectus est, abesse reipublicæ causa uidetur. Sed & si extra patriam suam reipublicæ causa profectus sit: etiam si per urbem ei iter competit, reipublicæ causa abest. Similiter qui in prouincia est, ut primum aut domo sua profectus est: aut cum in eadem prouincia degit, reipub

reipublicæ administrandæ causa: simul atq; agere rempublicam cœ-  
pit, ad similitudinē absentis habetur. Et dū eat in castra, ac redeat mi-  
les, reipublicæ causa abesse: quod & eūdem sit in castra militaturo, & re-  
deundum. \* Viuianus scribit Proculum respondisse: militem, qui cum  
commeatu absit, dum domum uadit aut redit, reipublicæ causa abes-  
se: dum domi sit, non abesse.

Al's \* Iuli  
anus.

XXXVI. VLP IANVS lib. VII. ad L. Iuliam & Papiā.

**R**eipublicæ causa abesse eos solos intelligimus, qui non sui com-  
modi causa, sed coacti absint.

XXXVII. PAVLVS lib. IIII. ad L. Iuliam & Papiam.

**H**ic qui in prouincia sua ultra tempus à cōstitutionibus concessum  
adsident: ex publica causa abesse non intelliguntur.

XXXVIII. VLP IANVS lib. VII. ad L. Iuliam et Papiā

**S**i cui in prouincia sua princeps ad fidere speciali beneficio permise-  
rit: puto eum reipublicæ causa abesse. quod si non ex permissione  
hoc fecerit: consequenter dicemus: cum crimen admisit, non habere eū  
privilegia eorum, qui reipublicæ causa absint. Tam diu reipublicæ  
causa abesse quis uidebitur, quam diu officio alicui præest. Sed ad reuer-  
tum fuerit officium, iam desinit abesse reipublicæ causa.  
tendunt illi tempora computabimus, statim atq; desijt reipublicæ caus-  
sa abesse: quibus reuerti in urbem potuit: & erit moderatum, tempora  
ei dare, quæ lex reuertentibus præstitit. Quare si quid \* excesserit suæ als \* ex-  
rei causa, non dubitabimus, id tempus ei non proficere: habitæq; diu tra fluxe  
meratione temporis, quo reuerti debuit, statim eum dicemus desisse rit.  
reipublicæ causa abesse. Planè si infirmitate impeditus, cōtinuare iter  
non potuit: habebitur ratio humanitatis, sicuti haberi solet & hyemis,  
& nauigationis, & cæterorum, quæ casu contingunt.

XXXIX. PAVLVS lib. I. sententiarum.

**I**s qui reipublicæ causa absiturus erat, si procuratorem reliquerit,  
per quem defendi potuit: in integrum uolens restitui, non audietur.

XL. VLP IANVS lib. V. opinionum.

**S**i qua militi accusatio competat eo tempore, quo reipublicæ operā  
sedit, non perimetur. Quod eo tempore, quo in insula quis fuit  
ex pœna ei irrogata, cuius restitutionē à p̄cipe impetrauit: ab alio usur-  
patū ex bonis, quæ non adempta erant, probatum fuerit: suæ causæ  
restituendum est.

XLI. IULIANVS lib. XXXV. digestorum.

**S**i quis Titio legauerit, si mortis suæ tempore in Italia esset, aut in an-  
nos singulos, quod in Italia esset: & ei succursum fuerit, quia ob id  
quod rei publicæ causa absuit, exclusus fuerit à legato: fideicommissa

sum ab eo relictum præstare cogitur. MARCELLVS NOTAT. quis enim dubitauit, salua legatorum & fideicommissorum causa, militi restitui hæreditatem: quam ob id perdidit, quod reipublicæ causa abfuit?

XLII. ALFENVS lib. V. digestorum.

**N**on uere dicitur reipublicæ causa abesse, qui sui priuati negotij causa in legatione est.

XLIII. AFRICANVS lib. VII. questionum.

**S**i quis stipulatus sit in annos singulos, quod in Italia esset uel ipse, uel promissor: & alteruter reipublicæ causa abesse cœperit: officium prætoris est, introducere utilem actionem. Eadem dicemus, & si ita concepta stipulatio fuerit, si quinquennio proximo Romæ fuerit: uel ita, si non fuerit, centum dare spondes?

XLIII. PAVLVVS lib. II. Ad Sabinum.

**I**s qui reipublicæ causa abest: in aliqua re læsus non restituitur, in qua etiam, si reipublicæ causa non abfuisset, damnû erat passurus.

XLV. SCAEVOLA lib. I. regularum.

**M**ilites omnes, qui discedere à signis sine periculo non possunt, reipublicæ causa abesse intelliguntur.

XLVI. MARTIANVS lib. II. regularum.

**Q**ui reipublicæ causa abfuit, etiam aduersus eum, qui pariter reipublicæ causa abfuit, restituendus est: si aliqd dâni iuste queritur.

### DE ALIENATIONE IVDICII MVTANDI

caussa facta. Tit. VII.

CAIVS lib. IIII. ad edictum prouinciale.



**Q**MNIBVS modis proconsul id agit, ne cuius deterior causa fiat ex alieno facto. Et cum intelligeret, iudiciorum exitum interdum duriores constitui, opposito nobis alio aduersario: in eam quoq; rem prospexit. ut si quis alienando rem, alium nobis aduersarium suo loco substituerit, idq; data opera in fraudem nostram fecerit: tanti nobis in factum actione teneatur, quanti nostra inter sit, alium aduersarium nos non habuisse. itaq; & si alterius prouinciæ hominem, aut potentioris nobis opposuerit aduersarium: tenebitur.

II. VLPIANVS lib. XII. ad edictum.

**A**ut alium, qui uexaturus sit aduersarium.

III. CAIVS lib. IIII. ad edictum prouinciale.

**Q**uia etiam si cum eo, qui alterius prouinciæ est, experiar: in illius prouincia experiri debeo: & potentioribus pares esse non possimus.

mus. Sed & si hominem, quem petebamus, manumiserit: durior no-  
stra conditio fit, quia prætores fauent libertatibus. Item si locum, in  
quo opus feceris, cuius nomine interdicto *QVOD VIA VT CLAM*  
uel actione *AQVAE PLVVIÆ ARGENDÆ* tenebaris, aliena-  
ueris: durior nostra conditio facta intelligitur: quia si tecum ageretur,  
tuis impensis id opus tollere deberes. nunc uero cum incipiat mihi ad-  
uersus alium actio esse, quàm qui fecerit: compellor meis impensis id  
tollere. quia qui ab alio factum possidet: hactenus istis actionibus tene-  
tur, ut patiatur id opus tolli. Opus quoq; nouum si tibi nũciauerim,  
tuq; eum locum alienaueris, & emptor opus fecerit: dicitur hoc te iudi-  
cio teneri, quasi neq; tecum ex operis noui nunciacione agere possim,  
quia nihil feceris: neq; cũ eo, cui id alienaueris, quia ei nunciatum non  
fit. Ex quibus apparet, quod proconsul in integrum restitutum se  
pollicetur: ut hac actione tantũ officio iudicis consequatur actor, quan-  
tum eius inter sit, alium aduersarium non habuisse: forte si quas imperi-  
sas fecerit, aut si quam aliam incommoditatem passus erit, alio aduer-  
sario substituto. Quid ergo, si is, aduersus quem talis actio competit, pa-  
ratus sit utile iudicium pati, perinde ac si possideret: recte dicitur, dene-  
gandam esse aduersus eum ex hoc edicto actionem.

IIII. *VLP IANVS lib. XII. ad edictum.*

**I**tem si res fuerint usucapæ ab eo, cui alienatæ sunt, nec peti ab eo  
possint: locum habet hoc edictum. Itemq; fieri potest, ut sine do-  
lo quidẽ malo defierit possidere, uerum iudicij mutandi causa id fiat.  
Sunt & alia complura talia. Potest etiam aliquis dolo malo definere  
possidere, nec tamen iudicij mutandi causa id fecisse, nec hoc edicto te-  
neri. neq; enim alienat, qui dumtaxat omittit possessionẽ. Non tamen  
eius factum improbat prætor: qui tanti habuit re carere, ne ppter eam  
sepius litigaret. hæc enim uerecundia & cogitatio eius, qui lites exse-  
cratur, non est uituperanda: sed eius dumtaxat, qui cum rem habere  
uult, litem ad alium transfert, ut molestum aduersarium pro se subijci-  
at. Pedius libro nono non solum ad dominij translationem hoc edi-  
ctum pertinere ait, uerum ad possessionem quoq;. alioquin & is, cum  
quo in rem agebatur (inquit) si possessione cessit, non tenebitur. Si  
quis autem ob ualitudinem, aut ætatem, aut occupationes necessarias  
litem in alium transtulerit: in ea causa non est, ut hoc edicto teneatur,  
cum in hoc edicto doli mali fiat mentio. Cæterum interdictum erit per  
procuratores litigare, dominio in eos plerunq; ex iusta causa transla-  
to. Ad iura etiam prædiorum hoc edictum pertinet: modo si dolo  
malo fiat alienatio. Hæc actio in id, quod interest, competit. proin-  
de si res non fuit petitoris, aut si is qui alienatus est, sine culpa decessit:  
z iij cessat

cessat iudicium, nisi quid actoris præterea interfuit. Hæc actio non est pœnalis, sed rei persecutionem arbitrio iudicis cõtinet. quare & hæc redi dabitur: in hæredem autem,

**V** El similem,  
V. PAVLVVS lib. XII. ad edictum.

**V** El post annum non dabitur.  
VI. VLPPIANVS lib. XII. ad edictum.

**Q** Via pertinet quidem ad rei persecutionem, uidetur autem ex de hæcõ dari.  
VII. CAIVS lib. IIII. ad edictum prouinciale.

VIII. PAVLVVS lib. XII. ad edictum.

**E**X hoc edicto tenetur, etiam qui rem exhibet: si arbitrato iudicis pristinam causam iudicij non restituit. Ait prætor, **QVAE'VE ALIENATIO IVDICII MUTANDI CAVSSA FACTA FVE'ERIT** id est, futuri iudicij causa: non eius, quod iam sit. Ab alienare intelligitur, & qui alienam rem uendiderit. Sed hæredem instituendo, uel legando si quis alienet: huic edicto locus non erit. Si quis alienauerit, deinde receperit: non tenebitur hoc edicto. Qui uenditori suo redhibet, non uidetur iudicij mutandi causa alienare.

IX. PAVLVVS lib. I. ad edictum edilium arulium.

**Q** Via redhibito homine omnia retro aguntur. & ideo non uidetur iudicij mutandi causa alienare, qui redhibet: nisi forte propter hoc ipsum redhibet, non redhibiturus aliàs.

X. VLPPIANVS lib. XII. ad edictum.

**N**Am & si obligatus soluero, quod à me petere uelles: huic edicto locus non erit. Si tutor pupilli uel adgnatus furiosi alienauerit: utilis actio comperit, quia consilium huius fraudis inire non possunt.

XI. IDEM lib. V. opinionum.

**C**vm miles postulabat, suo nomine litigare de possessionibus, quas sibi donatas esse dicebat: responsum est, si iudicij mutandi causa donatio facta fuerit, priorem dominum experiri oportere: ut rem magis, quàm litem in militem transtulisse credatur.

XII. MARTIANVS lib. XIII. institutionum.

**S**i quis iudicij communi diuidendo euitandi causa rem alienauerit: ex lege Licinia interdicitur ei, ne communi diuidendo iudicio experiatur. Verbi gratia, ut potentior emptor per licitationem utilius eam accipiat, & per hoc iterum ipse recipiat. Sed & ipse quidem, qui partem alienauit, communi diuidendo iudicio si agere uelit, non audietur. Is uero, qui emit, si experiri uelit: ex illa parte edicti uetatur, qua cauetur, ne qua alienatio iudicij mutandi causa fiat.



PAVLVS lib. I. ad edictum.  
Compromissum ad similitudinem iudiciorum redigitur, & ad finiendas lites pertinet.

EX cōpromisso placet exceptionē non nasci, sed pœnæ petitionem.

II. VLPIANVS lib. III. ad edictum.

III. IDEM lib. XIII. ad edictum.

LABEO ait: si compromisso facto sententia dicta est, qua quis à minore uiginti quinque annis tutelæ absolueretur: ratū id à prætoribus non habendum, neque pœnæ eo nomine commissæ petitionē dari. Tametsi neminem prætor cogit arbitrium recipere: (quoniam hæc res libera & soluta est, & extra necessitatem iurisdictionis posita) attamen ubi semel quis in se receperit arbitrium, ad curam & ad sollicitudinem suam hanc rem pertinere prætor putat: non tantum quod studeat lites finire, uerum quoniam non debeant decipi, qui eum quasi uirum bonum disceptatorem inter se elegerunt. finge enim post causam iam semel atque iterum tractatā, post nudata utriusque intima, & secreta negotij aperta: arbitrium uel id gratiæ dantem, uel fordibus corruptum, uel ex alia causa nolle sententiam dicere: quisquam ne potest negare æquissimū fore, prætoribus interponere se, ut officium, quod in se receperit, impleat. Ait prætor. QUI ARBITRIUM, POENA COMPROMISSA, RECEPERIT. Tractemus de personis arbitrantium, & quidem arbitrum cuiusque dignitatis cogit officio perfungi, quod suscepit, etiam si sit consularis: nisi forte in aliquo magistratu positus, uel potestate: (consul forte uel prætor) quoniam in hoc imperium non habet.

III. PAVLVS lib. XIII. ad edictum.

NAM magistratus superiores, aut pari imperio qui sunt, nullo modo possunt cogi, nec interest: ante, an in ipso magistratu arbitrium susceperint, sed inferiores possunt.

V. VLPIANVS lib. XIII. ad edictum.

SED & filius familias compelletur.

VI. CAIVS.

QUI etiam & de re patris dicitur filium familias arbitrum esse, nam & iudicem eum esse posse, plerisque placet.

VII. VLPIANVS lib. XIII. ad edictum.

PEDIUS libro nono & Pomponius libro tricesimo tertio scribunt: parui referre, ingenuus quis, an libertinus sit: integræ famæ quis sit arbiter, an ignominiosus. In seruū Labeo cōpromitti non posse scribit.

bit libro undecimo, & est uerum. Vnde Iulianus ait: Si in Titium & seruum compromissum sit: nec Titium cogendum sententiã dicere, quia cum alio receperit: quamuis serui (inquit) arbitrium nullum sit. Quid tamen, si dixerit sententiam Titius: pœna nõ committetur: quia non, ut recepit, dixit sententiam.

VIII. PAVLVVS lib. XIII. ad edictum.

**S**ed si ita cõpromissum sit, ut uel alterutrius sententiã ualeat: Titium cogendum.

IX. VLPPIANVS lib. XIII. ad edictum.

**S**ed si in seruum compromittatur, & liber sententiam dixerit: puto, si liber factus receperit, consentientibus partibus: ualere. Sed neq; in pupillum, neq; in furiosum, aut surdum, aut mutum compromittetur, ut Pomponius scribit. Si quis iudex sit: arbitriũ recipere eiusdẽ rei, de qua iudex est, inuẽ se compromitti iubere, prohibetur lege Iulia: & si sententiam dixerit, non est danda pœnæ persecutio. Sunt & alij, qui sententiam dicere non coguntur: ut puta si sordes, aut turpitudine arbitri manifesta sit. Iulianus ait, si eum infamarunt litigatores: nõ omni modo prætorem debere eum excusare, sed causa cognita. Idem & si spreta autoritate eius ad iudicium,

X. PAVLVVS lib. XIII. ad edictum.

**V**el alium arbitrum,

XI. VLPPIANVS lib. XIII. ad edictum.

**L**itigatores ierunt, mox ad eundem arbitrum redierunt: prætorem non debere eum cogere inter eos disceptare, qui ei contumeliam hanc fecerint, ut eum spernerent, & ad alium irent. Arbitrum non esse cogendum sententiam dicere, nisi compromissum interuenerit: & quod ait prætor POENA COMPROMISSA, accipere nos debere, nõ si utriusq; pœna numaria, sed & si alia res uice pœnæ, si quis arbitri sententiã non steterit, promissa sit: Pomponius scribit. Quid ergo, si res apud arbitrum deposita sint eo pacto, ut ei daret, qui uicisset: uel ut eam daret, si non pareretur sententiã: an cogendus sit sententiã dicere? & puto cogendum. tantundem est, & si quantitas certa ad hoc apud eum deponatur. proinde & si alter rem, alter pecuniam stipulanti promiserit: plenum compromissum fit, & cogetur sententiam dicere. Interdum (ut Pomponius scribit) recte nudo pacto fiet compromissum: ut puta si ambo debitores fuerunt: & pacti sunt, ne petat, quod sibi debetur, qui sententiã arbitri non paruit. Itẽ Iulianus scribit, non cogendum arbitrum sententiam dicere, si alter pmiserit, alter nõ. Idem dicit, & si sub cõditione fuerit pœna compromissa: ueluti si nauis ex Asia uenerit, tot milia. non em̃ prius arbitrum cogendum sententiã dicere, q̃ conditio exstiterit: ne sit inefficax deficiente conditione. & ira Pomponius libro tricesimo tertio ad edictũ scribit.

Paulus

## XII. PAULVS lib. XIII. ad edictum.

**Q**uo casu ad prætorē pertinebit in eo forsitan solo, ut si possit dies compromissi proferri, proferatur.

## XIII. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

**P**omponius ait, & si alteri acceptolata pœna sit compromissi: non debere eum compelli sententiam dicere. Idem Pomponius scribit. Si de meis solis controuersijs sit cōpromissum, & de te pœnam sim stipulatus: uidendum, ne non sit compromissum. sed cui rei moueatur, non uideo. nam si ideo, quia de unius controuersijs solum compromissum sit, nulla ratio est. licet enim & de una re cōpromittere. si uero, quia ex altera dumtaxat parte stipulatio interuenerit, est ratio: tantum si peritor sit, qui stipulatus est, possit dici plenum esse compromissum: quia is, qui conuenitur, turus est pacti exceptione: is uero qui conuenit, si arbitrio non pareatur, habet stipulationem. Sed id uerum esse non puto. neq; enim sufficit exceptionem habere, ut arbiter sententiam dicere cogatur. Recepisse autem arbitrium uidetur (ut Pedius libro nono dicit) qui iudicis partes suscepit, finemq; se sua sententia controuersijs impositurum pollicetur. Quod si (inquit) hactenus interuenit, ut experiretur, an consilio suo uel autoritate discuti li-tem paterentur: non uidetur arbitrium recepisse. Arbiter ex compromisso his diebus non cogitur sententiam dicere, quibus iudex non cogereatur, nisi dies compromissi exitura sit, nec proferri possit. Proinde si forte urgeatur à prætore ad sententiam: æquissimum erit, si iuret sibi de causa nondum liquere, spacium ei ad pronuncian- dum dari.

## XIII. POMPONIVS lib. XI. ad Q. Mutium.

**S**ed si compromissum sine die confectum est: necesse est arbitro, somnimo diem statuere, partibus consentientibus, & ita demum causam disceptare. quod si hoc prætermisum sit: omni tempore cogendus est sententiam dicere.

## XV. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

**L**icet autem prætor districte dicat, sententiam se arbitrum dicere coacturum: attamen interdum rationem eius habere debet, & excusationem recipere, causa cognita: ut puta si fuerit infamatus à litigatoribus: aut si inimicitiae capitales inter eum & litigatores, aut alterum ex litigatoribus intercesserint: aut si ætas, si ualetudo, quæ postea contingit, id ei minus remittat: aut occupatio negotiorum priorum, uel profectio urgēs, aut munus aliquod reipublicæ causa. & id Labeo.

## XVI. PAULVS lib. XIII. ad edictum.

**A**ut si qua alia incommoditas ei post arbitrium susceptum incidat. Sed in causa ualetudinis similibusq; causa cognita differ-

re cogitur. Arbitrarius iudicij sui nomine, quod publicum uel priuatum habet, excusatus esse debet à compromisso: utique si dies compromissi proferri non potest. Quod si potest: quare non cogat eum, cum possit proferre? quod sine ulla restrictione ipsius interdum futurum est. Si tamen uterque uelit eum sententiam dicere: an (quamuis cautum non sit de die proferenda) non alias impetret (quia iudicium habet, ne cogatur) quam si consentiat denuo in se compromitti? hæc si dies exitura est

XVII. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

*hæc in nō nullis non leguntur.*

**I**tem si unus ex litigatoribus bonis suis cedat. Iulianus lib. quarto digestorum scribit, non esse cogendum arbitrum sententiam dicere: cum neque agere, neque conueniri possit. Si multo post reuertantur ad arbitrum litigatores: non esse cogendum sententiam dicere, Labeo scribit. Item si plures sunt, qui arbitrium receperunt: nemo unus cogendus erit sententiam dicere: sed aut omnes, aut nullus. Inde Pomponius libro tricesimo tertio ad edictum querit: si ita sit compromissum, ut quod Titio disceptatori placet, id Seius pronunciet: quis sit eorum cogendus? Et puto tale arbitrium non ualere, in quo libera facultas arbitri sententiæ futura non est. Sed si ita sit compromissum, arbitrato Titij aut Seij fieri. Pomponius scribit, & nos putamus compromissum ualere: sed is erit cogendus sententiam dicere, in quem litigatores consenserint. Si in duos fuerit compromissum: sic ut si dissentirent, tertium adsumant: puto tale compromissum non ualere. Nam & in adsumendo possunt dissentire. Sed si ita sit, ut tertius adsumeretur. Sempronius: ualeat compromissum, quoniam in adsumendo dissentire non possunt. Principaliter tamen, si in duos arbitros sit compromissum: non debet prætor eos cogere sententiam dicere: quia res ferè sine exitu futura est, propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem. In impari enim numero idcirco compromissum admittitur: non quoniam consentire omnes facile est, sed quia (& si dissentiant) inuenitur pars maior, cuius arbitrio stabitur. Sed tamen usitatum est etiam in duos compromitti: & debet prætor cogere arbitros, si non consentiant, tertiam personam certam eligere, cuius authoritati pareatur. Celsus quoque libro tertio digestorum scribit: si in tres fuerit compromissum, sufficere duorum consensum, si præfens fuerit & tertius: alioquin absente eo, licet duo consentiant, arbitrium non ualere: quia in plures fuit compromissum, & potuit præsentia eius trahere eos in aliam sententiam.

XVIII. POMPONIVS lib. XVII. ἐπισηλωσιμ.

**S**ic & tribus iudicibus datis, quod duo ex consensu, absente tertio, iudicauerunt: nihil ualeat. quia ita demum quod maior pars omnium iudicauit, ratum est: cum & omnes iudicasse palam est.

Paulus

## XIX. PAVLVS lib. XIII. ad edictum.

**Q** Valem autem sententiam dicat arbiter, ad prætorem non pertinere, Labeo ait: dummodo dicat, quod ipsi uideatur. Et ideo si sic fuit in arbitrum compromissum, ut certam sententiam dicat: nullum esse arbitrium, nec cogendum sententiam dicere, Iulianus libro quarto digestorum scribit. Dicere autem sententiam existimamus eum, qui ea mente quid pronunciat, ut secundum id discedere eos à tota controuersia uelit. Sed si de pluribus rebus sit arbitrium receptum: nisi oēs controuersias finierit, non uideatur dicta sententia, & adhuc erit à prætore cogendus. Vnde uidendum erit, an mutare sententiam possit. & aliàs quidem est agitatum, si arbiter iussit dari, mox uetuit: utrum eo quod iussit, an eo quod uetuit, stari debeat. Et Sabinus quidē putauit posse, Cassius uero sententiā magistri sui bene excusat. Et ait de ea sententia Sabinum non sensisse, quæ arbitrium finiat, sed de præparatione causæ: utputa si iusserit litigatores calendis adesse, mox idibus iubeat: nam mutare eum diem posse. Cæterum si condemnauit, uel absoluit: quando arbiter esse desierit, mutare sententiam non posse.

## XX. CAIVS lib. V. ad edictum prouinciale.

**Q** Via arbiter, & si errauerit in sententia dicēda, corrigere eam non potest.

## XXI. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

**Q** Vid tamen, si de pluribus cōtrouersijs sumptus est, nihil sibi communi bus: & de una sententiam dixit, de alijs nondum? nunquid desijt esse arbiter? Videamus igitur, an in prima cōtrouersia possit mutare sententiam, de qua iam dixerat. Et multum interest, de omnibus simul ut dicat sententiam, cōpromissum sit, an non. nam si ut de omnibus: poterit mutare. nondū enim dixit sententiam. Quod si ut separatim: quia plura sunt compromissa, & ideo ( quantum ad illam controuersiam pertinet ) arbiter esse desijt. Si arbiter ita pronunciaffet, nihil uideri Titium debere Seio: tamen si Seium non uetuisset petere, tamen si quid petisset, uideri contra sententiam arbitri fecisse: & id Ofilius & Trebatius responderunt. Solutioni diem posse arbitrum statuere puto: & ita etiam Trebatius uidetur sentire. Pomponius ait, inutiliter arbitrum incertam sententiam dicere: utputa quantum ei debes, redde: diuisioni uestræ stari placet: pro ea parte, quam creditoribus tuis soluisti, accipe. Item si arbiter pœnam ex compromisso peti uetuerit: in libro tricesimo tertio apud Pomponium scriptum habeo, non ualere, & habet rationem: quia non de pœna compromissum est. Papi nianus libro tertio quæstionum ait, si cum dies compromissi finiretur, prolato die litigatores denno in eum compromiserint, nec secundi compromissi arbitrium receperit: non esse cogendum recipere, si ipse

in mora nō fuerit, quo minus partibus suis fungeretur. Quod si per eū factum sit: æquissimum esse, cogi eum à prætore sequēs recipere. Quæ quæstio ita procedit: si nihil in priore compromisso de die proferendo cauebatur. Cæterum si cauebatur, & ipse protulit: mansit arbiter.

Plenum compromissum appellatur, quod de rebus controuersis omnibus compositum est. nam ad omnes controuersias pertinet. sed *aliàs \* licet compromissum auctū sit.* si forte de una re sit disceptatio: \* licet plenum compromissum factum sit, tamen Martianus ex cæteris causis actiones superesse ait. id enim uenire in compromissum, de quo actum sit, ut ueniret. Sed est tutius, si quis de certa re compromissum facturus sit, de ea re sola exprimere. Non debent aut in cōpromisso obtemperare litigatores, si arbiter aliquid inhonestū iusserit. Si intra diem cōpromissi aditus arbiter, post diem cōpromissi adesse iusserit: pœna non cōmittitur. Si quis ex litigatores bus ideo non adfuerit, quod ualitudine, uel reipublicæ causa absentia impeditus sit, aut magistratu, aut alia iusta causa: pœnā cōmitti Proculus & Atilicinus aiunt. Sed si paratus sit in eundē cōpromittere: actionē denegari, aut exceptione tutum fore. Sed hoc ita demū uerum erit, si arbiter recipere in se arbitrium fuerit paratus. nam inuitum non esse cogendum, Iulianus libro quarto digestorum recte scribit. ipse autem nihilominus pœna absoluitur. Si arbiter iusserit (puta) in prouincia adesse litigatores, cum Romæ esset in eum compromissum: an ei impune non pareatur, quæritur. Et est uerius, quod Iulianus ait libro quarto: eum locum compromisso inesse, de quo actum sit, cum compromitteretur. Impune igitur ei non parebitur, si alio loco adesse iusserit. Quid ergo, si non appareat, de quo loco actum sit: melius dicetur eum locum contineri, ubi compromissum est. Quid tamen, si eò loci, qui sit circa urbem, adesse iusserit: Pegasus admittit ualere iussum. Quod puto uerum esse, si eius sit autoritatis arbiter: uel in secessibus soleat agere, & litigatores facile eò loci uenire possint. Sed & si in aliquo loco inhonestum adesse iusserit, puto in popinā, uel lupanarium: sine dubio (ut Iulianus ait) impune ei non parebitur. quam sententiam & Celsus libro secundo digestorum probat. Vnde eleganter tractat: si is sit locus, in quem alter ex litigatoribus honeste uenire non possit, alter possit: & is non uenerit, qui sine sua turpitudine eò uenire possit, & is uenerit, qui inhoneste uenerat: an committatur pœna compromissi, quasi nō præbita opera. & recte putat, non committi absurdum enim esse, iussum in alterius persona ratum esse, in alterius non. Intra quantum autem temporis, nisi detur, quod arbiter iussit, cōmittatur stipulatio, uidentū est. Et si quidē adiectus dies non sit: Celsus scribit libro secundo digestorū, inesse quoddam modicū tempus: quod ubi præterierit, pœna statim peti

peti possit. ut tamen (inquit) si dederit ante acceptum iudicium, agi ex stipulatu non possit.

**V** Tique nisi eius interfuert, tunc solui.  
XXII. PAVLVVS lib. XIII. ad edictum.

**C**elsus ait, si arbiter intra calendas septembris dari iusserit, nec datum erit: licet postea offeratur, attamen semel commissam poenam compromissi non euanescere: quoniam semper uerum est, intra calendas datum non esse. Si autem oblatum acceperit: poenam petere non posse, aut doli exceptione remouendum. Contra, ubi duntaxat dari iussit. Idem ait, si iusserit me tibi dare, & ualerudine sis impeditus, quo minus accipias, aut alia iusta causa: Proculum existimare, poenam non committi, nec si post calendas, te parato accipere, non dem. Sed ipse recte putat, duo esse arbitri precepta: unum pecuniam dari, aliud intra calendas dari. licet igitur in poenam non committas, quod intra calendas non dederis, quoniam per te non steterit: tamen committis in eam partem, quod non das. Idem ait, nihil aliud esse, arbitri sententiae stare: quam id agere (quantum in ipso sit) ut arbitri sententiae pareatur. Idem Celsus ait, si arbiter me tibi certa die pecuniam dare iusserit, tu accipere nolueris: posse defendi ipso iure, poenam non committi.

**S**ed si postea paratus ille sit accipere, non impune me non daturum.  
XXIII. PAVLVVS lib. XIII. ad edictum.

**L**abeo ait: si arbiter, cum in compromisso cautum esset, ut in eadem die de omnibus sententiam diceret, & ut posset diem proferre: de quibusdam rebus dicta alioquin sententia, de quibusdam non dicta, diem protulit: ualere prolationem diei, sententiaeque eius posse impune non pareri. & Pomponius probat Labeonis sententiam, quod & mihi uidetur: quia officio in sententia functus non est. Haec autem clausula DIEM COMPROMISSI PROFERRE, nullam aliam dat arbitro facultatem, quam diem prorogandi. & ideo conditionem primi compromissi, neque minuere, neque mutare potest: & ideo caetera quae discutere debet, & pro omnibus unam sententiam ferre. Sed si per fideiussores fuerit cautum in primo compromisso, & sequens similiter proferendum Labeo ait: sed Pomponius dubitat, utrum ipsidem, an & alijs tam idoneis. quid enim (inquit) si ipsidem fideiubere noluerint. sed puto, si fideiubere noluerint, tunc alios non absimiles adhibendos.

**N**ein potestate sit fideiussorum, postea se non obligantium, ut poenam  
XXVI. PAVLVVS lib. XIII. ad edictum.

na committatur. Idemq; & si decesserint.

XXVII. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

**D**em proferre uel præsens, uel per nūcium, uel per epistolam potest. Si hæredis mentio, uel cæterorum facta in compromisso non fuerit, morte soluetur compromissum. nec utimur Labeonis sententia, qui existimauit: si arbiter aliquem pecuniam dare iusserit, et is decesserit, antequam daret: pœnam committi, licet hæres eius paratus sit offerre. Stari autem debet sententiæ arbitri, quam de re dixerit, siue æqua, siue iniqua sit: & sibi imputet, qui compromisit. Nā (ut diui Præscripto adijcitur) uel minus probabilem sententiam æquo animo ferre debet. Si plures arbitri fuerint, & diuersas sententias dixerint, licebit sententiæ eorum non stari. sed si maior pars consentiat, ei stabitur: alioquin pœna committitur. Inde quæritur apud Iulianum, si ex tribus arbitris unus quindecim, alius decem, tertius quinq; cōdemnent, num sententiæ stetur: & Iulianus scribit, quinq; debere præstari: quia in hac summam omnes consenserunt. Si quis litigatorum defuerit: quia per eum factum est, quo minus arbitretur, pœna committetur. Proinde sententia quidem dicta non coram litigatoribus, non ualebit: nisi in compromisso hoc specialiter expressum sit, ut uel uno, uel utroq; absente sententia promatur. pœnam autem is, qui defuit, committit: quia per eum factum est, quo minus arbitretur. Coram autem dicere sententiam uidetur, qui eam sapientibus dicit: cæterum coram furioso, uel demere re nõ uidetur dici. Item coram pupillo non uideri sententiam dictam, nisi tutor præsens fuerit: & ita de alijs omnibus, Iulianus libro quarto digestorum scribit. Et si quis præsens arbitrum sententiam dicere prohibuit, pœna committitur. Sed si pœna non fuisset adiecta compromisso, sed simpliciter sententiæ stari quis promississet: incerti aduersus eum foret actio.

XXVIII. PAVLVVS lib. XIII. ad edictum.

**N**on autem interest: certa, an incerta summa promissa sit: ut quanti ea res erit.

XXIX. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

**A**duersus sententiam arbitri fit, si petatur ab eo, à quo arbiter peti uetuit. Quid ergo, si à fideiussore eius petatur: an pœna committatur: & puto committi, & ita Sabinus scribit. nam τῆ δυνάμει à reo peti. Sed si cum fideiussore compromisi, & à reo petam: nisi interfit fideiussoris, pœna non committetur.

XXX. PAVLVVS lib. XIII. ad edictum.

**S**i quis rem, de qua compromissum sit, in iudicium deducat: quiddam dicunt, prætorem non interuenire, ad cogendum arbitrum sententiam

tiam dicere: quia iam pœna non potest esse, atq; si solutum est compromissum. Sed si hoc obtinuerit: futurum est, ut in potestate eius, quem pœnitet compromisisse, sit cõpromissum eludere. Ergo aduersus eum pœna committenda est: lite apud iudicem suo ordine peragenda.

XXXI. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

**I**Ta demum autem committitur stipulatio, cum aduersus eam quid sit: si sine dolo malo stipulantis factum est. sub hac enim conditione committitur stipulatio, ne quis doli præmium ferat. Sed & si quidem compromisso adijciatur, *SI QUID DOLO IN EA RE FACTVM SIT*: ex stipulatu conueniri, qui dolo fecit, potest. Et ideo siue arbitrum quis corrumpit uel pecunia uel ambitione, uel aduocatum diuersæ partium callide circūuenit, & omnino si in hac lite dolo uersatus est: locum habebit ex stipulatu actio. Et ideo si uelit de dolo actionem aduersarius exercere: non debet, cum habeat ex stipulatu actionem. quod si huiusmodi clausula in compromisso adscripta non est: tunc de dolo actio, uel exceptio locum habebit. Hoc autem cõpromissum plenum est, quod etiam doli habet mentionem.

XXXII. PAVLVS lib. XIII. ad edictum.

**N**on distinguemus in cõpromissis: minor, an maior sit pœna, quæ res, de qua agitur. Non cogetur arbiter sententiam dicere, nisi si pœna compromissa sit. Si mulier alieno nomine compromittat, non erit pœna cõpromissa propter intercessionem. Summa rei est, ut prætor se non interponat: siue initio nullum sit compromissum: siue sit, sed pendeat, an ex eo pœna exigi possit: siue postea deficiat pœna, cõpromisso soluto die, morte, acceptilatione, iudicio, pacto. Sacerdotio obueniens, uidebimus, an cogatur arbiter sententiam dicere. Id enim non tantum honori personarum, sed & maiestati dei indulgetur, cuius sacris uacare sacerdotes oportet. Cæterum si postea suscipit: iste quoq; omnimodo sententiam ferre debet. Item non est cogendus, si de negotio transactum est, uel homo mortuus est, de quo erat compromissum: nisi si posteriore casu aliquid litigantium inter sit. Iulianus indistincte scribit: si per errorem de famoso delicto ad arbitrium est, uel de ea re, de qua publicum iudicium constitutum sit (ueluti de adulterijs, sicarijs, & similibus) uetare debet prætor sententiam dicere, nec dare dictæ executionem. De liberali causa compromisso facto, recte non compelletur arbiter sententiam dicere: quia fauor libertatis est, ut maiores iudices habere debeat. Eadem dicenda sunt, siue de ingenuitate, siue de libertinitate quæstio sit: & si ex fidei cõmissi causa libertas deberi dicatur. Idem dicendum est in populari actione.

Si

Si feruus cōpromiserit, non cogendum dicere sententiā arbitrum: nec si dixerit, pœnæ executionem de peculio dandā, purat Octavianus. Sed an si liber cum eo compromiserit, executione aduersus liberum detur, uideamus. sed magis est, ut non detur. Item si quis Romæ compromiserit, mox Romam in legationem uenerit: non est cogendus arbiter sententiam dicere: non magis, quàm cogeretur, si litem ante contestatus esset, nunc eam exercere. nec interest, tunc quoq; in legatione fuerit, an non. Sed si in legatione compromittat, puto cogendum arbitrum sententiam dicere: quia & si iudicium sponte accepisset, cogeretur peragere. Sunt tamen, qui de isto nō recte dubitant. qui utiq; nullo modo dubitabunt, si de ea re in legatione compromisit, quam in legatione contraxit: quia & iudicium eo nomine accipere cogeretur.

Illud in prima specie potest dispici: an si antea cōpromisit legatus, cogendus sit arbiter sententiā dicere, si ipse legatus postulet. quod prima ratione poterit uideri iniquū, ut in ipsius potestate sit, sed hoc tale erit, quale si actionem uelit dictare, qd facere ei licet. Sed cōpromissum cōparauimus ordinariæ actioni: ut non aliās audiatur desiderans, ut arbiter sententiam dicat, q̄ si se defendat. Si is faciat controuersiam hæreditatis, qui cum defuncto compromiserat: futurum est præiudicium hæreditati, si arbiter sententiam dicat. ergo interea inhibendus est arbiter. Dies compromissi proferri potest, non ex conuentione, sed cum iussu arbitri eam proferri necesse est, ne pœna committatur. Si arbiter sese cælare tentauerit, prætor eum inuestigare debet: & si diu non apparuerit, multa aduersus eum indicenda est. Cum in plures compromissum est, ea cōditione, ut quā quilibet uel unus sententiam dixisset, ei staretur: absentibus cæteris, nihilominus qui præsens est, cogentur. At si ea cōditione, ut omnes dicant, uel quod de maioris partis sententia placuerit: nō debet singulos separatim cogere. quia singulorum sententia ad pœnam non facit. Cum quidam arbiter ex alijs causis inimicus manifeste apparuisset: testationibus etiam conuentus, ne sententiam diceret: nihilominus, nullo cogente, dicere perseuerasset: libello cuiusdam id querentis imperator Antoninus subscripsit, posse eum uti doli mali exceptione. Et idem cum à iudice consuleretur, apud quē pœna petebatur, rescripsit: etiam si appellari non posset, doli mali exceptionem in pœnæ petitionem obstaturā. per hanc ergo exceptionem quædam appellandi species est, cum liceat retractare de sententia arbitri. De officio arbitri tractantibus, sciendum est, omnem tractatum ex compromisso sumendū. nec enim aliud illi licebit, quàm quod ibi, ut efficere possit, cautum est. non ergo quidlibet statuere arbiter poterit, nec in qua re libet: nisi de qua re cōpromissum est, & quatenus compromissum

promissum est. *Quæsitum est de sententia dicenda. & dictum est, nō in quolibet: licet à quibusdam uariatū sit. & puto \* de re non committi: al's \* uere si dicat, ad iudicem de hoc eundū, uel se, uel alium: uel etiam in aliū cōmittendum. Nam & Iulianus impune ait ei non pareri, si iubeat ad aliū arbitrū iri, ne finis non sit. sed nec si hoc modo dixerit: ut arbitrio Publij Mæuij fundus tradatur, aut sati sdatio detur: parendum esse sententiæ. Item Pedius probat: ne propagentur arbitria, aut in alios, interdum inimicos agentium, transferantur: sententia sua finem cōtro uersæ eum imponere oportere. non autem finiri cōtrouersiam, cum aut differatur arbitrium, aut in alium transferatur: partemq; sententiæ esse, quemadmodum satis ei detur, quibusq; fideiussoribus: idq; deleri nō posse, nisi ad hoc compromissum sit: ut arbiter statueret, cuius arbitratu satisfidaretur. Item si iubeat, sibi alium coniungi: cum id in compromisso non sit, non dicit sententiam. Nam sententia esse debet de re compromissa. de hoc autem compromissum non est. Si domini, qui inuicem stipulati sunt, per curatores suos agere apud arbitrū uelint: potest iubere ipsos etiam adesse. Sed & si hæredis in compromisso mentio sit: potest iubere etiam hæredē eorū adesse. Arbitri officio continetur, & quemadmodum detur uacua possessio. An & satis rē ratam dominum habiturum: Sextus Pedius putat, quod nullam id rationem habeat. nam & si ratum nō habeat dominus: cōmitteretur stipulatio. Arbiter nihil extra compromissum facere potest. Et ideo necessarium est, adijci de die compromissi proferenda: cæterum impune iu-benti non parebitur.*

XXXIII. P A P I N I A N V S lib. I. *questionum.*

**A**rbiter ita sumptus excompromisso, ut & diem referre possit: hoc quidem facere potest, proferre autem contradicentibus litigatoribus non potest.

XXXIII. P A V L V S lib. XIII. *ad edictum.*

**S**i duo rei sint aut credendi aut debendi, & unus compromiserit, isq; suetitus sit petere, aut ne ab eo petatur: uidendum est, an si alius petat, uel ab alio petatur, pœna cōmittatur. Idem in duobus argentarijs, quorum nomina simul erunt. & fortasse poterimus ita fideiussoribus cōiungere, si socij sint: aliàs nec à te petitur, \* licet ego petā: nec meo no al's \* nec mine petitur, licet à te petatur. Semel cōmissa pœna, solui compro-missum rectius puto dici: nec amplius posse committi, nisi id actum sit, totum in singulas caussas toties committatur.

XXXV. C A I V S lib. V. *ad edictum prouinciale.*

**S**i pupillus sine tutoris autoritate compromiserit, nō est arbiter cōsgendus pronunciare: quia & si contra eū pronunciatur, pœna non  
bb tenetur

tenetur: præter quæ si fideiussorem dedit, à quo pœna peti posset: idcirco & Iulianus sentit.

XXXVI. VLP IANVS lib. XXVII. ad edictum.

**S**I feriatis diebus cogente prætore arbiter dicat sententiam, & petatur ex compromisso pœna: exceptionem locum non habere constitat: nisi aliqua lege eadem feriatâ, in qua sententia dicta est, fuerit excepta.

XXXVII. CELSVS lib. II. digestorum.

**Q**uamuis arbiter alterum ab altero petere uetuit: si tamen hæres petat, pœnam committet. non enim differendarum litium causa, sed tollendarum ad arbitros itur.

XXXVIII. MODESTINVS lib. VI. differentiarum.

**C**um pœna ex compromisso petitur, is qui compromisit, damnari non potest: nec interest, an aduersarij eius interfuerit, arbitri sententia fieri, nec ne.

XXXIX. IABOLENVS lib. XI. ex Cassio.

**N**on ex omnibus causis, ex quibus arbitri sententia paritum non est, pœna ex compromisso committitur: sed ex his dumtaxat, quæ ad solutionem pecuniæ, aut operam præbendam pertinent. Siquidem & contumaciam litigatoris arbiter punire poterit, pecuniam eum aduersario dare iubendo. Quo in numero haberi non oportet, si testium nomina ex sententia arbitri exhibita non sint. Cum arbiter diem compromissi proferri iussit, cum hoc ei permissum sit: mora alterius ad pœnam committendam prodest.

XL. POMPONIVS lib. XI. ex uarijs lectionibus

**A**rbiter calendis Ianuarijs adesse iussit, & ante eum diem decessit. alter ex litigatoribus non adfuit. proculdubio pœna minime commissa est. Nam & Cassium audisse se dicentem Aristo ait: in eo arbitro, qui ipse non uenisset, non esse commissam. Quem ad modum Seruius ait: si per stipulatorem stet, quo minus accipiat, non committi pœna.

XLI. CALLISTRATVS lib. I. edicti monitorij.

**C**um lege Julia cautum sit, ne minor uiginti annis iudicare cogatur: nemini licere minorem uiginti annis compromissarium iudicem eligere, ideoque pœnam ex sententia eius nullo modo committi. Maiori tamé uiginti annis, si minor uiginti quinque sit: ex hac causa succurrendum, si temere auditorum receperit, multi dixerunt.

XLII. PAPINIANVS lib. II. responsorum.

**A**rbiter intra certum diem seruos restitui iussit: quibus non restitutus, pœnae causa fisco secundum formam compromissi condegnauit. ob eam sententiâ fisco nihil acquiritur: sed nihilominus stipulationis pœna committitur, quod arbitrio statuto non sit obtemperatum.

Scæuola

XLIII. SCAEVOLA lib. I. *responsorum.*

**D**E rebus controuersijsq; omnibus compromissum à Lucio Titio & Mæuio Sempronio factum est: sed errore quædã species in petitione à Lucio Titio deducta nõ sunt, nec arbiter de his quidquam pronunciauit. quæsitum est, an species omiffa peti possunt. Respondit peti posse, nec pœnam ex compromisso committi. quod si maligne hoc fecerit: petere quidem potest, sed pœnæ subiugabitur.

XLIII. IDEM lib. II. *digestorum.*

**I**nter\* Statillianum & Seium controuersia de finibus orta est: & arbi- aliãs\*Ca  
ter electus est, ut arbitrato eius res terminetur. ipse sententiam dixit stellanũ  
præsentibus partibus, & terminos posuit. Quæsitum est, an si ex parte Statilliani arbitrio paritum non esset, pœna ex compromisso commissa esset: Respondi. si in eo, quod utroq; præsentibus est, arbitrio paritum non esset: pœnam commissam.

XLV. VLPPIANVS lib. XXV. *ad Sabinum.*

**I**n compromissis arbitriũ personæ insertum, personam non transgreditur.

XLVI. PAVLVS lib. XII. *ad Sabinum.*

**D**E his rebus, & controuersijs, & rationibus iudicare arbiter potest: quæ ab initio fuerunt inter eos, qui cõpromiserunt, non quæ postea superuenerunt.

XLVII. IULIANVS lib. III. *digestorum.*

**S**i compromissum ita factum sit, ut præsentibus utroq; aut hæredibus eorum arbiter sententiam dicat: & alter ex litigatoribus decesserit, hærede pupillo relicto: non aliter uidetur sententia dicta esse, nisi tutoris autoritas interposita fuerit. Item si alter ex compromittentibus furere cõperit,

XLVIII. MODESTINVS lib. III. *regularum.*

**A**rbiter ad ferendam sententiam non compellitur.

XLIX. IULIANVS lib. III. *digestorum.*

**S**ed & interpellatur, quo minus sententiam dicat: quia nihil coram furioso fieri intelligitur. Quod si furiosus curatorem habeat, uel habuerit adhuc litigio pendente: potest quidem præsentibus curatore sententia dici. Arbiter adesse litigatores uel per nuncium, uel epistolam iubere potest. Si ab altera dũtaxat parte hæredis mentio compræhensa fuerit, compromissum soluetur morte cuiusuis ex litigatoribus: sicut solueretur altero mortuo, si neutrius hæredis persona compræhenderetur.

L. ALFENVS lib. VI. *digestorum.*

**A**rbiter ex compromisso sumptus, cũ ante eum diem, qui compromisso constitutus erat, sententiam dicere non posset: diem compromissi profertur iusserat. alter ex litigatoribus dicto audiens non fuerat

fuerat. consulebatur, possétne ab eo poena ex compromisso peti: res spondi, non posse: ideo quod non esset arbitro in compromisso permissum, ut id iuberet.

L I. MARTIANVS lib. II. regularum.

SI de re sua quis arbiter factus sit, sententiam dicere non potest: quia se facere iuberet, aut parere prohiberet. neq; autem imperare sibi, neq; prohibere quisquam potest.

L II. IDEM lib. IIII. regularum.

SI quis ab arbitro iussus est ex compromisso soluere pecuniam, & moram fecit: poenam ex compromisso debet. sed postea soluendo, poena liberatur.

NAVTAE, CAUPONES, STABVLARII, VT RE-  
cepta restituant. Tit. IX.

VLPIANVS lib. XIII. ad edictum.



aliás\*for  
te cepe-  
runt.

IT prætor NAVTAE, CAUPONES, STABVLARI,  
QVOD CVIVSQVE SALVVM\*FORE RECEPE  
RINT, NISI RESTITVANT, IN EOS IVDICIUM  
DABO. Maxima utilitas est huius edicti: quia necesse est  
plerunq; eorum fidem sequi, & res custodiae eorum com-

mittere. Nec quisquam putet, grauter hoc aduersus eos constitutum. nam est in ipsorum arbitrio, ne quæquã recipiãt. Et nisi hoc esset statutum: materia daretur, cum furibus aduersus eos, quibus recipiunt, coeundi: cum ne nunc quidem abstineant huiusmodi fraudibus. Qui sint igitur, qui teneantur, uidendum est. & ait prætor, NAVTAE. Nautam accipere debemus eum, qui nauem exercet. quamuis nautæ appellantur omnes, qui nauis nauigandæ causa in nauis sunt: sed de exercitore solummodo prætor sentit. nec enim debet (inquit Pomponius) per remigé, aut mesonautã obligari: sed per se, uel nauis magistrũ: quanq; si ipse alicui è nautis committi iussit, sine dubio debeat obligari. Et sunt quidam in nauibus, qui custodiae gratia nauibus præponuntur, ut ναυφύλακες. Si quis igitur ex his receperit, puto in exercitorem dandam actione: quia is, qui eos huiusmodi officio præponit, committi eis permittit: quanq; ipse uel nauicularius, uel magister id faciat, quod Græci χειρέμβολοι appellant. sed & si hoc non exstet, tamen de recepto nauicularius tenebitur. De exercitoribus ratiũ, item Lyntrarijs nihil cauetur: sed idem constitui oportere, Labeo scribit, & hoc iure utitur. Caupones autem & stabularios, æque eos accipimus, qui cauponam uel stabulum exercent, institores uel eorum. Cæterum si quis opera \*mediæ fini

als\* me-  
dia.

stini fungitur, non continetur: utputa atriarij, & focarij, & his similes.

Ait prætor, **QVOD CVIVS QVE SALVVM\*FORE RECEPE** aliàs\*for  
**RINT:** hoc est, quamcunq; rē, siue mercē receperint. Inde apud Iulianū te cepe=

relatum est, ad eas quoq; res hoc edictum pertinere, quæ mercibus acce-  
 derent: ueluti uestimenta, quibus in nauibus uterentur, & cætera, quæ  
 ad quotidianum usum habemus. Item Pomponius libro tricesimo  
 quinto scribit: parui referre, res nostras, an alienas intulerimus: si tamē  
 nostra inter sit, saluas esse. Etenim nobis magis, quàm quorum sunt, de-  
 bent solui. & ideo si pignori merces accepero: mihi magis, quàm debi-  
 tori nauta tenebitur, si à me eas suscepit. Recipit autem saluum fore,  
 utrum si in nauem res missæ ei adsignatæ sunt: an & si nō sunt adsigna-  
 tæ, hoc tamen ipso, quod in nauem missæ sunt, receptæ uidētur. Et pu-  
 to omnium eum recipere custodiam, quæ in nauim illatæ sunt: & factū  
 non solum nauarum præstare debere, sed & uestorum.

II. CAIVS lib. V. ad edictum provinciale.

**S**icut & caupo uiatorum.

III. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

**E**T ita de facto uestorum etiā Pomponius libro tricesimo quinto  
 scribit. Idem ait, etiam si nondum sint res in nauem receptæ,  
 sed in littore perierint, quas semel recepit: periculū ad eū pertinere. Ait  
 em prætor, **NISI RESTITVANT, IN EOS IVDICIUM DABO.**

Ex hoc edicto in factū actio pficiscitur. sed an sit necessaria, uidendū:  
 quia agi ciuili actione ex hac causa poterit. Siquidem enim merces in-  
 teruenerit, ex locato & conducto. & si tota nauis locata sit: qui cōduxit,  
 ex conducto etiam de rebus, quæ desunt, agere potest. Si uero res perfe-  
 rendas nauta conduxit, ex locato cōuenietur. Sed si gratis res susceptæ  
 sunt, ait Pomponius, depositi agi potuisse. Miratur igitur, cur honora-  
 ria actio sit inducta, cū sint ciuiles. Nisi forte (inquit) ideo, ut innotesce-  
 ret, prætorē curam agere reprimendæ improbitatis hoc genus homi-  
 num: quia in locato & conducto culpa, in deposito dolus dūtaxat præ-  
 statur: at hoc edicto omnimodo qui recepit tenetur, etiam si sine culpa  
 eius res perierunt, uel damnū datum est: nisi si quid dāno fatali contige-  
 rit. Inde Labeo scribit, si quid naufragio, aut per uim piratarum periit,  
 aut damnū datum est: non esse iniquum exceptionem ei dari. Idem  
 erit dicēdum, & si in stabulo aut in caupona uis maior cōtigerit. Eo-  
 dem modo tenentur & caupones & stabularij, si quod exercentes nego-  
 cium suum recipiunt. Cæterum si extra negocium receperint: non  
 tenebuntur. Si filius familias aut seruus receperit, & uoluntas pa-  
 tris dominiū interuenerit: insolidum erit conueniendus. Item si ser-  
 uus exercitoris subripuit, uel damnū dedit: noxalis actio cessabit,  
 quia

quia ob receptum dominus suo nomine conuenitur. Si uero sine uoluntate exerceant, de peculio dabitur. Hæc autem actio rei persecutione continet, ut Póponius ait: & ideo in hæredem & perpetuo datur. Non uisime uidendum, an eiusdem rei nomine, & de recepto honoraria actione, & furti agendum sit. Et Pomponius dubitat. sed magis est, ut uel officio iudicis, uel doli exceptione alterutra contentus esse debeat.

IIII. PAVLVVS lib. XIII. ad edictum.

aliàs \*Iulianus

**S**ed & ipsi nauæ furti actio competit, cuius sit periculo: nisi ipse subripuit, & postea ab eo subripiatur: aut alio subripiente, ipse naua sol uendo non sit. Si naua nauæ, stabularius stabularij, caupo cauponis res receperit: æque tenebitur. \* Viuianus dixit, etiã ad eas res hoc edictum pertinere, quæ post impositas merces in nauem collocatasque inferentur, & si earum uectura non debetur (ut uestimentorũ, penoris quodiani) quia hæc ipsa cæterarum rerum locationi accedunt.

V. CAIVS lib. V. ad edictum prouinciale.

**N**aua, & caupo, & stabularius mercedem accipiunt, nõ pro custodia: sed naua ut traiciat uectores, caupo ut uiatores manere in caupona patiat, stabularius ut permittat iumenta apud eum stabulari: & tamen custodiae nomine tenentur. Nam & fullo & sarcinator non pro custodia, sed pro arte mercedem accipiunt: & tamen custodiae nomine ex locato tenentur. Quæcumque de furto diximus, eadem & de damno debent intelligi. nõ enim dubitari oportet, quin is, qui saluum fore recipit: non solum a furto, sed etiam a damno recipere uideatur.

VI. PAVLVVS lib. XIII. ad edictum.

**L**icet gratis nauigaueris, uel in cauponam gratis diuerteris: non tamen actiones tibi in factum denegabuntur, si damnum iniuria passus es. Si seruo meo in naui uel in caupona utaris, & damnum mihi det, uel furtum faciat: quanquam furti actio, & damni iniuriæ mecum sit non xalis: hæc tamẽ actio, quæ in factum est, etiam serui mei nomine aduersus te competit. Idem dicetur, & si communis seruus sit: tu tamen mihi præstiteris eius nomine, uel communi diuidendo, uel pro socio actione: aut si partem eius, uel totum conduxisti, etiam ex conducto habebis me obligatum. Sed si damnum in eo datum sit ab alio, qui in eadem naui uel caupona est: cum id factum prætor æstimare soleat, nõ putat Pomponius eiusdem nomine hanc actionem utilem futuram. In factum actione caupo tenetur pro his, qui habitandi causa in caupona sunt. hoc autem nõ pertinet ad eum, qui hospitio repentino recipitur, ueluti uiator. Possimus autem furti uel damni iniuriæ actione uti, etiam cum nautis, ut certi hominis factum arguamus: sed una contenti esse debemus. Et si cum exercitore egerimus, præstare ei debemus actiones nostras

nostras: quamvis ex conducto actio aduersus eos competat exercitori. Sed si absolutus sit exercitor hac actione, deinde agatur cum nauta: exceptio dabitur, ne saepius de eiusdem hominis admissio quaeratur. Et contra, si de admissio unius hominis actum sit, deinde in factum actione agatur: exceptio dabitur.

VII. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

**D**ebet exercitor omnium nautarum suorum (sive liberi sint, sive serui) factum praestare: nec immerito factum eorum praestat, cum ipse eos suo periculo adhibuerit. sed non aliàs praestat, quam si in ipsa naue damnum datum sit. Caeterum si extra nauem, licet à nautis: non praestabit. Item si praedixerit, ut unusquisque uectorem res suas seruet, neque damnum se praestaturum: & consenserunt uectores praedictioni: non conuenietur. Hæc actio in factum in duplum est. Sed si quidem nautæ inter se damnum dederint, hoc ad exercitorem non pertinet. Sed si quis sit nauta & mercator, debet illi dari. Et quid si quis sit ex ijs, quos uulgo μεσοναύτας, Græci ναυτεπιβάτας dicunt: & huic tenetur, & huius factum praestat, cum sit & nauta. Si seruus nautæ damnum dederit: licet seruus nautæ non sit: æquissimum erit, in exercitorem actionem utilem dare. Hac autem actione suo nomine exercitor tenetur: culpa scilicet suæ imputaturus, qui tales adhibuerit: & ideo, & si decesserint, non reuelabitur. Seruorum autem suorum nomine noxali duntaxat tenetur. nam cum alienos adhibet, explorare eum oportet, cuius fidei, cuius innocentiæ sint: in suis uenia dignus est, si quales quales ad instruendam nauem adhibuerit. Si plures nauem exercent, unusquisque pro parte, qua nauem exercet, conuenietur. Hæc iudicia, quamuis honoraria sint, tamen perpetua sunt: in hæredem autem non dabuntur. Proinde cum seruus nauem exercuit, & mortuus est: de peculio non dabitur actio in dominum, nec intra annum. Sed cum uoluntate domini uel patris seruus uel filius exercet nauem, uel cauponam, uel stabulum: puto etiam hanc actionem in solidum eos pati debere: quasi omnia, quæ ab illis contingunt, in solidum receperint.

*Finium τὰ πρῶτα.*

INCIPIT SECUNDA PARS DIGESTORVM  
DE IVDICIIS.

Digesto

# DIGESTORVM

## SEV PANDECTARVM LIBER QVINTVS.

VBI QVIS AGERE VEL CONVENIRI  
debeat. Tit. I.



VLPIANVS lib. I. ad edictum.

ISE subijciant aliqui iurisdictioni, & consentiant: inter consentientes cuiusvis iudicis, qui tribunali præest, uel aliam iurisdictionem habet, est iurisdictionis.

II. IDEM lib. III. ad edictum.

Consensisse autem uidentur, qui sciunt se non esse subiectos iurisdictioni eius, & in eum consentiunt. Cæterum si putent eius iurisdictionem esse: non erit eius iurisdictionis. error enim litigatorum ( ut Iulianus quoque libro primo digestorum scribit ) non habet consensum. ut si putauerint alium esse prætorem præ alio, æque error non dedit iurisdictionem: ac si, cum restitisset quibus ex litigatoribus, uiribus præfecturæ compulsus est, nulla iurisdictionis est. Conuenire autem, utrum inter priuatos sufficiat: an uero etiam ipsius prætoris cõsensu necessarius: lex Iulia iudiciorum ait, QVO MINVS INTER PRIVATOS CONVENIAT. sufficit ergo priuatorum consensus. Proinde si priuati consentiant, prætor autem ignoret consentire, & putet suam iurisdictionem: an legi satisfactum sit, uideandum est. & puto posse defendi, eius iurisdictionem esse. Si & iudex ad tẽpus datus, & omnes litigatores consentiant ( nisi principali iussione specialiter prorogatio fuerit inhibita ) possunt tempora, intra quæ iussus est litem dirimere, prorogari. Legatis in eo, quod ante legationem contraxerunt: item his, qui testimonij causa euocati sunt, uel arcessiti iudicandi causa, uel in prouinciã destinati: reuocandi domum suam ius datur. Ei quoque, qui prouocauit: non imponitur necessitas, inter tempora prouocationis exercendæ, Romæ uel alio loco, ubi prouocatio exercetur, alijs pulsantibus respondere. Nam Celsus huic etiã domum reuocationem dandam ait: quoniam ob aliam causam uenerit. & hæc sententia uera & rationabilis est. Nam & diuus Pius Plotio Celsiano rescripsit, eum, qui tutelæ causa Romã erat ad se euocatus: alterius tutelæ, cuius causa non erat euocatus, non debere compelli iudicium suscipere. Idem Claudio Flaviano rescripsit: minorẽ uiginti quibus annis, qui desiderarat in integrum restitui aduersus Asinianũ, qui alterius negocij causa uenerat, non esse Romæ audiendum. Omnes autem isti domum reuocant, si non ibi contra-

aliã\* Fa  
uiano.

contraxerint, ubi conueniuntur: cæterum si ibi contraxerint, reuocandi ius non habent. Exceptis legatis, qui licet ibi contraxerint ( dummodo ante legationem contraxerint ) non compelluntur se Romæ defendere, quæ diu legationis causa ibi demorantur: quod & Iulianus scripsit, & diuus Pius rescripfit. Planè si perfecta legatione subsistant, conueniendos eos diuus Pius rescripfit. Item si extra prouinciam suam contraxerint, licet non in Italia: quæstionis est, an Romæ cõueniri possint: & Marcellus ait, in eo solo, priuilegio eos uti domum reuocandi, quod in ciuitate sua, uel certe intra prouinciam contraxerint: quod est uerũ. Sed si agant, compelluntur se aduersus omnes defendere. Non tamen, si iniuriam suam persequantur, uel furtum, uel damnum, quod nunc passi sunt, alioquin ( ut Iulianus eleganter ait ) aut impune contumelias & dånis adficiuntur: aut erit in potestate cuiusq;, pulsando eos, subijcere ipsos iurisdictioni, dum se uindicant. Sed si dubitetur, utrum in ea quis causa sit, ut domum reuocare possit, nec ne: ipse prætor debet causa cognita statuere. Quod si constiterit in ea eum causa esse, ut domum reuocet: debet cauere in iudicio sisti, statuente prætore, in quem diem promittat. Sed utrum nuda cautione, an satisfactò, Marcellus dubitat. mihi uidetur sola pmissione, quod & Mela scribit, alioquin compelletur iudicium accipere, quàm inuenire eos possit, qui satis pro eo dent. In omnibus autem causis, in quibus protelatur admonitio, hoc procedere sine temporali damno creditorũ oportet. His datur multa dicendæ ius, quibus publicum iudicium est, & non alijs: nisi hoc specialiter eis permissum est.

III. IDEM lib. III. ad edictum.

**N**on uidetur frustrandæ actionis causa latitare, qui præsens suscipere iudicium non compellitur.

IIII. CAIUS lib. I. ad edictum publicum.

**L**is nulla nobis esse potest cum eo, quem in potestate habemus, nisi ex castrensi peculio.

V. VLPIANVS lib. V. ad edictum.

**S**i quis ex aliena iurisdictione ad prætorem uocetur, debet uenire, ut & Põponius & Vindius scripserunt. prætoris enim est existimare, an sua sit iurisdictione: uocati autem est non contemnere auctoritatem prætoris. nam & legati cæteriq;, qui reuocandi domum ius habent: in ea sunt causa, ut in ius uocati ueniant, priuilegia sua allegaturi.

VI. IDEM lib. VIII. ad edictum.

**C**æcus iudicantis officio fungitur.

VII. IDEM lib. I. ad edictum.

**S**i quis postea, quàm in ius uocatus est, miles uel alterius fori esse constitutus

perit: in ea causa ius reuocandi forum non habebit, quasi praeventus.

VIII. CAIVS lib. III. ad edictum provinciale.

**S**I quis in legatione constituerit, quod ante legationem debuit: non cogitur ibi iudicium pati, ubi constituit.

IX. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

**I**nsulae Italiae, pars Italiae sunt, & cuiusque provinciae.

X. IDEM lib. X. ad edictum.

**D**estitisse is uidetur, non qui distulit, sed qui liti renunciauit in totum. desistere enim est de negotio \* abstinere, quod calumniandi animo instituerat. Planè si quis cognita rei ueritate suum negotium deferuit, nolens in lite improba perseverare: quam calumniae causa non instituerat: is destitisse non uidetur.

XI. IDEM lib. XXII. ad edictum.

**S**i à me fuerit adrogatus, qui mecum erat litem contestatus, uel cum quo ego: solui iudicium, Marcellus libro tertio digestorum scribit, quoniam nec ab initio inter nos potuit consistere.

XII. PAVLVS lib. XVIII. ad edictum.

**C**um praetor unum ex pluribus iudicare uetat, caeteris id committitur uidetur. Iudicem autem dare possunt, quibus lege, uel constitutione, uel senatusconsulto cõceditur. Lege, sicut proconsul. is quoque, cui mandata est iurisdictio, iudicem dare potest: ut sunt legati proconsulum. item hi, quibus id cõcessum est propter uim imperij: sicut praefectus urbi, caeterisque Romae magistratus. Non autem omnes iudices dari possunt ab his, qui iudicis dandi ius habent. Quidam enim lege impediuntur, \* ne iudices sint: quidam moribus: quidam natura. Natura: ut surdus, mutus, & perpetuo furiosus, & impubes: quia iudicio carent. Lege, qui senatu motus est. Moribus, foeminae & serui: non quia non habeant iudicium, sed quia receptum est, ut civilibus officijs non fungantur. Qui possunt esse iudices: nihil interest, in potestate, an sui iuris sint.

XIII. CAIVS lib. ad edictum publicum.

**I**n tribus iudicijs, familiae erciscundae, communi diuidundo, & finium regundorum quaeritur, quis actor intelligatur, quia par causa omnium uidetur: sed magis placuit eum uideri actorem, qui ad iudicium prouocasset.

XIII. VLP IANVS lib. II. disputationum.

**S**ed cum ambo ad iudicium prouocant, sorte res discerni solet.

XV. IDEM lib. XXI. ad edictum.

**S**i filius familias iudex litem suam faciat: in tantam quantitatem tenetur, quae tunc in peculio fuit, cum sententiam dicebat. Iudex tunc litem suam facere intelligitur, cum dolo malo in fraudem legis sententiam

sententiam dixerit. Dolo malo autem uideatur hoc facere: si euidentis arguatur eius gratia, uel inimicitia, uel etiam sordes: ut ueram æstimationem litis præstare cogatur.

XVI. IDEM lib. V. ad edictum.

**I**ulianus etiam in hæredem iudicis, qui litem suam fecit, putat actionem competere: quæ sententia uera non est, & à multis notata est.

XVII. IDEM lib. XXI. ad edictum.

**I**ulianus ait, si alter ex litigatoribus iudicem solum hæredem, uel ex parte fecerit: alius iudex necessario sumendus est, quia iniquum est, aliquem suæ rei iudicem fieri.

XVIII. IDEM lib. XXII. ad edictum.

**S**i longius spacium intercessurum erit, quo minus iudex operam possit dare: mutari eum iubet prætor. hoc si forte aliqua occupatio iudicem non patiatur operam iudicio dare: incidente infirmitate, uel necessaria pfectione, uel rei suæ familiaris periculo. Si filiusfamilias ex aliqua \*caussa, ex qua patri actio competit, uelit experiri: ita <sup>aliàs \*</sup> <sup>noxa.</sup> demum permittitur agere, si non sit, qui patris nomine agat. Nam & <sup>non \* de</sup> <sup>caussa \*</sup> Juliano placet, si filiusfamilias legatione uel studiorum gratia abierit, & uel furtum, uel damnum, uel iniuriam passus sit: posse eum utili iudicio agere, ne dum pater expectatur, impunita sint maleficia: quia pater uenturus non est, uel dum ueniat, se subtrahit is, qui noxam commisit. Unde ego semper probaui, ut si res moneat, nec ex maleficio ueniat, sed ex contractu debeatur: filius possit agere utili iudicio, forte depositum repetens, uel mandati agens, uel pecuniam, quam credidit, perēs: si forte pater in puincia sit, ipse autem forte Romæ uel studiorum causa, uel alia iusta ex causa degat. ne si ei non dederimus actionem: futurum sit, ut impune fraudem patiat, & egestate Romæ laboret, uaticulo suo non recepto, quod ad sumptum pater ei destinauit. Et fingere senatore esse filiumfamilias, qui patrem habet in puincia, nonne augetur utilitas per dignitatem?

XIX. IDEM.

**H**aeres absens ibi defendendus est, ubi defunctus debuit: & conueniendus, si ibi inueniatur, nulloq; suo proprio priuilegio excusatur.

Si quis tutelam, uel curam, uel negocia, uel argentariam, uel quid aliud, unde obligatio oritur, certo loco administrauit: & si ibi domicilium non habuit, ibi se debeat defendere. & si se non defenderit, neque ibi domicilium habeat, bona possideri parietur. Proinde & si merces uendidit certo loco\* uel disposuit, uel comparauit: uideatur <sup>aliàs \* de</sup> <sup>posuit.</sup> (nisi alio loco, sese ut defenderet, conuenit) ibidem se defendere. Nunquid dicemus eum, qui à mercatore quid comparauit, scilicet ad-

uena: uel ei uendidit, quē scit inde confestim profecturū: nōn oportere ibi bona possidere, sed domiciliū eius sequi? At si quis ab eo cōparauit, qui tabernā uel officinā certo loco conductas habuit: in ea caussa esse, ut illic conueniatur? quod magis habet rationem. Nam ubi sic uenit, ut confestim discedat: & quasi à uiatore, uel eo, qui *παροικητής*, emit: durissimum est, quotquot locis quis nauigat, uel iter faciēs delatus est, tot locis se defendere. At si quō constitit, non dico iure domiciliij, sed tabernulam, pergulam, horreum, armarium seu officinam conducēs, ibiq; distraxit, uel egit: defendere se eo loco debet. Apud Labeonē quaeritur, quid si homo prouincialis seruū institutorem uēndendarum mercium gratia Romæ habeat? & ait: quod cum eo seruo contractum est, ita habendū esse, atq; si cum domino contractum sit, quare ibi se debet defendere. Illud sciendum est: eum, qui ita fuit obligatus, ut in Italia solueretur: si in prouincia habuit domiciliū, utriusq; posse conueniri, & hic & ibi: & ita Iuliano, & multis alijs uidetur.

XX. PAVLVS lib. LVIII. ad edictum.

**O**mnem obligationem pro contractu habendam, existimandū est: *als*\* non ut ubicunq; aliquis obligetur, & contrahi uideatur: quamuis\* *ex* ex caussa caussa crediti debeat.

XXI. VLP IANVS lib. LXX. ad edictum.

**S**ide bitori meo uelim actionem edere: probandum erit, si fateatur se debere, paratumq; se dicat soluere: audiendum eum, dandumq; diem cum competenti cautela ad soluendam pecuniam, neq; enim dānum magnum est in mora modici temporis. Modicum autem tēpus hic intelligendum est, quod post condemnationem reis indultum est.

XXII. PAVLVS lib. III. ad Plautium.

**Q**ui non cogitur in aliquo loco iudicium pati: si ipse agat, ibi cogitur excipere actiones, & ad eundem iudicem mitti.

XXIII. IDEM lib. XVII. ad Plautium.

**N**on potest uideri in iudicium uenisse, id quod post iudicium acceptum accidit: ideoq; alia interpellatione opus est.

XXIII. IDEM lib. XVIII. ad Plautium

**N**on aliās in eos, quos princeps euocauit, Romæ competit actio, quam si hoc tempore contraxerint. Legati ex delictis in legatione commissis coguntur iudicium Romæ pati: siue ipsi admiserint, siue serui eorum. Sed si postuletur in rem actio aduersus legatum: nunquid danda sit, quoniam ex praesenti possessione haec actio est? Cassius respondit, sic seruandum: ut si subducatur ei ministeriū, non sit concedenda actio: si uero ex multis seruis de uno agatur, non sit inhibenda. Iulianus sine distinctione denegandam actionem ait, merito. ideo enim non

non datur actio, ne ab officio suscepto legationis auocetur.

XXV. IULIANVS lib. I. digestorum.

**S**i legationis tempore quis seruum, uel aliam rem emerit, aut ex alia causa possidere coeperit: non inique cogitur eius nomine iudicium accipere. aliter enim potestas dabitur legatis sub hac specie, res alienas domum auferendi.

XXVI. PAVLVS lib. XVIII. ad Plautium.

**D**e eo autem, qui adiit hæreditatem, Cassius scribit: quamuis Romæ adierit hæreditatem, non competere in eum actionem, ne impediatur legatio: & hoc est uerum. Sed nec legatarijs datur actio: licet, nisi satisfidetur, mittantur in possessionem rerum hæreditariarum. quod & in hæreditarijs creditoribus dicendum est.

XXVII. IULIANVS lib. I. digestorum.

**Q**uid enim prohibet, legatum publico munere fungi, & actorem custodiae causa in possessionem rerum hæreditariarum esse?

XXVIII. PAVLVS lib. XVIII. ad Plautium.

**S**ed & si restituatur ei hæreditas ex Trebelliano, actio in eum non dabitur: siue sponte, siue coactus hæres eam adierit. commodius enim est, reddi quidem ei hæreditatem: perinde aut habendum, ac si ipse adisset hæreditatem. Contra si legatus tempore legationis adierit, & restituerit: datur in fideicommissarium actio, nec Trebelliani exceptio obstat ex persona legati: quia personale beneficium est. Ex quibus autem causis non cogitur legatus iudicium accipere: nec iurare cogendus est, se dare non oportere: quia hoc iusiurandum in locum litis contestatae succedit. Aedium nomine legatus damni infecti promittere debet, aut uicinum admittere in possessionem. Sed & si dies actionis exitura erit: causa cognita, aduersus eum iudicium prætor dare debet: ut lis contestetur, & ita in prouinciam transferatur. Si paterfamilias mortuus esset, relicto uno filio, & uxore prægnante: non recte filius à debitoribus partem dimidiam crediti petere potest, quamuis postea unus natus sit: quia poterant plures nasci, cum per rerum naturam certum fuerat unum nasci. Sed & Sabinus & Cassius dicunt partem quartam peti debuisse, quia incertum esset, an tres nascerentur: nec rerum naturam intuendam, in qua omnia certa essent, cum futura utiq; fierent: sed nostram inscientiam adspici debere.

XXIX. IDEM lib. VIII. ad Plautium.

**Q**ui appellat prior, agit.

XXX. MARCELLVS lib. I. digestorum.

**Q**ui coepit semel iudicium, ibi & finem accipere debet.

XXXI. CELSVS lib. XXVII. digestorum.

**S**I petitor plures hæredes reliquerit, unusq; eorum iudicio egerit: nõ serit uerum, totam rem, quæ in priori iudicio fuit, deductã esse. nec enim quisquam alienam actionem in iudicium, inuito cohærede, perducere potest.

XXXII. VLPIANVS lib. V. de officijs proconsulũ.

**S**I iudex, cui certa tẽpora præstituta erant, decesserit, & alius in loco situs datus fuerit: tantundẽ ex integro temporis in psonã eius præstituta intelligemus, quamuis magistratus nominatim hoc in sequentis datione nõ expresserit: ita tamen, ut legitimũ tempus nõ excedant.

XXXIII. MODESTINVS lib. III. regularum.

**N**on uidetur in iudicẽ consensisse: qui edi sibi genus actionis apud eum iudicem desiderat.

XXXIII. IABOLENVS lib. XV. ex Casio.

**S**I is, qui Romæ iudicium acceperat, decessit: hæres eius, quamuis domitium trans mare habeat, Romæ tamen defendi debet: quia succedit in eius locum, a quo hæres relictus est.

XXXV. IDEM lib. X. ἐπισηλωρ.

**N**on quemadmodum fideiussoris obligatio in pendenti potest esse, uel in futurum concipi: ita iudicium in pendenti potest esse, uel de his rebus, quæ postea in obligationem aduenturæ sunt. Nam ne minem puto dubitaturum, quin fideiussor ante obligationem rei accipi possit: iudicium uero ante, quã aliquid debeatur, non possit.

XXXVI. CALLISTRATVS lib. I. cognitionum.

**I**nterdum ex iustis causis, & certis personis sustinendæ sunt cognitiones: ueluti si instrumenta litis apud eos esse dicantur, qui reipublicæ causa aberunt. Ideo diui fratres in hæc uerba rescripserunt. humanum est propter fortuitos casus, dilationem accipi: ueluti cum pater litigator filium, uel filiam, uel uxor uirum, uel filius parentem amisit, & in similibus causis cognitionem ad aliquem modum sustineri. Senator si negocijs alienis se obtulerit in prouincia, non debet iudicium reculare negociorum gestorum: sed actionem eum excipere oportere. Iulianus respondit, cum sua sponte sibi hanc obligationem cõtraxerit.

XXXVII. IDEM lib. V. cognitionum.

**S**I de ui & possessione quærat: prius cognoscendũ de ui, quã de proprietate rei, diuus Hadrianus τῶ κοινῶ συγκακουσίωμ rescripsit.

XXXVIII. LICINIUS RVFINVS lib. III. regularũ.

**Q**uod legatur, siquidem per personalem actionem exigetur: ibi dari debet, ubi est: nisi dolo malo hæredis subductum fuerit: tunc enim ibi dari debet, ubi petitur. Præterea quod pondere, aut numero, aut mensura continetur: ibi dari debet, ubi petitur: nisi adiectum fuerit, centum

centum modios ex illo horreo, aut uini amphoras ex illo dolio. Si autem per in rem actionem legatum petetur: etiam ibi peti debet, ubi res est. Et si mobilis sit res: ad exhibendum agi cum hærede poterit, ut exhibeat rem. sic enim à legatario uindicari poterit.

XXXIX. PAPINIANVS lib. III. *questionum.*

**C**um furiosus iudex additur: non ideo minus iudicium erit, quod hodie nõ potest iudicare: scilicet ut suæ mentis effectus, quod sententiæ dixerit, ratum sit. neq; enim in addendo præsentia uel scientia iudicis necessaria est. Qui legationis causa Romam uenit, ex qualibet causa fideiubere potest: \*cum priuilegio suo, cum sit in Italia contra-

*als \*quantã  
priuilegio  
suo, cum in  
alia sit con-  
tractũ, uti  
non possit.*

XL. IDEM lib. III. *questionum.*

**N**on quidquid iudicis potestati permittitur, id subiicitur iuris necessitati. Iudex si quid aduersus legis præceptum in iudicando dolo malo prætermiserit, legem offendit.

XLI. IDEM lib. XI. *questionum.*

**I**n omnibus bonæ fidei iudicijs, cum nondum dies præstandæ pecuniæ uenit: si aliquis agat ad interponendam cautionem, ex iusta causa condemnatio fit.

XLII. IDEM lib. XXIII. *questionum.*

**S**uxor à legato Romæ diuerterit, dotis nomine defendendum Romanæ uirum iure responsum est.

XLIII. IDEM lib. XXIII. *questionum.*

**E**um, qui insulam Capuæ certo tempore stipulatus est: eo finito, quocunq; loco agere posse, in id quod interest, constat.

XLIII. IDEM lib. II. *responforum.*

**N**on idcirco iudicis officium impeditur, quod quidam ex tutoribus post litem aduersus omnes incohata, reipublicæ causa abesse coeperunt: cum præsentium & eorum, qui non defenduntur, administratio discerni, & æstimari possit. Cum postea seruus apparuit, cuius nomine per procuratorem fuerat actum, absolui debitorem oportet, quæ res quandoq; propriam domino litem inferenti non obstabit.

XLV. IDEM lib. III. *responforum.*

**A**rgentarium, ubi contractum est, conueniri oportet: nec in hoc dilationem, nisi ex iusta causa, dari: ut scilicet ex puincia codices adferantur. Idem in actione tutelæ placuit. Nominem puellæ tutoribus in puincia condemnatis, curatores iudicatum Romæ facere coguntur: ubi mutuam pecuniam mater accepit, cui filia hæres exstitit.

XLVI. PAULVS lib. II. *questionum.*

**I**udex datus in eodem officio permanet, licet furere coeperit: quia tecte

recte ab initio iudex additus est. sed quia iudicandi necessitatē morbus fonticus remittit: ergo mutari debet.

XLVI. CALLISTRATVS lib. II. cognitionum.

**O**bseruandum est, ne is iudex detur, quem altera nominatim pars petit. id enim iniqui exempli esse, diuus Hadrianus rescriptis. Nisi hoc specialiter à principe, ad uerecundiam petiti iudicis respiciente, permittatur.

XLVIII. PAVLVS lib. II. responsorum.

**P**ars literarum diui Hadriani. τὸς ἀρχοντας, ἐν ᾧ ἀρχουσίῳ ἐν αὐτῷ, μή ἐισιέναι διὰ τὴν ἰδίαν, μήτε δ' ἰσχυόντων, μήτε φεύγοντων, μήτε περὶ ἀμείνων τροπῶν ἢ κούρατος ἔχει. ἐπεὶ δ' ἀνδρῶν ἢ ἀρχῆν, καὶ αὐτοῖς πρὸς τοὺς φεύγοντας, καὶ φεύγουσι πρὸς αὐτοῦ; ἐισαγωγίμους εἶναι τὰς δίκας.

XLIX. IDEM lib. III. responsorum.

**V**enditor ab emptore denunciatus, ut eum euictionis nomine defenderet: dicit se priuilegiū habere sui iudicis. Quærit, an possit litem ab eo iudice, apud quem res inter petiorem & emptorem cœpta est, ad suum iudicem reuocare? Paulus respondit, uenditorem emptoris iudicē sequi solere. Iudices à præfide dati, solent etiam in tempus successorum eis durare, & cogi pronunciare, easq; sententias seruari. in eundem sensum etiam Scauola respondit.

L. VLPPIANVS lib. VII. fideicommissorum.

**S**i fideicommissum ab aliquo petatur, isq; dicat alibi esse maiorem partem hæreditatis, non erit ad præstationem compellendus: & ita multis constitutionibus cauetur, ut ibi petatur fideicommissum, ubi maior pars hæreditatis est: nisi probetur, eo loco uoluisse testatorem si deicommissum præstari, ubi petitur. Tractatum est de ære alieno: si in ea prouincia, ubi fideicommissum petitur, plus esset æris alieni: an quasi maior pars alibi esset, præscriptio locum haberet. Sed hic placuit, nihil facere æris alieni nomen: cum non loci sit æs alienum, sed uniuersarum facultatum. Aes enim alienum patrimonium totum minuere constitit, non certi loci facultates. Quid tamen, si forte certis oneribus destinatum sit id patrimonium: ut puta alimentis præstandis, quæ Romæ præstari paterfamilias iusserat, uel tributis, uel quibusdam alijs iniustius dici, locum habere. Sed & rescriptū est, ut illic fideicommissum petatur, ubi domicilium hæres habet. Quoties autem cœpit quis si deicommissum soluere, non potest hac præscriptione uti:

LI. MARTIANVS lib. VIII. institutionum.

**Q**uamuis hæreditas ad eum fuerit deuoluta, qui domicilium in prouincia habet. sed & diui Seuerus & Antoninus rescripserunt: si con-

si consenserit fideicommissarius alio loco dari, necesse habere secundum consensum dare, ubi consenserit.

LII. *VLPIANVS lib. VII. fideicommissorum.*

**S**ed & si suscepit actionem fideicommissi, & alijs defensionibus usus hanc omisit: postea, quamuis ante sententiam, reuerti ad hanc defensionem non potest. Si libertis suis tesseris frumentarias emi uoluerit: quamuis maior pars hereditatis in prouincia sit, tamen Romæ debere fideicommissum solui, dicendum est: cum appareat id testatorem sensisse ex genere comparationis. Sed & si proponas, quibusdam clarissimis uiris argenti uel auri pondo relicta, & sit sufficiens ad huiusmodi fideicommissa Romæ patrimoniū: licet maior pars totius patrimoni in prouincia sit, dici oportet Romæ esse præstandum: nec enim ueri simile est testatorem, qui honorem habitum uoluit his, quibus reliquit, tam modica fideicommissa in prouincia præstari uoluisse. Si ea res, quæ per fideicommissum relicta est, eo loco sit: dicendum est, non debere præscribi ei, qui petit, quasi maior pars hereditatis alibi sit. Sed si non fideicommissum eo loco petatur, sed de fideicommissio satis: uide dum est, an hæc præscriptio locū habeat. & non puto habere. quinimo & si nihil sit eo loco: attamen iubendum satisfacere. quid enim ueretur: cum si satis non dederit, mittatur aduersarius in possessionem fideicommissi seruandi causa?

LIII. *HERMOGENIANVS lib. II. iuris in d. τρωμα.*

**I**n certis causis aduersus dominos seruis consistere permissum est: Id est, si qui suppressas tabulas testamenti dicant, in quibus libertatem sibi relictam adseuerant. Item arctioris annonæ populi Romani, & census, ac falsæ monetæ criminis reos dominos detegere seruis permissum est. Præterea si fideicommissariam libertatem ab his petat. Sed & si qui suis numis redemptos se, & non manumissos contra placitum adseuerent. Liber etiā iustus, si rationes reddiderit, arbitrium contra dominum de rationibus excutiendis recte petet. Sed & si quis fidem alicuius elegerit, ut numis eius redimatur, atque his solutis manumittatur, nec ille oblatam pecuniam suscipere uelle dicat: contractus fidei detegendi seruo potestas tributa est.

LIIII. *PAVLVS lib. I. sententiarum.*

**P**er minorem causam maiori cognitioni præiudiciū fieri non oportet. maior enim quæstio minorem causam ad se trahit.

LV. *IDEM lib. singulari de officio adfessorum.*

**E**dictum, quod ab antecessore datum est, in numero trium edictorum connumerari debet. Planè licet ab antecessore numerus finitus sit: solet tamen successor unum edictum dare.

dd

Licet

LVI. VLPIANVS lib. XXX. ad edictum.

**L**icet uerum procuratorem in iudicio rem deducere, uerissimum est: tamen & si quis, cum procurator nō esset, litem contestatus sit, deinde ratum dominus habuerit: uidetur retro res in iudiciū recte deducta.

LVII. IDEM lib. XL. ad edictum.

**T**Am ex cōtractibus, quā ex delictis in filiū familias cōpetit actio: sed mortuo filio post litis cōtestationem, transfertur iudicium in patrem, duntaxat de peculio, & quod in rem eius uersum est. Certe si quasi procurator alicuius, filius familias iudiciū acceperit: mortuo eo, in eum, quem defendit, iudicij translatio datur.

LVIII. PAVLVS lib. XIII. ad Sabinum.

**I**udicium soluitur, uetante eo, qui iudicare iusserat: uel etiam eo, qui maius imperium in eadem iurisdictione habet: uel etiam si ipse iudex eiusdem imperij esse cōeperit, cuius erat, qui iudicare iussit.

LIX. VLPIANVS lib. LI. ad Sabinum.

**S**i locus in iubendo iudicare non est comprahensus: uidetur eo loco iudicare iussisse, quo solet iudicare sine incommodo litigantium.

LX. PAVLVS lib. XXIII. ad Sabinum.

**M**ortuo iudice, quod eum iudicare oportuerat: idem eū, qui substitutus est, sequi oportet.

LXI. VLPIANVS lib. XXVII. ad edictum.

**S**olemus quidem dicere, id uenire in iudicium, de quo actum est inter litigantes: sed Celsus ait, periculose ex persona rei hoc metiri: qui semper, ne condemnetur, hoc dicit, non cōuenisse. Quid ergo melius est dicere, id uenire in iudicium, de quo uel actum non est, ut ueniret: sed id non uenire, de quo nominatim actum est, ne ueniret. La trunculator de re pecuniaria iudicare non potest.

LXII. IDEM lib. XXXIX. ad edictum.

**I**nter litigantes non aliter lis expediri potest, quā si alter petitor, aliter possessor sit. esse enim debet, qui onera petitoris sustineat, & qui commodo possessoris fungatur.

LXIII. IDEM lib. XLIX. ad edictum.

**R**ecte defendi hoc est: iudicium accipere uel per se, uel per aliū, sed cum satisfactione: nec ille uidetur defendi, qui quod iudicatū est, nō soluit.

LXIII. IDEM lib. I. disputationum.

**N**on à iudice doli æstimatio ex eo, quod interest, fit: sed ex eo, quod in litem iuratur. deniq; & prædoni depositi & commodati ob eam causam competere actionem, non dubitatur. Si quis alio iudicio acturus, iudicatum solui satis acceperit, deinde alio iudicio agat: non committetur stipulatio, quia de alia re cautum uidetur.

Idem

## LXV. IDEM lib. XXX. ad edictum

**E**Xigere dotem mulier debet illic, ubi maritus domicilium habuit, non ubi instrumentum dotale conscriptum est. nec enim id genus contractus est, ut & eum locum spectari oporteat, in quo instrumentum dotis factum est: quàm eum, in cuius domiciliũ & ipsa mulier per conditionem matrimonij erat reditura.

## LXVI. IDEM lib. II. disputationum.

**S**I quis intentione ambigua, uel oratione usus sit: id quod utilius ei est, accipiendum est.

## LXVII. IDEM lib. VII. disputationum.

**Q**ui se dicit suis numis redemptum esse: si hoc probauerit, exinde liber erit, ex quo redemptus est: quia constitutio non liberum pronuciari præcipit, sed restitui ei libertatem iubet. Proinde compellendus erit manumittere eum, qui se suis numis redemit. Sed si latitet: exempla senatusconsultorum ad fideicommissam libertatem pertinentium \* induci oportet.

aliàs \* induci.

## LXVIII. IDEM lib. IX. disputationum.

**A**D peremptorium edictum hoc ordine uenitur: ut primo quis petat post absentiam aduersarij edictum primum, mox alterum,

## LXIX. IDEM lib. IIII. de omnibus tribunalibus.

**P**er interuallum non minus decem dierum,

## LXX. IDEM lib. IX. disputationum.

**E**T tertium, quibus propositis, tunc peremptorium impetret: quod inde hoc nomẽ sumpsit, quod perimeret disceptationem, hoc est ultra non pateretur aduersarium tergiuersari.

## LXXI. IDEM lib. IIII. de omnibus tribunalibus.

**I**n peremptorio autem comminatur is, qui edit: etiam absente diuer sa parte, cogniturum se & pronuciaturum.

## LXXII. IDEM lib. IX. disputationum.

**N**onnunquã autem hoc edictum post tot numero edicta, quæ præceperunt, datur: nonnunquã post unum, uel alterum: nonnunquã statim, quod appellatur unum pro omnibus. Hoc autẽ æstimare oportet eum, \* qui ius dixit, pro conditione causæ, uel personæ, uel temporis: & ita ordinem edictorum & compendium moderari.

als \* qui indicit.

## LXXIII. IDEM lib. IIII. de omnibus tribunalibus.

**E**T post edictum peremptoriũ impetratũ, cum dies eius superuenerit, tunc absens citari debet. \* & siue responderit, siue nõ responde-

aliàs \* et si non respon-

derit, agetur, & pronuciabitur: nõ utiq; secundũ præsentẽ, sed inter dũ uel absens (si bonã causam habuit) uincet. Quod si is, q̄ edictũ per-

emptoriũ impetrauit, absit die cognitiõis: is uero, aduersus quẽ impe-

tratũ

dd ij

tratum est, ad sit: tum circūducendū erit edictū peremptoriū, neq; de causa cognoscetur, neq; secundum præsentem pronuntiabitur. Circūducto edicto uideamus, an amplius reus conueniri possit: an uero salua quidem lis sit, uerum instantia tantū edicti perierit. & magis est, ut instantia tantum perierit, ex integro autem litigari possit. Sciendum ex peremptorio absentem condemnatum, si appellet, non esse audiendum: si modo per contumaciam defuerit. si minus: audietur.

LXXIII. IULIANVS lib. V. *digestorum.*

**D**E qua re cognouerit iudex, pronūciare q; cogendus erit. Iudex, qui usq; ad certā summā iudicare iussus est: etiam de maiori re iudicare potest, si inter litigatores conueniat. Cum absentem defendere uellem, iudicium mortuo eo iam accepi, & condemnatus solui. quæ situm est, an hæres liberaretur: item quæ actio aduersus eum competeret. Respondi. iudicium, quod iam mortuo debitore per defensorem eius accipitur, nullum esse: & ideo hæredem non liberari. Defensorem autem, si ex causa iudicati soluerit, repetere quidem non posse: negotiorum tamen gestorū ei actionem competere aduersus hæredem, quia exceptione doli mali tueri se possit, si ab actore conueniatur.

LXXV. IDEM lib. XXXV. *digestorum.*

**S**I prætor iusserit eum, a quo debitum petebatur, adesse: & ordine edictorum peracto pronunciauerit, absentem debere: utiq; iudex, qui de iudicato cognoscit, non debet de prætoris sententia cognoscere: alioquin luforia erūt huiusmodi edicta & decreta prætorum. MARCELVVS NOTAT. si per dolum sciens falsò aliquid allegarit, & hoc secutum in sententia prætorem, liquidò fuerit adprobatum: existimo debere iudicem querelam rei admittere. PAVLVS NOTAT. si aut morbo impeditus, aut reipublicæ causa auocatus, adesse non potuit reus: puto uel actionem iudicati eo casu in eum denegandam, uel exsequi prætorem ita iudicatum non debere.

LXXVI. ALFENVS lib. VI. *digestorum.*

**P**roponebatur ex his iudicibus, qui in eandem rem dati essent, non nullos causa audita excusatos esse, inq; eorum locum alios esse sumptos: & quærebatur, singulorum iudicum mutatio eandem rem, an aliud iudicium fecisset. Respondi: non modo si unus aut alter, sed & si omnes iudices mutati essent: tamen & rem eandem, & iudiciū idem, quod antea fuisset, permanere. Neq; in hoc solum euenire, ut partibus commutatis, eadem res esse existimaretur: sed & in multis cæteris rebus. Nam & legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alij subiecti essent: & populum eundem hoc tempore putari, qui ab hinc centum annis fuisset, cum ex illis nemo nunc uiueret.

Itemq;

*\* aliàs. hoc modo secutam prætoris sententiã. aliàs, consecutum eã sententiã. &c.*

Itemq; si nauis adeo saepe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, quæ non noua fuisset: nihilominus eandem nauem esse existimari. Quod si quis putaret, partibus commutatis aliam rem fieri fore, ut ex eius ratione nos ipsi non idem essemus, qui ab hunc anno fuisset. Propterea quod (ut philosophi dicerent) ex quibus particulis minimis consisteremus, eæ quotidie ex nostro corpore decederent, aliæq; extrinsecus in earum locum accederent. Quapropter cuius rei species eadem consisteret, rem quoq; eandem esse existimari.

LXXVII. AFRICANVS lib. III. *questionum.*

**I**N priuatis negocijs pater filium, uel filius patrem iudicem habere potest.

LXXVIII. PAVLVS lib. VI. *ad Plautium.*

**Q**Vippe iudicare munus publicum est.

LXXIX. VLP IANVS lib. V. *de officio proconsulis.*

**E**VM, quem temere aduersarium in iudicium uocasse constiterit: iurata, litisq; sumptus aduersario suo reddere oportebit. Iudicibus de iure dubitantibus, præfides respondere solent: sed de facto consulentibus, non debent præfides consilium impertire: uerum iubere eos, prout religio suggererit, sententiam proferre. hæc enim res nonnunquam infamat, & materiam gratiæ uel ambitionis tribuit.

LXXX. POMPONIVS lib. II. *ad Sabinum.*

**S**I in iudicis nomine uel prænomine erratum est: Seruius respondit, si sex conuentione litigatorum is iudex aditus esset, eum esse iudicem, de quo litigatores sensissent.

LXXXI. VLP IANVS lib. V. *opinionum.*

**Q**VI neq; iurisdictioni præest: neq; à principe potestate aliqua præditus, neq; ab eo, qui ius dandorum iudicum habet, datus est: nec ex compromisso sumptus, uel ex aliqua lege confirmatus est: iudex esse non potuit.

LXXXII. IDEM lib. I. *de officio proconsulis.*

**N**ONnunquam solent magistratus populi Romani uiatorem nominatum uice arbitri dare, quod raro, & non nisi re urgente faciendum est.

## DE INOFFICIOSO TESTAMENTO. Tit. II.

VLP IANVS lib. XIII. *ad edictum.*

**S**Ciendum est, frequentes esse inofficiosi querelas. omnibus enim tam parentibus, quam liberis de inofficioso licet disputare. Cognati enim proximi, qui sunt ultra fratres alii proxtrem: melius facerent, si se sumptibus inanibus non uexa præterrent, cum obtinendi spem non habeant.

dd iij Mar

## II. MARTIANVS lib. III. institutionum.

**H**oc colore INOFFICIOSO TESTAMENTO agitur, quasi non sanæ mentis fuerint, tu testamentum ordinarent. & hoc dicitur, non quasi vere furiosus uel demens testatus sit: sed recte quidem fecerit testamentum, sed non ex officio pieratis. nam si uere furiosus esset, uel demens, nullum esset testamentum.

## III. MARCELLVS lib. III. digestorum.

**I**nofficiosum testamentum dicere hoc est: allegare, quare exheredari, uel præteriri non debuerit: quod plerunq; accidit, cum falso parentes instimulati, liberos suos testamento uel exheredant, uel prætereunt.

## III. \* MAXIMVS ad L. Falcidiam.

atq; CAI-  
VS lib. sin-  
gulari ad  
L. Leuti-  
cam.

**N**on est em̄ cōsentiendum parentibus, qui iniuriam aduersus liberos suos testamento inducūt. q̄d plerunq; faciunt, maligne circa sanguinem suum inferentes iudicium, nouercalibus delinimentis, instigationibusue corrupti.

## V. MARCELLVS lib. III. digestorum.

**N**am & his, qui non ex masculis descendunt, facultas est agendi. cum & de matris testamento agant, & obtinere assidue soleant: Huius aut uerbi DE INOFFICIOSO uis illa (ut dixi) est: docere immerentem se, & ideo indigne præteritum, uel etiam exheredatione submotum: resq; illo colore defenditur apud iudicem, ut uideatur ille non quasi sanæ mentis fuisse, cum testamentum inique ordinaret.

## VI. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

aliàs \* si in  
utero fue-  
rit mortis  
eorum tem-  
pore.

**P**ostumus inofficiosum testamentum potest dicere eorum, quibus suus hæres uel legitimus potuisset fieri, \* si in utero mortis eorum tempore non fuisset. Sed & cognatorum: quia & horum ab intestato potuit bonorū possessionem accipere. Quid ergo eis imputatur, cur intestati non decesserant: sed hoc nemo apud iudicem potest impetrare. non em̄ interdicitur testamenti factio. Hoc planè eis imputari potest, cur eum hæredem non scripserint. potuit enim scriptus hæres in possessionem mitti ex clausula DE VENTRE IN POSSESSIONEM MITTENDO. item natus SECUNDVM TABVLAS haberet. Simili modo & eū, qui post testamentum matris factum ex feto uentre extractus est, posse queri dico. Si quis ex his personis, quæ ad successionem ab intestato non admittuntur, de inofficioso egerit (nemo enim eum repellit) & casu obtinuerit: non ei proficit uictoria, sed his, qui habebant ab intestato successionem. nam intestatum patrem familias fecit. Si qs instituta accusatione inofficiosi decesserit, an ad hæredem suū querelam transferat? Papinianus respondit, quod & quibusdam rescriptis significatur: si post agnitam bonorū possessionem decesse-

decefferit, esse successionem accusationis. Sed & si non sit petita bonorum possessio, iam tamen cœpta cōtrouersia, uel præparata: uel si, cum uenit ad mouendam inofficiosi querelam, decefferit: puto ad hæredem transire.

VII. PAVLVS lib. singulari de centūuir. libus iudicijs.

**Q**uemadmodū præparasse litem quis uideatur, ut possit transmittere actionem, uideamus. & ponamus in potestate eum fuisse, ut neq; bonorum possessio ei necessaria, & aditio hæreditatis superuacua sit. is si comminatus tantum accusationem fuerit, uel usq; ad denunciationem, uel libelli dationem processerit: ad hæredem suum accusationem transmittet, idq; diuus Pius de libelli datione & denunciatione rescripsit. Quid ergo, si in potestate non fuerit: an ad hæredem suum actionem transmittat? & recte uidetur litem præparasse, si ea fecerit, quorum supra mentionem habuimus.

VIII. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

**P**apinianus libro quinto quæstionum recte scribit: inofficiosi querelam patrem filij sui nomine instituere non posse, inuito eo. ipse enim iniuria est. Sequenti loco scribit: si filius familias post agnitam bonorum possessionem litis ordinandæ gratia decefferit: finitam esse inofficiosi querelam, quæ non patri, sed nomine filij dabatur. Si quis post rem inofficiosi ordinatam, litem dereliquerit: postea non audietur. Si Imperator sit hæres institutus: posse inofficiosum dici testamentum, sæpissime rescriptum est. Papinianus libro secundo responsorū ait, contra ueterani patris familias testamentū esse inofficiosi querelam: & si ea sola bona habuit, quæ in castris quæsierat. Si quis in militia fecerit testamētum, & intra annum post militiam decefferit: dubito, an (quia ad hoc usq; tempus iure militari testamentum eius ualet) querela inofficiosi cesset. & potest dici. Sed neq; impuberis filij mater inofficiosum testamentum dicit: quia pater hoc ei fecit, & ita Papinianus respondit. Nec patris frater: quia filij testamentum est. ergo nec frater impuberis, si patris non dixit. Sed si in patris obtentum: nec hoc ualebit, nisi pro parte patris rescissum est. tunc enim pupillare ualet. Si quis mortis causa filio donauerit quartam partem eius, quod ad eū esset peruenturū, si intestatus pater familias deceffisset: puto secure eū testari. Si quis impuberi filio substituit, secundas tabulas ei faciendo: non ob hoc admittimus ipsum impuberem ad inofficiosi querelam. Quoniam autem quarta debitæ portionis sufficit ad excludendam querelam: uidendum erit, an ex hæredatus partem faciat, qui non queritur: ut puta sumus duo filij ex hæredati. & utiq; faciet, ut Papinianus respondit: & si dicā inofficiosum, non totam hæreditatem debeo, sed dimidiā petere. Proinde & si sint ex duobus filijs nepotes:

ex uno

*aliás\* ex uno plures (tres puta) ex uno unus: unicuius seſcancia, unus ex illis ſemücia querelam excludit. itē aliás q̄rela excluditur*

*\*ex uno tres puta, plures uel, ex uno unus: unicum ſeſcancia, unum ex illis ſemücia querela excludit. Quarta autē accipietur, ſcilicet deducto ære alieno, & funeris impenſa. Sed an & libertates quartam minuant, uidendum. nanq; ſi cum quis ex aſſe hæres inſtitutus eſt, ideo non poteſt dicere inofficioſum, quia habet Falcidiam (Falcidia autem libertates non minuit) poteſt dici, deductis libertatibus quartam inueniendam. Cum igitur placet, quartam minui per libertates: eueniet, ut qui ſeruos tantum habet in patrimonio ſuo, dando eis libertates, inofficioſi querelam excludat. Niſi forte hic filius, ſi non fuit in poteſtate patris, à patre hæres inſtitutus, merito omittet hæreditatē: & ad ſubſtitutum transmittens, querelam inofficioſi inſtituet: uel ab inſtato citra edicti pœnam habebit hæreditatem. Si conditioni parere teſtator hæredem iuſſit: in perſona filij uel alterius, qui eandem querelam mouere poteſt, cum ſciens id accepit, uidendum eſt, ne ab inofficioſi querela excludatur. agnouit enim iudicium. idem eſt & ſi legatarius ei, uel ſtatuli ber dedit. Et poteſt dici excludi eum, maxime ſi hæredem ei iuſſerat dare. Cæterum ſi legatarium: nūquid ſemel natam inofficioſi querelam non perimat legatarij oblatio? Cur ergo in hærede abſolute diximus? Quoniam ante aditam hæreditatem nec naſcitur querela. Ego euentum puto ſequendum in hac re: ut ſi forte ante, quàm iudicium moueatur, oblatio ei fiat eius, quod relictū eſt: quaſi ex uolūtate teſtatoris, oblatione ſatis ei factū uideatur. Vnde ſi quis fuit inſtitutus, forte ex ſemiffe: cum ei ſextans ex ſubſtantia teſtatoris deberetur, quod rogatus eſſet poſt certum tempus reſtituere hæreditatem: merito dicendū eſt, nullum iudicium mouere, cum debitam portionem & eius fructus habere poſſit. fructus enim ſolere in Falcidiam impitari, non eſt incognitum. Ergo & ſi ab initio ex ſemiffe hæres inſtitutus, rogetur poſt decennium reſtituere hæreditatē: nihil habet, quod queratur. quoniam facile poteſt debitā portionem, uel ex fructibus eius medio tempore cogere. Si quis irritū dicat eſſe teſtamentum, uel ruptum, uel inofficioſum: conditio ei deferri debet, utrum prius mouere velit. Si filius ex hæredatus in poſſeſſione ſit hæreditatis, ſcriptus quidem hæres petet hæreditatem, filius uero in modum contradictionis querelam inducet: quemadmodum ageret, ſi nō poſſideret, ſed peteret. Meminiſſe autem oportebit, eum qui teſtamentum inofficioſum improbe dixit: ſi non obrinuit, id quod in teſtamento accepit, perdere: & id ſiſco uindicti cari, quaſi indigno ablatum. Sed ei demum auferitur, quod teſtamento datum eſt, qui uſq; ad ſententiam in iudicium lite improba perſeuerauit. Cæterum ſi ante ſententiam deſtitit uel deceſſit: non ei auferitur, quod datum eſt. proinde etiam ſi abſente eo ſecundum præſentem pronuncietur*

nunciatur: potest dici conferuandum ei, quod accepit. Eo autem solo carere quis debet, cuius emolumentum ad eum pertineret. Ceterum si id rogatus fuit restituere: non debet iniuria fieri. Vnde non male Papinianus libro secundo responsorum refert: si hæres fuerit institutus, & rogatus restituere hæreditatem, deinde in querela inofficiosi nõ obtinuit: id quod iure Falcidia potuit habere, solũ perdere. Si quis impubes adrogatus sit ex his personis, quæ & citra adoptionem & emancipationem queri de inofficioso possunt: hunc puto remouendũ à querela, cum habeat quartam ex cõstitutione diui Pij. Quid si egit, nec obtinuit: an quartam perdat? & puto, aut non admittendum ad inofficiosum, aut si admittatur (& si non obtinuerit) quartam ei quasi æs alienũ concedendam. Si ex caussa de inofficioso cognouerit iudex, & pronũciauerit contra testamentũ, nec fuerit prouocatum: ipso iure rescissum est, & suus hæres erit, secũdum quem iudicatum est, & si bonorum possessor hoc se contendit, & libertates ipso iure non ualent: nec legata debentur, sed soluta repetuntur aut ab eo, qui soluit, aut ab eo, qui obtinuit, & hæc utili actione repetuntur. Ferè autem si ante controuersiã motam soluta sunt: qui obtinuit, reperet: & ita diuus Hadrianus, & diuus Pius rescripserunt. Planè si post quinquennium inofficiosum dici cceptum est, ex magna & iusta caussa: libertates non esse reuocandas, quæ competierunt uel præstitæ sunt, sed uiginti aureos à singulis præstandos uictori.

IX. MODESTINVS lib. singulari de inofficioso testamẽto.

**S**I autem intra quinquennium egerit, libertates non competũt. Sed Paulus ait, præstaturum uictorem fideicommissarias libertates, solum uiginti aureis & in hoc casu à singulis præstandis.

X. MARCELLVS lib. III. digestorum.

**S**I pars iudicantium de inofficioso contra testamentum, pars secundum id sententiam dederit (quod interdũ fieri solet) humanius erit, sequi eius partis sententiam, quæ secundũ testamẽtum pronunciauit: nisi aperte iudicem inique secundum scriptum hæredem pronunciaffe apparebit. Illud notissimum est: eum, qui legatum percepit, non recte de inofficioso testamento dicturum: nisi id totũ alij administrauit.

XI. MODESTINVS lib. III. responsorum.

**E**Tiam si querela inofficiosi testamenti non obtinuit: nõ ideo tamen donationes, quas uiuus ei perfecisse proponitur, infirmari neq; in dotem ante datorum partem uindicari posse, respondi.

XII. IDEM lib. singulari de præscriptionibus.

**N**ihil interest, sibi relictum legatum filius exhæredatus agnouerit: an filio sexuoue relictum consecutus sit. utrubiq; enim præscriptio

ee scriptio

scriptione submouebitur. Quinetiam si idem institutū seruū prius, quam adire hæreditatem iuberet, manumiserit, ut ille suo arbitrio adiret hæreditatem, idque fraudulento consilio fecerit: submouebitur ab actione. Si à statu libero exhæredatus pecuniam petere cœperit: uideri potest agnouisse parentis iudicium. Si cum filius ademptum sibi legatum instituerit petere, submotus repetat inofficiosi querelam: præscriptione remouendus non est, quamuis, enim agendo testamentum adprobauit: tamen est aliquid, quod testatoris uicio reputetur, ut merito repellendus non sit. Filius testatoris, qui cum Titio eiusdem pecuniæ reus fuerat: liberatione Titio legata, per acceptilationem Titij liberatus, ab actione inofficiosi non submouebitur.

XIII. SCAEVOLA lib. IIII. *responforum.*

**T**itia filiam hæredem instituit. filio legatum dedit eodem testamento, & ita cavit. omnia ea, quæ supra dari fieri iussi, ea dari fieri uolo ab omni hærede, bonorumue possessore, qui mihi erit, etiam iure intestati. Item quæ dari fieri iussero, ea uti dentur fiant, fidei eius committo. Quæsitum est, si soror centumuirali iudicio obtinuerit: an fideicommissa ex capite superscripto debeantur? si hoc quærat: an iure eorum, quos quis sibi ab intestato hæredes, bonorumue possessores futuros credat, fidei committi possit? Respondi, posse. PAVLVS notat ac probat, nec fidei commissa ab intestato data deberi, quasi à demente.

XIIII. PAPINIANVS lib. V. *questionum.*

**P**ater filium emancipauit, & nepotem ex eo retinuit. emancipatus, suscepto postea filio, ambobus exhæredatis, patre præterito, uita decessit. in quæstione de inofficioso testamento, præcedente causa filiorum, patris intentio adhuc pendet. Quod si contra filios iudicetur: pater ad querelam uocatur, & suam intentionem implere potest.

XV. IDEM lib. IIII. *questionum.*

**N**am & si parentibus nõ debeatur filiorum hæreditas propter notum parentum, & naturalem erga filios charitatem: turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus, quam liberis pie relinquitur. Hæredi eius, qui post litem de inofficioso præparatam, uoluntate mutata decessit: non datur de inofficioso querela. non enim sufficit litem instituere, si non in ea perseueres. Filius, qui inofficiosi actione aduersus duos hæredes expertus, diuersas sententias iudicū tulit, & unum uicit, ab altero superatus est: & debitores conuenire, & ipse à creditoribus pro parte conueniri potest, sed & corpora uindicare, & hæreditatem diuidere. uerum enim est, familiæ eriscundæ iudicium competere: quia credimus eum legitimam hæredem pro parte esse factum, & ideo pars hæreditatis in testamento remansit. nec absurdum uidetur.

detur, pro parte intestatum uideri.

XVI. IDEM lib. II. *responsorum.*

**F**ilio, qui de inofficioso matris testamento contra fratrem institutum pro parte egit, & obrinuit: filia, quæ non egit, aut quæ non obrinuit: in hæreditatem legitimam fratri non concurrit. Contra tabulas filij possessionem iure manumissionis pater accepit. postea filia defuncti, quam ipse exhæredauit, quæstionem inofficiosi testamenti recte pertulit. possessio, quam pater accepit, ad irritum récidit. nam prior iudicio de iure patris, non de iure testamenti quæsitum est. & ideo uniuersam hæreditatem filia cum fructibus restitui necesse est.

XVII. PAVLVS lib. II. *questionum.*

**Q**ui repudiantis animo non uenit ad accusationem inofficiosi testamenti: partem non facit his, qui eandem querelam mouere uolunt. Vnde si de inofficioso testamento patris, alter ex liberis exhæredatis ageret: quia rescisso testamento, alter quoq; ad successionem ab intestato uocatur, & ideo uniuersam hæreditatem non recte uindicasset: hic si obrinuerit, utetur rei iudicatæ autoritate: quasi centumuirum hunc solum filium in rebus humanis esse nunc, cum facerent intestatum, crediderint. Cum cõtra testamentum ut inofficiosum iudicatur: quia testamenti factionem habuisse defunctus non creditur: ideo non probandum est, si hærede nõ respondente, secundum præsentem iudicatum sit. hoc enim casu non creditur ius ex sententia iudicis fieri. & ideo libertates competunt, & legata petuntur.

XVIII. IDEM lib. *singulari de inofficioso testamento.*

**D**e qua re etiam constitutio exstat diuorum fratrum, quæ huiusmodi distinctionem admittit.

XIX. IDEM lib. II. *questionum.*

**M**ater decedens extraneum ex dodrante hæredem instituit filiam unam ex quadrante, alteram præterijt. hæc de inofficioso egit, & obrinuit. Quæro scriptæ filia quomodo succurrendum sit? Respondi. filia præterita id uindicare debet, quod intestata matre habitura esset. Et quamquàm dici potest: eam, quæ omissa est (etiam si totam hæreditatem perat, & obtineat) solam ab intestato habituram uniuersam successionem, quemadmodum si altera omisisset legitimam hæreditatem. Sed non est admittendum, ut aduersus sororem audiatur agendo de inofficioso. Præterea dicendum est, non esse omittenti similem eam, quæ ex testamento adiit. & ideo ab extraneo semissem uindicandum: & defendendum, totum semissem esse auferendum, quasi totus semis ad hanc pertineat. secundum quod non in totum testamentum infirmatur, sed pro parte intestata effici-

ce ij tur: licet

tur: licet, quasi furiosæ, ultimum iudicium eius damnetur. Cæterum si quis putauerit, filia obtinente, totum testamentum infirmari: dicendum est, etiam institutam ab intestato posse adire hæreditatem. nec enim, quæ ex testamento adiit, quod putabat ualere: repudiare legitimam hæreditatem uidetur, quam nescit sibi deferri: cum & hi, qui sciunt ius suum, eligentes id quod putant sibi competere, non amittant. Quod euenit in patrono, qui iudicium defuncti, falsa opinione motus, amplexus est. is enim non uidetur bonorum possessionem contratabulas repudiasse. Ex quibus apparet, non recte totam hæreditatem præteritam uindicare: cum rescisso testamento, etiam institutæ saluum ius sit ad eundem hæreditatis.

XX. SCAEVO LA lib. II. *questionum.*

*aliis licet.*

**Q**ui de inofficioso uult dicere, \*si & negetur filius: carbonianam bonorum possessionem non debet accipere. toties enim ea indulgenda est, quoties si uere filius esset, hæres esset aut bonorum possessor: ut interim & possideat, & alatur, & in actionibus præiudicium non patitur. Qui uero de inofficioso dicit: nec actiones mouere debet, nec aliam ullam, quam hæreditatis petitionem, exercere: ne aliis unquam melioris sit conditionis, quam si confiteatur aduersarius.

XXI. PAULVS lib. III. *responsorum respondit.*

**E**um, qui inofficiosi testamenti querelam instituit: & fraude scripti hæredis, quasi tertiam partem hæreditatis tacite rogatus esset ei restituere, reliquit eam actionem: non uideri deseruisse querelam, & ideo non prohiberi eum repetere incohatam. Item cum quæsitum esset, an hæres audiendus esset, ante inofficiosi querelam actam, desiderans restitui sibi ea, quæ soluit: respondit: ei, qui sciens indebitum fideicommissum soluisset, nullam repetitionem ex ea causa competere. Idem respondit, euicta hæreditate per inofficiosi querelam ab eo, qui hæres institutus esset: perinde omnia obseruari oportere, ac si hæreditas adita non fuisset. & ideo & petitionem integram debiti hæredi instituto aduersus eum, qui superauit, competere, & compensationem debiti.

XXII. TRIPHONINVS lib. VII. *disputationum.*

**F**ilius non impeditur, quo minus inofficiosum testamentum matris accuset: si pater eius legatum ex testamento matris accepit, uel adierit hæreditatem, quanquam in eius est potestate: nec prohiberi patrem *aliis dici* \*dixi iure filij accusare. nam indignatio filij est. Item quærebatur, si non obtinuisset in accusando: an quod patri datum est, publicaretur: quoniam alij commodum uictoriæ parat, & in hac causa nihil ex officio patris, sed totum de meritis filij agitur: inclinandum est, non perdere patrem sibi datum, si secundum testamentum pronunciatum sit. Multo magis si mihi legatum testator dederit, cuius de inofficioso testamento

mento filius agens decessit, me hærede relicto: egoq; hæreditariã causam peregi, & uictus sum: id quod mihi ex eo testamento relictum est, non perdam. utiq; si iam defunctus agere cœperat. Itemq; si adrogauit eum, qui instituerat litem de inofficioso testamento eius, qui mihi legatum dedit: litemq; peregero nomine filij, nec obtinero: perdere me legatum non oportet. quoniam indignum est, ut auferatur mihi à fisco id, quod derelictum est: cum non proprio nomine, sed iure cuiusdam successionis egi.

XXIII. PAVLVS lib. singulari de inofficioso testamento.

**S**i ponas filium emancipatum præteritum, & ex eo nepotem in potestate retentum hæredem institutum esse: filius potest contra filium suum, testatoris nepotem petere bonorum possessionem, queri autem de inofficioso testamento non poterit. Quod si exhæredatus sit filius emancipatus, poterit queri: & ita iungetur filio suo, & simul cum eo hæreditatem obtinebit. Si hæreditatem ab hæredibus institutis exhæredati emerunt, uel res singulas, scientes eos hæredes: aut cõduxerunt prædia, aliudue quid simile fecerunt: uel soluerunt hæredi, quod testatori debebant: iudicium defuncti agnoscere uidentur, & à querela excluduntur. Si cum duo sint filij exhæredati, ambo de inofficioso testamento egerunt, & unus postea constituit non agere: pars eius alteri adcrefcit. Idemq; erit, & si tempore exclusus sit.

XXIII. VLPIANVS lib. XIX. ad Sabinum.

**C**irca inofficiosi querelam euenire plerunq; adsolet, ut in una atq; eadem causa diuersæ sententiæ proferantur. quid enim, si fratre agente, hæredes scripti diuersi iuris fuerunt: quod si fuerit: pro parte testatus, & pro parte intestatus decessisse uidebitur.

XXV. IDEM lib. III. disputationum.

**S**i non mortis causa fuerit donatum, sed inter uiuos: hac tamẽ contemplatione, ut in quartam habeatur: potest dici inofficiosi querelam cessare, si quartam in donatione habeat. at si minus habeat: quod deest, uiri boni arbitrato repletur: aut certe conferri oportet id, quod donatum est. Si quis, eum non possit de inofficioso queri, ad querelam admissus, pro parte rescindere testamentum tentet: & unum sibi hæredem eligat, cõtra quem inofficiosi querelam instituat: dicendum est, quia testamentum pro parte ualet, & præcedentes eum personæ exclusæ sunt: cum effectu eum querelam instituisse.

XXVI. IDEM lib. VII. disputationum.

**S**i sub hac conditione fuerit hæres institutus, si Stichum manumiserit, & manumiserit: & postea, quàm manumiserit, inofficiosum uel iniustum testamentum pronuncietur: æquum est, huic quoq; succurri,  
e e iij ut

ut serui precium à manu misso accipiat, ne frustra seruum perdat.

XXVII. IDEM lib. VI. opinionum.

**S**i instituta de inofficioso testamēto accusatione, de lite pacto transactum est, nec fides ab hærede transactioni præstatur: inofficiosi causam integram esse placuit. Ei, qui se filium eius esse adfirmat, qui in testamento id negauit, tamen eum exhæredauit: de inofficioso testamento causa superest. De inofficioso testamento militis dicere, nec miles potest. De inofficioso testamento nepos contra patrum suum, uel aliū scriptum hæredem pro portione egerat, & obrinuerat: sed scriptus hæres appellauerat. placuit interim ppter inopiam pupilli alimenta pro modo facultatum, quæ inofficiosi testamenti accusatione pro parte ei uindicantur, decerni: eaq; aduersarium ei subministrare necesse habere usq; ad finē litis. De testamēto matris, quæ existimās perijisse filium, alium hæredem instituit: de inofficioso queri potest.

XXVIII. PAVLVS lib. singulari de centumuiralibus iudicijs.

**C**um mater militem filium falsò audisset decessisse, & testamento ad filiū pertinere, ita ut libertates & legata præstentur. hic illud adnotatū est, quod de libertatibus & legatis adijcitur. nam cum inofficiosum testamentum arguitur, nihil ex eo testamento ualeat.

XXIX. VLP IANVS lib. VI. opinionum.

**S**i suspecta collusio sit legatarijs inter scriptos hæredes & eum, qui de inofficioso testamento agit: adesse etiam legatarios, & uoluntatem defuncti tueri, constitutum est: eisq; permisum est etiam appellare, si contra testamentum pronunciatum fuerit. De inofficioso testamento matris spurij quoq; filij dicere possunt. Quamuis instituta inofficiosi testamēti accusatione res transactione decisa sit: tamen testamentū in suo iure manet. Et ideo data in eo libertates atq; legata, usq; quo Falcidia permittit, suam habent potestatem. Quoniam fœmina nulum adoptare filium sine iussu principis potest: nec de inofficioso testamento eius, quam quis sibi matrem adoptiuam falsò existimabat, agere potest. In ea prouincia de inofficioso testamento agi oportet, in qua scripti hæredes domicilium habent.

XXX. MARTIANVS lib. III. institutionum.

**A**duersus testamentum filij in adoptionem dati, pater naturalis recte de inofficioso testamento agere potest. Tutoribus pupilli nomine sine periculo eius, quod eis testamento datum est, agere de inofficioso uel falso testamento, diui Senerus & Antoninus pmiserūt.

XXXI. PAVLVS lib. singulari de centumuiralibus iudicijs.  
**S**is, qui admittitur ad accusationē, nolit aut non possit accusare: at sequens

sequens admittatur, uidendum est. & placuit posse, ut fiat successioni locus. Quantum ad inofficiosi liberorum uel parentum querelam pertinet, nihil interest, qui sit hæres scriptus: ex liberis, an extraneis, an municipibus. Si hæres exstiterim ei, qui eo testamento institutus est, quod de inofficioso testamento arguere uolo; non mihi nocebit, maxime si eam portionē nō possideam, \*uel iure suo possideam\*. Diuersum dicemus, si legauerit mihi eam rem, quam quis ex eo testamento acceperat. nam si eam agnoscam, repellar ab accusatione. Quid ergo, si aliās uoluntatem testatoris probauerim? puta in testamento cri pserim, post mortem patris me consentire? repellendus sum ab accusatione.

\*hec in nō nullis non leguntur.

XXXII. IDEM lib. singulari de inofficioso testamento.

**S**i ex hæredatus petenti legatum ex testamento aduocationem præbuit, pcuracionem uē suscepit: remouetur ab accusatione. agnouisse enim uidetur, qui quale quale iudicium defuncti adprobauit. Si legatario hæres exstiterit ex hæredatus, petieritq; legatum: uidebimus, an sit submouendus ab hac accusatione. certum est enim iudicium defuncti: & rursus nihil ei ex testamento relictum, uerum est. tutius tamen fecerit, si se abstinuerit à petitione legati.

DE PETITIONE HAEREDITA-  
tis. Tit. III.

CAIUS lib. VI. ad edictum prouinciale.

**H**æreditas ad nos pertinet aut uetere iure, aut nouo. Vetere: ex lege duodecim tabularū, uel ex testamēto, quod iure factū est.

II. VLP IANVS lib. XV. ad edictum.

**S**ue nostro nomine hæredes, siue per alium effecti sumus.

III. CAIUS lib. VI. ad edictum prouinciale.

**V**eluti si eam personam, quæ in nostra potestate sit, institutam iusserimus adire hæreditatem. Sed & si Titio, qui Seio hæres exstiterit, nos hæredes facti sumus: sicuti Titij hæreditatem nostram intendere possumus, ita & Seij. Vel ab intestato: forte quod sui hæredes defuncto sumus, uel adgnati, uel q; manumissimus defunctum, quod uē parens noster manumisit. Nouo iure fiunt hæredes omnes, qui senatusconsultis, aut ex constitutionibus ad hæreditatem uocantur.

IIII. PAULVS lib. XX. ad edictum.

**S**i hæreditatem petam ab eo, qui unam rem possidebat, de qua sola controuersia erat: etiam id, quod postea possidere cœpit, restituet.

V. VLP IANVS lib. XV. ad edictum.

Diuis

**D**iuus Pius rescripsit: prohibendum possessorem hæreditatis, de qua controuersia erat, antequàm lis incoharetur, aliquid ex ea distrahere: nisi maluerit pro omni quantitate hæreditatis, uel rerum eius æstimatione satisfacere. Causa autem cognita, & si non talis data sit satisfactio, sed sola cautio: etiam post litem cœptam, deminutionem se concessurum, prætor edixit: \*ne in totum deminutio impedita, in alio quo etiam alias utilitates impediatur: utputa si ad funus sit aliquid necessarium. nam funeris gratia deminutionem permittit. Item si futurum est, ut nisi pecunia intra diem soluatur: pignus distrahatur. Sed & propter familiæ cibaria, necessaria erit deminutio. & res tempore perituras permittere debet prætor distrahere. Diuus Hadrianus Trebatio Seruiano rescripsit, ut Aelius Asiaticus satisfacere de hæreditate, quæ ab eo petitur, & si falsum dicat. hoc ideo, quia sustinetur hæreditatis petitionis iudicium, donec causa falsi agatur. eorum iudiciorum, quæ de hæreditatis petitione sunt: ea autoritas est, ut nihil in præiudicium eius fieri debeat.

VI. IDEM lib. LXXV. ad dictum.

**S**i testamētum falsum esse dicatur, & ex eo legatum petatur: uel præstandum est oblata cautione, uel quærendum, an debeat. Et si testamētum falsum esse dicatur: ei tamen, qui falsum accusat, si suscepta cognitio est, non est dandum.

VII. IDEM lib. XV. ad edictum.

**S**i quis libertatem ex testamento sibi competisse dicat: non debet iudex de libertate sententiam dicere, ne præiudicium de testamento cognitioni fiat: & ita Senatus cœsui. sed & diuus Traianus rescripsit: differendum libertatis iudicium, donec de inofficioso iudicium aut inducatur, aut finem accipiat. Ita demum autem sustinentur liberalia iudicia, si iam de inofficioso iudicium contestatum est. cæterum si non contestatur, nõ expectant: & ita diuus Pius rescripsit. Cum quidam Licinianus de statu suo quæstionem patiebatur, & ne quid durius pronunciaretur de conditione sua, nolabat ad liberale iudicium ire, dicens suscepturum se de inofficioso testamento iudicium, & petiturum hæreditatem: (quia & libertatē, & hæreditatem ex testamento sibi defendebat) Diuus Pius ait, si quidem possessor esset hæreditatis, Licinianum facilius audiendum, quoniam esset hæreditatis nomine iudicium suscepturus: esse quæ in arbitrio eius, qui se dominum dicat, agere de inofficioso testamento iudicio. Non uero sub obtentu iudicij de inofficioso testamento, ab ipso Liciniano non suscepti, per quinquennium debere moram fieri seruituti. Planè summam existimandum iudici concessit, si bona fide impleretur iudicium de inofficioso testamento: & si id ipse deprehens-

prehenderit, præstituendum ei modicum tempus, intra quod si non fuerit contestatum, iubeat iudicem libertatis partibus suis fungi. Quoties autem quis patitur controuersiam libertatis & hæreditatis, & se non ex testamento liberum dicit, sed aliàs à uiuo testatore manumissum: nõ debere impediri liberalem causam, licet iudicium de inofficioso testamento moueri speretur, diuus Pius rescripsit. Adiecit planè in rescripto: dummodo prædicatur iudici liberalis causæ, ne ullum adminiculum libertati ex testamento admittat.

VIII. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

**L**egitimam hæreditatem uindicare non prohibetur is, qui cum ignorabat uires testamenti, iudicium defuncti securus est.

IX. VLPPIANVS lib. XV. ad edictum.

**R**egulariter definiendum est, eum demum teneri petitione hæreditatis, qui uel ius pro hærede aut pro possessore possidet, uel rem hæreditariam,

X. CAIVS lib. VI. ad edictum prouinciale.

**L**icet minimam. Itaque qui ex asse, uel ex parte hæres est, intendit quidem hæreditatem suam esse totam, uel pro parte: sed hoc solum officio iudicis restituitur, quod aduersarius possidet. aut totum, si ex asse hæres est: aut pro parte, ex qua hæres est.

XI. VLPPIANVS lib. XV. ad edictum.

**P**ro hærede possidet, qui putat se hæredem esse. Sed an is, qui scit se hæredem non esse, pro hærede possideat, quæritur. & Arrianus libro secundo de interdicitis putat teneri: quo iure nos uti Proculus scribit. Sed enim & bonorum possessor pro hærede uidetur possidere. **PRO POSSESSORE** uero possidet prædo:

XII. IDEM lib. LX. ad edictum.

**Q**ui interrogatus, cur possideat, responsurus sit, quia possideo: nec contendit se hæredem, uel per mendacium.

XIII. IDEM lib. XV. ad edictum.

**N**ec ullam causam possessionis potest dicere. & ideo fur & raptor petitione hæreditatis tenentur. Omnibus etiã titulis hic **PRO POSSESSORE** hæret, & quasi iniunctus est. Denique & **PRO EMPTORE** titulo hæret. nam & si à furioso emero sciens, pro possessore possideo. Item in titulo **PRO DONATO** quæritur, an quis pro possessore possideat: ut puta uxor uel maritus. & placet nobis Iuliani sententia, pro possessore possidere eum. & ideo petitione hæreditatis tenebitur. Item **PRO DOTE** titulus recipit **PRO POSSESSORE** possessionem: ut puta si à minore duodecim annis nupta mihi, quasi dote sciens accepi. Et si legatum mihi solutum est ex falsa causa scienti, utique pro possessore possidebo. Ita ut

ff qui

qui restituit hæreditatem, teneri hæreditatis petitione non potest: nisi dolo fecerit, id est si scit, & restituit. Nā & dolo præteritus uenit in hæreditatis petitione, quasi dolo deserit possidere. Neratius libro sexto membranarū scripsit, uel ab hærede eius peti posse hæreditatē, etiam si ignoret pro hærede uel pro possessore defunctum possedisse.

Idē esse libro septimo ait, etiā si putauit hæres eas res ex hac hæreditate esse, quæ sibi delata est. Quid si quis hæreditatē emerit: an utilis in eum petitio hæreditatis debet dari, ne singulis iudicijs uexetur: uenditorem teneri certum est. Sed finge non existare uenditorem, uel modico uendidisse, & bonæ fidei possessore fuisse: an porrigi manus ad emptorem debeant? Et putat Caius Cassius dandam actionem utilem. Idē erit dicendum, & si paruo iussus uendere hæres, Titio hæreditatem uendidit. Nam putat dicendum Papinianus aduersus fideicommissarium dari actionem. ab hærede enim peti non expedire per exiguū precium habere. Sed & si retenta certa quantitate, restituere rogatus est (idem cepta. & erit dicendum. Planē si accepta certa quantitate restituere rogatus est) sanē in non putat Papinianus ab hærede petendā hæreditatē: quoniam pro hæredis defū, rede, quod conditionis implendæ gratia accepit, non possidet. Sed Sabinus in statulibero contra, & uerius: quia pecunia hæreditaria est. micircu- Idem & in eo, qui solos fructus ex hæreditate retinet, dicendum erit. res- lis inclu- netur enim & is hæreditatis petitione. Sed si quis sciēs alienā emerit sa cernis hæreditatem, quasi pro possessore possidet: & sic peti ab eo hæreditatē quidam putant. Quam sententiam non puto ueram. nemo enim prædo est, qui precium numerauerit: sed ut emptor uniuersitatis utili teneatur. Item si quis à fisco hæreditatem quasi uacantem emerit: æquissimum erit, utilem aduersus eum dari. Apud Marcellum libro quarto digestorum relatum est: si mulier hæreditatem in dotem dedit, marito pro dote quidem possidere hæreditatem, sed petitione hæreditatis utili teneri: sed ipsam mulierem directa teneri Marcellus scribit, maxime si iam factum diuortium est. Hæredem autem etiam earum rerum nomine, quas defunctus pro emptore possedit, hæreditatis petitione teneri constat, quasi pro hærede possideat: quamuis earum rerum nomine, quas pro possessore defunctus possedit, utiq; teneat. Si quis absentis nomine possideat hæreditatem: cum sit incertum, an ille ratū habeat: puto absentis nomine petendam hæreditatem, ipsius uero nequaquā: quia non uiderur pro hærede, uel pro possessore possidere, qui contemplatione alterius possidet. Nisi forte quis dixerit, cum ratū non habet, iam procuratorem quasi prædonem esse. tunc enim suo nomine teneri posse. Non solum autem hæreditas ab eo peti potest, qui coram iudice hæreditarium possidet, sed & si nihil, & uidentū, si non possideat, obtrule

obtulerit tamen se petitioni, an teneatur. Et Celsus libro secundo digestorum scribit, ex dolo eum teneri. dolo enim facere eum, qui se petitioni offerat. quam sententiam Marcellus generaliter apud Iulianum probat: omnem, qui se offerat petitioni, quasi possidentem teneri. Item si quis dolo fecerit, quo minus possideat: hæreditatis petitione tenebitur. Sed si alius nactus possessionem, quam ego dolo malo amiseram, paratus sit iudiciū pati: Marcellus libro quarto digestorū tractat, \* nū forte a/s \* ne. euanescat aduersus eum, qui desijt, litis æstimatio. & magis euanescere ait, nisi petentis interest. Certe (inquit) si rem paratus sit restituere, indubitātū erit euanescere. sed si is, qui dolo desijt, ante conueniatur: eū, qui possidet, nō liberabit. Itemq; à debitore hæreditario, quasi à iuris possessore. Nam & à iuris possessoribus posse hæreditatem peti constat.

XIII. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

**E**T utrū ex delicto, an ex contractu debitor sit, nihil refert. Debitor autē hæreditarius intelligitur is quoq; qui seruo hæreditario promittit, uel qui ante aditam hæreditatem dedit damnnum,

XV. CAIVS lib. VI. ad edictum prouinciale.

**V**el aliquam rem de hæreditate subripuit.

XVI. VLPIANVS lib. XV. ad edictum.

**Q**uod si in diem debitor sit, uel sub conditione, à quo petita est hæreditas: nō debere eum damnari, rei planē iudicatæ tempus spectandum esse, secundum Octauieni sententiam, an dies uenerit: apud Pomponium scriptum est. quod & in stipulatione condicionali erit dicendum. Si autem non uenerit: cauere officio iudicis debebit de restituendo hoc debito, cū dies uenerit, uel cōditio exstiterit. Sed & is, qui precia rerū hæreditariarū possidet, item qui à debitore hæreditario exigit, petitione hæreditatis tenetur. Vnde Iulianus libro sexto digestorū ait: & ab eo, qui petit hæreditatem, & litis æstimationem cōsecutus est: hæreditatem posse peti. Non solū autem à debitore defuncti, sed etiam à debitore hæreditario peti hæreditas potest. Deniq; ab eo, qui negocia hæreditaria gessit, & Celso & Iuliano uidetur peti hæreditatem posse: sed si negociū hæredis gessit, nequaquā. ab hæredis enim debitore peti hæreditas nō potest. Iulianus scribit: si is, qui pro hærede possidebat, ui fuerit deiectus: peti ab eo hæreditatem posse, quasi à iuris possessore: quia habet interdictū Vnde VI, quo uictus cedere debet. Sed & eum qui deiecit, petitione hæreditatis teneri: quia hæreditarias res pro possessore possidet. Idem Iulianus ait: siue quis possidens, siue non, rem uēdiderit: petitione hæreditatis eū teneri (siue iam precium receperit, siue petere possit) ut & hic actionibus cedat. Idē scribit, patronū hæreditatē petere non posse ab eo, cui libertus hæreditatē in fraudē alienauit:

ff ij quia

quia Caluisiana actione ei tenetur. patroni enim iste debitor est, non hæreditarius. Ergo nec ab eo, cui mortis causa donatum est, peti hæreditas potest. Item Iulianus scribit: si quis ex causa fideicommissi restituerit hæreditatem, uel singulas res præstiterit: peti ab eo hæreditatem posse, quia habet conditionem eorum, quæ sunt ex ea causa soluta. etiam uelut iuris possessor est. Sed & si precia rerum, quas difraxit, ex causa fideicommissi soluit: peti hæreditatem ab eo posse, quia repetere potest. Sed his casibus actiones suas duntaxat eum præstaturum: cum & res existant, & potest petitor per in rem actionem eas uindicare.

XVII. CAIVS lib. VI. ad edictum prouinciale.

**Q**uod si possessor hæreditatis ob id, quod ex testamento hæredem se putaret, legatorum nomine de suo soluerit, & quis ab intestato eam hæreditatem euincat: licet damnus uideatur esse possessori, quod sibi non profuerit stipulatione, EVICTA HAEREDITATE LEGATA REDDIT: attamen, quia fieri potest, ut eo tempore soluerit legata, quo adhuc controuersia nulla mota sit, & ob id nullam interposuerit cautionem: placet in eo casu, euicta hæreditate, dandam ei esse repetitionem. Sed quia cum cessante cautione repetitio datur, periculum est, ne propter inopiam eius, cui solutum est legatum, nihil repeti possit: ideo ei secundum senatusconsulti sententiam subueniendum est, ut ipse ex retentione rerum hæreditariarum sibi satisfaciat: cedat autem actionibus petitori, qui suo periculo eas exerceat.

XVIII. VLPPIANVS lib. XV. ad edictum.

**I**tem uidendum, si possessor hæreditatis, uenditione per argentarium facta, pecuniam apud eum perdiderit: an petitione hæreditatis teneatur, qui nihil habet, nec consequi potest. Sed Labeo putat eum teneatur, quia suo periculo male argentario credidit. Sed Octauenus ait, nihil eum præter actiones præstaturum. ob has igitur actiones petitione hæreditatis teneri. Mihi autem in eo, qui mala fide possedit, Labeonis sententia placet: in altero uero, qui bona fide possessor est, Octaueni sententia sequenda esse uideatur. Si quis, cum peteretur ab eo hæreditas, neque rei, neque iuris uelut possessor erat, uerum postea aliquid adeptus est: an petitione hæreditatis uideatur teneri? & Celsus libro quarto digestorum recte scribit hunc condemnandum, licet initio nihil possedit.

Nunc uideamus, quæ ueniant in hæreditatis petitione. Et placuit uersas res hæreditarias in hoc iudicio uenire: siue iura, siue corpora sint.

XIX. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

**E**T non tantum hæreditaria corpora, sed etiam quæ non sunt hæreditaria, quorum tamen periculum ad hæredem pertineat: ut res pignori datae defuncto, uel commodatae, depositaue. Et quidem rei pignori datae

data etiam specialis petitio est, utut hæreditatis petitione contineatur: sicut illæ, quarum nomine Publiciana competit. Sed licet earum nomine, quæ commodatæ, uel depositæ sunt, nulla sit facile actio: quia tamen periculum earum ad nos pertinet, æquum est eas restitui. Quod si PRO EMPTORE usucapio ab hærede impleta sit, non ueniet in hæreditatis petitione: quia hæres, idemque petitor eam uindicare potest, nec ulla exceptio datur possessori. Veniunt & hæ res in hæreditatis petitione, in quibus possessor retentionem habuit, non etiam petitionem: ueluti si iurauerat defunctus, petitoris rem non esse, & decessit: debent hæ quoque restitui. Imò & si possessor sua culpa eas amisit, tenebitur hoc nomine. Idemque erit & in prædone: licet hic pro culpa non teneatur: quia nec hic debet eas res retinere. Seruitutes in restitutione hæreditatis non uenire ego didici: cum nihil eo nomine possit restitui, sicut est in corporibus, & fructibus: sed si non patiatur ire & agere, propria actione conuenietur.

## XX. VLP IANVS lib. XV. ad edictum.

Item ueniunt in hæreditatem ea, quæ hæreditatis causa comparata sunt: utputa mancipia, pecora, & si qua alia necessario hæreditati sunt comparata. & siquidem pecunia hæreditaria sint, comparata, sine dubio uenient: si uero non pecunia hæreditaria, uidendum erit. & puto etiam hæc uenire, si magna utilitas hæreditatis uersetur, precium scilicet restituturo hærede. Sed non omnia, quæ ex hæreditaria pecunia comparata sunt, in hæreditatis petitione ueniunt. Denique scribit Iulianus libro sexto digestorum: si possessor ex pecunia hæreditaria hominem emerit, & ab eo petatur hæreditas: ita uenire in hæreditatis petitione, si hæreditatis interfuit eum emi: sed si sui causa emit, precium uenire. Simili modo & si fundum hæreditariū distraxerit, si quidem sine causa: & ipsum fundum, & fructus in hæreditatis petitione uenire. Quod si æris exsoluendi gratia hæreditarij id fecerit: non amplius uenire, quam precium. Item non solum ea, quæ mortis tempore fuerint, sed si qua postea augmenta hæreditati accesserint, uenire in hæreditatis petitione (nam hæreditas & augmentum recipit & deminutionem) Sed ea, quæ post aditam hæreditatem accedunt, siquidem ex ipsa hæreditate: puto hæreditati accedere, si extrinsecus, non: quia personæ possessoris accedunt. Fructus autem omnes hæreditatem augent: siue ante aditam hæreditatem, siue post accesserint. Sed & partus ancillarum sine dubio augent hæreditatem. Cum prædiximus, oēs hæreditarias actiones in hæreditatis petitione uenire: quaeritur, utrum cum sua natura ueniant, an contra: utputa quædam actio inficiatione crescit, utrum cum suo incremento, an uero in simplum ueniet: ut legis

Aquiliae? Et Iulianus libro sexto digestorum scribit, simplum solutus  
 rum. Idē recte ait: si noxali iudicio condemnatus sit possessor defun-  
 ctio, nō posse eum dedentem noxæ officio iudicis liberari: quia tam diu  
 als\* non. quis habet noxæ dedendæ facultatem, quā diu iudicati\* cōueniatur:  
 post susceptum iudicium non potest noxæ dedendo se liberare. susce-  
 pit aut per petitionem hæreditatis. Præter hæc aut multa reperimus  
 tractata, & de petitione hæreditatis, & de distractis rebus hæreditarijs, &  
 de dolo præterito, & de fructibus: quibus cum forma senatusconsulto  
 sit data, optimum est, ipsius Senatusconsulti interpretationem facere,  
 uerbis eius relatis. PRIDIE IDVS MARTIAS Q. IULIVS BALBUS,  
 aliās\* Ocri ET PVBLIVS IVVENTIVS CELSVS, TITVS AVFIDIVS ET\* ARRIVS  
 us, aliās SEVERIANVS CONSVLES, VERBA FECERVNT DE HIS, QVÆ IMPE-  
 Ocnius, ali RATOR CAESAR TRAIANI PARTHICI FILIVS, DIVI NERVÆ NE-  
 ás Tyberi POS, HADRIANVS AVGVSTVS, MAXIMVS QVE PRINCEPS PRO-  
 116. POSVIT QVINTO NONIS MARTIIS, QVÆ PROXIMAE FVERVNT:  
 LIBELLO COMPLEXVS, QVID FIERI PLACERET: DE QVE EA  
 RE ITA CENSVERVNT. CVM ANTE, QVAM PARTES CA-  
 DVCAE EX BONIS RVSTICI FISCO PETERENTVR, HI QVI SE HÆ-  
 REDES ESSE EXISTIMASSENT, HÆREDITATEM DISTRAXERVNT:  
 PLACERE, REDACTAE EX PRECIO RERVVM VENDITARVM PE-  
 CVNIAE VSVRAS NON ESSE EXIGENDAS. IDEM QVE ET IN SIMILI  
 BVS CAVSSIS SERVANDVM ESSE. ITEM PLACERE: A QVIBVS HÆ-  
 REDITAS PETITA FVISSET, SI ADVERSVS EOS IVDICATVM ES-  
 SET, PRECIA QVE AD EOS RERVVM EX HÆREDITATE VENDI-  
 TARVM PERVENISSENT: ET SIEAE ANTE PETITAM HÆREDITA-  
 TEM DEPERISSENT, DEMINVTAE VE FVISSENT: RESTITVERE DE-  
 BERE. ITEM EOS, QVI BONA INVASISSENT, CVM SCIRENT AD SE  
 NON PERTINERE: ETIAM SI ANTE LITEM CONTESTATAM FECE-  
 RINT, QVO MINVS POSSIDERENT: PERINDE CONDEMNANDOS,  
 QVASI POSSIDERENT. EOS AVTEM, QVI IVSTAS CAVSSAS HÆ-  
 BVISSENT, QVARE BONA AD SE PERTINERE EXISTIMASSENT,  
 VSQVE EO DVNTAXAT, QVO LOCVPLETIORES EX EA RE FA-  
 CTI ESSENT. PETITAM AVTEM FISCO HÆREDITATEM EX EO  
 TEMPORE EXISTIMANDVM ESSE, QVO QVISQVE SCIRET PRIMVM  
 BAMA, A SE PETI: ID EST, CVM PRIMVM AVT DENVNCIATVM EI  
 ESSET, AVT LITERIS VEL EDICTIS EVOCATVS ESSET. CENSVE-  
 RVNT. Apranda est igitur singulis uerbis senatusconsulti congru-  
 ens interpretatio. Ait senatus, CVM ANTE, QVAM PARTES CADV-  
 CAE FISCO PETERENTVR. hoc euenerat. fed etsi ex asse fiat, senatus  
 consultum locum habebit. idem etsi uacantia bona fisco uindicentur,  
 uel si

uel si ex alla quacumq; causa bona ad eum peruenerint. Senatusconsultum hoc locum habebit, et si ciuitati petetur. In priuatorum quoq; petitionibus senatusconsultum locum habere, nemo est, qui ambigat: licet in publica causa factum sit. Non solū aut in hæreditate hoc atimur senatuscōsulto, sed & in peculio castrensi, uel alia uniuersitate.

PETITAM AVTEM FISCO HAEREDITATEM, &c. QVO  
 QVIS QVE PRIMVM SCIRET EAMA' SE PETI. nam ubi scit: incipit esse malæ fidei possessor. IDEST, CVM PRIMVM AVT DENUNCIATVM ESSET &c. Quid ergo si scit quidem, nemo aut ei denunciauit: an incipiat usuras debere pecuniæ redactæ? & puto. coepit em malæ fidei possessor esse. Ponamus denunciatum esse, nō tamen scire: quia non ipsi, sed procuratori eius denunciatum est. senatus ipsi denunciari exigit, & ideo non nocebit: nisi forte is, cui denunciatū est, eum certiorauit. sed non: si certiorare potuit, nec fecit. A quo denunciatū sit, senatus non exigit. Quicumq; ergo fuit, qui denūciauit: nocebit. hæc aduersus bonæ fidei possessores. Nā ita senatus locutus est: EOS QUI SE HAEREDES EXISTIMASSENT. Cæterum si quis sciens ad se hæreditatem nō pertinere, distraxit: sine dubio non prelia rerum, sed ipsæ res ueniūt in petitionem hæreditatis, & fructus earum. Sed imperator Seuerus in epistola ad Celerem, idem uidetur fecisse & in malæ fidei possessoribus. Atqui senatus de his locutus est, qui se hæredes existimassent. Nisi forte ad eas res referemus, quas distrahi expedierat, quæ onerabant magis hæreditatem, quàm fructui essent: ut sit in arbitrio petitoris, qualem computationem faciat aduersus malæ fidei possessorem: utrum ipsius rei & fructuum, an precij & usurarum post mortem cōtrouersiam. Licet autem senatus de his locutus est, qui se hæredes existimassent: tamen & si bonorum possessores iustos se existiment, uel sibi restitutam hæreditatem: in eadem erunt conditione. Papinianus aut libro tertio quæstionum, si possessor hæreditatis pecuniam inuentam in hæreditate non attingat, negat eum omnino in usuras conueniendum. REDACTAE (inquit) PECVNIAE EX PRECIO RERVM VENDITARVM. REDACTAM sic accipiemus: nō solum iam exactam, uerū & si exigi potuit, nec exacta est. Quid si post petitam hæreditatem res distraxerit: hic ipsæ res ueniunt, fructusq; earum. At si forte tales fuerint, quæ uel steriles erant, uel tempore parturæ, & ex distractæ sint: fortassis possit petitor eligere, ut sibi prelia & usuræ præstentur. Ait senatus. PLACERE: A' QVIBVS PETITA HAEREDITAS FUISSET, SI ADVERSUS EOS IUDICATVM ESSET, PRECIA QVE AD EOS RERVM EX HAEREDITATE VENDITARVM PERVENISSENT: ET SI EAE ANTE PETITAM

TITAM HAEREDITATEM DEPERISSENT DEMINVTAE VE ESSENT: RESTITVERE DEBERE. Bonae fidei possessor, si uendiderit res haereditarias: siue exegit precium, siue non: quia habet actionem, debet precium praestare. Sed ubi habet actionem, sufficit eum actionem praestare. Sed si uendidit, & euicta re restituit, quod accepit: non ui debetur ad eum peruenisse. quanquam possit dici, nec ab initio precium peruenisse: quia non fuit res haereditaria, quae distracta est. Sed etsi senatus rerum ex haereditate distractarum, non haereditariarum fecit mentionem: restitui tamen non debet, quia nihil apud eum remanet. Nam Iulianus libro sexto digestorum scribit: quod indebitum exegit, restituere eum non debere: nec imputaturum, quod non debitum soluit. Sed & si res sit redhibita: hic utiq; haereditaria est, & precium non ueniet, quod refusum est. etsi ob uenditionem obstrictus sit emptori possessor haereditatis: dicendum erit, prospici ei cautione. Restitue re autem precia debet possessor, & si deperditae sunt res uel deminutae. Sed utrum ita demum restituet, si bonae fidei possessor est: an etsi male fidei? Et siquidem res apud emptorem exsint, nec deperditae, nec deminutae sunt. sine dubio ipsas res debet praestare male fidei possessor: aut si recipere eas ab emptore nullo modo possit, tantum, quantum in litem est iuratum. At ubi deperditae sunt, aut deminutae, uerum precium debet praestari: quia si rem petitor consecutus esset, distraxisset, & uerum precium rei non perderet.

XXI. CAIVS lib. VI. ad edictum prouinciale.

**D**Eperditum intelligitur, quod in rerum natura esse desijt. deminutum uero, quod usucaptum est, & ob id de haereditate exijt.

XXII. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

**S**I & rem & precium habeat bonae fidei possessor, puta quia eandem rem ne dicimus, electionem esse debere actoris. An aut magis possessor audietus sit, si uelit rem tradere, licet deteriore factam: non petitor, si precium desideret, quod inuerecundum sit tale desiderium: an uero, quod ex haereditaria re locupletior sit, & id quod amplius habet, ex precio restituere debeat: uidendum. Nam & in oratione diui Hadriani: ita est. DISPICITE PATRES CONSCRIPTI, NVNQVVD AEQVVM SIT, POSSESSOREM NON FACERE LVCRVM: ET PRECIUM, QVOD EX ALIENARE PERCEPERIT, REDDERE: QVIA POTEST EXISTIMARI IN LOCVM HAEREDITARIAE REI VENDITAE PRECIUM EIVS SVCESSISSE, ET QVODAM MODO IPSVM HAEREDITARIVM FACTVM. Oportet igitur possessorem, & rem restituere petitori, & quod ex uenditione eius rei lucratus est.

Vlpianus

XXIII. VLP IANVS lib. XV. ad edictum.

**V**trum autem omne precium restituere debeat bonæ fidei possessor, an uero ita demum, si factus sit locupletior: uideendum. fingebum quidem *PERVENISSE* ambiguum est: solum ne hoc contineat, quod prima ratione fuit: an uero & id, quod durat. & puto sequentem clausulam senatusconsulti sequendam. etsi hæc sit ambigua, ut ita demum computet, si factus sit locupletior. Proinde si non solum precium, sed etiam pœna precio tardius soluto peruenit: poterit dici, quia locupletior in totum factus est, debere uenire: licet de precio solummodo senatus sit locutus.

XXIII. PAVLYS lib. XX. ad edictum.

**A**t ubi ui deiectus fuit, non debeat restituere pœnam ex eo commissam: quâdo eâ actor habere non potest. Sicut nec pœnam restituere debet, quâ aduersarius ei promisit, si ad iudicium non uenerit.

XXV. VLP IANVS lib. XXV. ad edictum.

**S**ed & si lege commissoria uendidit, idem erit dicendum: lucrum, quod sensit lege commissoria, præstaturum. Item si ré distraxit, & ex precio aliam rem comparauit: ueniet precium in petitionem hæreditatis, non res, quam in patrimonium suum conuertit. Sed & si res minoris ualet, quæ comparata est: hætenus locupletior factus uidebitur, quatenus res ualet: quemadmodum si consumpsisset, in totum locupletior factus non uideretur. Quod ait senatus, *EOS, QUI BONA INVASISSENT, QUAE SCIRENT AD SE NON PERTINERE: ETIAM SI ANTE LITEM CONTESTATAM FECERINT, QVO MINVS POSSIDERENT: PERINDE CONDEMNANDOS, QVASI POSSIDERENT*: ita intelligendū est, ut & dolus præteritus in petitionem hæreditatis deducatur, sed & culpa. & ideo ab eo, qui ab alio non exegit, uel à semetipso: si tempore liberatus est, peti hæreditas poterit. hoc utiq; si exigere potuit. Quod autem ait senatus, *EOS, QUI BONA INVASISSENT*, loquitur de prædonibus: id est, de his, qui cū scirent ad se non pertinere hæreditatē, inuaserūt bona, scilicet cū nullā causam haberent possidendi. Sed & fructus, nō quos pceperūt (inquā) sed quos percipere debuerūt, eos præstatorios. De eo aut loquitur senatus, quod ab initio mēte prædonis res hæreditarias ad præhēdit. Quod si ab initio quidem iustam causam habuit adipiscendæ possessionis: postea uero conscius, ad se nihil hæreditatem pertinere, prædonis more uersari cœpit: quamuis nihil senatus de eo loqui uidetur, puto tamen & ad eum mentē senatusconsulti pertinere. parui etenim refert, ab initio quis dolose in hæreditate sit uersatus, an postea hoc facere cœ-

perit. Scire autem ad se nō pertinere, utrum is tantūmodo uideatur, qui factum scit: an & is, qui in iure errauit? putauerit forte recte factum testamentum, cum inutile erat: uel cum alius præcederet adgnatus, sibi potius deferri. Et non puto hunc esse prædonem, qui dolo caret, quāuis in iure errauit. **ETIAM SI ANTE LITEM CONTESTATAM** (inquit) **FECERINT**, hoc ideo adiectum est, quoniam post litem contestatam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse: quinimō post cōtrouersiam motam, quanquā enim litis contestatæ mentio fiat in senatusconsulto: tamen & post motam cōtrouersiam omnes possessores pares fiūt, & quasi prædones tenentur: & hoc iure hodie utimur. Cœpit enim scire rem ad se nō pertinentem possideri is, qui interpellatur. Qui uero prædo est, & ante litem contestatam doli mali nomine tenetur. hic est etenim dolus præteritus. **PERINDE** (inquit) **CONDENNANDOS, QVASI POSSIDERENT**, merito. Nam & is, qui dolo fecit, quo minus possideret, ut possessor condemnatur, accipies: siue dolo defierit possidere, siue dolo possessionem noluerit admittere. Siue autem ab alio res possideatur, siue in totum non exstet: locum habebit hæc clausula. Vnde si sit alius possessor, ab utroq; hæreditas peti poterit: & si per multos ambulauerit possessio, omnes tenebuntur. Vtrū is solus, qui possidet, fructus præstabit: an etiam qui dolo fecit, quo minus possideret? & dicendum erit post senatusconsultum ambos teneri.

Hæc uerba senatusconsulti, etiam aduersus eum, qui non possidet, iusiurandum inducunt. tam enim aduersus eum, qui dolo fecit, quo minus possideat: quā aduersus possidentem, in litem iuratur. Consultum luit senatus bonæ fidei possessoribus, ne in totum damno adficiantur: sed in id duntaxat teneantur, in quo locupletiores facti sint. Quęcumq; igitur fecerunt sumptum ex hæreditate (siue quid dilapidauerunt, siue perdiderunt) dum re sua se abuti putant, nō præstabunt. nec si donauerint, locupletiores facti uidebuntur: quamuis ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligauerunt. Planè si *ἀντίδωρα* acceperunt: dicendum est, eatenus locupletiores factos, quatenus acceperunt: & uelut genus quoddam hoc esse permutationis. Si quis re sua lautius usus sit cōtemplatione delatæ sibi hæreditatis: Marcellus libro quarto digestorum purat, nihil eum ex hæreditate deducturum, si eam non attigit. Si mihi modo, & si mutuam pecuniam accepit, quasi diues esse cœperit. Si tamen pignori res hæreditarias dedit: uidendum, an uel sic attingatur hæreditas, quod est difficile, cum ipse sit obligatus. Adeo autē qui locupletior factus nō est, non tenetur: ut si quis putans se ex asse hæredem, partem dimidiam hæreditatis sine dolo malo consumpserit: Marcellus libro quarto digestorū tractat, nam teneatur, quasi id quod

erogauit, ex eò fuerit, quod ad eum non pertinebat, sed ad cohæredes: an sicut is, qui cum hæres non erat, totum quidquid apud se fuerit, consumpsisset: sine dubio non teneatur, quasi locupletior non factus. Sed in proposita quæstione tribus decisionibus relatis, una primò: deinde alia, posse dici totum, quod supersit, restituere eum debere, quasi suam partem consumpsit: tertia, utriq; quod cõsumptum sit, decedere: ait, utriq; non nihil restituendum. Sed de illo dubitat, utrum totum, an partem restituendam dicat. Puto tamen residuum, in integrum non esse restituendum, sed partem eius dimidiam. Quod autem quis ex hæreditate erogauit, utrũ totum decedat, an uero pro rata patrimonij eius: ut puta penum hæreditarium ebibit. utrum totum hæreditati expensum feratur, an aliquid & patrimonio eius: ut in id factus locupletior uideatur, quod solebat ipse erogare ante delatã hæreditatem? & quidem si quid lautius contemplatione hæreditatis impendit, in hoc non uideatur factus locupletior: in statutis uero eius sumptibus uideatur factus locupletior. utriq; enim, & si non tam laute erogasset, aliquid tamen ad nictum quotidianum erogasset. Planè diuus Marcus in caussa Pythodori, qui rogatus erat, quod sibi superfuisset ex hæreditate, reddere, decreuit: ea, quæ alienata erant non minuendi fideicommissi gratia, cum nec precium in corpus patrimonij Pythodori rediisset: ex proprio Pythodori patrimonio & hæreditate decedere, non tantum ex hæreditate. Et nunc igitur statuti sumptus utrum ex hæreditate quoq; decedant exemplo rescripti diui Marci, an ex solo patrimonio, uidendum erit. Et uerius est, ut ex solo patrimonio decedant ea, quæ (& si non hæres fuisset) erogasset. Item si res distraxit bonæ fidei possessor, nec precio factus est locupletior: an singulas res, si nondum usucaptæ sint, uindicare petitor ab emptore possit? & si uindicet: an exceptione non repellatur, quod præiudicium hæreditati nõ fiat inter actorem & eum, qui uenum dedit: quia non uidetur uenire in petitionem hæreditatis precij earũ, quanq; uicti emptores reuersuri sunt ad eum, qui distraxit? Et puto, posse res uindicare: \* nisi emptores regressum ad bonæ fidei possesorem habeant. Quid tamen si is, qui uendidit, paratus sit ita defendere hæreditatem, ut perinde, atq; si possideret, conueniatur? incipit exceptio locũ habere ex persona emptorũ. Certe si minore precio res uenierint, & precij (quodcumq; illud) actor cõsecutus sit: multo magis poterit dici, exceptione eũ submoueri. Sed & si id, quod à debitoribus exegit possessor, petitori hæreditatis soluit: liberari debitores. Iulianus lib. quarto digestorũ scribit: siue etiã bonæ fidei possessor, siue prædo fuerit, qui debitũ ab his exegerat: ipso iure eos liberari. Petitio hæreditatis, & si in re actio est, tamen præstationes quasdam psonales habet: ut puta

eorum, quæ à debitoribus sunt exacta: item preciorum. Hoc senatusconsultum ad petitionem hæreditatis factum, etiam in FAMILIÆ ERISCYNDÆ locum habere placet: ne res absurda sit, ut quæ peti possunt, diuidi non possint. Augent hæreditatem gregum & pecorum partus.

XXVI. PAVLVVS lib. XX. ad edictum.

*als\* quo ad augmentū.* **Q**uod si oves natæ sunt, deinde ex his alia: eæ \*quoq; quasi augmentum restitui debent.

XXVII. VLP IANVS lib. XV. ad edictum.

**A**ncillarum etiam partus, & partuum partus, quantum fructus esse non existimantur (quia non temere ancillæ eius rei causa comparantur, ut pariant) augent tamen hæreditatem. Quippe cum ea omnia sint hæreditaria: dubium non est, quin ea possessor (si ea aut possideat, aut post petita hæreditate dolo malo fecerit, quo minus possideret) debeat restituere. Sed & pensiones, quæ ex locationibus prædiorum urbanorum perceptæ sunt, ueniunt: licet à lupanariis perceptæ sint. nam in multorum honestorum uirorum prædijs lupanaria exercentur.

XXVIII. PAVLVVS lib. XX. ad edictum.

**P**ost senatusconsultum enim omne lucrum auferendum esse, tam bonæ fidei possessori, quam prædoni, dicendum est.

XXIX. VLP IANVS lib. XV. ad edictum.

**M**ercedes planè à colonis acceptæ loco sunt fructuum. operæ quoque seruorum in eadem erunt causa, qua sunt pensiones. item uetus tæ nauium & iumentorum.

XXX. PAVLVVS lib. XX. ad edictum.

*als\* per- actoré:* **I**ulianus scribit: \*actorem eligere debere, utrum sortem tantum, an & usuras uelit cum periculo nominum agnoscere. At qui secundum hoc non seruabimus, quod Senatus uoluit: bonæ fidei possessorem teneri, quatenus locupletior sit. quid enim, si pecuniam eligat actor, quæ seruari non potest? Dicendum itaque est, in bonæ fidei possessore hæc tantummodo eum præstare debere: id est, uel sortem, & usuras eius, si eas percepit: uel nomina cum eorum cessione in id facienda, quod ex ijs adhuc deberetur, periculo scilicet petitoris.

XXXI. VLP IANVS lib. XV. ad edictum.

**S**i quid possessor soluit creditoribus, reputabit: quanquam ipso iure non liberauerit petitorum hæreditatis. nam quod quisque suo nomine soluit, non debitoris: debitorem non liberat. Et ideo Iulianus libro sexto digestorum scribit: ita id imputaturum possessorem, si cauerit se petitorum defensurum. Sed an & bonæ fidei possessor debeat ad defendendum cauere, uidendum erit: quia in eo, quod soluit non uidetur

uidetur locupletior factus: nisi forte habeat conditionem, & hoc nomine uideatur locupletior, quia poterit repetere. finge etenim eum, dū se hæredem putat, soluisse suo nomine. Et uidetur mihi Iulianus de solo prædōne, ut caueat, sensisse: non etiam de bonæ fidei possessore. Conditionem tamen præstare debet. Sed & petitor, si à creditoribus conueniatur, exceptione uti debet. Sed si ipsi aliquid prædōni debebatur, hoc deducere non debet: maxime si id fuit debitum, quod natura debebatur. Quid tamen, si expediebat petitori id debitum esse dissolutum propter pœnam, uel aliam causam: potest dici ipsum sibi uel soluisse, uel debuisse soluere. Iustus autem possessor proculdubio debet deducere, quod sibi debetur. Sicut autem sumptum, quem fecit, deducit: ita si facere debuit, nec fecit, culpæ eius reddet rationem, nisi bonæ fidei possessor est. tūc enim quia quasi suam rem neglexit, nulli que relæ subiectus est ante petitam hæreditatem: postea uero, & ipse prædō est. Illud planè prædōni imputari non potest: cur passus sit debitores liberari, & pauperiores effici, & non eos conuenerit: quando actionem non habuit. Quod aut possessori solutum est, an restituere debeat, uideamus. & siue bonæ fidei possessor fuit, siue non, debere restituere placet: & siquidem restituerit (ut Cassius scribit, & Iulianus libro sexto) liberari ipso iure debitores.

XXXII. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

**P**er seruum adquisitæ res hæredi restituendæ sunt. quod procedit in hæreditate \*liberti, & cum de inofficioso agitur, cum interim in bonis esset hæredis:

\* In alijs deest.

XXXIII. VLPPIANVS lib. XV. ad edictum

**N**isi ex re hæredis scripti stipulatus sit. Iulianus scribit: si hominem possessor distraxerit, si quidem non necessarium hæreditati. petitione hæreditatis precium præstaturū. imputaretur enim, si non distraxisset. Quod si necessarium hæreditati, siquidē uiuit, ipsum præstandum: si decesserit, fortassis nec precium. Sed non passurum iudicē, qui cognoscit, possessorem precium lucrari, scribit: & uerius est.

XXXIII. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

**F**ilijs familias militis puto peti posse hæreditatē, ex testamento nobis obuientem. Si seruus uel filius familias res hæreditarias tenet: à patre dominoue peti hæreditas poterit, si facultatem restituendarum rerum habeat. Certe si precium rerum hæreditariarum uēditarū in peculio serui habeat: Iulianus existimat, posse à domino, quasi à iuris possessore, hæreditatem peti.

XXXV. CAIVS lib. VI. ad edictum provinciale.

**I**dem Iulianus ait: etsi nondum precia rerum consecutus sit seruus,

gg ij posse

posse à domino, quasi à iuris possessore, hæreditatem peti: quia habeat actionem, qua eam pecuniam consequatur, quæ quidem actio etiam ignorantibus adquiretur.

XXXVI. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

**S**I à patre uel à domino, qui precia possidet, hæreditas petatur: an filio uel seruo mortuo, uel seruo manumisso, uel emancipato filio, intra annum agi debeat? & an debitum sibi dominus uel pater deducere possit? Iulianus uerius esse ait, & id Proculus quoque respondit, perpetuo actionem dandam: nec deduci oportere id, quod ipsi deberetur: quia non de peculio agatur, sed hæreditas petatur. hæc recte, si precia habeat seruus uel filiusfamilias. Quod si propterea hæreditas petatur à domino, quod seruus debitor fuit: perinde haberi debet, atque si de peculio ageretur. Idem dicendum Martianus ait, etiam si pecuniam ex precio perceptam seruus uel filius cōsumpserit: sed si aliàs ex peculio eius solui potest. Sed & à filiofamilias peti hæreditatem posse, non est dubium: quia restituendi facultatem habet, sicut ad exhibendum. Multo magis dicimus posse peti hæreditatem à filiofamilias, qui cum paterfamilias esset, & possideret hæreditatem, adrogandum se præbuit. Si possessor hæreditarium seruum occiderit, id quoque in hæreditatis petitione ueniet. Sed Pomponius ait: actorem debere eligere, utrum uelit sibi eum condemnari, ut caueat, se non acturum lege Aquilia: an malit integram sibi esse actionem legis Aquiliae, ommissa eius rei æstimatione à iudice. Quæ electio locum habet, si ante aditam hæreditatem occisus sit seruus. nam si postea ipsius actio propria effecta est, nec ueniet in hæreditatis petitione. Si prædo dolo desierit possidere, res autem eo modo interierit, quo esset interitura, & si eadem causa possessionis mansisset: quantum ad uerba senatusconsulti, melior est causa prædonis, quam bonæ fidei possessoris: quia si prædo dolo desierit possidere, ita condemnatur, atque si possideret, nec adiectum esset, si res interierit. Sed non est dubium, quin non debeat melioris esse conditionis, quam bonæ fidei possessor. Itaque & si plures uenerint res, electio debet esse actoris, ut prædictum consequatur: alioquin lucraretur aliquid prædo. Quo tempore locupletior esse debeat bonæ fidei possessor, dubitatur. sed magis est, rei iudicatæ tempus spectandum esse. Fructus intelliguntur deductis impensis, quæ quærendorum, cogendorum, conseruandorum eorum gratia fiunt. Quod non solum in bonæ fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, uerum etiam in prædonibus, sicut Sabino quoque placuit.

XXXVII. VLP IANVS lib. XV. ad edictum.

**Q**uod si sumptum quidem fecerit, nihil autem percepit fructuum: æquissimum erit, ratione horum quoque in bonæ fidei possessoribus haberi.

Paulus

## XXXVIII. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

Planè in cæteris necessarijs & utilibus impensis possunt separari, ut bonæ fidei quidè possessores has quoq; imputent: prædo aut de se queri debeat, qui sciens in rem alienam impendit. Sed benignius est, in huius quoq; persona haberi rationem impensarū. non em̄ debet petitor ex aliena iactura lucrū facere. & id ipsum officio iudicis continebit, nec exceptio doli mali desiderat. Planè sic potest in eo differētia esse: ut bonæ fidei quidè possessor omnino impensas deducat, licet res nō exstet, in quā fecit, sicut tutor uel curator cōsequuntur: prædo aut non aliter, q̄ si res melior sit.

## XXXIX. CAIVS lib. VI. ad edictum provinciale.

Vtiles aut necessariaeque sunt, ueluti quæ fiunt reficiendorū ædificiorum gratia, aut \*in nouale: aut cum seruorū gratia litis æstimatione soluitur, cum id utilius sit, q̄ ipsos dedi. Deniq; alias cōplures eiusdè generis esse impensas, manifestū est. Videamus tamen, ne ad picturā quoq; & marmorum, & cæterarum uoluptuariarum rerum impensas æque proficiat nobis doli exceptio. utiq; si modo bonæ fidei possessores sumus. Nam prædoni probe dicitur, non debuisse in alienā rem superuacuas impensas facere: ut tamen potestas ei fiat tollendorum eorum, quæ sine detrimento ipsius rei tolli possint.

## XL. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

Illud quod in oratione diui Hadriani est, ut post acceptum iudicium id aetori præstetur, quod habiturus esset, si eo tempore, quo petijt, restituta esset hæreditas: interdum durum est. Quid enim, si post litem contestatā mancipia, aut iumenta, aut pecora deperierint? damnari debet secundū uerba orationis, quia potuit petitor restituta hæreditate ea distraxisse? Et hoc iustum esse in specialibus petitionibus Proculo placet, Cassius cōtra sensit. In prædonis psona Proculus recte existimat, in bonæ fidei possessoribus Cassius. Nec enim debet possessor aut mortalitatem præstare, aut propter metum huius periculi temere indefensum ius suum relinquere. Prædo fructus suos non facit, sed augment hæreditatem: ideoq; eorum quoq; fructus præstabit. In bonæ fidei autem possessore hi tantum ueniunt in restitutione, quasi augmenta hæreditatis, per quos locupletior factus est. Actiones, si quas possessor nactus est, euicta hæreditate restituere debet: ueluti interdictum VNDE VI, aut QVOD PRECARIO. Contra quoq; si possessor cauerit DAMNI INFECTI, cauendum est possessori. Ad officium iudicis pertinebunt & noxales actiones: ut si paratus sit possessor noxæ dedere seruum, qui damnū dederit in re hæreditaria, uel furtum fecerit, absoluat, sicut fit in interdicto QVOD VI AVT CLAM.

## XLI. CAIVS lib. VI. ad edictum provinciale.

**S**I quo tempore conueniebatur possessor hæreditatis, pauciores res possidebat, deinde aliarum quoque rerum possessionem adsumpsit: eam quoque uictus restituere debet: siue ante iudicium acceptum, siue postea adquisierit possessionem. Et si fideiussores, quos dederat ad litem, non sufficiant: iubere eum debet proconsul, ut idonee caueat. Ex diuerso quoque, si pauciores postea possidebit, quam initio possidebat (si modo id sine dolo eius acciderit) absolui debet, quo ad eas res, quas desijt possidere. Fructus computandos etiam earum rerum, quas defunctus pignori accepit, Iulianus ait.

XLII. VLP IANVS lib. LXVII. ad edictum.

**S**I debitor hæreditarius non ideo nolit soluere, quod se dicat hæredem: sed ideo, quod neget, aut dubitet, an hæreditas pertineat ad eum, qui petit hæreditatem: non tenetur hæreditatis petitione,

XLIII. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

**P**ostquam legatum à te accepi, hæreditatem peto. Atilicinus quibusdam placuisse ait, non aliter mihi aduersus te. dandam petitionem, quam si legatum redderem. Videamus tamen, ne non aliter petitor hæreditatis legatum restituere debeat, quam caueatur: si contra eum de hæreditate iudicatum fuerit, reddi ei legatum: cum iniquum sit, eo casu possessorem hæreditatis legatum, quod soluerit, retinere: & maxime si non per calumniam, sed per errorem hæreditatem petierit aduersarius, idque Lelius probat. Imperator autem Antoninus rescripsit: ei, qui legatum ex testamento abstulisset, causa cognita hæreditatis petitionem negandam esse: scilicet, si manifesta calumnia sit.

XLIII. IABOLENVS lib. I. ad Plautium.

**C**um is, qui legatum ex testamento percepit, hæreditatem petit: si legatum quocumque modo redditum non sit: iudicis officio continetur, ut uictori, deducto eo, quod accepit, restituatur hæreditas.

XLV. CELSVS lib. III. digestorum.

**Q**ui se liti obtulit, cum rem non possideret, condemnatur: nisi euitis scilicet eum non possidere. quippe isto modo non est deceptus. & qui se hæreditatis petitioni obtulit, ex doli clausula tenetur: æstimarique oportebit, quanti eius interfuit non decipi.

XLVI. MODESTINVS lib. VI. differentiarum.

**P**rædonis loco intelligendus est & is, qui tacitam fidem interposuit, ut non capienti restitueret hæreditatem.

XLVII. IDEM lib. VI. responsorum.

**L**ucius Titius, cum in falsi testamenti propinqui accusatione non obtinuerit: quæro, an de non iure facto, nec signato testamento quæres  
la illi

la illi comperere possit: Respondit, non ideo repelli ab intentione non iure facti testamenti, quod in falsi accusatione non obtinuerit.

XLVIII. IABOLENVS lib. III. ex Cassio.

**I**N æstimationibus hæreditarijs, ita uenit precium uenditæ hæreditatis: ut id quoq; accedat, quod plus fuit in hæreditate, si ex negotiationis causa uenit. Sin autem ex fideicommissi causa: nihil amplius, quam quod bona fide accepit.

XLIX. PAPINIANVS lib. VI. questionum.

**S**I bonæ fidei possessor uelit cum debitoribus hæreditarijs, aut his, qui res hæreditarias occupauerunt, consistere: audietur utiq; si periculum erit, ne inter moras actiones intercidant. Petitor autem hæreditatis citra metû exceptionis in rem agere poterit. Quid enim si possessor hæreditatis negligat? quid si nihil iuris habere se sciat?

L. IDEM lib. VII. questionum.

**H**æreditas etiam sine ullo corpore iuris intellectum habet. Si defuncto monumentum, conditionis implendæ gratia, bonæ fidei possessor fecerit: potest dici (quia uoluntas defuncti in hoc seruanda est) utiq; si probabilem modum faciendi monumenti sumptus, uel quantum testator iusserit, non excedat) eum, cui auferitur hæreditas; in pensas, aut doli exceptione retenturum, aut actione negotiorum gestorû petiturum, ueluti hæreditario negotio gesto. Quamuis enim stricto iure nulla teneantur actione hæredes ad monumentum faciendû: tamen principali, uel pontificali autoritate compelluntur ad obsequium supremæ uoluntatis.

LI. IDEM lib. III. responsorum.

**H**æres furiosi substituto, uel sequentis gradus cognato, fructus medijs temporis, quibus per curatorem furiosus locupletior factus uidetur, præstabit: exceptis uidelicet impensis, quæ circa eandem substantiam tam necessario, quam utiliter factæ sunt. Sed & si quid circa furiosum necessario fuerit expensum, & hoc excipiatur: nisi alia sufficiens substantia erat furioso, ex qua sustentari potuit. Fructuum post hæreditatem petitam perceptorum usuræ non præstantur. Diuersa ratio est eorum, qui ante actionem hæreditatis illatam percepti, hæreditatem auxerunt.

LII. HERMOGENIANVS lib. III. iuris ἐπιτομῶν.

**S**I possessor ex hæreditate inhonestos habuerit quæstus, etiam hos restituerè cogetur: ne honesta interpretatio non honesti quæstus lucrum possessori faciat.

LIII. PAULVS lib. X. ad Sabinum.

**N**on solum ad æs alienum hæreditarium exsoluendû necessaria

h h alienatio

alienatio possessori est: sed & si impensæ necessariæ in rem hæreditariam factæ sunt à possessore, uel si mora res peritura deteriorésue futurae erant.

LIIII. IULIANVS lib. VI. *digestorum.*

**E**I, qui partem hæreditariam uel totam à fisco mercatus fuerit, non est iniquum dari actionem, per quam uniuersa bona persequatur: quemadmodum & cui ex Trebelliano senatusconsulto, hæreditas restituta est, petitio hæreditatis datur. Hæres debitoris id, quod defunctus pignori dederat, quin hæreditatem petendo consequi possit, dubiū non est. Cum prædia urbana & rustica negligentia possessorum peiora sunt facta: ueluti quia uineæ, pomaria, horti extra cõsuetudinem patrisfamilias defuncti culti sunt: litis æstimationem earum rerum, quanto peiores sunt factæ, possessores pati debent.

L V. IDEM lib. LX. *digestorum.*

**E**uicta hæreditate, bonæ fidei possessor, quod lege Aquilia exegerit, non simplum, sed duplum restituet. lucrum enim ex eo, quod propter hæreditatem accepit, facere non debet.

LVI. AFRICANVS lib. III. *questionum.*

**C**um hæreditas petita sit: eos fructus, quos possessor pcepit, omnimodo restituendos ait, & si petitor eos percepturus non fuerat.

L VII. NERATIUS lib. VI. *membranarum.*

**C**um idem eandem hæreditatē aduersus duos defendit, & secundum alterum ex his iudicatum est: quæri solet, utrum perinde ei hæreditatem restitui oporteat, atq; oporteret, si aduersus alium defensa non esset: ut scilicet simulac secundum alium fuerit iudicatum, absoluatur is, cum quo actum est: quia neq; possideat, neq; dolo malo fecerit, quo minus possideret, quod iudicio uictus restitueret: an quia possit & secundum alium iudicari, non aliter restituere debeat, quam si cautum ei fuerit, quod aduersus alium eadem hæreditatem defendat: Sed melius est, officio iudicis cautione uel satisfactione uicto mederi: cum & res salua sit ei, qui in executione tardior uenit aduersus priorem uictorem.

L VIII. SCAEVOLA lib. III. *digestorum*

**F**ilius à patre emancipatus, secundum conditionem testamenti matris adiit hæreditatem: quam pater, antequàm filium emanciparet, possedit, fructusq; ex ea percepit. sed erogationem in honorem filij, cum esset senator, fecit. quæsitum est: cum paratus sit pater restituere hæreditatem, habita ratione eorum, quæ in eum erogauit: an filius nihilominus perseuerans petere hæreditatem, doli mali exceptione submoueri possit? Respondi, & si non exciperetur: satis per officium iudicis consuli.

Si pars

SI PARS HAEREDITATIS PE-  
tatur. Tit. IIII.

VLPIANVS lib. XV. ad edictum.

**P**OST actionem, quam praetor proposuit ei, qui ad se so-  
lum haereditatem pertinere contendit: consequens fuit  
& ei proponere, qui partem haereditatis petit. Qui haereditatem, uel partem haereditatis petit: ius non ex eo me-  
titur, quod possessor occupauit, sed ex suo iure. & ideo si  
ue ex affe haeres sit: totam haereditatem uindicabit, licet tu unam rem  
possideas: siue ex parte, partem, licet tu totam haereditatem possideas.  
Quinimo si duo possideant haereditatem, & duo sint, qui ad se par-  
tes pertinere dicant: non singuli a singulis petere contenti esse debent  
(puta primus a primo, secundus a secundo) sed ambo a primo, & am-  
bo a secundo. neque enim alter primi, alter secundi partem possidet, sed  
ambo utriusque. Proinde & si pro haerede possessor & petitor posside-  
ant haereditatem: cum unusquisque eorum partem dimidiam haeredita-  
tis sibi adferat, inuicem petere debebunt, ut partes rerum consequan-  
tur: aut si controuersiam sibi non faciunt haereditatis, familiae eriscun-  
dae experiri eos oportebit. Si ego ex parte me dicam haeredem, co-  
haeres autem meus possideat haereditatem cum extraneo: cum non plus  
cohaeres haberet parte sua, utrum a solo extraneo, an uero & a cohaere-  
de debeam petere haereditatem, quaeritur. Et Pegasus fertur existimasse,  
a solo extraneo me petere debere, eumque restitutum quidquid possi-  
det. & fortassis hoc officio iudicis debet fieri. Caterum ratio facit, ut a  
duobus petam haereditatem, hoc est etiam a cohaerede meo: & ille quoque  
dirigat actionem aduersus exterum possessorem. Sed Pegasi sententia  
utilior est. Item si cum me ex parte dimidia dicerem haeredem, trientem  
haereditatis possiderem, deinde residuum sextantem uelim persequi: qua-  
liter agam, uideamus. Et Labeo scribit, utique partem dimidiam me petere de-  
bere a singulis. sic fieri, ut a singulis sextantem consequar, & habeam bessem:  
quod uerum puto. sed & ipse tenebor ad restitutionem sextantis ex tri-  
ente, quem possidebam. & ideo iudicis officio inuicem compensatio erit  
admittenda eius, quod possideo: si forte cohaeredes sint, a quibus haereditatem peto. Interdum praetor incertae partis haereditatis petitio-  
nem indulget, idoneis causis interuenientibus. ut puta, est defuncti patris  
filius. sunt & uxores defunctorum fratrum praegnantes. qua partem fra-  
tris filius haereditatis uindicet, incertum est: quia quot edantur fratrum de-  
functorum filij, incertum est. Aequissimum est igitur, incertae partis uin-  
dicationem ei concedi. Non audenter tamen dicetur, ubicumque merito  
hh ij quis

quis incertus est, quam partem iudicet: debere incertæ partis iudicationem concedi.

II. CAIVS lib. VI. ad edictum provinciale.

**S**I ex pluribus, ad quos eadem hæreditas pertinet, quidam adierint, quidam adhuc deliberent: placuit eos, qui adierint, si petant hæreditatem, non maiorem partem petere debere, quàm habituri essent cæteris aduentibus: nec proderit eis, si cæteri non adierint. Non aduentibus autem cæteris: poterunt tunc partes eorum petere, si modo ad eos pertinent.

III. PAVLVS lib. XVII. ad Plautium.

**A**ntiqui libero uentri ita prospexerunt, ut in tempus nascendi omnia ei iura integra reseruarent: sicut apparet in iure hæreditatiu, in quibus qui post eum gradum adgnationis sunt, quo est id, quod in utero est: non admittuntur, dum incertum est, an nasci possit. Vbi autem eodem gradu sunt cæteri, quo & uenter: tunc quæ portio in suspensio esse debeat, quaesierunt. & quia non poterant scire, quod nasci possent: ideo multa de huiusmodi re tam uaria & incredibilia tradiderunt, ut fabulis adnumerentur. Nam traditum est, quatuor pariter puellas à matrefamilias natas esse. Alioquin tradidere non leues auctores, quinquies quaterque nos enixam Peloponesiam, & multas Aegypti uno utero septenos. Sed & tergeminos senatores cunctos uidimus Oratios. Sed & Lelius scribit, se uidisse in palatio liberam mulierem, quæ ab Alexandria perducta esset, ut Hadriano ostenderetur cum quinque liberis: ex quibus quatuor eodem tempore enixa (inquit) dicebatur, quintum post quadragesimum diem. quid ergo? Prudentissimi iuris auctores medietatem quandam secuti sunt, ut quod fieri non raro admodum posset, intuerentur: id est, quia fieri poterat, ut tergemini nascerentur, quartam partem superstiti filio assignauerunt. τὸ γὰρ ἔπαρξεν ἰδ' ἴσ' (ut ait Theophrastus) ἡ ἀγαθαίτη σὶν δὶ νομοθέταις. Ideoque & si unum paritura sit, non ex parte dimidia, sed ex quarta interim hæres erit.

III. VLPIANVS lib. XV. ad edictum.

**E**T si pauciores fuerint nati, residuum ei pro rata ad crescere: si plures quàm tres, decrescere de ea parte, ex qua hæres factus est.

V. PAVLVS lib. XVII. ad Plautium.

**I**llud sciendum est: si mulier prægnans non sit, existimetur autem prægnans esse: interim filium hæredem esse ex asse, quanquam ignoret se ex asse hæredem esse. Idem est in extraneo: si ex certa portione hæres institutus sit, ex reliqua postumus. Quod si forte ita institutio facta est, QUOTCVNQVE MIHI NATI ERVNT, ET LVCIVS TITIVS PRO VIRILIBVS PORTIONIBVS HAEREDES MIHI SVNTO: habebit hæsitationem, nunquid adire non possit, atque qui

qui in testamento portionem suam nescit. Sed utilius est, posse eum adire, qui nescit portionē: si cætera, quæ oportet eum scire, nō ignoret.

VI. *VLPIANVS lib. VI. opinionum.*

**S**orori, quam cohæredem fratribus quatuor in bonis matris esse placuit, quinta portio pro portionibus, quæ ad eos pertinuit, ceder: ita ut singuli in quartam, quam ante hac habere credebantur, nō amplius ej quinta conferant. Sumptus, qui propter onera totius hæreditatis iusti fiunt: ei, qui patroni iure portionē euicerit, pro rata computentur.

VII. *IULIANVS lib. VI. digestorum.*

**N**on possumus consequi per hæreditatis petitionem id, quod familiae exciscundæ iudicio consequimur, ut à cōmunionē discedamus: cum ad officium iudicis nihil amplius pertineat, quàm ut partem hæreditatis pro indiuiso restitui mihi iubeat.

VIII. *IDEM lib. XLVIII. digestorum.*

**P**ermittendum erit possessori hæreditatis, partem quidem hæreditatis defendere, partem uero cedere. Nec enim prohibet, aliquem totam hæreditatem possidere, & partem scire dimidiam ad se pertinere, deq; altera parte controuersiam non facere.

IX. *PAVLVS lib. III. ὑπερὸς Ἀλφειῖ digestorum.*

**C**um multi hæredes instituti essent, ex his unus in Asia erat. eius procurator uenditionē fecerat, & pecuniã pro parte eius abstulerat. postea apparuerat eū, qui in Asia erat, ante decessisse: instituto ex parte dimidia hærede procuratore suo, & ex parte alio. Quæsitū est, quemadmodum pecunia ex hæreditate petenda esset? Respōsum est: ab eo, qui procurator eius fuisset, totam hæreditatem (quia ex hæreditate ea pecunia fuisset, quæ ad procuratorem ex uenditione peruenisset) petere eos oportere, & nihilominus partē dimidiam hæreditatis à cohærede eius. Ita fore, siue omnis ea pecunia penes eū, qui procurator fuisset, resideret: ut omnē per iudicem ab eodē recuperaret. siue is partē dimidiam cohæredi suo reddidisset: ipsum ex dimidia parte, ex dimidia cohæredem eius condemnarent.

X. *PAPINIANVS lib. VI. questionum.*

**C**um hæredis ex parte instituti filius, qui patrē suum ignorabat uicuo testatore decessisse, partem hæreditatis nomine patris absentis administrauerit, & pecunias distractis rebus acceperit: hæreditas ab eo peti nō potest, quia neq; pro hærede, neq; pro possessore precia possidet, sed ut filius patris negocium curauit. Negociorū autem gestorū actio cæteris cohæredibus, ad quos portio defuncti pertinet, dabitur. Illud enim utiq; non est metuendum: ne etiam patris, à quo forte ex hæredatus est, teneatur hæredibus, quasi negocia hæreditaria gesserit:

hh iij cum

als\*ci, cui  
quod eius  
nomine de-  
bitum per-  
ceptū est,  
restitui æ-  
quum est.

cum illud, quod administrauit, non fuerit paternæ hereditatis. Nam & si negotiorum gestorum actio sit\* ei, cuius suo nomine debitum exactum est: hoc tamen, quod alieno nomine perceptū est, restitui æquum est. Sed in proposito neq; patris negocia fuerant, qui esse defierat: neq; paternæ successionis, quæ fuerant alterius hereditatis. Quod si filius iste patri suo hæres exstiterit, & moueat controuersiam, quod pater eius, postq; hæres exstiterit, mortem obierit: ille tractatus incurrit, an ipse causam sibi possessionis mutare uideatur. Quoniam tamen qui negocia hereditaria gessit, & debitor esse coepit: postea faciens controuersiam hereditatis, ut iuris possessor conuenitur. Idem etiam in hoc filio respondendum erit.

### DE POSSESSORIA HAEREDITATIS petitione. Tit. V.



VLPIANVS lib. XV. ad edictum.

Ordinarium fuit, post ciuiles actiones hæredibus propositas, rationem habere prætorem etiam eorum, quos ipse uelut hæres facit: hoc est eorum, quibus bonorum possessio data est.

II. CAIUS lib. VI. ad edictum prouinciale.

PER quam hereditatis petitionē tantundē consequitur bonorū possessor, quantū superioribus ciuilibus actionib; hæres cōsequi potest.

### DE FIDEICOMMISSORIA HAEREDITATIS petitione. Tit. VI.



VLPIANVS lib. XV. ad edictum.

Ordine occurrit actio, quæ proponitur his, quibus restituta est hereditas. Nam quisquis susceperit restitutā hereditatem ex senatusconsulto, ex quo actiones transeunt fideicommissoria hereditatis petitione uti poterit.

II. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

QUÆ actio eadem recipit, quæ hereditatis petitio ciuilis.

III. VLPIANVS lib. LXVI. ad edictum.

NEC interest, mihi quis rogatus fuerit restituere, an cui hæres exstiti. Si bonorū possessor sim eius, cui fideicommissoria hereditas relicta est, uel alius successor: per hanc actionem experiri potero. Sciendū est, hanc actionem aduersus eū, qui restituit hereditatem, nō competere. Eæ aut actiones mihi danf, quæ hæredi & in hæredē cōpetunt.

Digesto

# DIGESTORVM

SEV PANDECTARVM LIBER SEXTVS.

## DE REI VINDICATIONE Tit. I.

VLP IANVS lib. XVI. ad edictum.



OST actiones, quæ de uniuersitate propositæ sunt, subijcitur actio singularium rerum petitionis. Quæ specialis in rem actio locum habet in omnibus rebus mobilibus, tam animalibus, quàm ijs quæ anima carent: & in ijs, quæ solo continentur. Per hæc autem actionem liberæ personæ, quæ sunt iuris nostri: ut puta liberi, qui sunt in potestate: non petuntur. igitur aut præiudicijs, aut interdictis, aut cognitione prætoria: & ita Pōponius libro tricesimo septimo. Nisi forte (inquit) adiecta causa quis uindictet. Vnde si quis ita petit filium suum in potestate, ex iure Romano: uidetur mihi Pomponius consentire, recte eum egisse. ait enim adiecta causa, ex lege quiritem uindicare posse. Per hanc autem actionem non solum singulæ res uindictantur: sed posse etiam gregem uindictari, Pomponius libro uicesimo quinto lectionum scribit. idem de armento, & de equitio, cæterisque, quæ gregatim habentur, dicendum est. Sed enim gregem sufficit ipsum nostrum esse, licet singula capita nostra non sint. grex enim, non singula corpora uindictantur.

II. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

Sed si par numerus duorum interfuerit: neuter solidum gregem, sed S nec partem dimidiam totius eius uindictabit. Sed si maiorem numerum alter habeat: ut detracto alieno, nihilominus gregem uindictaturus sit: in restitutione tamen non ueniunt aliena capita.

III. VLP IANVS lib. XVI. ad edictum.

M Arcellus libro quarto digestorum scribit. qui gregem habebat trecentorum capitum: amissis centum, redemit totidem alia capita ab eo, qui dominium eorum habebat, uel qui bona fide ea possidebat. & hæc utiq; gregis (inquit) uindicatione continebuntur. Sed & si ea sola supersint capita, quæ redempta sunt: adhuc eum posse gregem uindictare. Armamenta nauis singula erunt uindictanda. scapha quoq; separatim uindictabitur. Pomponius scribit: si quid, quod eiusdem naturæ est, ita confusum est atq; commistum, ut deduci & separari nō possit: non totum, sed pro parte esse uindictandum. ut puta, meum & tuum argentum in massam redactum est, erit nobis commune: & unusquisq; pro rata

pro rata pōderis, quod in massa habemus, uindicabimus: & si incertum sit, quantum quisq; ponderis in massa habeat.

IIII. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

**Q**uo quidem casu etiam communi diuidendo agi poterit. sed & id furti, & ad exhibendum tenebitur, qui dolo malo confundendū id argentum curauit. Ita ut in ad exhibendum actione precij ratio haberi debeat: in uindicatione uel communi diuidendo actione hoc amplius ferat, cuius argentum preciosius erat.

V. VLPPIANVS lib. XVI. ad edictum.

\* alijs de-  
sunt hæc  
uerba, usq;  
ad. si fru-  
mentum.

**I**dem Pomponius scribit. si frumentum duorum, non uoluntate eorum, confusum sit, competit singulis in rem actio in id, quantum parerit in illo aceruo suum cuiusq; esse. Quod si uoluntate eorum commista sunt: tunc communicata uidebuntur, & erit communi diuidendo actio. Idem scribit, si ex melle meo & ex uino tuo factū sit mulsum, quosdam existimasse, id quoq; communicari: sed puto uerius (ut & ipse significat) eius potius esse, qui fecit: quoniam speciem pristinam non retinet. Sed si plumbum cum argento mistum sit: quia potest deduci, nec communicabitur, nec communi diuidendo agatur, ageretur autem in re. Sed si deduci (inquit) non possit, puta si æs & aurum mistum fuerit: pro parte esse uindicandum. Nec quaquam erit dicendum, quod in mulso dictum est: quia utraq; materia, & si confusa, manet tamen. Idem scribit: si equam meam equus tuus prægnantem fecerit: non esse tuum, sed meum, quod natum est. De arbore, quæ in alienū agrum translata, coäluit, & radices immisit: Varus & Nerua utilem in re actionem dabant. nam si nondum coäluit, mea esse non definit. Cum in rem agitur, si de corpore conueniat, error autem sit in uocabulo: recte actum esse uidetur. Si plures sint eiusdem nominis ferri (puta plures Erotas) nec appareat, de quo actum sit: Pomponius dicit, nullam fieri condemnationem.

VI. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

**S**i in rem aliquis agat, debet designare rem: & utrum totam, an partem, & quotam petat. Appellatio enim rei non genus, sed speciem significat. Octauenus ita definit: quod infectæ quidē materiæ pondus, signatæ uero numerum, factæ autem speciem dici oportet. Sed & mensura dicenda erit, cum res mensura continebitur. Et si uestimenta nota esse, uel dari oportere nobis dicamus: utrum numerum eorum dicere debemus, an & colorē: & magis est, ut utrunq;. nam illud inhiat manus est: cogi nos dicere, trita sint, an noua. Quamuis & in uasis occurrat difficultas: utrum lancem dūtaxat dici oporteat, an etiam quadratam, uel rotundam: uel pura, an cælata sit. quæ ipsa in petitionibus quoq;

quoque adijcere difficile est, nec ita coartanda res est: licet in petendo homine nomen eius dici debeat, & utrum puer, an adolescens sit. utique, si plures sint. sed si nomen eius ignorem, demonstratione eius utendum erit: ueluti qui ex illa hereditate est, qui ex illa natus est. Item fundum petiturus, nomen eius, & quò loci sit, dicere debet.

VII. IDEM lib. XL. ad edictum.

**S**is, qui obtulit se fundi uindicationi, damnatus est: nihilominus a possessore recte petitur, sicut Pedius ait.

VIII. IDEM lib. X. ad edictum.

**P**omponius libro tricesimo septimo probat: si ex æquis partibus fundum mihi tecum communem, tu & Lucius Titius possideatis: non ab utrisque quadrantem petere me debere: sed à Titio, qui nò sit dominus, totum semissem. Aliter atque si certis regionibus possideatis eum fundum. nam tunc sine dubio & à te, & à Titio partes fundi petere me debere. Quoties enim certa loca possidebuntur, necessario in his aliquam partem meam esse. & ideo te quoque à Titio quadrantem petere debere. Quæ distinctio neque in re mobili, neque in hereditatis petitione locum habet. nunquam enim pro diuiso possideri potest.

IX. VLP IANVS lib. XVI. ad edictum.

**O**fficium autem iudicis in hac actione in hoc erit: ut iudex inspiciat, an reus possideat. Nec ad rem pertinebit, ex qua causa possideat. ubi enim probaui rem meam esse: necesse habebit possessor restituere, qui non obiecit aliquam exceptionem. Quidam tamè (ut Pegasus) eam solam possessionem putauerunt hanc actionem complecti, quæ locum habet in interdicto VTI POSSIDETIS uel VTRVBI. Denique ab eo, apud quem deposita sit uel commodata, uel qui conduxerit: aut qui legatorum seruandorum causa, uel dotis, uel uentris, uel rei seruandæ nomine in possessione sit, uel cui DAMNI INFECTI non caueatur (quia hi omnes non possident) uindictari non posse. Puto autem ab omnibus, qui tenent, & habent restituendi facultatem, peti posse.

aliàs\* ad-  
ditur nego-  
tio.

X. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

**S**i res mobilis petita sit, ubi restitui debeat, si præsens non sit: & non in alio loco est (si bonæ fidei possessor sit is, cum quo agitur) aut ibi restitui, ubi res est, aut ubi agitur: sed sumptibus petitoris, qui extra cibaria in iter uel nauigationem faciendi sunt.

XI. VLP IANVS lib. XVI. ad edictum.

**N**isi malit petitor suis impensis & periculo ibi, ubi uindictatur, re restituatur. restitui. tunc enim de restitutione cum satisfactione cauebitur.

XII. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

**S**i uero mala fidei sit possessor, qui in alio loco eam rem nactus sit:

ii idem

idem statui debet. Si vero ab eo loco, ubi lis contestata est, eam subtraham alio transferat: illic restituere debet, unde subtraxit, sumptibus suis.

XIII. VLP IANVS lib. XVI. ad edictum.

aliás \*re-  
putat lege  
Aquila nō  
acturum.

**N**on solum autem restitui iubebit, uerum et si deterior res sit facta, eius rationem iudex habebit. finge enim debilitatum hominem, uel uulneratum restitui. utiq; ratio per iudicem habebitur, quāto deterior sit: quāquam & legis Aquiliae actione conueniri possessor possit. Vnde quæritur, an non aliás iudex æstimare damnum debeat, quā si remittatur actio legis Aquiliae: Et Labeo\* putat cauere petitor oportere lege Aquilia se non acturum. quæ sententia uera est.

XIII. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

**Q**uod si malit actor potius legis Aquiliae actione uti, absolendus est possessor. Itaque electio actori danda est, non ut triplum, sed duplum consequatur.

XV. VLP IANVS lib. XVI. ad edictum.

**I**tem si uerberatū tradidit, Labeo ait, petitori etiā *IN IURIVM* competere. Si quis rem ex necessitate distraxit: fortassis huic officio iudicis succurretur, ut precium duntaxat debeat restituere. Nam & si fructus perceptos distraxit, ne corrumpentur: æque non amplius, quā precium præstabit. Item si forte ager fuit, qui petitus est, & militibus adsignatus est, modico honoris gratia possessori dato: an hoc restituere debeat? & puto præstaturū. Si seruus petitus, uel aliud animal demortuum sit sine dolo malo & culpa possessoris: precium non esse præstandū plerisque placuit. Sed est uerius: si forte distracturus erat petitor, si accepisset: moram passio debere præstari. nam si ei restituisset, distraxisset, & precium lucratus esset.

XVI. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

**V**tique autem, etiam mortuo homine, necessaria est sententia propter fructus, & partus, & stipulationem de euietione. non enim post litem contestatam utiq; & fatum possessor præstare debet. Culpa non intelligitur, si nauem petitam tempore congruo nauigationis trans mare misit, licet ea perierit: nisi minus idoneis hominibus eam commiserit.

XVII. VLP IANVS lib. XVI. ad edictum.

**I**ulianus libro septimo digestorū scribit: si hominē, qui Mæuij erat didero, eumq; emptor occiderit: æquum esse, me precium Mæuij restituere. Idem Iulianus eodem libro scribit: si moram fecerit in homine reddendo possessor, & homo mortuus sit: etiam fructuum rationem usq; ad rei iudicatæ tempus spectandam esse. Idem Iulianus ait: non solū

non solum fructus, sed etiam omnem causam præstandam: & ideo & partum uenire in restitutionem, & partuum fructus. Vsq; adeo autem hæ causæ ueniunt, ut Iulianus libro septimo scribat, si per eum seruus possessor adquisierit actionem legis Aquiliæ: restituere cogendum.

Quod si dolo malo ipse possessor desierit possidere, & alius hominem per iniuriam occiderit: aut precium hominis, aut actiones suas præstare cogetur: utrum eorum uoluerit actor. Sed & fructus, quos ab alio possessore percepit, restituere eum oportet. Lucrum enim ex eo homine, qui in lite esse coeperit, facere non debet. Sed fructus eius temporis, quo possessus esset ab eo, qui euicit, restituere non debet. Sed quod dicit de actione legis Aquiliæ: procedit, si post litem contestatam usu cepit possessor: quia plenum ius incipit habere.

XVIII. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**S**I post acceptum iudicium possessor usu hominem ceperit: debet seum tradere, eoque nomine de dolo cauere. periculum est enim, ne uel eum pignorauerit, uel manumiserit.

XIX. VLPPIANVS lib. XVI. ad edictum.

**I**psi quoq; reo cauendum esse Labeo dicit, IIS REBUS RECTE PRÆSTARI: si forte fundi nomine DAMNI INFECTI cauerit.

XX. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**P**raterea restituere debet possessor, & quæ post acceptum iudicium per eum, non ex re sua adquisiuit: in quo hæreditates quoq; & legata, quæ per eum seruum obuenerunt, continentur. nec enim sufficit corpus ipsum restitui, sed opus est, ut & causæ rei restituatur, id est, ut omne habeat petitor, quod habiturus foret, si eo tempore, quo iudicium accipiebatur, restitutus illi homo fuisset. Itaq; & partus ancillæ restitui debet: quamuis post ea editus sit, quam matrem eius, post acceptum scilicet iudicium, possessor usuceperit. quo casu etiam de partu, sicut de matre & traditio, & cautio de dolo necessaria est.

XXI. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

**S**I à bonæ fidei possessore fugerit seruus: requiremus, an talis fuerit, ut & custodiri debuerit. nam si integræ opinionis uidebatur, ut non debuerit custodiri, absoluendus est possessor: ut tamen, si interim eum usuceperit, actionibus suis cedat petitori: & fructus eius temporis, quo possedit, præstet. Quod si nondum eum usuceperit: absoluendum eum sine cautionibus, ut nihil caueat petitori de persequenda ea re. nihilominus enim petitor eam rem persequi posse: quamuis interim, dum in fuga sit, usucapiat: nec iniquum id esse, Pomponius libro tricesimonono ad edictum scribit. Si uero custodiendus fuerit, etiam ipsius nomine damnari debere: ut tamē, si usu eum

non cœpit, actor ei actionibus suis cedat. Iulianus autem in his casibus, ubi propter fugam serui possessor absoluitur: & si non cogatur cauere de persequenda re, tamen cauere debere possessorem, si rem nactus fuerit, ut eam restituat: idc̄ Pomponius libro decimoquarto lectionum probat, quod uerius est.

**Q**UOD SI DOLO POSSESSORIS FUGERIT: DAMNANDŪ EUM, QUASI POSSIDERET.

XXII. VLP IANVS lib. XVI. ad edictum.

XXIII. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

**I**N rem actio competit ei, qui aut iure gentium, aut iure ciuili domine acquisiit. Loca sacra, item religiosa, quasi nostra, in rem actio peti non possunt. Si quis rei suæ alienam rem ita adiecerit, ut pars eius fieret: ueluti si quis statuæ suæ brachium, aut pedem alienum adiecerit, aut scypho ansam uel fundum, uel candelabro sigillum, aut mensæ pedem: dominum eius totius rei eum effici, uerec̄ statuam suam dicturum & scyphum, pleriq; recte dicunt. Sed & id, quod in charta mea scribitur, aut in tabula pingitur, statim meum fit: licet de pictura quidā contra senserint, propter precium picturæ. sed necesse est ei rei cedere id, quod sine illa esse non potest. In omnibus igitur istis causis, ex quibus mea res per præualentiam alienam rem trahit, meamq; efficit: si eam rem uindicem, per exceptionem doli cogar precium eius, quod accessit, dare. Item quæcunq; alijs iuncta siue adiecta, accessionis loco cedunt: ea quàm diu coherent, dominus uindicare non potest: sed ad exhibendum agere potest, ut separantur, & tunc uindicentur: scilicet excepto eo, quod Cassius de ferruminatione scribit. Dicit em̄, si statuæ suæ ferruminatione iniunctum brachium sit, unitate id maioris partis consumi: & quod semel alienū sit, etiam si inde abruptum sit, redire ad priorem dominū non posse. Non idem est in eo qd adplumbatū sit: quia ferruminatione per eandem materiam facit confusionem, pumbatura uero non idem efficit. Ideoc̄ in omnibus his casibus, in quibus neq; ad exhibendum, neq; in rem locum habet: in factum actio necessaria est.

At in ijs, quæ ex distantibus corporibus essent, constat singulas partes retinere suam propriam speciem: ut singuli homines, singulæ oues. ideoc̄ posse me gregem uindicare, quamuis aries tuus sit immixtus: sed & te arietem uindicare posse. Quod non idem in coherentibus corporibus eueniet. Nam si statuæ meæ brachium alienæ statuæ addideris: non posse dici brachium tuum esse, quia tota statua uno spiritu continetur. Tignum alienum ædibus iunctum nec uindicari potest propter legem duodecim tabularum, nec eo nomine ad exhibendum agi, nisi aduersus eum, qui sciens alienum suis ædibus iunxit: sed est actio antiqua DE TIGNO IUNCTO, quæ in duplum ex lege duodecim tabularū

bularum descendit. Item si quis ex alienis cæmentis in solo suo ædificauerit: domum quidem uindicare poterit, cæmenta autem resoluta prior dominus uindicabit: etiam si post tempus usucapionis dissolutum sit ædificium, quàm à bonæ fidei emptore possessum est. Nec enim singula cæmenta usucapiuntur, & si domus per temporis spacium nonstra fiat.

XXIII. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**I**S qui destinauit rem petere, animaduertere debet, an aliquo interdico possit nancisci possessionem: quia longe cõmodius est ipsum possidere, & aduersarium ad onera petitoris compellere, quàm alio possidente petere.

XXV. VLPIANVS lib. LXX. ad edictum.

**I**S qui se obtulit rei defensionis sine causa, cum non possideret, nec dolo fecisset, quo minus possideret: si actor ignoret, nõ est abolerendus, ut Marcellus ait. quæ sententia uera est, sed post litem contestatam. cæterum ante iudicium acceptum non decipit actorem, qui se negat possidere, cum uere non possideat: nec uidetur se liti obtulisse, qui discessit.

XXVI. PAVLVS lib. II. ad Plautium.

**N**Am si actor scit: tunc is non ab alio, sed à se decipitur: & ideo reus absoluitur.

XXVII. IDEM lib. XXI. ad edictum.

**S**In autem cum à Titio petere uellem, aliquis dixerit se possidere, & sideo liti sese obrulerit, & hoc ipsum in re agenda testatione probauero: omnimodo condemnandus est. Possidere aut aliquis debet, utiq; & litis contestatæ tempore, & quo res iudicatur. Quod si litis contestatæ tempore possedit, cum autem res iudicatur, sine dolo malo amisit possessionem: absoluentus est possessor. Item si litis contestatæ tempore non possedit, quo autem tempore iudicatur, possidet: probanda est Proculi sententia, ut omnino condemnetur. Ergo & fructuum nomine, ex quo cœpit possidere, damnabitur. Si homo petitus, dolo possessoris deterior factus sit, deinde sine culpa eius ex alia causa mortuus sit: æstimatio non fiet eius, quod deteriorem eum fecit: quia nihil interest petitoris. sed hoc quantum ad in rem actionem. legis aut Aquiliae actio durat. Sed & is, qui ante litem contestatam dolo desinit rem possidere, tenetur in rem actione: idq; ex senatusconsulto colligi potest, quo cautum est (ut diximus) ut dolus præteritus in hæreditatis petitione ueniat. cum enim in hæreditatis petitionem, quæ & ipsa in rem est, dolus præteritus fertur: non est absurdum, per consequentias & in speciali in rem actione dolum præteritum deduci. Si per filium aut per seruũ pater uel dominus possideat, & is sine culpa patris dominiue rei uindicandæ tempore absit: uel tempus dandum, uel cauendum est de possessione restituenda. In re petita si possessor ante litem conte-

statam sumptus fecit, per doli mali exceptionem ratio eorum haberi debet, si perseveret actor petere rem suam, non redditis sumptibus. Idem est etiam, si noxali iudicio servum defendit, & damnatus præstitit pecuniam: aut in area, quæ fuit petitoris, per errorem infulam ædificavit: nisi tamen paratus sit petitor pati, tollere eum ædificiū. Quod & in area uxori donata per iudicem, qui \*de dote cognoscit, faciendum dixerūt.

aliās\* de re. Sed si puerum meum, cum possideres, erudisses: non idem observandum Proculus existimat: quia neque carere seruo meo debeam, nec potest remedium idem adhiberi, quod in area diximus.

XXVIII. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**F**orte quod pictorem, aut librarium esse docueris: dicitur non aliter iudicis officio æstimationem haberi posse:

XXIX. POMPONIVS lib. XXI. ad Q. Mutium.

aliās\* ex precio eius. **N**isi si venalem eum habeas, & plus \*precij consecuturus sis propter artificium.

XXX. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**A**ut si ante denunciatum sit actori, ut impensam solueret: & eo dissimulante, posita sit doli mali exceptio.

XXXI. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

**C**aeterum cum de fructibus serui petiti quæritur: non tantum probitas eius spectanda est: quia etiam impuberis aliqua opera esse possunt. Improbe tamen desiderabit petitor fructus æstimari, qui ex artificio eius percipi potuerunt, quod artificium sumptibus possessoris didicit.

XXXII. MODESTINVS lib. VIII. differentiarum.

**Q**uod si artificem fecerit: post vicesimum quintum annum eius, qui artificium consecutus est, impensæ factæ poterunt pensari.

XXXIII. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

**F**ructus non modo percepti, sed & qui percipi potuerunt, æstimandi sunt. & ideo si dolo aut culpa possessoris res petita perierit: verior rem putat Pomponius Trebatij opinionem, putantis eousque fructuum rationem habendam, quousque haberetur, si non perisset: id est ad rei iudicandæ tempus, quod & Iuliano placet. Hac ratione si nudæ proprietatis dominus petierit, & inter moras ususfructus amissus sit: ex eo tempore, quo ad proprietatem ususfructus reuersus est, ratio fructuum habebit.

XXXIII. IVLIANVS lib. VII. digestorum.

**I**dem est, & si per alluvionem pars fundo accesserit.

XXXV. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

**E**x diuerso, si petitor lite contestata, ususfructum legauerit: ex eo tempore, ex quo discessit à proprietate, fructuum rationem non habendam, quidam recte putant. Vbi alienum fundum petij, & iudex

de sententia declaravit meum esse: debet etiam de fructibus possessor  
 condemnari: eodem enim errore & de fructibus condemnatur: non de  
 bet enim lucro possessori cedere fructus, cum victus sit: alioquin (ut  
 Martianus ait) nec rem arbitrabitur iudex mihi restitui, & quare habe  
 at, quod non esset habiturus possessor, si statim possessionem restitu  
 isset: Petitor possessori de evictione cauere non cogitur eius rei no  
 mine, cuius aestimationem accepit. sibi enim possessor imputare de  
 bet, qui rem non restituit. Eorū quoq; quæ sine interitu diuidi non  
 possunt, partem petere posse constat.

XXXVI. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**Q**ui petitorio iudicio utitur: ne frustra experiatur: requirere de  
 bet, an is, cum quo instituit actionem, possessor sit, uel dolo desie  
 rit possidere. Qui in rem conuenitur, etiam culpæ nomine condēna  
 tur. Culpæ autem reus est possessor, & qui per insidiosa loca seruū  
 misit, si is perijt: & qui seruū à se petitum in arena esse concessit, si is  
 mortuus est. sed & qui seruū fugitiuum à se petitum non custodit, si is  
 fugit: & qui nauem à se petitam, aduerso tempore nauigatum misit, si  
 ea naufragio perempta est.

XXXVII. VLPIANVS lib. XVI. ad edictum.

**I**ulianus libro septimo digestorum scribit. Si in area ædificassem,  
 cuius bonæ fidei quidem empor fui, eo autem tempore ædificauī,  
 quo iam sciebam alienam: uideamus, an nihil mihi exceptio proffit, ni  
 si forte quis dicat prodesse de damno sollicito. Puto autem huic exce  
 ptionem non prodesse. nec enim debuit in alienum certus ædificium  
 ponere. Sed hoc ei concedendum est, ut sine dispendio domini aræ,  
 tollat ædificium, quod posuit.

XXXVIII. CELSVS lib. III. digestorum.

**I**n fundo alieno, quem imprudens emeris, si ædificasti aut conse  
 uisti, deinde euincitur: bonus iudex uarie ex personis causisq; con  
 stituet. Finge & dominum eadem facturū fuisse reddet impensam, ut  
 fundū recipiat: eò usq; dūtaxat, quo preciosior factus est: & si plus pre  
 cij fundo accessit, solum quod impensum est\*. Finge pauperem, cui si  
 reddere id cogatur, laribus sepulchrisq; auitis carendū sit. sufficiet tibi  
 pmissi tollere ex his rebus, quæ possis: dum ita, ne deterior sit fundus,  
 q̄ si initio non foret ædificatū. Censuimus uero, ut si paratus sit domi  
 nus tantū dare, quantū habiturus esset possessor, his rebus ablatis: fiat  
 ei potestas. neq; malicijs indulgendū est: si tectoriū puta, qd induxeris,  
 picturasq; corradere uelis, nihil laturus, nisi ut officias. Finge eā esse per  
 sonā domini, quæ receptum fundū mox uenditura sit. nisi reddat, quan  
 tū prima parte reddi oportere diximus: eo deducto, condēnandus est.

\*hæc in nō  
 nullis non  
 habentur.

Vlpianus

XXXIX. VLPIANVS lib. XVI. ad edictum.

**R**edemptores, qui suis cæmentis ædificant: statim cæmenta facio  
unt eorum, in quorum solo ædificant. Iulianus recte scribit li-  
bro septimo digestorum: mulierem, quæ intercedens, fundum pigno-  
ri dedit: quamuis à creditore distractum, posse in rem actione petere.

XL. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**Q**uia nullum pignus creditor uendidisse uidetur.

XLI. VLPIANVS lib. XVI. ad edictum.

**S**i quis hac lege emerit, ut si alius meliorem conditionem attulerit,  
recedatur ab emptione: post allatam conditionem, iam non potest  
in rem actione uti. Sed si cui in diem addictus sit fundus: ante quam ad-  
dictio sit facta, uti in rem actione potest: postea non poterit. Si ser-  
uus mihi uel filius familias fundum uendidit, & tradidit, habes liberam  
peculij administrationem: uti in rem actione poterit. Sed & si domini  
uoluntate rem tradat, idem erit dicendū: quemadmodum & cum pro-  
curator uoluntate domini uendidit, & tradidit, in rem actio mihi præ-  
stabitur.

XLII. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

**S**i in rem actum sit, quamuis hæres possessoris, si non possideat, absol-  
uatur: tamen si quid ex persona defuncti commissum sit, omnimo-  
do in damnationem ueniet.

XLIII. IDEM lib. XXXVII. ad edictum.

**Q**uæ religiosis adhærent, religiosa sunt & idcirco nec lapides in æ-  
dificati, postquam remoti sunt, uindicari possunt. per INFECTVM  
autem actionem petitori extra ordinem subuenitur: ut is, qui hoc fecerit,  
restituere eos compellatur. Sed si alieni sine uoluntate domini in æ-  
dificati fuerint, & nondum finito monumēto in hoc dissecti erunt, ut  
alibi reponerentur: poterunt à domino uindicari. Quod si in hoc dis-  
secti erunt, ut reponerentur: similiter dominū repetere eos posse constat.

aliās \* de-  
structo.  
aliās \* de-  
tracti utru-  
big.

**F**rustus pendentes pars fundi uidentur.

XLIV. VLPIANVS lib. LXVIII. ad edictum.

**S**i homo sit, qui post conuentionem restituitur: si quidem à bonæ fi-  
dei possessore, puto cauendum esse de dolo solo debere. Cæteros  
autem & de culpa sua: inter quos erit & bonæ fidei possessor post li-  
tem contestatam.

XLV. PAVLVS lib. X. ad Sabinum.

**E**ius rei, quæ per in rem actionem petita, æstimata est, quanti in li-  
tem actor iurauerit: dominiū statim ad possessorē pertinet. transse-  
gisse enim cum eo & decidisse uidebitur eo precio, quod ipse cōstituit.

XLVII. IDEM lib. XVII. ad Plautium.

Hoc

**H**Oc si res præsens sit. si uero absens: tunc, cum possessionem eius possessor nactus sit ex uoluntate actoris. & ideo non est alienum, non aliter æstimari à iudice: quàm si cauerit actor, quod per se non fiat, possessionem eius rei non traditum iri.

XLVIII. PAPINIANVS lib. II. responsorum.

**S**umptus in prædium, quod alienum esse apparuit, à bonæ fidei possessore facti: neq; ab eo, qui prædiū donauit, neq; à domino peti possunt: uerum exceptione doli opposita, per officium iudicis æquitatis ratione seruantur, si fructuum à lite contestata perceptorum summā excedant: etenim admissa compensatione, superfluum sumptum (melioris prædio facti) dominus restituere cogitur.

XLIX. CELSVS lib. XVIII. digestorum.

**S**olum partem esse ædium existimo, nec alioquin subiacere, uti maiore nauibus. Meum esse, quod ex re mea superest, cuius uindicandi ius habeo.

L. CALLISTRATVS lib. II. edicti monitorij.

**S**i ager ex emptionis causa ad aliquem pertineat: nõ recte hac actione agi poterit, antequam traditus sit ager, tuncq; possessio amissa sit. Sed hæres de eo, quod hæreditari obuenit, recte aget, & si possessionem eius adhuc non habuerit.

LI. POMPONIVS lib. XVI. ad Sabinum.

**S**i in rem actum sit, & in hæredem possessoris iudicium datum: culpa quoq; & dolus malus hæredis in hoc iudicium uenit.

LII. IULIANVS lib. VII. digestorum.

**C**um autem fundi possessor ante litem contestatā dolo malo fundum possidere desijt: hæres eius in rem quidem actionem suscipere cogendi non sunt, sed in factū actio aduersus eos reddi debet: per quam restituere cogentur, in quantum locupletes ex ea re facti fuerūt.

LIII. POMPONIVS lib. XXXI. ad Sabinum.

**S**i postea, quàm fundi possessor eum excoluisset sæuissetue, fundus seuincatur: consita tollere non potest.

LIIII. VLPIANVS lib. VI. opinionum.

**I**nter officium aduocationis, & rei suæ defensionem multum interest: nec propterea quis (si postea cognouerit rem ad se pertinere) quod alij eam uindicanti, tunc ignorans suam esse, adfuitabat, dominium suum amisit.

LV. IULIANVS lib. LX. digestorum.

**S**i possessor fundi ante iudicium acceptum, duobus hæredibus relictis, decesserit: & ab altero ex his, qui totū fundū possidebat, totus petitus fuerit: quin in solidum condēnari debeat, dubitari nõ oportet.

LVI. IDEM lib. LXXIII. *digestorum*

**V**indicatio non ut gregis, ita & peculij recepta est: sed res singulas is, cui legatum peculium est, petet.

LVII. ALFENVS lib. VI. *digestorum*.

**I**s, à quo fundus petitus erat, ab alio eiusdem fundi nomine conuenisset, & postea secundum alterum petitorum iudicaretur: quemadmodum non duplex damnū traheret? Respondi, uter prior iudicaretur: eum oportere ita fundum petitori restitui iubere, ut possessori caueret uel satisficeret, si alter fundum euicisset, eum præstare.

LVIII. PAVLVS lib. III. *ιδιοτρομωσ* Alferi *digestorum*.

**A**quo seruus petebatur, cum eiusdem serui nomine cum eo furti se facere oporteret, si utroque iudicio condemnatus esset, quid tere iudicem cogere, ut eum traderet, nisi satis ei datū esset: quod pro eo homine iudicium accepisset, & si quid ob eam rem datum esset, id rekte præstari. Sed si prius de furto iudicium factum esset, & hominē noxæ dedidisset, deinde de ipso homine secundum petitorum iudicium factum esset: non debere ob eam rem iudicem, quod hominem non traderet, litem aestimare: quoniam nihil eius culpa, neque dolo contigisset, quominus hominem traderet.

LIX. IVLIANVS lib. VI. *ex Minutio*.

**H**abitator in aliena ædificia fenestras & hostia imposuit. eadem post annum dominus ædificiorum dempsit. Quæro: is, qui imposuerat, possit ne ea uindicare? Respondi, posse, nam quæ alienis ædificijs cõnexa essent, ea quàm diu iuncta manerent, eorundem ædificiorum esse: simul atque inde dempta essent, continuo in pristinam causam reuerti.

LX. POMPONIVS lib. XXIX. *ad Sabinum*.

**Q**uod infans, uel fariosus possessor perdidit, uel corruptit: impunitum est.

LXI. IVLIANVS lib. VI. *ad Minutium*.

**M**inutius interrogatus, si quis nauem suam aliena materia refecisset: num nihilominus eiusdem nauis maneret? respondit, nate nere: sed si in ædificanda eadem fecisset, non posse. IVLIANVS NOTAT. nam proprietates totius nauis carinæ causam sequitur.

LXII. PAPINIANVS lib. VI. *questionum*.

**S**i nauis à mala fidei possessore petatur, & fructus aestimandi sunt: Sicut in taberna & area, quæ locari solent. Quod non est ei contrarium, quod de pecunia deposita, quæ non attingit, hæres usuras præstare non cogitur, nam & si maxime uectura (sicut usura) non natura peruenit, sed iure

sed iure percipitur: tamen ideo uestura desiderari potest, quoniam periculum nauis possessor petitori præstare non debet, cum pecunia periculo dantis fœneretur. Generaliter autem, cum de fructibus æstimationis quaeritur: constat animaduerti non debere, an malæ fidei possessor fructurus sit, sed an petitor frui potuerit, si ei possidere licuisset. quæ sententiam Iulianus quoque præstat.

LXIII. IDEM lib. XII. *questionum.*

SI culpa, non fraude quis possessionem amiserit: quoniam pati debet æstimationem, audiendus erit à iudice, si desideret, ut aduersarius actiones suas cedat: cum tamen prætor auxilium quandoque laturus sit, quo liber alio possidete, ut nulla captione adficiatur. Ipso quoque, qui litis æstimationem percipit, possidente, adiuuari debet: nec facile audiendus erit ille, si uelit postea pecuniam, quam ex sententia iudicis periculo iudicati recepit, restituere.

LXIII. IDEM lib. XV. *questionum.*

CVm in rem agitur: eorum quoque, quæ usui, non fructui sunt, restitui fructus certum est.

LXV. IDEM lib. II. *definitionum.*

EMptor prædium, quod non à domino emit: exceptione doli posita, non aliter restituere domino cogetur, quam si pecuniam creditori eius solutam, qui pignori datum prædium habuit, usurarumque medietatis temporis superfluum recuperauerit: scilicet si minus in fructibus æstimate contestata perceptis fuerit. nam eos usuris nobis duntaxat compensari, sumptuum in prædii factorum exemplo, æquum est. Ancilla quæ non in dotem data est, sed in peculium filia concessa: peculio non legato, mancipium hæreditarium esse conuenit. Si tamen pater dotis ac peculij contemplatione filiam exhæredauit, & ea ratione reddita, nihil ei testamentum reliquit, aut eo minus legauit: filiam defensio tuebitur uoluntatis.

LXVI. PAVLVS lib. II. *questionum.*

NON ideo minus recte quid nostrum esse uindicamus, quod abire à nobis dominium speratur, si cõditio legati uel libertatis exstiterit.

LXVII. SCAEVOLA lib. III. *responsorum.*

ATutore pupilli domum mercatus, ad eius refectioem fabrum induxit: is pecuniam inuenit. quaeritur, ad quem pertineat? Respondi, si non thesauri fuerunt, sed pecunia forte perditæ, uel per errorem ab eo, ad quem pertinebat, non ablata: nihilominus eius eam esse, cuius fuerat.

LXVIII. VLPPIANVS lib. LI. *ad edictum.*

QUI restituere iussus, iudici nõ parer, contēdens nõ posse restituere: siquidē habet rē, manu militari officio iudicis ab eo possessio

kk ij trans

transfertur, & fructuum duntaxat, omnisque causae nomine condēnatio fit. Si uero non potest restituere, & dolo fecit, quo minus possit: is quantum aduersarius in litem sine ulla taxatione infinitum iurauerit, damnandus est. Si uero nec potest restituere, nec dolo fecit, quò minus possit: non pluris, quam res est, id est quanti aduersarij interfuit, condemnandus est. Hæc sententia generalis: siue interdicta, siue actiones, & siue in re, siue in personâ sint, ex quibus arbitrato iudicis quid restituitur: locū habet.

LXIX. PAVLVVS lib. XVIII. ad Sabinum.

IS qui dolo fecit, quo minus possideret: hoc quoque nomine punitur, quod actor cauere ei non debet: actiones, quas eius rei nomine habeat, se ei præstaturum.

LXX. POMPONIVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

Nec quasi Publicianam quidem actionē ei dandam placuit: ne in potestate cuiusque sit, per rapinam ab inuito domino rem iniusto precio comparare.

LXXI. PAVLVVS lib. XVIII. ad Sabinum.

QVod si possessor quidem dolo fecit, actor uero iurare nō uult, sed quantum res sit aduersariū condemnari malit: mos ei gerendus est.

LXXII. VLPPIANVS lib. XIX. ad edictum.

SI à Titio fundum emeris Sempronij, & tibi traditus sit precio solute: deinde Titius Sempronio hæres exstiterit, & eundem alij uendiderit, & tradiderit: æquius est, ut tu potior sis. Nā & si ipse uenditor eam rem à te peteret, exceptione eum submoueres. Sed & si ipse possideret, & tu peteres: aduersus exceptionem domini, replicatione uteris.

LXXIII. IDEM lib. XVI. ad edictum.

IN speciali actione nō cogitur possessor dicere, pro qua parte eius sit. hoc enim petitoris munus est, non possessoris. quod & in Publiciana obseruatur. Superficiario,

LXXIII. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

ID est, qui in alieno solo superficiem ita habet, ut certam pensionem præstet,

LXXV. VLPPIANVS lib. XVI. ad edictum.

PRætor causa cognita in rem actionem pollicetur.

LXXVI. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

QVæ de tota re uindicanda dicta sunt, eadē & de parte intelligenda sunt: officioque iudicis continetur, pro modo partis ea quoque restitui iubere, quæ simul cum ipsa parte restitui debent. Incertæ partis uindicatio datur, si iusta causa interueniat. Iusta autem causa esse potest, si forte legi Falcidiae locus sit in testamento, propter incertam detractionem ex legatis, quæ uix apud iudicem examinatur. Iustam enim

habet

habet ignorantiam legatarius, cui homo legatus est: si hæret, quorum partem uindicare debeat. itaq; tali dabitur actio. eadem & de cæteris rebus intelligemus.

LXXVII. VLP IANVS lib. XII. ad edictum.

**Q**uædam mulier fundum non marito donauit per epistolam, & eundem fundum ab eo conduxit. dixi posse defendi in rem ei competere, quasi per ipsam adquisierit possessionem, ueluti per colonam. Proponebatur, quod etiam in eo agro, qui donabatur, fuisset, cum epistola mitteretur, quæ res sufficebat ad traditam possessionem, licet conductio non interuenisset.

LXXVIII. LABEO lib. III. πεθερῶν à Paulo ὑπὸ τομκθέντων

**S**i eius fundi, quem alienum possidebas, fructum non coëgisti: nihil si eius fundi fructus nomine te dare oportet. PAVLVVS NOTAT. imò queritur, si huius fructus idcirco factus est, quod is eum suo nomine perceperit. Perceptionem fructus accipere debemus, non tantum si perfecte sint collecti, sed etiam coëpti ita, ut terra continere se fructus desierint: ueluti si oliuæ, uel uinæ collectæ sunt, nondum autem uinum uel oleum ab aliquo factum est. statim enim ipse accepisse fructum existimandus est.

LXXIX. IDEM lib. VI. πεθερῶν à Paulo ὑπὸ τομκθέντων.

**S**i hominem à me petieris, & is post litem contestatam mortuus sit: fructus, quoad uixerit, æstimari oportet. PAVLVVS NOTAT. ita id uerum esse puto, si non prius is homo in eam uoletudinem incidit, propter quam operæ eius inutiles factæ sunt. nam ne si uixisset quidem in ea uoletudine, fructus eius temporis nomine æstimari conueniret.

LXXX. FVRIVS ANTHINVS lib. I. ad edictum.

**I**n rem actionem pati non cōpellimur: quia licet alicui dicere, se non possidere. ita tamen ut si possit aduersarius conuincere, rem ab aduersario possideri: transferat ad se possessionem per iudicem, licet suam esse non probauerit.

## DE PVBLICIANA IN REM ACTIONE. Tit. II.

VLP IANVS lib. XVI. ad edictum.



It prætor. SI QVIS ID, QVOD TRADITVRE EX IVSTA CAVSSA NON A DOMINO, ET NON DVMSVSCAPTVM PETET, IVDICIVM DABO. Merito prætor ait, NON DVMSVSCAPTVM, nam si iustitiam captum est, habet ciuilem actionem, nec desiderat honorem.

Sed cur traditionis duntaxat, & usucapionis fecit mentionem

kk iij nem

nem, cum sanè multæ sint iuris partes, quibus dominium quis nanciscatur: ut puta legatum?

II. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

**V**el donationes caussa mortis factæ? nã & hic amissa possessione competit Publiciana, quia ad exemplum legatorum capiuntur.

III. VLPIANVS lib. XVI. ad edictum.

**E**T aliæ pleræq? Ait prætor, QUI EX IVSTA CAVSSA PETIT. qui igitur iustam causam traditionis habet, utitur Publiciana. Et non solû bonæ fidei emptori cõpetit publiciana, sed & alijs: ut puta ei, cui dotis nomine tradita res est, necdum usucapta. est em̄ iustissima caussa: siue æstimata res in dote data sit, siue non. Itẽ si res ex caussa iudicati tradita sit,

**V**el soluendi caussa,

III. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

**V**el ex caussa noxæ deditiois: siue uera, siue falsa sit caussa.

V. VLPIANVS lib. XVI. ad edictum.

**I**tem si seruum ex caussa noxali (quia non defendebatur) iussu prætoris duxero, & amifero possessionem: competit mihi Publiciana.

VII. VLPIANVS lib. XVI. ad edictum.

**S**ed & si res adiudicata sit, Publiciana actio competit. Si lis æstimata fuerit, similis est uenditioni: & ait Iulianus libro septimo digestorum, si obrulerit reus æstimationem litis, Publicianam competere.

Marcellus libro decimoseptimo digestorũ scribit, eũ qui à furioso, ignoras eum furere, emit, posse usucapere. ergo & Publicianã habebit.

Sed & si quis ex lucratiuis caussis rem acceperit, habet Publicianã: quæ etiam aduersus donatorem competit. est enim iustus possessor & petitor, qui ex liberalitate accepit. Si à minore quis emerit, ignorans eum minorem esse, habet Publicianam. Sed & si permutatio facta sit, eadem actio competit.

Publiciana actio ad instar pprietatis, non ad instar possessionis respicit. Si petenti mihi rem iusiurandum detuleris, ego q; iurauero rem meam esse: competit mihi Publiciana, sed aduersus te dũtaxat. ei enim soli nocere debet iusiurandum, qui detulit. Sed & si possessori delatum erit iusiurandum, & iurauerit rem petitoris non esse: aduersus eum solum petentem exceptione utetur, non ut & actionem habeat.

In publiciana actione omnia eadem erunt, quæ & in rei uindicatione diximus. Hæc actio & hæredi, & honorarijs successoribus competit. Si ego non emero, sed seruus meus habebit Publicianam. Idem est & si procurator meus, uel tutor, uel curator, uel quis alius negotium meum gerens, emerit. Prætor ait, QUI

bona

**BONA FIDE EMIT.** Non igitur omnis emptio proderit, sed ea, quæ bonam fidem habet. Proinde hic sufficit, me bonæ fidei emptorem fuisse: quamuis non à domino emerim, & ille callido consilio uendiderit: neq; enim dolus uenditoris mihi nocebit. In hac actione nõ oberrat mihi, si successor sum, & dolo feci: cum is, in cuius locũ successi, bona fide emisset. Nec proderit, & si dolo careo: cum emptor, cui successi, dolo fecisset. Sed enim si seruus meus emerit: dolus eius spectandus erit, non meus, uel contra. Publiciana tempus emptionis continet. & ideo neq; quod ante emptionem, neq; quod postea dolo malo factum est, in hanc actionem deduci Pomponio uidetur. Bonam autem fidem solius emptoris continet. Vt igitur Publiciana competat, hæc debent concurrere: ut & bona fide quis emerit, & ei res empta eo nomine sit tradita. Cæterũ ante traditionem, quamuis bonæ fidei quis emptor sit, experiri Publiciana non poterit. Iulianus libro septimo digestorum scribit, traditionem rei emptæ oportere bona fide fieri: ideõq; si sciens alienam possessionem apprehendit, Publiciana eum experiri non posse, quia usucapere non poterit. Nec quisquam putet hoc nos existimare, sufficere initio traditionis ignorasse rem alienam, ut quis possit Publiciana experiri: sed oportere & tũc bonæ fidei emptorẽ esse.

VIII. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**D**E precio uero soluto nihil exprimitur. unde potest coniectura capi, quasi nec sententia prætoris ea sit, ut requiratur, an solutum sit precium.

IX. VLPPIANVS lib. XVI. ad edictum.

**S**ive autem emptori res tradita est, siue emptoris hæredi, Publiciana competit actio. Si quis rem apud se depositam, uel sibi commodatam, uel pignori datam emerit: pro tradita erit accipienda, si post emptionem apud eum remansit. Sed & si præcessit traditio emptionem, idem erit dicendum. Item si hæreditatem emerit, & traditam mihi rem hæreditariam petere uelim: Neracius scribit esse Publicianam. Si duobus quis separatim uendiderit bona fide euentibus: uideamus, quis magis Publiciana uti possit: utrum is, cui priori res tradita est, an etiam qui tantum emit. Et Iulianus libro septimo digestorum scribit: ut, si quidem ab eodem non domino emerint, potior sit, cui priori res tradita est. quod si à diuersis nõ dominis: melior causa sit possidentis, quàm perentis, quæ sententia uera est. Hæc actio in his, quæ usucapi non possunt (puta furtiuis uel seruo fugitio) locum non habent. Si seruus hæreditarius ante aditam hæreditatẽ rem aliquam emerit, & traditam sibi possessionem amiserit: recte, hæres Publiciana utitur, quasi ipse possedisset. Municipales quoq; quorum seruo res tradita est, in eadem erunt conditione.

Paulus

X. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

**S**ive peculiari nomine seruus emerit, siue non.

XI. VLP IANVS lib. XVI. ad edictum.

**S**I ego emi, & mea uoluntate alij res sit tradita: imperator Seuerus re-  
scripsit, Publicianā dandā. Si de usufructu tradito agatur, Publici-  
ciana datur. Itemq; de seruitutibus urbanorum prædiorū, per traditio-  
nem cōstitutis, uel per patientiam: forte si per domum quis suā passus  
est aquæductum transduci. item rusticorum. nam & hic traditionem  
& patientiam tuendam constat. Partus ancillæ furtiuae, qui apud bo-  
næ fidei emptorem conceptus est, per hanc actionem petendus est, eti-  
am si ab eo, qui emit, possessus non est. Sed hæres furis hanc actionem  
non habet, quia uiciorum defuncti successor est. Interdum tamen, licet  
furtiua mater distracta nō sit, sed donata ignorantī mihi, & ea apud me  
conceperit, & pepererit: competit mihi in partu Publiciana (ut Iulian-  
nus ait) si modo eo tempore, quo experiar, furtiuam matrem igno-  
rem. Idem Iulianus generaliter dicit: ex qua caussa matrem usucapere  
possem, si furtiua non esset: ex ea caussa partum me usucapere, si  
furtiuam esse matrem ignorem. Ex omnibus igitur caussis Publiciana  
nā habeo. Idem est, & si ex partu partus est, & si non natus, sed post mor-  
tem matris ex secto uentre eius extractus est, ut Pomponius libro quæ-  
dragesimo scripsit. Idē ait: ædibus emptis, si fuerint diruræ, ea quæ  
ædificio accesserunt, huiusmodi actione petenda. Quod tamen per al-  
luuionem fundo accedit: simile fit ei, cui accedit. & ideo si ipse fundus  
Publiciana peti non potest, nec hoc petetur. si autē potest: & pars, quæ  
per alluionem accessit: & ita Pomponius scribit. Idem adiicit, & si sta-  
tuæ emptæ partes recisæ petantur, similem actionē proficere. Idem  
scribit, si aream emero, & insulā in ea ædificauero, recte me Publiciana  
usurum. Item (inquit) si insulam emi, & ad aream ea peruenit, æque  
potero uti.

XII. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

**C**um sponsus sponsæ seruum donasset, eumq; in dotem accepisset  
ante usucapionem: rescriptum est à diuo Pio, factō diuortio, re-  
stituendum esse seruum. nam ualuisse donationem inter sponsum &  
sponsam. dabitur ergo & possidēti exceptio, & amissa possessione Publi-  
ciana: siue extraneus, siue donator possideat. Is, cui ex Trebelliano  
hæreditas restituta est: etiam si non fuerit nactus possessionem, uti po-  
test Publiciana. In uestigalibus, & in alijs prædijs, quæ usucapi non  
possunt, Publiciana competit: si forte mihi bona fide tradita sunt. &  
idem est, si superficiariam insulam non à domino bona fide emero.

Si res talis sit, ut eam lex aut constitutio alienari prohibeat, eo casu  
Publiciana non competit. quia his casibus prætor neminem tuetur, ne  
contra

contra leges faciat. Publiciana actione, etiam de infante seruo non-  
dum anniculo, uti possumus. Et si pro parte quis rem repetere uult,  
publiciana actione uti potest. Sed etiam is, qui momento possedit, re-  
de hac actione experitur.

XIII. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**Q**uæcūq; sunt iustæ causæ acquirendarum rerum, si ex his causis  
nacti res amiserimus: dabitur nobis earum rerum prosequenda  
rum gratia hæc actio. Interdum quibusdam nec ex iustis possessio-  
nibus competit publicianū iudicium: namq; pignoraticia, & precaria  
possessiones iustæ sunt: sed ex his non solet competere tale iudicium, il-  
la scilicet ratione: quia neq; creditor, neq; is qui precariō rogauit, eo ani-  
mo nanciscitur possessionem, ut credat se dominum esse. Qui à pu-  
pillo emit, probare debet tutore authore, & lege nõ prohibente, se emis-  
se. Sed si deceptus falso tutore emerit, bona fide emisse uidetur.

XIII. VLP IANVS lib. XVI. ad edictum.

**P**apinianus libro sexto quæstionū scribit. Si quis prohibuit, uel de-  
nunciauit ex causa uenditionis rem tradi, quæ ipsius uoluntate à  
procuratore fuit distracta, & is nihilominus tradiderit: emptorem tuebi-  
tur prætor, siue possideat, siue petat rem. Sed quod iudicio empti pro-  
curator emptori præstiterit, contrariō iudicio mandati cõsequitur. Po-  
test em fieri, ut emptori res auferatur ab eo, qui uenire mandauit: quia  
per ignorantiam non est usus exceptione, quam debuit opponere: uelu-  
ti si auctor meus non ex uoluntate tua uendidit.

XV. POMPONIVS lib. III. ad Sabinium.

**S**i seruus meus cum in fuga sit, rem non à domino emat: publicia-  
na mihi competere debet, licet possessionem rei tradita per eum  
nactus non sim.

XVI. Libro X. quæstionum PAPINIANI.

**P**aulus notat. exceptio iusti domini publicianæ obijcienda est.

XVII. NERATIUS lib. III. membranarum.

**P**ubliciana actio non ideo comparata est, ut res domino auferatur:  
eiusq; rei argumentum est, primò æquitas, deinde exceptio, si ea  
res possessoris non sit: sed ut is, qui bona fide emit, possessionemq; ex  
ea causa nactus est, potius rem habeat.

SI AGER VECTIGALIS VEL EMPHY-  
tenticarius petatur Tit. III.

PAVLVS lib. XXI. ad edictum.



**A**GRI ciuitatum alij uestigiales uocantur, alij non. **V**estigiales uocantur, qui in perpetuum locantur: id est hac lege, ut quamdiu pro his uestigial pendatur, tam diu neq; ip[s]is, qui conduxerunt, neq; his qui in locum eorum successerunt, auferri eos liceat. Non uestigiales sunt, qui ita colendi dantur, ut priuati agros nostros colendos dare solemus. **Q**ui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt à municipibus, quamuis nō efficiantur domini, tamen placuit competere eis in rem actionē aduersus quemuis possessorem: sed & aduersus ipsos municipes.

II. **VLP**IANVS lib. XVI. ad edictum.

**I**Ta tamen, si uestigial soluant.

III. **PAV**LVS lib. XXI. ad edictum.

**I**dem est, & si ad tempus habuerint conductum, nec tempus conductionis finitum sit.

## DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER SEPTIMVS.

DE VSVFRVCTV ET QVEMADMODUM  
quis utatur fruatur. Tit. I.

**PAV**LVS lib. II. ad Vitellium.



**V**SU fructus est ius alienis rebus utendi fruendi, salua rerum substantia.

II. **CE**LVS lib. XVIII. digestorum.

**E**st enim ususfructus ius in corpore: quo sublato, & ipsum tolli necesse est.

III. **CAI**VS lib. II. rerū quotidianarū siue aureorū.

**O**mnium prædiorum iure legati potest cōstitui ususfructus, ut hæres iubeatur dare alicui usumfructum. Dare autē intelligitur, si induxerit in fundum legatarium, eumue patiatut uti frui. Et sine testamento, si quis uelit usumfructum constituere, pactionibus & stipulationibus id efficere potest. Constituitur autem ususfructus, non tantum in fundo & ædibus, uerum & in fernis & iumentis cæterisque rebus. Ne tamen in uniuersum inutiles essent proprietates, semper abscedente ususfructu: placuit certis modis extinguere ususfructū, & ad proprietatem reuerti. Quibus autem modis ususfructus constituitur & finitur, h[is]dem modis etiam nudus usus & constitui & finiri solet.

Paulus

## III. PAVLVS lib. II. ad edictum.

**V**Susfructus in multis casibus pars dominij est: & exstat, quod uel præsens, uel ex die dari potest.

## V PAPIANVS lib. VI. questionum.

**V**Susfructus et ab initio pro parte indiuisa uel diuisa constitui, & legitimo tempore similiter amitti, eademq; ratione per legem Falcidiam minui potest. Reo quoq; promittendi defuncto, in partes hæreditarias ususfructus obligatio diuiditur: & si ex communi prædio debeatur, uno ex socijs defendente, fiet restitutio pro parte defendētis.

## VI. CAIUS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**V**Susfructus pluribus modis constituitur: ut ecce, si legatus fuerit. Sed & proprietas deducto usufructu legari potest, ut apud hæredem maneat ususfructus. Constituitur ad hæc ususfructus, & in iudicio familiæ erciscundæ, & communi diuidendo, si iudex alij proprietatem adiudicauerit, alij usumfructum. Acquiritur autem nobis ususfructus non solum per nosmetipsos, sed etiam per eas quoq; personas, quas iuri nostro subiectas habemus. Nihil autem uetat, seruo meo hærede instituto, legari proprietatem, deducto usufructu.

## VII. ULPIANVS lib. VII. ad Sabinum.

**V**Sufructu legato, omnis fructus rei ad fructuariū pertinet. Et aut soli, aut rei mobilis usufructus legatur. soli (utputa ædium) usufructu legato, quicunq; rei reditus est, ad usufructuariū pertinet: quæq; obuentiones sunt ex ædificijs, ex areis, & cæteris, quæcunq; ædium sunt. Vnde etiam mitti eum in possessionem uicinarum ædium, causa damni infecti placuit: & iure dominij possessurū eas ædes, si perfereretur non caueri: nec quidquàm amittere, finito usufructu. Hac ratione Labeo scribit: nec ædificium licere domino, te inuito, altius tollere: sicuti nec areæ usufructu legato, potest in area ædificium poni. quam sententiam puto esse ueram. Quoniam igitur omnis fructus rei ad eū pertinet: reficere quoq; eum ædes per arbitrum cogi, Celsus libro decimo octauo digestorum scribit. hætenus tamen, ut facta testa habeat: si qua tamen uetustate corruissent, neutiquàm cogi reficere. Sed si hæres refecerit, passurum fructuariū muti. Vnde Celsus de modo facta testa habendi quærit, si quæ uetustate corruerunt, reficere non cogatur. modica igitur refectio ad eum pertinet, quoniã & alia onera agnoscit, usufructu legato: utputa stipendium, uel tributum, uel solarium, uel alimēta ab eo relicta. et ita Marcellus libro decimotertio scribit. Cassius quoque scribit libro octauo iuris civilis: fructuariū per arbitrum cogi reficere, quemadmodum subserere cogitur arbores. & Aristo notat hæc uera esse. Neratius aut libro tertio membranarū ait: non posse fructuariū

phiberi, q̄ minus reficiat: quia nec arare phiberi possit, aut colere. & nō solū necessarias refectiones facturū, sed etiā uoluptatis causa tectoria, & pauimenta, & similia. neq; aut ampliare, nec inutile detrahere posse:

**Q** VIII. IDEM lib. XL. ad edictum.  
Vamuis melius repositurus sit. quæ sententia uera est.

IX. IDEM lib. XVIII. ad Sabinum.

**S**I fundi ususfructus sit legatus: quod quid in fundo nascitur, quidquid inde percipi potest, ipsius fructuarij est: sic tamē, ut boni uiri arbitratu fruatur. Nam & Celsus libro decimo octauo digestorū scribit, cogi eū posse recte colere. Et si apes in eo fundo sint, eorum quoq; ususfructus ad eum pertinet. Sed & si lapidicinas habeat, & lapides cædere uelit: uel cretifodinas habeat, uel arenas: omnibus his usum Sabinus ait, quasi bonum patremfamilias. quam sententiam puto ueram. Sed & si metalla post usumfructum legatum sint inuenta: cum totius agri relinquatur ususfructus, non partium, continetur legato. Huic uicinus tractatus est, qui solet in eo, quod accessit, tractari. & placuit alluionis quoq; usumfructum ad fructuarium pertinere. Sed si insula iuxta fundum in flumine nata sit: eius usumfructum ad fructuarium nō pertinere, Pegasus scribit, licet proprietati accedat. esse enim ueluti proprium fundum, cuius ususfructus ad te non pertineat. quæ sententia non est sine ratione. Nam ubi latitat incrementum, & ususfructus augetur: ubi autem apparet separatam, fructuario non accedit. Aucupiorum quoq; & uenationum redditum Cassius ait libro octauo iuris ciuilis, ad fructuarium pertinere. ergo & piscationum. Seminarij etiam fructus puto ad fructuarium pertinere: ita ut & uendere ei, & seminare liceat. debet tamen conferendi agri causa seminarium paratum, semper renouare, quasi instrumentum agri: ut finito ususfructu domini no restitatur. Instrumenti aut fructum habere debet, ut uendendi tamen facultatem non habeat. Nam & si fundi ususfructus fuerit legatus: & sit ager, unde in fundum, cuius ususfructus legatus est, solebat paterfamilias uel palo uti, uel salice, uel arundine: puto fructuarium haerens uti posse, ne ex eo uendat: nisi forte salicti eius, uel syluæ palaris, uel arundineti ususfructus sit legatus. tunc enim & uendere potest. Nam & Trebatius scribit: syluam cæduam & arundinetum posse fructuarium cædere, sicut paterfamilias cædebat: & uendere, licet paterfamilias non solebat uendere, sed ipse uti. ad modum enim referendum est, non ad qualitatem utendi.

X. POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.

**E**X sylua cædua pedamēta & ramos ex arbore ususfructuarium sumpturū: ex non cædua, in uineam sumpturū, dum ne fundū deteriorum faciat.

Paulus

**E**T si grandes arbores essent, non posse cedere eas.

XI. PAVLVS lib. II. *ἰδρυοῦσιν* *Alfensi digestorum.*

XII. VLP IANVS lib. XVII. *ad edictum.*

**A**Rboribus euulsis, uel ui uentorum deiectis, usq; ad usum suum & uillæ posse usufructuarium ferre, Labeo ait: nec materia eum pro ligno usurum, si habet, unde utatur ligno. quam sententiam puto ueram. Alioquin & si totus ager hunc casum passus sit, omnes arbores auferet usufructuarius. Materiam tamen ipsum succidere, quantum ad uillæ refectionem satis sit, putat posse: quemadmodum calcem (inquit) coquere, uel arenam fodere, aliudnè quid ædificio necessarium sumere potest. Natis usufructu legato nauigatum mittendâ puto, licet naufragij periculum immineat. nauis etenim ad hoc paratur, ut nauigetur. Usufructuarius uel ipse frui ea re, uel locare, uel uendere, uel alij fruendâ concedere potest. nam & qui locat, utitur, & qui uendit, sed & si alij precario concedat, uel donet: puto eum uti, atq; ideo retinere usumfructum: & hoc Cassius & Pegasus responderunt, & Pomponius libro quinto ex Sabino probat. Non solum autem si ego locaui, retineo usumfructum: sed & si alius negociû meum gerens locauerit usumfructum: Iulianus libro tricesimo quinto scripsit, retinere me usumfructum. Quid tamen, si non locaui, sed absente & ignorante me, negocium meum gerens, utatur quis & fruatur: nihilominus retineo usumfructum: quod & Pomponius libro quinto probat per hoc, quod negociorum gestorum actionem adquisiui. De illo Pomponius dubitat: si fugitiuus nondum ab aliquo possessus, in quo mihi usufructus est, stipuletur aliquid ex re mea, uel per traditionem accipiat: an per hoc ipsum quasi utar, retineam usumfructum. magisq; admittit retinere. nam sæpe & presentibus seruis, licet non utamur, tamen usumfructum retinemus, ut puta ægrotante seruo, uel infante, cuius operæ nullæ sunt, uel defectæ senectutis homine. Nam & si agrum aremus: licet tam sterilis sit, ut nullus fructus nascatur, retinemus usumfructum. Iulianus tamen libro tricesimo quinto digestorum scribit: etiam si non stipuletur quid seruis fugitiuus, retineri usumfructum. nam qua ratione (inquit) retinetur à proprietario possessio, etiam si in fuga seruus sit: pari ratione etiam usufructus retinetur. Idem tractat, quid si quis possessionem eius tractus sit: an quemadmodum à proprietario possideri desinit, ita etiam usufructus amittatur. Et primo quidem ait, posse dici amitti usumfructum: sed licet amittatur, tamen dicendum, quod intra constitutum tempus ex re fructuarij stipulatus est, fructuario adquiri. Per quod colligi posse dicit: ne quidem si possideatur ab alio, amitti usumfructum, si modo mihi aliquid stipuletur. paruiq; referre, ab hærede possideatur, uel

ab eo, cui hereditas uendita, uel cui proprietas legata sit: an à prædone, sufficere em̄ ad retinendum usumfructum, uolētis retinere affectum, & seruum nomine fructuarij aliquid facere, quæ sententia habet rationem. Iulianus libro tricesimo quinto tractat. Si fur decerpserit, uel defecerit fructus maturos pendentes, cui conditione teneatur: domini fundi, an fructuario? & putat, quoniam fructus non fiunt fructuarij, nisi ab eo percipiuntur: si ab alio terra separentur, magis proprietario conditionem competere, fructuario autem furti actionem: quoniam interfuit eius fructus non esse ablatos. Marcellus autem mouetur eo, quod si postea fructus istos nactus fuerit fructuarius, fortassis fiant eius. nam si fiunt: qua ratione hoc euenit, nisi ea, ut interim fiant proprietarij, mox adprehensi fructuarij efficiantur? exemplo rei sub conditione legata, quæ interim hæredis est: existente autem conditione ad legatum transit. uerum est enim conditionem competere proprietario. Cum autem in pendenti est dominium ( ut ipse Iulianus ait ) in factu, qui submittitur: & in eo, quod seruus fructuarius per traditionem accedit, nondum quidem precio soluto, sed tamen ab eo satisfacto: dicendum est, conditionem pendere magis, q̄ in pendenti esse dominium.

XIII. IDEM lib. XVIII. ad Sabinum.

SI cuius rei ususfructus legatus fuerit: potest dominus in ea re satisfactio-  
nem desiderare, ut officio iudicis hoc fiat. Nam sicuti debet fructuarius uti frui, ita & proprietatis dominus securus esse de proprietate. Hoc autem ad omnem usumfructum pertinere, Iulianus libro tricesimo quinto digestorum probat. nec prius dandam actionem usufructuario, quam satisfecerit, se boni uiri arbitrato usum frui. Sed & si plures sint, à quibus ususfructus relictus est: singulis satisfdari oportere. Cum igitur de usufructu agitur, non solum quod factum est arbitratu: sed etiam in futurum, quemadmodum uti frui debeat. De præteritis autem damnis fructuarius etiam lege Aquilia tenetur, & in terdicto QVOD VI AVT CLAM, ut Iulianus ait. nam fructuarium quoq; teneri his actionibus, nec non furti, certum est: sicut quemlibet alium, qui in aliena re tale quid commiserit. Deniq; consultus, \*quod bonum sit actionem prætorem polliceri, cum cõperat ex lege Aquilia: respõdit, quia sunt casus, in quibus cessat Aquiliae actio: & ideo iudicem dari, ut eius arbitrato utatur fruatur. Quia qui agrum non proscindit, qui uites non subserit, item aquarum ductus corrumpi patitur: lege Aquilia non tenetur. Eadem & in usuuario dicenda sunt. Sed si inter duos fructuarios sit controuersia: Iulianus libro tricesimo quinto digestorum scribit, æquissimum esse, quasi communi diuidendo iudicio iudicium dari: uel stipulatione inter se eos cauere, qualiter fruantur. Cur enim

aliàs\* quo  
bono.

erim (inquit Iulianus) ad arma & rixam procedere patiatur prætor, quos potest iurisdictione sua componere; quam sententiam Celsus quæ libro octauo decimo digestorū pbat, & ego puto uerā. Fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet, meliorem facere potest. Ita si fundi ususfructus legatus est: non debet, neque arbores frugiferas excidere, neque uillam diruere, nec quidquam facere in perniciem proprietatis. Et si forte uoluptariū fuit prædiū, uiridaria, uel gestationes, uel deambulationes arboribus infructuosas opacas atque amenas habes: non debet deijcere, ut forte hortos holitorios faciat, uel aliud quid, quod ad reditum spectat. Inde est quæsitum, an lapidicinas, uel creti fodinas, uel arenifodinas ipse instituere possit. Et puto, etiam ipsum instituere posse, si non agri partem necessariam huic rei occupet. Proinde si uenas lapidicinarum: & metallorum quoque poterit inquirere. Ergo & auri, & argenti, & sulfuris, & æris, & ferri, & cæterorum fodinas: uel quas paterfamilias instituit, exercere poterit: uel ipse instituere, si nihil agriculturæ nocebit. Et si forte in hoc, quod instituit, plus reditus sit, quam in uineis, uel arbutis, uel oliuetis, quæ fuerunt: forsitan etiā hæc deijcere poterit. siquidem permittitur ei meliorare proprietatem. Si tamen quæ instituit ususfructuarius, aut cælum corrumpant agri, aut etiam magnum apparatus sint desideratura (opificum forte uel legulorum) quem non possit sustinere proprietarius: non uidebitur boni uiri arbitrato frui. Sed ne ædificium quidem positurū in fundo, nisi quod ad fructum percipiendum necessarium sit. Sed si ædium ususfructus legatus sit, Nerua filius & lumina immittere eum posse ait. sed & colores, & picturas, & marmora poterit, & sigilla, & si quid ad domus ornamentum pertinet. Sed neque diætas transformare, uel coniungere, eas uel separare ei permittitur: uel aditus, posticas uel uertere, uel refugia aperire, uel atrium mutare, uel uiridaria ad alium modum conuertere. excolere enim quod inuenit potest, qualitate ædiū non mutata. Inde Nerua, eū, cui ædium ususfructus legatus sit, altius tollere non posse ait, quam uis lumina non obstruentur: quia rectū magis turbatur. quod Labeo etiam in proprietatis domino scribit. idē Nerua nec obstruere eum posse. Item si domus ususfructus legatus sit, meritoria illic facere fructuarius nō debet, nec per cœnacula diuidere domū. atquin locare potest. sed oportebit quasi domum locare. nec balineum ibi faciendum est. Quod aut dicitur meritoria non facturum, accipe quæ diuersoria, uel fullonica uulgo appellantur. Ergo & si balineum sit in domo, usibus dominicis solitū uacare, in ultima parte domus, uel inter diætas amenas: non recte, nec ex boni uiri arbitrato facturū, si id locare cœpit, ut publice lauaret: nō magis, quam si domū ad stationem iumentorū locauerit: aut si

stabu-

stabilū, quod erat domi iumentis & carruchis uacās, pistrino locauerit.

XIII. PAVLVS lib. III. ad Sabinum.

**L**icet multo minus ex ea re fructuum percipiat.

XV. VLP IANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**S**ed & si quid inædificauerit: postea neq; eum tollere hoc, neq; restituere posse: planè refixa posse eum uindicare. Mancipiorū quoq; usufructu legato, non debet abuti, sed secundum conditionem eorum uti. Nam si librarium rus mittat, & qualum, & calcem portare cogat: uel histronè balneatorem faciat: uel de symphoniaco atriensem, uel de palæstra latrinis\* extergendis præponat: abuti uidebitur pprietate. Sufficiētèr aut alere & uestire debet, secundum ordinem & dignitatem Mancipiorum. Et generaliter Labeo ait: in omnibus rebus mobilibus, modum eum tenere debere, ne sua feritate uel scuitia ea corrumpat: alioquin etiam lege Aquilia eum conueniri. Et si uestimentorū usus fructus legatus sit: non quemadmodum si quantitatis usufructus legatur, dicendum est, ita uti eum debere, ne abutatur: nec tamen locaturus; quia uir bonus ita nō uteretur. Proinde & si scenicæ uestis usufructus legetur (uelut aulæi uel alterius apparatus) alibi, quàm in scena, non utetur. Sed an & locare possit, uidendum est. & puto locaturum. & licet testator commodare, non locare fuerit solitus: tamen ipsum fructuariū locaturum, tam scenicam, quàm funebrem uestem. Proprietatis domijus non debet impedire fructuariū utentem, ne deteriorē eius conditionem faciat. De quibusdam planè dubitatur, si eum uti prohibeat, an iure id faciat: utputa dolijs, si forte fundi usufructus sit legatus. & putant quidam, & si defossa sint, uti prohibendum. idem & in ferijs, & cupis, & cadis, & amphoris putant. idem & in specularibus, si domus usufructus legeſ. Sed ego puto (nisi sit contraria uoluntas) etiam instrumentum fundi, uel domus contineri. Sed nec seruitutem imponere fundo potest proprietarius, nec amittere seruitutem. Acquirere planè seruitutem eum posse, etiam inuito fructuario, Iulianus scripsit. Quibus consequenter fructuariū quidem acquirere fundo seruitutem non potest, retinere autem potest. Et si forte fuerint: non utente fructuario amissæ, hoc quoq; nomine tenebitur. Proprietatis dominus, ne quidem consentiente fructuario, seruitutem imponere potest.

XVI. PAVLVS lib. III. ad Sabinum.

**N**isi qua deterior conditio fructuarij non fiat: ueluti si talem seruitutem uicino concesserit, ius sibi non esse altius tollere.

XVII. VLP IANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**L**ocum autem religiosum facere potest, consentiente usufructuario:

rio: & hoc uerum, fauore religionis. sed interdum & solus proprietatis dominus locum religiosum facere potest. finge enim eum testatorem inferre, cum nõ esset tam opportune, ubi sepeliretur. Ex eo, ne deteriore conditionem fructuarij faciat proprietarius, solet quæri, an seruum dominus coërcere possit: Et Aristo apud Cassium probat, plenissimam eum coërcitionem habere, si modo sine dolo malo faciat: quamuis usufructuarius ne contrarijs quidem ministerijs, aut inuitatis artificium eius corrumpere possit, nec seruum cicatricibus deformare. Proprietarius autem & seruum noxæ dedere poterit, si hoc sine dolo malo faciat: quoniam noxæ deditio iure non perimit usumfructum, non magis, quàm usucapio proprietatis, quæ post constitutum usumfructum contingit. Debet planè denegari ususfructus persecutio: si ei, qui noxæ accepit, litis æstimatio nõ offeratur à fructuario. Si quis seruum occiderit: utilem actionem exemplo Aquiliæ fructuario dandam, nunquàm dubitauit.

XVIII. PAVLVS lib. III. ad Sabinum.

**A** Gri usufructu legato, in locum demortuarum arborum aliæ substituendæ sunt, & priores ad fructuarium pertinent.

XIX. POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.

**P** Roculus putat insulam posse legari, ut ei seruitus imponatur, quæ alteri insulæ hæreditariæ debeatur, hoc modo: SI ILLE HÆREDI MEO PROMISERIT, PER SE NON FORE, QVO ALTIUS EA AEDIFICIA TOLLANTVR: TVM EORVM AEDIFICIORVM VSMFRVCTVM DO LEGO. uel sic, AEDIVM ILLARVM, QVO AD ALTIUS, QVAM NVNC SVNT, AEDIFICATAE NON ERVNT: ILLIVSMFRVCTVM DO LEGO. Si arbores uento deiectas dominus non tollat, per quod incommodior sit ususfructus, uel iter: suis actionibus usufructuario cù eo experiendum.

XX. VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**S** I quis ita legauit, FRVCTVS ANNVOS FVNDI CORNELIANI CAIO MAEVIO DO LEGO: perinde accipi. debet hic sermo, ac si ususfructus fundi legatus esset.

XXI. IDEM lib. XVII. ad edictum.

**S** I serui ususfructus legatus sit, quidquid opera sua acquirit, uel ex re fructuarij, ad eum pertinet: siue stipuletur, siue possessio ei tradita fuerit. Si uero hæres institutus sit, uel legatũ acceperit: Labeo distinguit, cuius gratia uel hæres instituitur, uel legatum accipit.

XXII. IDEM lib. XVIII. ad Sabinum.

**S** Ed & si qd donetur seruo, in quo ususfructus alterius est: quæritur, quid fieri oporteat: Et in omnibus istis, si quid contemplatione fructuarij

fructuarij ei relictum uel donatū est, ipsi acquirere: sin uero proprietarij, siue ipsius serui, acquiritur domino. nec distinguimus, unde cognitū eum, & cuius merito habuit, qui donauit, uel reliquit. Sed & si cōditionis implendæ causā quid seruus fructuarius consequatur, & constiterit cōtē platione fructuarij eam conditionem adscriptam: dicendum est, ipsi adquiri. nam & in mortis causā donatione idem dicendum est.

XXIII. IDEM lib. XVII. ad edictum.

**S**ed & sicuti stipulādo fructuario acquirit: ita etiam paciscendo eum adquirere exceptionem fructuario, Iulianus libro tricesimo quinto digestorum scribit. Itemq; si acceptum rogauerit, liberationem ei parere. Quoniam autē diximus, quod ex operis acquiritur, ad fructuaria pertinere: sciendū est, etiam cogendum eum operari. etenim modicam quoq; castigationem fructuario competere, Sabinus respondit, & Cassius libro octauo iuris ciuili scripsit: ut neq; torqueat, neq; flagellis cædat.

XXIII. PAVLVVS lib. X. ad Sabinum.

**S**i quis donaturus usufructuario, sponderit seruo, in quo usum fructuum habet, stipulanti: ipsi usufructuario obligatur. quia ut ei seruus talis stipulari possit, usitatum est.

XXV. VLPIANVS lib. XVI. ad Sabinum.

**S**ed & si quis stipuletur sibi, aut Stichō seruo fructuarij donandi causā, dum uult fructuario præstitum: dicendū est, si ei soluat, fructuarius seruus. ut puta seruum emit, & per traditionem accepit, nec dum precium numerauit, sed tantummodo pro eo satisfecit. interim cuius sit, queritur. Et Iulianus libro tricesimo quinto digestorū scripsit: in pendentē esse dominiū eius. & numerationē precij declaraturā, cuius sit. Nā si ex re fructuarij: retro fructuarij fuisse. Idemq; & si forte stipulatus sit seruus, numeraturus pecuniam. nam numeratio declarabit, cui sit adquisita stipulatio. ergo ostendimus in pendentē esse dominium, donec precium numeretur. Quid ergo si amisso usufructu, tunc precium numeretur? Iulianusq; libro tricesimo quinto digestorū scripsit, adhuc interesse, unde sit precij numeratū. Marcellus uero & Martianus, amisso usufructu, iam putant dominiū acquisitū proprietatis domino. Sed Iuliani sententia humanior est. Quod si ex re utriusq; precium fuerit solutum: ad utrumq; dominium pertinere, Iulianus scribit: scilicet pro rata soluti precij. Quid tamen, si forte simul soluerit ex re utriusq; ut puta decem nomine precij debebat, & dena soluit ex re singulorum: cui magis seruus acquireret? Si numeratione soluit: intererit, cuius priores numos soluat. nam quos postea soluerit: aut uindicabit, aut si fuerint numi cōsumpti, ad conditionē pertinent. si uero simul in sacculo soluit

soluit: nihil fecit accipientis. & ideo nondum adquisiuisse cuiquam do-  
 minium uidetur: quia cum precio plus soluit seruus, non facit numos  
 accipiētis. Si operas suas iste seruus locauit, & in annos singulos cer-  
 tum aliquid stipuletur: eorum quidem annorū stipulatio, quibus usus  
 fructus mansit, adquiretur fructuario: sequentium uero stipulatio ad  
 proprietariū transit, uel semel adquisita fructuario: quamuis nō soleat  
 stipulatio semel cui quæsitā ad alium transire, nisi ad hæredem, uel ad  
 rogatorem. Proinde si forte ususfructus in annos singulos fuit legatus,  
 & iste seruus operas suas locauit, & stipulatus est, ut supra scriptum est:  
 prout capitū deminutione amissus ususfructus, mox restituitur, & am-  
 bulabit stipulatio, profectāq; ad hæredem redibit ad fructuarium: quæ-  
 stionis est, an id, quod adquiri fructuario non potest, proprietario quæ-  
 ratur? Et Iulianus quidem libro tricesimo quinto digestorum scri-  
 bit: quod fructuario adquiri non potest, proprietario quæri. Deniq;  
 scribit: eum, qui ex re fructuarij stipuletur nominatim proprietario, uel  
 iussu eius, ipsi acquirere. Contra autem nihil agi, si non ex re fructuarij,  
 nec ex operis suis fructuario stipuletur. Seruus fructuarius si usum  
 fructum dari in se stipuletur, aut sine nomine, aut nominatim: proprie-  
 tario acquirit, exemplo serui communis: qui stipulando rem alteri ex  
 dominis, cuius res est, nihil agit ( quoniam rem suam stipulando quis  
 nihil agit ) alteri stipulando acquirit solidum. Idem Iulianus eo-  
 dem libro scripsit: si seruo fructuarius operas eius locauerat, nihil agi,  
 nam & si ex re mea ( inquit ) à me stipulatus sit, nihil agit: non magis,  
 quàm seruus alienus bona fide mihi seruiens, idem agendo domino  
 quidquā acquirit. Simili modo ait: ne quidem, si rem meam à me fru-  
 ctuario conducat, me non obligauit. Et regulariter definit: quod quis  
 ab alio stipulando mihi acquirit, id à me stipulando nihil agit: nisi forte  
 ( inquit ) nominatim domino suo à me stipuletur uel conducat. Si  
 duos fructuarios ponas, ut ex alterius re seruus sit stipulatus: quæritur,  
 utrum totū, an pro parte, qua habet usumfructum, ei quærat? Nam  
 & in duobus bonæ fidei possessoribus hoc idem est apud Scæuolā agi-  
 ratum libro secundo quæstionum. Et ait, uulgo creditum, rationemq;  
 hoc facere: si ex re alterius stipuletur, partem ei dūtaxat quæri, partem  
 domino. quod si nominatim sit stipulatus: nec dubitari debere, quin  
 adiecto nomine solidum ei quærat. Idemq; ait, & si iussu eius stipule-  
 tur: quoniam iussu pro nomine accipimus. Idem & in fructuarijs erit  
 dicendum: ut quo casu non totum adquiratur fructuario, proprietatis  
 domino sit quæsitum: quoniam ex re fructuarij quæri ei posse adqui-  
 ri: utrum tunc locum habeat, quoties iure legati ususfructus sit consti-  
 tutus

tutus: an & si per traditionem, uel stipulationem, uel alium quem modum: uidendum est. Et uera est Pegasi sententia, quam & Iulianus libro decimo sexto secutus est, omnia fructuario adquiri.

XXVI. PAVLVS lib. III. ad Sabinum.

**S**I operas suas locauerit seruus fructuarius, & imperfecto tempore locationis ususfructus interierit: quod superest, ad proprietarium pertinebit. Sed & si ab initio certam summam propter operas stipulatus fuerit: capite minuto eo, idem dicendum est.

XXVII. VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**S**I pendentes fructus iam maturos reliquerit testator: fructuarius eos sferet, si die legati cedente, adhuc pendentes deprehenderit. nam exstantes fructus ad usufructuarium pertinent. Si dominus solitus fuerit tabernis ad merces suas uti, uel ad negociationem: utique permittetur fructuario locare eas uel ad alias merces: & istud solum obseruandum, ne uel abutatur usufructu, uel contumeliose iniurioseue utatur. Si seruus ususfructus legatus est, cuius testator quasi ministerio uacuo utebatur: si eum disciplinis uel arte instituerit usufructuarius, arte eius uel peritia utetur. Si quid cloacarij nomine debeat, uel si quid ob formam aquæ ductus, qui per agrum transit, pendatur: ad onus fructuarij pertinebit. sed & si quid ad collationem uia: puto hoc quoque fructuarij subiturum. Ergo & quod ob transitum exercitus confertur ex fructibus, sed & si quid municipio debetur (nam solent possessores certam partem fructuum municipio uiliore precio addicere, solent & fisco \*functiones prestare) hæc onera ad fructuarium pertinebunt. Si qua seruitus imposita est fundo: necesse habebit fructuarius sustinere. unde & si stipulatione seruitus debeat, idem puto dicendum. Sed & si seruus sub poena emptus sit, interdictis certis quibusdam: an si ususfructus eius fuerit legatus, obseruare hæc fructuarius debeat: & puto debere eum obseruare: alioquin non boni uiri arbitrato utitur fruitur.

alias \*functiones.

XXVIII. POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.

**N**omisatum aureorum uel argenteorum ueterum, quibus pro gemmis uti solent, ususfructus legari potest.

XXIX. VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**O**mnium bonorum usufructum posse legari, nisi excedat dodrantis aestimationem, Celsus libro tricesimo secundo, & Iulianus libro sexagesimo primo scribunt. & est uerius.

XXX. PAVLVS lib. III. ad Sabinum.

**S**I is, qui binas aedes habeat, alterarum usufructum legauerit: posse heredem, Marcellus scribit, alteras altius tollendo obscurare in munitibus: quoniam habitari potest etiam obscuratis aedibus. Quod usque adeo

adeo temperandum est, ut non in totum ædes obscurentur: sed modicum lumen, quod habitantibus sufficit, habeant.

XXXI. IDEM *lib. V. ad Sabinum*

**E**X re fructuarij etiam illud intelligitur, quod ei fructuarius donauerit, concefferitue, uel ex administratione rerum eius cõpendij seruus fecerit.

XXXII. POMPONIUS *lib. XXXIII. ad Sabinum.*

**S**I quis unas ædes, quas solas habet, uel fundum tradit: excipere potest id, quod personæ, non prædij est: ueluti usum & usumfructum. Sed & si excipiat, ut pascere sibi, uel inhabitare liceat, ualet exceptio: cû ex multis saltibus pastione fructus percipiatur. Et habitationis exceptione, siue temporalis, siue usq; ad mortem eius, qui excipit, usus uideatur exceptus.

XXXIII. PAPINIANVS *lib. XVIII. questionum.*

**S**I Titio fructus, Mæuio proprietas legata sit, & uiuo testatore decedat Titius: nihil apud scriptum hæredem relinquetur, & id Neratius quoq; respondit. Ususfructum in quibusdam casibus non <sup>atq; \*</sup> proprietatis effectû obtinere cõuenit. unde si fructus uel fundi portio petatur, & absolute secuta, postea pars altera, q̄ adcreuit, uindictet: in <sup>infra.</sup> <sup>titis. sed &</sup> <sup>tem quidem \*</sup> proprietatis, rei iudicatæ exceptionem obstare: in fructus uero, nõ obstare, scribit Iulianus: quoniam portio fundi (uelut alluui) portioni, personæ ususfructus adcreferet.

XXXIII. IULIANVS *lib. XXXV. digestorum*

**Q**uoties duobus ususfructus legatur, ita ut alternis annis utantur fruuantur: siquidem ita legatus fuerit, TITIO ET MÆUIO: potest dici prius Titio, deinde Mæuio legatum datû. Si uero duo eiusdem nominis fuerint, & ita scriptum fuerit, TITIIS VSUMFRUCTVM ALTERNIS ANNIS DO LEGO: nisi consenserint, uter eorû prior utatur, inuicem se impediunt. Quod si Titius eo anno, quo frueretur, proprietatem accepisset: interim legatum non habebit, sed ad Mæuium alternis annis ususfructus pertinebit. & si Titius proprietatem alienasset, habebit eum ususfructum: quia & si sub cõditione ususfructus mihi legatus fuerit, & interim proprietatem ab hærede accepero, pendente aut cõditione eandem alienauero, ad legatum admittar. Si colono tuo ususfructum fundi legaueris: ususfructû uindictabit, & cum hærede tuo ager ex conducto: & consequetur, ut neq; mercedes præstet, & impensas, quas in culturam fecerat, recipiat. Vniuersorum bonorum, an singularium rerum ususfructus legetur, hætenus interesse puto: quod si ædes incensæ fuerint, ususfructus ædium specialiter legatus peti non potest: bonorum autem ususfructu legato, aræ ususfructus peti poterit. quoniam qui bonorum suorum ususfructum legat:

m m iij non

non solum eorū, quæ in specie sunt, sed & substantiæ omnis usumfructum legare uideretur. in substantia autem bonorum etiam area est.

XXXV. IDEM lib. II. ad Vrscium ferocem.

**S**I ususfructus legatus est, & hæres scriptus ob hoc tardius adierit, ut tardius ad legatum perueniretur: hoc quoque præstabitur, ut Sabino placuit. Ususfructus serui mihi legatus est: isque, cum ego uti frui decessissem, liber esse iussus est. deinde ego ab hærede æstimationem legati tuli. nihilo magis eum liberum fore, Sabinus respondit. Namque uideri me uti frui homine, pro quo aliquam rem habeam. Conditionem autem libertatis eius eandem manere: ita ut mortis meæ, aut capitis deminutionis interuentu liber futurus sit.

XXXVI. AFRICANVS lib. V. questionum.

**Q**UO eo decedit uel deusta est. ususfructum deberi existimauit. Contra autem non idem iuris esse, si insulæ usufructu legato, area deinde in insula facta sit. Idemque esse, & si scyphorum usufructus legatus sit, deinde massa facta, & iterum scyphi. licet enim pristina qualitas scyphorum restituta sit: non tamen illos esse, quorum usufructus legatus sit. Stipulatus sum de Titio fundum Cornelianum, detracto usufructu. Titius decessit. quæsitum est, quid mihi hæredem eius præstare oporteat. Respondit referre, qua mente usufructus exceptus sit. Nam siquidem hoc actum est, ut in cuiuslibet persona usufructus constitueretur: solam proprietatem hæredem daturum. sin autem id auctum sit: ut promissori duntaxat usufructus reciperetur: plenam proprietatem hæredem eius daturum. Hoc ita se habere, manifestius in causa legatorum apparere. etenim si hæres, à quo detracto usufructu proprietatem legata sit, priusquam ex testamento ageretur, decesserit: minus dubitandum, quin hæres plenam proprietatem sit debiturus. Idemque & si sub conditione similiter legatum fuerit, & pendente conditione hæres decesserit. Ususfructus serui Titio legatus est: & cum per hæredem staret, quo minus præstaretur, seruus mortuus est. aliud dici non posse ait, quam in id obligatum esse hæredem, quanti legatarij inter sit, moram factam non esse: ut scilicet ex eo tempore in diem, in quo seruus sit mortuus, usufructus æstimetur. Cui illud quoque consequens sit: ut si Titius ipse moriatur, similiter ex eo tempore, quo mora facta sit, in diem mortis æstimatio usufructus hæredi eius præstetur.

XXXVII. IDEM lib. VII. questionum.

**Q**UÆsitum est: si cum in annos decem proximos usufructum de te dari stipulatus essem, per te stetit, quominus dares, & quinque quennium transijt: quid iuris sit. Item si Stichus decem annorum proximo

aliis \* si-  
mili.

morum operas de te dari stipulatus sim, & similiter quinquennium præterijt: Respondit, eius temporis usumfructum, & operas recte peti: quod per te factum esset, quo minus darentur.

XXXVIII. MARTIANVS lib. III. institutionum.

**N**on utitur usufructuarius, si nec ipse utatur, nec nomine eius alius: puta qui emit, uel qui conduxit, uel cui donatus est, uel qui negotium eius gessit. Planè illud interest, quod si uendidero usumfructum, etiam si emptor non utatur, uideor usumfructum retinere.

XXXIX. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**Q**uia qui precio fruitur, non minus habere intelligitur, quàm qui principali re utitur fruitur.

XL. MARTIANVS lib. III. institutionum.

**Q**uod si donauero, non aliàs retineo, nisi si ille utatur.

XLI. IDEM eodem libro.

**S**taturæ & imaginis usumfructum posse relinqui, magis est: quia & ipsæ habent utilitatem, si quo loco oportuno ponantur. Licet quædam prædia talia sint, ut magis in ea impendamus, quàm de illis adquiramus: tamen ususfructus eorum relinqui potest.

XLII. FLORENTINVS lib. XI. institutionum.

**S**ilij usus, alij fructus eiusdem rei legetur: id percipiet fructuarius, quod usuario supererit, nec minus ipse fruendi causa & usum habebit. Rerum, an æstimationis ususfructus tibi legetur, interest. Nam si quidem rerum legetur: deducto eo, quod tibi præter ea legatum est, reliquis bonis usumfructum feres. Sin autem æstimationis legatus est: id quoque æstimabitur, quod præter ea tibi legatum est. Nam sæpius idem legando, non ampliat testator legatum. re autem legata, etiam æstimationem eius legando, ampliare legatum possumus.

XLIII. VLPIANVS lib. VII. regularum.

**E**tiam partis bonorum ususfructus legari potest. Si tamen non sit specialiter facta partis mentio, dimidia pars bonorum cõtinetur.

XLIII. NERATIUS lib. III. membranarum.

**V**usufructuarius nouum testorum parietibus, qui rudes fuissent, imponere non potest: quia tametsi meliorem, excolendo ædificium, domini causam facturus esset, nõ tamen id iure suo facere potest: aliudque est tueri, quod accepit, aliud nouum facere.

XLV. CAIVS lib. XIII. ad edictum provinciale.

**S**icut impedia cibariorũ in seruũ, cuius ususfructus ad aliquem pertinet: ita & ualetudinis impedia ad eũ respicere natura manifestũ est.

XLVI. PAVLVS lib. XVIII. ad Plautium.

**S**i extraneo scripto hærede, & emancipato præterito, matri defuncti deducto

deducto usufructu proprietas legata sit: petita contra tabulas bonorum possessione, plena proprietatis pietatis respectu matri præstanda est. Si testator iusserit, ut hæres reficeret insulam, cuius usumfructum legauit: potest fructuarius ex testamento agere, ut hæres reficiat.

XLVII. POMPONIVS lib. V. ex Plautio.

**Q**uod si hæres hoc non fecisset, & ob id fructuarius frui non potuisset: hæres etiam fructuarij eo nomine habebit actionem, quanti fructuarij interfuisset, non cessasse hæredem: licet usufructus morte eius interiisset.

XLVIII. PAVLVS lib. VII. questionum ad Plautium.

**S**i absente fructuario hæres, quasi negotium eius gerens, reficiat negotiorum gestorum actionem aduersus fructuariũ habet, tamen si ibi in futurum hæres prospexerit. Sed si paratus sit recedere ab usufructu fructuarius: non est cogendus reficere, sed actione negotiorum gestorum liberatur. Syluam cæduam, etiam si intempestiue cæsa sit, in fructu esse constat: sicut oliua immature lecta, item scœnum immaturo cæsum, in fructu est.

XLIX. POMPONIVS lib. V. ad Plautium.

**S**i mihi & tibi à Sempronio & Mutio hæredibus usufructus legatus sit: ego in partem Sempronij quadrantem, in partem Mutij alterum quadrantem habebō: tu item in utriusq; partem eorum quadrantes habebis.

L. PAVLVS lib. III. ad Vitellium.

**T**itius Mæuius fundum Tusculanum reliquit: eiusq; fidei commisit, ut eiusdem fundi partis dimidia usumfructum Titia præstaret. Mæuius uillam uetustate corruptam, necessariam cogendis & conseruandis fructibus, ædificauit. quæsitum est, an sumptus partem pro portione usufructus Titia agnoscere debeat: Respondit Scæuola: si prius, quàm usufructus præstaretur, necessariò ædificasset: non aliter cogendum restituere, quàm eius sumptus ratio haberetur.

LI. MODESTINVS lib. IX. differentiarum.

**T**itio cum morietur, usufructus inutiliter legari intelligitur: in id tempus uidelicet collatus, quò à persona discedere incipit.

LII. IDEM lib. VIII. regularum.

**V**sumfructu relicto, si tributa eius rei præstentur: ea usufructuarium præstare debere, dubiũ non est: nisi specialiter nomine fideicommissi testatori placuisse probetur, hoc quoq; ab hærede dari.

LIII. IABOLENVS lib. II. ἐπισολῶν.

**S**i cui insulæ usufructus est legatus: quàm diu quælibet portio eius insulæ remanet, totius soli usumfructum retinet.

LIIII. IDEM lib. III. ἐπισολῶν.

**S**ub conditione ususfructus fundi à te hærede, Titio legatus est. tu furtim mihi uendidisti & tradidisti, detracto ususfructu. Quæro si non exstiterit conditio, aut exstiterit & interierit ususfructus, ad quem pertineat? Respondi. intelligo te de ususfructu quærere, qui legatus est. itaq; si conditio eius legati exstiterit: dubium non est, quin ad legatariũ ususfructus pertineat: & si aliquo casu ab eo amissus fuerit, ad proprietatem fundi reuertatur. quod si conditio non exstiterit, ususfructus ad hæredem pertinebit: ita ut in eius persona omnia eadem seruentur, quæ ad amittendum usumfructum pertinent, & seruari solent. Cæterum in eiusmodi uenditione spectandum id erit, quod inter ementem uendentemq; conuenerit: ut si apparuerit legati causa eum usumfructum exceptum esse, etiam si conditio nõ exstiterit, restitui à uenditore emptori debeat.

L.V. POMPONIVS lib. XXVI. ad Q. Mutium.

**S**i infantis ususfructus tantummodo legatus sit: etiam si nullus interrim sit, si tamen infantis ætatem excefferit, esse incipit.

L.VI. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**A**n ususfructus nomine actio municipibus dari debeat, quæ situm est: periculum enim esse uidebatur, ne perpetuus fieret: quia neq; morte, neq; facile capitis deminutione periturus est: qua ratione proprietas inutilis esset futura, semper abscedete ususfructu. Sed tamen placuit dandam esse actionem. Vnde sequens dubitatio est: quousq; tuendi essent in eo ususfructu municipes? & placuit centum annis tuendos esse municipes: quia is finis uitæ longæui hominis est.

L.VII. PAPINIANVS lib. VII. responsorum.

**D**ominus fructuario prædium, quod ei per usumfructum seruiebat, legauit: idq; prædium aliquandiu possessum legatarius restituit filio, qui causam inofficiosi testamenti recte pertulerat, coactus est. mansisse fructus ius integrum ex post facto apparuit. Per filii commissum fructu prædiorum ob alimenta libertis relicto, partium emolumentum ex persona uita decedentium ad dominum proprietatis recurrit.

L.VIII. SCAEVOLA lib. III. responsorum.

**D**efuncta fructuaria mense decembri, iam omnibus fructibus, qui in his agris nascerentur, mense octobri per colonos sublatis: quæ situm est, utrum pensio hæredi fructuariæ solui deberet, quâuis fructuaria ante calendas martias, quibus pensiones inferri debebãt, decesserit: an diuidi debeant inter hæredem fructuariæ & rempublicam, cui proprietas legata est? Respondi, rempublicam quidem cum colonis nullam actionem habere: fructuariæ uero hæredem sua die, secundum ea, quæ proponerentur, integram pensionem percepturum. Sem

als\* reda  
 fu. pronio do lego ex \* reditu fructuum holeris & porrinæ, quæ habeo in  
 agro farrario, partem sextam. Quæritur, an his uerbis ususfructus lega-  
 rus uideatur? Respondi, non usumfructum, sed ex eo, quod redactum  
 esset, partem legatam. Item quæsitum est, si ususfructus nõ esset: an  
 quotannis partem sextam redactam legauerit? Respondi, quotannis ui-  
 deri relictum, nisi contrarium specialiter ab hærede probetur.

## LIX. PAVLVS lib. III. sententiarum.

**A**rborea ui tempestatas, non culpa fructuarij euerfas, ab eo substi-  
 tuti non placet. Quidquid in fundo nascitur, quidquid inde per-  
 cipitur, ad fructuarium pertinet: pensiones quoq; iam ante locatorum  
 agrorum, si ipsæ quoq; specialiter compræhensæ sint. Sed & ad exem-  
 plum uenditionis (nisi fuerit specialiter exceptum) potest usufructuari-  
 us conductorem repellere. Casæ arundinis uel pali compendium, si  
 in eo fundo uestigal esse consueuit, ad fructuarium pertinet.

## LX. IDEM lib. V. sententiarum.

**C**uiuscunq; fundi fructuarius prohibitus, aut deiectus, de restitutio-  
 ne omnium rerum simul occupatarum aget. sed etsi medio tem-  
 pore alio casu interciderit ususfructus: æque de pceptis antea fructibus  
 utilis actio tribuitur. Si fundus, cuius ususfructus petitur, non à domi-  
 no possideatur: actio redditur. Et ideo si de fundi proprietate inter duos  
 quæstio sit, fructuarius nihilominus in possessione esse debet: satisq; ei  
 à possessore dandum est, quod non sit prohibiturus frui eum, cui usus  
 fructus relictus est, quàm diu de iure suo probetur. Sed si ipsi usufructua-  
 rio quæstio moueatur: interim ususfructus ei differtur, sed caueri de-  
 bet de restituendo eo, quod ex his fructibus percepturus sit: uel si satis  
 non detur, ipse frui permittitur.

## LXI. NERATIUS lib. III. responsorum.

als\* opus  
 in. **V**usufructuarius nouum \* riuum parietibus non potest imponere  
 Aedificium incohatum fructuarius consummare non po-  
 test, etiam si eo loco aliter uti non possit. Sed ne eius quidem usumfru-  
 ctum esse: nisi in constituendo, uel legando usumfructum hoc specialiter  
 adiectum sit, ut utrunq; ei liceat.

## LXII. TRIPHONINVS lib. VI. disputationum.

**V**usufructuarium uenari in saltibus, uel montibus possessionis, pro-  
 be dicitur: nec aprum aut ceruum, quem ceperit, proprium do-  
 mini capit: sed fructus, aut iure ciuili, aut gentium suos facit. Si uiua  
 riujs inclusæ feræ in ea possessione custodiebantur, quando ususfructus  
 coepit: non exercere eas fructuarius potest, non occidere. aliàs si quas  
 initio incluserit operis suis, uel si metipsæ inciderint, dilapsæ uel fue-  
 rint: hæ fructuarij iuris sunt. Commodissime tamen, ne per singula ani-  
 malia

malia facultatis fructuarij, propter discretionem difficilem, ius incertum sit: sufficit eundem numerum per singula quæq; genera serarum, finito usufructu, domino proprietatis assignare, qui fuit cœpti usus-fructus tempore.

LXIII. PAVLVVS lib. *singulari regularum.*

**Q**uod nostrum non est, transferimus ad alium: ueluti is, qui fundum habet, quanquàm usumfructum non habeat, tamen usumfructum cedere potest.

LXIII. VLPPIANVS lib. *L. ad edictum.*

**C**um fructuarius paratus est usumfructum derelinquere, non est cogendus domū reficere: in quibus casibus & usufructuario hoc onus incumbit. Sed & post acceptum contra eum iudicium, parato fructuario derelinquere usumfructū: dicendum est, absolui eū debere à iudice.

LXV. POMPONIVS lib. *V. ex Plautio.*

**S**ed cum fructuarius debeat, quod suo suorumq; facto deterius factū sit, reficere: non est absoluendus, licet usumfructum derelinquere paratus sit. Debet enim omne, quod diligens paterfamilias in sua domo facit, & ipse facere. Non magis hæres reficere debet, quod uetustate iam deterius factum reliquit testator, quàm si proprietatem alicui testator legasset.

LXVI. PAVLVVS lib. *XVI. ad edictum.*

**C**um usufructuario non solum legis Aquiliæ actio competere potest, sed & serui corrupti, & iniuriarum, si seruum torquendo deteriorē fecit.

LXVII. IULIANVS lib. *I. ex Minutio.*

**C**um usufructus legatus est, etiam inuito hærede, eum extraneo uendere potest.

LXVIII. VLPPIANVS lib. *XVIII. ad Sabinum.*

**V**etus fuit quæstio, an partus ad fructuarium pertineret. Sed Brutii sententia obtinuit, fructuarium in eo locum non habere. neque enim in fructu hominis homo esse potest. hac ratione, nec usumfructū in eo fructuarius habebit. Quid tamen, si fuerit etiam partus usufructus relictus: an habeat in eo usumfructum? & cum possit partus legari, poterit & usufructus eius. Fœtus tamen pecorum Sabinus & Cassius opinati sunt ad fructuarium pertinere: Planè si gregis, uel armenti sit usufructus legatus: debet ex natis gregem supplere, id est in locū capitum defunctorum,

LXIX. POMPONIVS lib. *V. ad Sabinum.*

**V**el inutitium alia submittere: ut post substituta fiant propria fructuarij, ne lucro ea res cedat domino. Et sicut substituta statim domini fiunt, ita priora quoq; ex natura fructus desinūt eius esse. Nam

alioquin, quod nascitur, fructuarij est: & cum substituit, desinit eius esse.

LXX. VLP IANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**Q**uid ergo, si non faciat, nec suppleat: tencri eū proprietario Caius Cassius scribit libro octauo iuris ciuilis. Interim tamē, quāmdiu submittantur, & suppleantur capita, quæ demortua sunt: cuius sit foetus, quæritur: Et Iulianus libro tricesimo quinto digestorum scribit, pendere eorum dominium: ut si submittantur, sint proprietarij: si non submittantur, fructuarij. quæ sententia uera est. secundum quæ si decesserit foetus, erit periculo fructuarij, non proprietarij: & necesse habebit alios foetus submittere. Vnde Caius Cassius libro octauo scribit, carnem foetus demortui ad fructuarium pertinere. Sed quod dicitur, debere eum submittere: toties uerum est, quoties gregis, uel armenti uel equitij, id est, uniuersitatis ususfructus legatus est. cæterum si singulorum capitum: nihil supplebit. Item si forte eo tēpore, quo foetus editi sunt, nihil fuit, quod submitti deberet: nunc post editionem utrum ex his, quæ edentur, submittere debebit: an ex his, quæ edita sunt, uiderendum est. puto autem uerius, ea quæ pleno grege edita sunt, ad fructuarium pertinere: sed posteriorem gregis casum nocere debere fructuario. Submittere autem facti est. & Iulianus proprie dicit, dispertire, & diuidere, & diuisionem quandam facere: quod dominum submissorum erit proprietarij.

LXXI. MARCELLVS lib. XVIII. digestorum.

**S**I in area, cuius ususfructus alienus esset, quis ædificasset intra tempus, quo ususfructus perijt: superficie sublata, restitui usumfructum, ueteres responderunt.

LXXII. VLP IANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**S**I dominus nudæ proprietatis usumfructum legauerit: uerum est, quod Mærianus scribit libro tertio quæstionum de fideicommissis, ualere legatum: & si forte in uita testatoris, uel ante aditam hereditatem proprietati fructus accesserit, ad legatarium pertinere. Plus admittit Mærianus: etiam si post aditam hereditatem accessisset ususfructus, utiliter diem cedere, & ad legatarium pertinere.

LXXIII. PAPIANVS lib. II. definitionum.

**S**I area ususfructus legatus mihi sit: posse me casam ibi ædificare, custodiae earum rerum causa, quæ in area sunt.

LXXIII. CAIUS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**S**I Sticho seruo tuo & Pamphilo meo legatus fuerit ususfructus: tale est legatum, quale si mihi & tibi legatus esset: & ideo dubium non est, quin æqualiter ad nos pertineat.

De

DE VSVFRVCTV ADCRESCEN-  
do. Tit. II.

VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.



Voties ususfructus legatus est, ita inter fructuarios est ius adcrendi, si coniunctim sit ususfructus relictus. Cæterum si separatim unicuique partis rei ususfructus sit relictus: sine dubio ius adcrendi cessat. Denique apud Iulianum libro tricesimo quinto digestorum quaeritur: si communi seruo ususfructus sit relictus, & utrique domino acquisitus: an altero repudiante, uel amittente usumfructum, alter totum habeat? Et putat ad alterum pertinere. Et licet dominis ususfructus non æquis partibus, sed pro dominicis adquiratur: tamen persona eius, non domino- rum inspecta, ad alterum ex dominis pertinere, non proprietati accedere.

Idem ait, & si communi seruo & separatim Titio ususfructus legatus sit: amissum ab altero ex sociis usumfructum non ad Titium, sed ad suum socium pertinere debere, quasi solum coniunctum. quæ sententia uera est. nam quam diu uel unus utitur, potest dici usumfructum in suo statu esse. Idem est & si duobus coniunctim, & alteri separatim ususfructus esset relictus. Interdum tamen & si non sint coniuncti, tamen ususfructus legatus alteri adcrendi: ut puta si mihi fundi separatim totius, & tibi similiter fuerit ususfructus relictus. Nam ut Celsus libro octavo decimo digestorum, & Iulianus libro tricesimo quinto scribunt, concursu partes habemus. quod & in proprietate contingeret. nam altero repudiante, alter fundum haberet. Sed in usufructu hoc plus est: quia & constitutus, & postea amissus, nihilominus ius adcrendi admittit. omnes enim auctoritates apud Plautium de hoc consensere. & (ut Celsus & Iulianus eleganter aiunt) ususfructus quotidie constituitur, & legatur non ut proprietatis eo solo tempore, quo uindicatur. Cum itaque primus non inueniet alterum eum, qui sibi concurrat, solus utetur in totum: nec refert coniunctim, an separatim relinquatur. Idem Iulianus libro tricesimo quinto digestorum scribit: si duobus hæredibus institutis, deducto usufructu, proprietatis legetur: ius adcrendi hæredes non habere. nam uideri usumfructum constitutum, non per concursum diuisum.

II. AFRICANVS lib. V. quaestionum.

Idemque amissa pars ususfructus ad legatarium, eundemque proprietarium redibit.

III. VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

Inde Neratius putat libro secundo responsorum, cessare ius adcrendi.

di. Cui sententiæ congruit ratio Celsi dicentis: toties ius adcreſcendi eſſe, quoties à duobus, qui inſolidum habuerunt, concurſu diuiſus eſt. Vnde Celfus libro octauo decimo ſcribit: ſi duo domini fundi deducto uſuſfructu, proprietatem tradiderint: uter eorū amiſerit, uſumfructum ad proprietatem redire: licet non ad totum, ſed cuiuſq; uſumfructum ei parti accedere, quam ipſe tradidit, ad eam enim partem redire debet, à qua & initio diuiſus eſt. Non ſolum aut̄ ſi duobus uſuſfructus legatus ſit, nam amittente uſumfructū altero, cui erat legatus: magis iure adcreſcendi ad alterum pertinet, quàm redit ad proprietatem. nec nouum. nam & ſi duobus uſuſfructus legetur, & apud alterum ſit conſolidatus: ius adcreſcendi non perit neq; ei, apud quem cōſolidatus eſt, neq; ab eo: & ipſe quibus modis amitteret ante conſolidationē, iſdem & nunc amittit: & ita Neratio & Ariſtoni uidetur, & Pomponius pbat.

III. IULIANVS lib. XXXV. digeſtorum.

**S**I tibi proprietas fundi legata fuerit, mihi autem, & Mæuius, & tibi ſeuſdem fundi uſuſfructus: habebimus ego & Mæuius trientes in uſuſfructu, & triens unus proprietati miſcebitur. Siue autem ego, ſiue Mæuius capite minuti fuerimus: triens inter te & alterutrum noſtrum datur: ita ut ſemiſſem in uſuſfructu habeat is, qui ex nobis capite minutus non fuerat: ad te autem proprietatem cum parte dimidia uſuſfructus pertineat.

V. CAIUS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**E**T ſi tradideris alicui proprietatem, deducto uſuſfructu: nihilominus putat Iulianus adcreſcere, nec uideri nouū tibi acquiri uſumfructum.

VI. VLPPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**I**dem & ſi apud unum ex tribus fruſtuarijs conſolidatus ſit uſuſfructus. Sed ſi cui proprietatem deducto uſuſfructu legata ſit, & mihi pars ſetur, & uerum eſt ( ut quiuis amiſerit ) ad proprietatem reuertitur. Si mihi uſuſfructus fundi pure, & tibi ſub conditione legatus ſit: poteſt dici, totius fundi uſumfructum ad me interim pertinere: & ſi capite minutus fuero, totum amittere. ſed ſi exſtiterit conditio: totum uſumfructum ad te pertinere, ſi forte capite minutus ſim. Cæterū cum in meo ſtatu maneo: communicandum uſumfructum.

VII. PAVLVS lib. III. ad Sabinum.

**S**I quis Attius & hæredibus ſuis uſumfructum legauerit: dimidiam Attius, dimidiam hæredes eius habebunt. Quod ſi ita ſcriptum ſit, ATTIO ET MAEUIO CVM HAEREDIBVS MEIS, tres partes ſient: ut unam habeant hæredes, alteram Attius, tertiam Mæuius. Nec enim intereſt ita legetur, ILLI ET ILLI CVM MAEUIO, an ita, ILLI ET ILLI ET MAEUIO.

Vlpianus

## VIII. VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**S**I mulieri cū liberis suis ususfructus legetur: amissis liberis, ea usum fructū habet. sed & matre mortua, liberi eius nihilominus usum fructum habent, iure ad crescēdi. Nam ita Iulianus libro tricesimo quinto digestorū ait. idem intelligendū in eo, qui solos liberos hæredes scripserat: licet non ut legatarios eos nominauerit, sed ut ostenderet magis uelle se matrem ita frui, ut liberos secū habeat fruētes. Sed & Pomponius quarit, quid si mistim fuerint liberi & extranei hæredes: & ait filios legatarios esse intelligendos. Econtrario si noluerit eos liberos simul cum matre frui: debere dici matrem legatariā esse intelligēdam, & per omnia similem esse in hoc casu iuris euentum.

## IX. AFRICANVS lib. V. questionum.

**S**I proprietatis fundi duobus, ususfructus uni legatus sit: non trientes in ususfructu habent, sed semissem duo, fructuarius semissem. Item contra, si duo fructuarij, & unus fundi legatarius sit.

## X. VLPIANVS lib. VII. ad edictum.

**I**nterdum pars ususfructus etiam non habenti partē suam, sed amittenti ad crescit. nam si ususfructus duobus fuerit legatus, & alter lite contestata amiserit usum fructum: mox & collegatarius, qui litem contestatus non erat, usum fructum amisit: partem dimidiam duntaxat, quam amisit, qui litem contestatus est, aduersus eum, qui se liti obtulit, à possessore consequitur. pars enim collegatarij ipsi ad crescit, nō domino proprietatis. ususfructus enī personæ ad crescit, & si fuerit amissus.

## XI. PAPINIANVS lib. II. definitionum.

**C**um singulis ab hæredibus singulis eiusdem rei fructus legatur: fructuarij separati uidentur non minus, quàm si æquis portionibus duobus eiusdem rei fructus legatus fuisset. unde fit, ut inter eos ius ad crescendi non sit.

## XII. VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**C**um alius ab alio hærede usum fructum uindicat.

QVANDO DIES VSUSFRUCTVS LEGATI CEDAT. Tit. III.

## VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.



Vanquam ususfructus ex fruendo cōsistit, id est, factō alio quo eius, qui fruitor & utitur: tamen semel cedit dies, aliter atq; si cui in menses, uel dies, uel annos singulos quid legetur. tunc enim per dies singulos, uel menses, uel annos, dies legati cedit. Vnde quæri potest, si ususfructus cui

cui per singulos dies legetur, uel in singulos annos, an dies simul cedat? Et puto non simul cedere, sed per tempora adiecta, ut plura legata sint: & ita libro tertio digestorum Marcellus probat in eo, cui alternis diebus ususfructus legatus est. Et ideo si ususfructus legatus sit, qui quoti die percipi non potest, non erit inutile legatum: sed dies hi legatum habebunt, quibus uti frui poterit. Dies autem ususfructus, item usus, non prius cedit, quam hereditas adeatur. tunc enim constituitur ususfructus, cum quis iam uti frui potest. Hac ratione & si seruo hereditati acquirantur, in usufructu tamen personam domini expectari, quae uti frui possit. Item si ex die ususfructus legetur: dies eius nondum cedit, nisi cum dies uenit. posse enim usumfructum ex die legari, & in die em, constat. Non solum autem ususfructus ante aditam hereditatem dies non cedit, sed nec actio de usufructu. Idemque & si ex die fuerit legatus ususfructus. Demque Scauola ait, & agentem ante diem usufructus, nihil facere: quamuis alias, qui ante diem agit, male agit.

QVIBVS MODIS VSVSFRUCTVS VEL  
usus amittatur. Tit. IIII.

VLP IANVS lib. XVIII. ad Sabinum.



On solum usufructum amitti capitis deminutione constat, sed etiam actione de usufructu: & parui refert, utrum iure sit constitutus usufructus, an uero tuitione praetoris. Proinde traditus quoque usufructus, item in fundo uectigali, uel superficie non iure constitutus, capitis deminutione amittitur. sed ita demum amittitur capitis deminutione ususfructus, si iam constitutus est. caeterum si ante aditam hereditatem, aut ante diem cedentem quis capite minutus sit: constat non amitti.

Si tibi fundus legatus ex die est, & usufructum mihi rogatus es restituere: uidendum est, si capite minutus fuero intra diem legato tuo infertum: ne forte saluus sit mihi usufructus, quasi ante diem cedentem capitis deminutio interuenerit. quod benigne dici potest. Usque adeo autem capitis deminutio eum demum usufructum perimit, qui iam constitutus est: ut si in singulos annos, uel menses, uel dies legatus sit: is demum amittatur, qui iam praecessit. & ita si forte in annos singulos legatus est, illius duntaxat anni usufructus amittitur: & si in menses, eius mensis: & si in dies, eius diei.

SI PAPINIANVS lib. XII. questionum.  
Si duobus separatim alternis annis usufructus relinquatur, continuis

annis proprietas nuda est: cum si legatarium unum substituas, cui alternis annis legatus sit ususfructus, plena sit apud heredem proprietas eo tempore, quo ius fruendi legatario non est. Quod si ex duobus illis alter decedat: per uices temporum plena proprietas erit. neque enim ad crescere alteri quidquam potest: quoniam per propria quisque tempora, non concurrente altero, fructus integros habuit. Si non mors, sed capitis deminutio intercesserit: quia plura legata sunt, illius anni tantum (si modo ius fruendi habuit) fructus amissus erit. Quod & in uno legatario, qui fructum in annos singulos accepit, defendendum est: ut commemoratio temporum repetitionis \* potestatem habeat. Cum singulis fructus alternis annis legatur: si consentiant in eundem annum, impediuntur: quia non id actum uidetur, ut concurrant. multum enim refert, duobus simul alternis annis legetur (quod sane ultra primum annum procedere non poterit: non magis, quam si uni legatum ita fuisset) an singulis alternis annis. nam si concurrere uolent: aut impedient inuicem propter uoluntatem, aut (si ea non refragabitur) singulorum annorum fructus uacabit.

III. VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

Sicut in annos singulos ususfructus legari potest, ita & capitis deminutione amissus legari poterit, ut adijciatur, QVOTIES CAPITIS MINUTVS ERIT, EI DO LEGO: uel sic, QVOTIES AMISSVS ERIT: & tunc si capitis deminutione amittatur, repetitus uidebitur. Vnde tractatum est, si cui quamdiu uiuat, ususfructus legatus sit: an uideatur repetitus, quoties amissus est. quod & Mærianus tentat: & puto repetitum uideri. Quare si usque ad diem sit legatus, puta usque ad decennium, idem erit dicendum. Hæc autem repetitio, quæ fit post amissum capitis deminutione usumfructum: quæritur, an ius ad crescendi secum habeat: ut puta Titio & Mæuio ususfructus legatus est: & si Titius capite minutus esset, usumfructum eidem legauit. quæsitum est, si Titius ex repetitione usumfructum haberet, an inter eos ius ad crescendi saluum esse perinde, ac si alius esset Titio in ususfructu substitutus, eos enim tametsi non uerbis, re tamen coniunctos uideri. Idem Papinianus quærit: si Titio & Mæuio ususfructus legatus esset, in repetitione aut ususfructus non totum, sed partem Titio legasset, an uiderentur coniuncti: Et ait, siquidem Titius amiserit, totum Mæuio ad crescere. quod si Mæuius amississet: neque totum ad crescere, sed partem ad eum, partem ad proprietatem redire. quæ sententia habet rationem. Neque potest dici eo momento, quo quis amittit usumfructum & resumit, etiam ipsi quidquam ex ususfructu ad crescere. Placet enim nobis: ei, qui amittit usumfructum

fructum, ex eo quod amittit, nihil ad crescere. Morte quoque amittit usufructum, non recipit dubitationem: cum ius fruendi morte extinguatur, sicuti si quid aliud personae cohaeret.

III. MARTIANVS lib. III. *institutionum.*

**S**i legatum usufructum legatarius alij restituere rogatus est: id age re praetor debet, ut ex fideicommissarij persona magis, quam ex legatarij pereat usufructus.

V. VLP IANVS lib. XVIII. *ad Sabinum.*

**R**e peti potest usufructus amissus qualicumque ratione, dum modo non morte: nisi forte haeredibus eius eum legauerit. Si quis usufructum solum serui alienauerit, per quem usufructus ei adquisitus est: dubium non est, quin usufructus per eum adquisitus retineatur. Rei mutatione interire usufructum placet. ueluti usufructus mihi aedium legatus est. aedes corruerunt, uel exusta sunt. sine dubio extinguitur usufructus. An & areae? certissimum est, exustis aedibus, nec areae, nec caementorum usufructum deberi. & ita Iulianus. Si areae usufructus sit legatus, & in ea aedificium sit positum: rem mutari, & ita usufructum extingui constat. Plane si proprietarius hoc fecit: ex testamento, uel de dolo tenebitur.

VI. POMPONIVS lib. V. *ad Sabinum.*

**S**ed & interdictum QVOD VI AVT CLAM usufructuario competit.

VII. IULIANVS lib. XXXV. *digestorum.*

**N**isi sublato aedificio usufructum areae cesserit: tempore scilicet, quo usufructus perijt, transacto.

VIII. VLP IANVS lib. XVIII. *ad Sabinum.*

**F**ruendi usufructu legato, si uilla diruta sit, usufructus non extinguitur (quia uilla fundi accessio est) non magis, quam si arbores deciderint.

IX. PAVLVS lib. III. *ad Sabinum.*

**S**ed & eo quoque solo, in quo fuit uilla, uti frui poterit.

X. VLP IANVS lib. XVIII. *ad Sabinum.*

**Q**uid tamen si fundus uillae accessio fuit: uideamus, ne etiam fundi usufructus extinguatur? & idem dicendum est, ut non extinguatur.

Non tantum si aedes ad aream redactae sint, usufructus extinguitur: uerum etiam si demolitis aedibus, testator alias nouas restituerit. Plane si per partes reficiat: licet omnis noua facta sit, aliud erit nobis dicendum.

Agri uel loci usufructu legato, si fuerit inundatus, ut stagnum iam sit, aut palus: proculdubio extinguetur. Sed & si stagni usufructus legitur, & exaruit, sic ut ager sit factus: mutata re, usufructus extinguitur. Non tamen, si arui usufructus legetur, & ibi uites sint positae, uel contra, puto extingui. Certe syluae usufructu legato, si sylua caesa illic sationes fuerint factae: sine dubio usufructus extinguitur. Si massae usufructus

fructus legetur, & ex ea uasa sint facta, uel contra: Cassius apud Vrseium scribit, interire usumfructum, quam sententiam puto ueram. Proinde & ornamentum dissolutū, aut transfiguratum, exstinguit usumfructū.

In nauis quoque usumfructu Sabinus scribit, siquidem per partes refecta sit, usumfructum non interire. Sin autem dissoluta sit: licet iisdem tabulis, nulla præterea adiecta, restaurata sit: usumfructum exstinctum, quam sententiam puto uerorem. Nam & si domus ex iisdem cæmentis tignisq; fuerit restituta, ususfructus exstinguitur. Quadrigæ usumfructu legato, si unus ex equis decesserit, an exstinguet ususfructus quæritur: & ego puto multū interesse, equorum, an quadrigæ ususfructus sit legatus. nam si equorū, supererit in residuis: si quadrigæ, non remanebit, quoniam quadriga esse desijt.

XI. PAVLVVS lib. III. ad Sabinum.

**N**isi alius ante diem legati cedentem substitutus sit.

XII. VLP IANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**S**i cui balinei ususfructus legatus sit, & testator habitationē ex hoc fecerit: uel si tabernæ, & diætā fecerit: dicendum est, usumfructū exstinctum. Proinde & si histrionis reliquerit usumfructum, & eum ad aliud ministerium transtulerit: exstinctum esse usumfructū, dicēdū erit.

XIII. PAVLVVS lib. III. ad Sabinum.

**S**i usufructuarius messem fecit, & decessit: stipulam, quæ de messia iacet, hæredis eius esse Labeo ait: spicam, quæ terra teneatur, domini fundi esse. Fructumq; percipi spica, aut fœno cæso, aut uua adēpta, aut excussa olea: quāuis nondū tritum frumentū, aut oleū factum, uel uinde mia coacta sit. Sed ut uerum est, quod de olea excussa scribit: ita aliter obseruandū de ea olea, quæ per se decedit. Iulianus ait, fructuarij fructus tunc fieri, cum eos pceperit: bonæ fidei aut possessoris, mox q̄ à solo separati sunt.

XIII. POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.

**E**xcepta capitis deminutione, uel morte: reliquæ causæ uel pro parte interitum ususfructus recipiunt.

XV. VLP IANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**I**nterdū proprietarius ad libertatem perducet: si forte ususfructus fuerit tam diu legatus, quādiu manumittatur. nam incipiente proprietatio manumittere, exstinguetur ususfructus.

XVI. IDEM lib. V. disputationum

**S**i sub conditione mihi legatus sit ususfructus, mediocq; tēpore sit penes hæredem: potest hæres usumfructū alij legare, quæ res facit, ut si cōditio exstitit mei legati, ususfructus ab hærede relictus finiat. Quod si ego usumfructū amifero: nō reuertet ad legatariū, cui ab hærede pure legatus fuerat: quia ex diuersis testamentis ius cōiunctionis non contingit.

XVII. IULIANVS lib. XXXV. *digestorum.*

**S**I tibi ususfructus fundi pure, pprietas aut sub cōditiōe Titio legata fuerit, & pēdente cōditiōe dominiū pprietatis adquisieris, deinde conditiō exstiterit: pleno iure fundū Titius habebit. neq; interest, quod detracto usufructu pprietas legata sit. dum enim pprietatem adquisis, ius omne legati usufructus amisisti.

XVIII. POMPONIVS lib. V. *ad Sabinum.*

**S**I seruo hæreditatio ante aditam hæreditatem legatus usufructus fuisset: magis placet, adita hæreditate eum usumfructū ad te transferre, nec interire quasi mutato dominio: quia nec dies ante cesserit, q̄ tu hæres exstiteris.

**N**EQ; usufructus, neq; iter actusie domini mutatione amittitur.

XIX. CAIVS lib. VII. *ad edictum provinciale.*

**I**S, qui usumfructum habet, si tantum utatur, quia existimet se usum tantū habere, an usumfructum retineat? Et si quidem sciens se usum fructum habere, tantum uti velit: nihilominus & frui uidetur. si uero ignoret: puto eum amittere fructum. non enim eo, quod habet, uti-  
tur: sed eo, quod putauit se habere.

aliās \* ex  
eo, utru-  
biq;.

XXI. MODESTINVS lib. III. *differentiarum.*

**S**I usufructus ciuitati legetur, & aratum in ea ducatur, ut passa est Carthago: ciuitas esse desinit, ideoq; quasi morte desinit habere usumfructum.

XXII. POMPONIVS lib. VI. *ad Q. Mutium.*

**S**I mulieri usus domus legatus sit, & illa trans mare profecta, confisuto tempore ad amittendum usum abfuerit, maritus uero domus usus fuerit: retinetur nihilominus usus, quemadmodum si familiā suā in domo reliquisset, dum peregrinaretur. Et hoc magis dicendum est, si uxorem in domo reliquerit maritus, cum ipsi marito usus domus legatus sit.

aliās \* eod  
quod.

XXIII. IDEM lib. XXVI. *ad Q. Mutium.*

**S**I ager, cuius usufructus noster sit, flumine uel mari inundatus fuerit: amittitur usufructus, cum ipsa etiam pprietas eo casu amittatur: ac ne piscando quidem retinere poterimus usumfructum. Sed quemadmodum si eodem impetu discesserit aqua, quo uenit, restituitur pprietas: ita & usumfructum restituendum, dicendum est.

XXIII. IABOLENVS lib. III. *ex posterioribus Labeonis.*

**C**VM usumfructum horti haberem, flumen hortum occupauit. deinde ab eo recessit. ius quoq; usufructus restitutum esse, Labeoni uidetur: quoniam id solum perpetuo eiusdem iuris mansisset. Sed ita id ues

id uerum puto, si flumen inundatione hortum occupauit. nam si al-  
ueo mutato, inde manare cœperit, amitti usumfructum existimo: cum  
is locus aluei publicus esse cœperit, nec in pristinum statum restitui  
possit. Idem iuris in itinere etiam actuq; custodiendum esse, ait La-  
beo. de quibus rebus ego idem, quod in usufructu, sentio. Labeo ait.  
nec si summa terra sublata ex fundo meo, & alia regeſta eſſet, idcirco  
meum solum eſſe deſinit: non magis, quàm ſtercorato agro.

XXV. POMPONIVS lib. XI. ex uarijs lectionibus.

**P**lacet uel certa partis, uel pro indiuiſo uſumfructum non utendo  
amitti.

XXVI. PAVLVS lib. I. ad Neratium.

**S**i ager ab hoſtibus occupatus, ſeruus uē captus, liberatus fuerit: iure  
ſpoſſiminiſt restituitur uſusfructus.

XXVII. IDEM lib. I. Manualium.

**S**i ſeruus, in quo uſusfructus alienus eſt, noxæ datur à domino pro  
ſprietatis uſufructuario: liberabitur, cōfuſa ſeruitute p̄prietatis com-  
paratione.

XXVIII. IDEM lib. XV. ad Plautium.

**S**i fructus alternis annis legetur, conſtat non poſſe non utendo eum  
amitti, quia plura ſunt legata.

XXIX. VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**P**omponius quærit: ſi fundum à me p̄prietarius cōduxerit, eumq;  
fundum uendiderit Seio, uſufructu non deducto: an uſumfructum  
per emptorem retineam? Et ait: licet p̄prietarius mihi penſionē ſol-  
uerit, tamen uſumfructum amitti: quia non meo nomine, ſed ſuo frui-  
tus eſt emptor. Teneri planè mihi ex locato p̄prietarium, quāti mea  
interfuit, id factum non eſſe. quanquām ſi à me conductum uſumfru-  
ctum quis alicui locauerit, retinetur uſusfructus: ſed ſi p̄prietarius eū  
locaret ſuo nomine, dicendum amitti. non enim meo nomine frui-  
tur colonus. Sed ſi emptum à me uſumfructum p̄prietarius uendi-  
diſſet: an amitterem uſumfructum, quærendū eſt: & puto amitti, quo-  
niam & hic non ut à me empto fruitur fundi emptor. Idem Pom-  
ponius quærit: ſi legatum mihi uſumfructum rogatus ſim tibi reſtitue-  
re, an pro te frui uidear, nec amittatur uſusfructus? Et ait, dubitare ſe de  
hac quæſtione. Sed eſt uerius, quod Marcellus notat: nihil hanc rem ſi-  
deicommiſſario nocere. ſuo enim nomine utilem actionem eum habi-  
turum.

XXX. CAIVS lib. VII. ad editum prouinciale.

**C**aro & corium mortui pecoris in fructu non eſt: quia exſtinguitur  
mortuo eo uſusfructus.

XXXI. POMPONIVS lib. III. ad Q. Mutium.

**C**um gregis uſusfructus legatus eſt, & eouſq; numerus peruenit gre-  
gis, ut grex non intelligatur: perit uſusfructus.

DE VSVFRVCTV EARVM RERVM, QVAE  
usu consumuntur, uel minuuntur. Tit. V.



VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

Enatus censuit, ut omnium rerum, quas in cuiusq; patrimonio esse constaret, ususfructus legari possit. quo senatusconsulto inductum uidetur, ut & earum reru, quae usu tolluntur, uel minuuntur, possit ususfructus legari.

II. CAIYS lib. VII. ad edictum prouinciale.

SEd de pecunia recte caueri oportet his, a quibus eius pecuniae ususfructus legatus erit. Quo senatusconsulto non id effectum est, ut pecuniae ususfructus proprius esset: (nec enim naturalis ratio auctoritate senatusconsulti mutari potuit) sed remedio introducto, coepit quasi ususfructus haberi.

III. VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

POSTquam omnium rerum ususfructus legari poterit: an & nomen? Nerua negauit. sed est uerius, quod Cassius & Proculus existimant, posse legari. Idem tamen Nerua ipsi quoque debitori posse usumfructum legari scribit, & remittendas ei usuras.

IIII. PAVLVS lib. I. ad Neratium.

ERgo cautio & ab hoc exigenda erit.

V. VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

HOC senatusconsultum non solum ad eum pertinet, qui pecuniae usumfructum, uel caeterarum rerum, quas habuit, legauit: uerum etiam si fuerint alienae. Si pecuniae sit ususfructus legatus, uel aliarum rerum, quae in abusu consistunt, nec cautio interueniat: uidendum est, finito usufructu, an pecunia, quae data sit, uel caeterae res, quae in absumptione sunt, condici possint. Et siquidem adhuc constante usufructu, cautionem quis uelit condicere: potest dici, omissam cautionem posse condici incerti conditione. sed finito usufructu, ipsam quantitatem Sabinus putat posse condici. quam sententiam & Celsus libro decimo octauo digestorum scribit, & mihi non inarguta uidetur. Quae in usufructu pecuniae diximus, uel caeterarum rerum, quae sunt in abusu: eadem & in usu dicenda sunt. Nam idem continere usum pecuniae & usumfructum Iulianus scribit, & Pomponius libro octauo de stipulationibus.

VI. IULIANVS lib. XXXV. digestorum.

SI tibi decem legata fuerint, mihi eorundem decem ususfructus: fient quidem tua tota decem, sed mihi quinque numerari debebunt: ita ut tibi caueam, tempore mortis meae, aut capitis deminutionis restitutum.

Nam

Nam & si fundus tibi legatus fuisset, & mihi eiusdem fundi usufructus: haberes tu quidem totius fundi proprietatē, sed partim cum usufructu, partim sine usufructu: & non hæredi, sed tibi cauerem boni uiri arbitratu. Sed & si duobus eorundem decem usufructus legatus fuerit: quina accipient, & inuicem hæredi satisfiabunt.

als\* & hæredi.

VII. CAIUS lib. VII. ad edictum prouinciale.

SI uini, olei, frumēti usufructus legatus erit: proprietas ad legatariū debet transferri, & ab eo cautio desiderāda est: ut quandoq; cum is mortuus, aut capite minutus sit, eiusdem qualitatis res restituatur: aut æstimatis rebus, certæ pecuniæ nomine cauendum, quod & commodius est. Idem scilicet de cæteris quoq; rebus, quæ abusu cōtinentur, intelligimus.

VIII. PAPIANVS lib. XVI. quæstionum.

TRibus hæredibus institutis usumfructū quindecim milium Titio legauit, & duos ex hæredibus iussit pro legatario satisficare. placebat utile esse cautionis quoq; legatum, nec refragari senatusconsulto: quia cautio non impediretur: & esse alterum legatum ueluti certi, alterum incerti. usufructus itaq; nomine partem pecuniæ petendā ab eo, qui satis accepit à cohærede: incertiq; cum eodem agendum, si satis nō dedisset. Eum uero, qui satis præstitit, ac propter morā cohæredis non satis accepit: neq; fructus nomine interim teneri propter senatusconsultum, nec actione incerti: quia cohæredi satisfecit. Illud etiam nobis placebat, legatariū cogendum promittere. Finito autem usufructu, si cohæredes ex causa fideiussoria conuenirentur: eos mandati non acturos. non enim suscepisse mandatum, sed uoluntati paruisse: deniq; cautionis legato liberatos. de illo nec diu tractandum fuit: secundum legatum, id est cautionis, non hæredum uideri: sed eius, cui pecuniæ usufructus relictus est, cuiq; testator pspicere uoluit, & cuius interesse credidit fideiussores non suo periculo querere.

IX. PAULVS lib. I. ad Neratium.

IN stipulatione de reddendo usufructu pecuniæ, duo soli casus interponuntur, mortis & capitis deminutionis.

X. VLPPIANVS lib. LXIII. ad edictum.

QVoniā pecuniæ usufructus aliter amitti nō potest, q̄ his casibus. Si usus tantū pecuniæ legatus sit (quia in hac spē, usus appellatione & fructū cōtineri, magis accipiendū est) stipulatio ista erit interponenda. Et quidā aiunt, nō ante hanc interponi stipulationē, q̄ data fuerit pecunia. ego aut̄ puro: siue antea, siue postea ea pecunia data sit: tenere stipulationē.

XI. IDEM lib. XVIII. ad Sabinum.

SILanæ alicui legatus sit usufructus, uel odorum, uel aromatum: nullus uidetur usufructus in istis iure constitutus, sed ad senatusconsultum

tum erit descendendum, quod de cautione eorum loquitur.

XII. MARTIANVS lib. III. institutionum.

**C**um pecunia erat relicta Titio, ita ut post mortem legatarij ad Ma-  
 cuium rediret: quanquam non adscriptum sit, ut usum eius Titius  
 haberet: proprie tamen ei legatum esse usumfructum, quia restituenda  
 erat pecunia post mortem eius, diui Severus & Antoninus rescripserunt.

alias\* pro  
 prietatem  
 ei legatum  
 esse usus  
 mēione fa  
 cta.

SI VSVSFRVCTVS PETATVR, VEL AD  
 alium pertinere negetur. Tit. VI.

VLP IANVS lib. XVIII. ad Sabinum.



In fundo fructuario seruitus debeat, Marcellus libro octa-  
 uo apud Iulianum sententiam Labeonis & Neruae pro-  
 bat: existimantium seruitutem quidem eum vindicare  
 non posse, uerum usumfructum uindicaturum: ac per hoc  
 uicinum, si non patiatur eum ire & agere, teneri ei quasi  
 non patiatur uti frui. Ususfructus legatus adminiculis eget, sine qui-  
 bus uti frui quis non potest. Et ideo si ususfructus legetur, necesse est ta-  
 men, ut sequatur eum aditus. Usque adeo, ut si quis usumfructum loci leget,  
 ita ne haeres cogatur uiam praestare: inutiliter hoc adiectum esse uide-  
 atur. Item si usufructu legato, iter ademptum sit: inutilis est ademptio,  
 quia semper sequitur usumfructum. Sed si ususfructus sit legatus, ad  
 quem aditus non est, nisi per haereditarium fundum: ex testamento utique  
 agendo fructuarius consequitur, ut cum aditu sibi praestetur ususfructus.  
 Vtrum autem aditus tantum & iter, an uero & uia debeat  
 fructuario, legato ei usufructu, Pomponius libro quinto dubitat. Et re-  
 ste putat, prout ususfructus perceptio desiderat, hoc ei praestandum. Sed  
 an & alias utilitates & seruitutes ei haeres praestare debeat (puta lumi-  
 num & aquarum) an uero non: Et puto eas solas praestare compellen-  
 dum, sine quibus omnino uti non potest: sed si cum aliquo incommo-  
 do utatur, non esse praestandas.

II. POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.

**S**i ab haerede ex testamento fundi ususfructus petitus sit, qui arbores  
 rem usumfructum fecisset, aut aedificium demolitus esset, aut aliquo modo deterio-  
 praedia liberando: ad iudicis religionem pertinet, ut inspiciatur, qualis  
 ante iudicium acceptum fundus fuerit: ut usufructuario hoc, quod in-  
 terest, ab eo seruetur.

III. IULIANVS lib. XXXV. digestorum.

**Q**ui usumfructum traditum sibi ex causa fideicommissi, desijt in  
 usu

usu habere tanto tempore, quanto si legitime eius factus esset, amissurus eum fuerit: actionem ad restituendum eum habere non debet. est enim absurdū, plus iuris habere eos, qui possessionem duntaxat usus fructus, non etiam dominium sunt adepti.

III. IDEM eodem libro.

**F**undus detracto usufructu legatus est Titio, & eiusdem fundi usus fructus Sempronio sub cōditione. Dixi interim cum proprietate usumfructum esse, licet placeat, cū detracto usufructu fundus legatur, apud hæredem usumfructum esse: quia cum paterfamilias detracto usu fructu fundum legat, & alij usumfructum sub conditione non hoc agit, ut apud hæredem usufructus remaneat.

V. VLP IANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**V**ti frui ius sibi esse, solus potest intendere, qui habet usumfructū: dominus autem fundi non potest. quia qui habet proprietatem, utendi fruendi ius separatum nō habet. nec enim potest ei suus fundus seruire. de suo enim, non de alieno iure quēq; agere oportet. Quamquam enim actio \*negatoria domino competit aduersus fructuarium: aliās \*negatiua. magis tamen de suo iure agere uidetur, quam alieno: cū inuito se negat ius esse utendi fruēdi fructuario, uel ius sibi esse prohibēdi. Quod si forte, qui agit, dominus proprietatis non sit: quamuis fructuarius ius utēdi \*fruendi nō habet: uincet tamen iure, quo possessores potiores sunt, aliās \*deest. licet nullum ius habeat. Vtrum autem aduersus dominum duntaxat in rem actio usufructuario competat, an etiam aduersus quemuis possessorem? Q. Mutius & Iulianus libro septimo digestorum scribūt, hanc actionem aduersus quemuis possessorem ei competere. nam & si fundo fructuario seruitus debeatur: fructuarius non seruitutē, sed usum fructum uindicare debet aduersus alterius uicini fundi dominum. Si partis fundi usufructus constituatur: potest de eo in rem agi, siue uindicer quis usumfructū, siue alij neget. In his autem actionibus, quæ de usufructu aguntur, etiam fructus uenire, plusquam manifestum est.

Si post litem de usufructu contestatam fuerit finitus usufructus, an ulterius fructus deberi desinant? Et puto desinere. nam & si mortuus fuerit fructuarius: hæredi eius actionem præteritorum duntaxat fructuū dandam, Pōponius libro quadragesimo scribit. Fructuario, qui uicit, omnis causa restituenda est. & ideo si serui fuerit usufructus legatus: quidquid ex re fructuarij, uel ex operis suis consecutus est, possessor restituet. Sed & si tempore forte usufructus amissus est, alio quidem possidente, alio autē liti se offerente: non sufficit eum usumfructum iterum renouare, uerum cauere quōq; eum de euictione usufructuario oportet. quid enim si seruum aut fundum is, qui possidebat, pignori de

dit: isq; ab eo, qui accepit, iure uti prohibetur: debet itaq; habere cautum. Sicut fructuario confessoria in re agenti fructus præstandi sunt: ita & proprietatis domino, si negatoria actione utatur. Sed in omnibus ita demum, si non sit possessor, qui agat. nam & possessori competunt. quod si possident, nihil fructuum nomine consequetur. Quid ergo officium iudicis erit: nempe ut securus fructuarius consequatur fruendi libertatem, proprietatis dominus ne inquietetur.

VI. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

**Q**ui de usufructu iudicium accepit, si desierit possidere sine dolo, absoluetur: quod si liti se obtulit, & quasi possessor actionem de usufructu accepit, damnabitur.

### DE OPERIS SERVORVM Tit. VII.

PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.



**O**PERA in actu consistit: nec ante in rerum natura est, quàm si is dies uenit, quo præstanda est: quemadmodum cum stipulamur, quod ex Arescusa natum erit.

II. VLPPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**O**peræ serui legata capitis deminutione non amittuntur.

III. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**I**n hominis usufructu operæ sunt, & ob operas mercedes.

III. IDEM lib. VI. ad edictum urbicum, titulo de liberali causa.

**F**ructus hominis in operis consistit, & retro in fructu hominis operæ sunt. Et ut in cæteris rebus fructus, deductus necessarijs impensis, intelligitur: ita & in operis seruorum.

V. TARENTIVS CLEMENS lib. XVIII. ad L. Iuliam & Papiam.

**O**peris serui legatis, usum datum intelligi, & ego didici, & Iulianus existimat.

VI. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

**C**um de operis serui artificis agitur, pro modo restituendæ sunt: sed mediastini, secundum ministerium, & ita Mela scribit. Si minor annis quinq; uel debilis seruus sit, uel quis alius, cuius nulla opera esse apud dominum potuit: nulla æstimatio fiet. Item uoluptatis uel affectionis æstimatio non habebitur: ueluti si dilexerit eum dominus, aut in delicijs habuerit. Cæterum deductis necessarijs impensis fiet æstimatio.

### DE VSV ET HABITATIONE Tit. VIII.

CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

Nuitic

**N**Vnc uidendum de usu & habitatione. Constituitur enim & nudus usus, id est sine fructu: qui & ipse eisdem modis constitui solet, quibus & ususfructus.

II. *VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.*

**C**Vi usus relictus est, uti potest, frui uero non potest: & de singulis uidendum. Domus usus aut est relictus marito, aut mulieri. si marito: potest illic habitare nec solus, uerum cum familia quoque sua. an & cum libertis, fuit quaestio: & Celsus scripsit, etiã cum libertis. posse hospitem quoque recipere. nam ita libro septimo digestorum scripsit, quã sententiam & Tubero probat. Sed an & inquilinum recipere possit, apud Labeonem memini tractatum libris posteriorum. & ait Labeo eum, qui ipse habitat, inquilinum posse recipere. Itẽ & hospitem, & libertos suos.

III. *PAVLVS lib. III. ad Vitellium.*

**E**T clientes.

IIII. *VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.*

**C**Aeterum sine eo ne hos quidem habitare posse. Proculus autem de inquilino notat, nõ uelle inquilinum dici, qui cum eo habitat. & secundũ hæc & si pensionem habitationis percipiat, dum ipse quoque inhabitat, nõ erit ei inuidendũ. quid enim si tam spaciõsæ domus usus sit relictus homini mediocri, ut portiuicula contentus sit? Sed & cum his, quos loco seruorũ in operis habet, habitabit: licet liberi sint, uel serui alieni. Mulieri autem si usus relictus sit: posse eam & cũ marito habitare, Quintus Mutius primus admisit: ne ei matrimonio carendũ foret, cũ uti uult domo. Nam per cõtrariũ, quin uxor cũ marito possit habitare, nec dubitatum fuit. Quid ergo si uiduæ legatus sit: an nuptijs cõtractis, post usum constitutũ mulier habitare cum marito possit? Et uerum est (ut & Põponius libro quinto, & Papinianus libro decimonono quaestionũ probat) posse eam cum uiro & postea nubentem habitare. Hoc amplius Pomponius ait, & cum socero habitaturam.

V. *PAVLVS lib. III. ad Sabinum.*

**I**Mõ & socer cum nuru habitabit. hoc utique cum uiro iuncta sit.

VI. *VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.*

**N**on solum autem cum marito, sed etiam cum liberis, libertisque habitare, & cum parentibus poterit: ut Aristo notat apud Sabinum. Et huc usque erit procedendum, ut eosdem, quos masculi recipient, & mulieres possint.

VII. *POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.*

**N**on aliter autẽ mulier hospitem recipere potest, quã si is sit, qui honeste cum ea, quæ usum habet, habitaturus sit.

VIII. *VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.*

pp ij Sed

Sed neq; locabunt seorsum, neq; concedent habitationem sine se, nec suendent usum. Sed si usus ædium mulieri legatus sit ea conditione, SI A VIRO DIVERTISSET: remittendam ei conditionem, & cum uiro habitaturam, Pomponius libro quinto probat.

IX. PAVLVVS lib. III. ad Sabinum.

CAeterarum quoq; rerum usu legato, dicendum est, uxorem cum uiro in promiscuo usu eas res habere posse.

X. VLP IANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

SI habitatio legetur, an perinde sit, atq; si usus: quaeritur. Et effectus consentit libro decimo octauo quaestionum. Deniq; donare non poterit: sed eas personas recipiet, quas & usufructarius. ad heredem tamen nec ipsa transit: nec non utendo amittit, nec capitis deminutione. Sed si <sup>usu</sup> sit relicta, an usus sit, uidendum. & Papinianus libro septimo re-  
spõsorum ait, usum esse, non etiam fructum relictum. Sed & si relictus sit illi domus usufructus habitandi causa: utrum habitationem solam, an uero & usum fructum habeat, uidendum. Et Priscus Neratius putat, solam habitationem legatam, quod est uerum. Planè si dixisset testator, VSVM HABITANDI CAUSSA: non dubitaremus, quin ualere-  
ret. Vtrum autem unius anni sit habitatio, an usq; ad uitam: apud ueteres quaesitum est. Et Rutilius, donec uiuat, habitationem comperere ait, quam sententiam & Celsus probat libro decimo octauo digesto-  
rum. Si usus fundi sit relictus: minus utiq; esse, quam fructum, longe-  
geq; distare, nemo dubitat. sed quid in ea causa sit, uidendum. Et La-  
beo ait, habitare eum in fundo posse, dominumq; prohibitorium illò  
uenire: sed colonum non prohibitorum, nec familiam, quaë agri colendi  
caussa illic sit. Cæterum si urbanam familiam illò mittat, qua ratione ipse  
phibetur, & familiam prohibendam, eiusdem rationis est. Idè Labeo ait &  
cella uinaria & olearia eum solum usurum: dominum uero inuito eo non  
usurum.

XI. CAIVS lib. III. rerum quotidianarum, siue aureorum.

IN eoq; fundo haftenus ei morari licet, ut neq; domino fundi molestus sit: neq; his, per quos opera rustica fiunt, impedimento: nec uili-  
li alij ius, qd habet, aut uendere, aut locare, aut gratis concedere potest.

XII. VLP IANVS lib. XVI. ad Sabinum.

PLenū autem usum habere debet, si & uillæ, & prætorij relictus est. Venire planè posse proprietarium ad fructus percipiendos, magis dicendū est: & per ipsa tēpora fructuum colligendorū etiam habitare illic posse, admittendum est. Præter habitationem autem, quam habet, cui usus datus est: deambulandi quoq; & gestandi ius habebit. Sabinus & Cassius etiā lignis ad usum quotidianū, & horto, & holeribus  
& holeribus

& holeribus, & floribus, & aqua usurum: non usq; ad compendium, sed ad usum, non ad abusum. idem Nerua: & adiicit, stramentis etiam usum: sed neq; folijs, neq; oleo, neq; frumento, neq; frugibus usurum. Sed Sabinus & Cassius, Labeo & Proculus hoc amplius: ex his, quæ in fundo nascuntur, quod ad uictum sibi suisq; sufficiat, sumpturum: etiam ex his, quæ Nerua negauit. Inuentius autem etiam cum conuiuis & hospitibus posse uti. quæ sententia mihi uera esse uidetur. Aliquo modo enim largius cum usufruario agendum est pro dignitate eius, cui relictus est usus. Sed utetur his ( utputo ) duntaxat in uilla. Pomis autem, & holeribus, & floribus, & lignis uidendum, utrum eodem loco utatur duntaxat, an etiam in oppidum ei deferri possint. sed melius est accipere, & in oppidum deferenda. neq; enim graue onus est eorum, si habundant in fundo. Sed & si pecoris ei relictus usus est ( puta gregis ouilis ) ad stercoreandum usurum duntaxat, Labeo ait: sed neq; lana, neq; lacte, neq; agnis usurum. hæc enim magis in fructu esse. Hoc amplius etiam modico lacte usurum puto. neq; enim tam stricte interpretandæ sunt uoluntates defunctorum. Sed & si bouum armenti usus relinquatur: omnem usum habebit, & ad arandum, & ad cætera, ad quæ boues apti sunt. Equitij quoq; legato usu, uidendum \*ne & domare possit, & ad als\* num edoma- re. uehendum sub iugo uti. Et si forte auriga fuerit, cui usus equorum relictus est: non puto eum in Circensibus ijs usurum, quia quasi locare eos uidetur. Sed si testator sciens eum huius esse instituti & uitæ, relictus: uidebitur de hoc etiam usu sensisse. Si usus ministerij alicui fuerit relictus, ad suum ministerium utetur, & liberorum, coniugisq; nec uidebitur alij concessisse, si simul cum ipsis utatur. quanquam si filiofamilias usus serui sit relictus, uel seruo: patri dominoque adquisitus, in ipsius duntaxat usum exigat, non etiã eorũ, qui sunt in potestate. Operas autem serui usufruarij non locabit, neq; alij utendas concedet, & ita Labeo. quemadmodum enim cõcedere alij operas poterit, cum ipse tantum uti debeat? Idem tamen Labeo putat, si fundum conduxerit quis, usufruarius seruum ibi posse operari. quid enim interest, in quã rem opera eius utatur? Quare si lanam conduxerit usufrarius expediendam, poterit etiam per usufrarias ancillas opus perficere. Itemq; si uestimenta texenda redemerit, uel insulam, uel nauem fabricandã: poterit ad hæc operis uti usufrarius. nec offendetur illa Sabini sententia: ancillæ usu dato, ad lanificium eam non admitti, nec ex operis mercedem capi, sed si bi lanã facere iure cogere. sibi enĩ facere uidebitur, qui non operas eius locabit, sed opus, quod conduxit, expediet. Idem & Octauenus probat.

XIII. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

Sed & ipsi seruo ancillæque pro operis mercedẽ imponi posse, Labeo ni placet.

pp iij Vlpia.

## XIII. VLP IANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**P**er seruum usufruarii si stipuler, uel per traditionem accipiam, an adquiram, quæritur: si ex re mea, uel ex operis eius? Et siquid ex operis eius, non ualebit: quoniam nec locare eius operas possumus. Sed si ex re mea: dicimus seruum usufruarii stipulantem, uel per traditionem accipientem, mihi adquirere, cū hac opera eius utar. *Ususfructus, an fructus legetur, nihil interest. nam fructui & usus inest, usui fructus deest: & fructus quidem sine usu esse non potest, usus sine fructu potest. Deniq; si tibi fructus deducto usu legatus est: inutile esse legatum, Pomponius libro quinto ad Sabinum scribit. Et si forte usufructu legato, fructus adimatur: totum uideri ademptum scribit. sed si de fructu sine usu sensit, usum uideri constitutum: quia & initio constitui potest. Sed si usufructu legato, usus adimatur: Aristo scribit, nullam esse ademptionem, quæ sententia benignior est. Usu legato, si eidem fructus legetur, Pomponius ait, cōfundi eum cum usu. Idem ait, & si tibi usus, mihi fructus legetur: concurrere nos in usum, me solum fructum habiturum. Poterit autem apud alium esse usus, apud aliū fructus sine usu, apud alium proprietas: ueluti si is, qui habet fundum, usum Titio legauerit: mox hæres eius tibi fructū legauerit, uel alio modo constituerit.*

## XV. PAVLVVS lib. III. ad Sabinum.

**F**undi usu legato, licebit usufruario & ex penu, quod in annum duntaxat sufficiat, capere: licet mediocris prædij eo modo fructus consumantur: quia & domo & seruo ita uteretur, ut nihil alij fructuum nomine superesset. Sicut is, cui usus fundi legatus est, quo minus domus agri colendi causa ibi uersetur, prohibere non potest (alioquin & frui dominū prohiberet) ita nec hæres quidquam facere debet, quo minus is, cui usus legatus est, utatur, ut bonus paterfamilias uti debet.

## XVI. POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.

**S**i ita legatus esset usus fundi, *VT INSTRVCTVS EST: earum rerarum, quæ in instrumento essent, perinde usus ad legatarium pertineret, ac si nominatim earum rerū usus legatus fuisset. Dominus proprietatis, etiā inuito usufructuario uel usufruario, fundum uel ædes per saltuarium uel insulariū custodire poterit, interest enim eius fines prædij tueri. Eaq; omnia dicenda sunt, quolibet modo constitutus usufructus uel usus fuerit. Seruo, cuius usum duntaxat, non etiam fructū habemus, potest à nobis quid donari: uel etiam ex pecunia nostra negotiatio permitti, ut quidquid eo modo adquisierit, in peculio nostro sit.*

## XVII. AFRICANVS lib. V. questionum.

**F**ilio familias uel seruo ædium usu legato, utile legatum esse existimo: & eodem modo persecutionem eius competituram, quo competituram peteres

peteret, si fructus quoque legatus esset. itaque non minus absente, quam præsente filio seruoque, pater dominusque in his ædibus habitabit.

XVIII. PAVLVVS lib. IX. ad Plautium.

SI domus usus legatus sit sine fructu: communis refectio est in fartis Stectis tam hæredis, quam usufructuarij. Videamus tamen, ne si fructum hæres accipiat, ipse reficere debeat. si uero talis res sit, cuius usus legatus est, ut hæres fructum percipere non possit: legatarius reficere cogendus sit. quæ distinctio rationem habet.

XIX. IDEM lib. III. ad Vitellium.

V Sus pars legari non potest. nam frui quidem pro parte possumus, uti pro parte non possumus.

XX. MARCELLVS lib. XII. digestorum.

SERuus, cuius mihi usus legatus est, adgrit mihi, si institor sit, & operis eius utar in taberna. nam mercibus uendendis emendisque adgrit mihi. Sed & si iussu meo per traditionem accipiat.

XXI. MODESTINVS lib. II. regularum.

V Sus aquæ personalis est, & ideo ad hæredem usufructuarij transmitti non potest.

XXII. POMPONIVS lib. V. ad Q. Mutium.

D Iuus Hadrianus cum quibusdam usus syluæ legatus esset, statuit fructum quoque eis legatum uideri: quia nisi liceret legatarijs cedere syluam & uendere, quemadmodum fructuarijs licet: nihil habituri essent ex eo legato. Licet tam angustus est legatarius, cui domus usus legatus est, ut non possit occupare totius domus usum: tamen eis, quæ uocabunt, proprietarius non utetur, quia licebit usufructuario & alijs temporibus tota domo uti: cum interdum domini quoque ædium (pro ut temporis conditio exigit) quibusdam utantur, quibusdam non utantur. Vsu legato, si plus sit usus legatarius, quam oportet: officio iudicis, qui iudicat, quemadmodum utatur: continetur, ne aliter, quam debet, utatur.

XXIII. PAVLVVS lib. II. ad Neratium.

N ERatius ait: usufructu rei speciem is, cuius proprietas est, nullo modo commutare potest. deteriores enim causas usufructuarij facere non potest. PAVLVVS. facit autem deteriores, & in meliorem statum commutando.

VSVFRVCTVARIVS QVEMADMÓDV

\*caueat.

Tit. IX.

aliás de  
est.

VLPPIANVS lib. LXXIX. ad edictum.

Si



**S**I cuius rei ususfructus legatus sit: æquissimum prætori in sum est, de utroq; legatariū cauere: & usurum se boni uiri arbitrato, & cum ususfructus ad eum pertinere desinet, restitutum quod inde exstabit. Hæc stipulatio, siue mobilis sit res, siue soli, interponi debet. Illud sciendum est, ad fideicommissa etiam aptari eam debere. Planè & si mortis causa donatione ususfructus constituatur: exemplo legatorum, debet hæc cautio præstari. sed etsi ex alia quacunq; causa constitutus fuerit ususfructus, idem dicendum est. Cauere autem debet, boni uiri arbitrato perceptum iri usumfructum: hoc est, non deteriorem se causam ususfructus facturum: cæteraq; facturum, quæ in re sua faceret. Recte autem faciēt hæres & legatarius, qualis res sit, cum incipit frui legatarius, si in testatum redegerint: ut inde possit apparere, \* an & quatenus rem peiorem legatarius fecerit. Vtilius autē usum est, stipulatione de hoc cauere: ut si quis nō boni uiri arbitrato utatur, committatur stipulatio statim: nec exspectandū sit, dū ut amittatur ususfructus. Habet autē stipulatio ista duas causas: unam, si aliter quis utatur, & uir bonus arbitrabitur: aliam de ususfructu restituendo. quarum prior statim committitur, quàm aliter fuerit usus, & sæpissime committitur: sequens committitur finito ususfructu. Sed quod diximus, id quod inde exstabit, restitui: non ipsam rem stipulatur proprietarius (inutiliter enim rem suam stipulari uideretur) sed stipulatur restitui, quod inde exstabit. Interdum etiam inerit proprietatis æstimatio, si forte fructuarius, cum possit usucapionem interpellare, neglexerit. omnē enim rei curam suscipit.

aliās \* an  
aliqua tē  
nas.

**N** II. PAVLVS lib. LXXV. ad edictum.  
Am fructuarius custodiam præstare debet.

III. VLP IANVS lib. LXXIX. ad edictum.

**O**Mnes autem casus continentur hac stipulatione, quibus ususfructus amittitur. Desinere pertinere usumfructum accipiemus, & si nec cœperit pertinere, quamuis legatus sit: & committetur nihilominus stipulatio, quasi desinat pertinere, quod nec cœperit. Si ususfructus repetitus erit legato, quotiescunq; amissus fuerit (\* nisi utiliter fuerit cautum) committetur ista stipulatio: sed exceptione opus erit.

als \* licet.

Sed & si quis usumfructum tibi legauerit, & sub conditione **SILBEROS HABVERIS** proprietatē: amisso ususfructu, stipulatio committetur: sed exceptio locum habebit. Si hæres alienauerit ante proprietatem, & postea amittatur ususfructus: an ex stipulatu agere possit, uideamus. Et fortius dici poterit, ipso iure non committi stipulationem: quia neq; hæredi, successoribusue eius restitui potest: neq; is, cui potest.

potest, id est ad quem peruenit proprietates, pertinet ad stipulationem. Sed is, ad quem peruenit proprietates, tempore quaesiti dominij prospicere sibi alia cautione debet, qd & si non fecerit, nihilominus in rem actione uti potest.

III. VENVLEIVS lib. VIII. stipulationum

SI usufructuarius proprietatem adsecutus fuerit: desinit quidem usus fructus ad eum pertinere, propter confusionem: sed si ex stipulatu cum eo agatur: aut ipso iure inutiliter agi dicendum est, si boni iuri arbitriū huc usq; porrigitur: aut in factum excipere debet.

V. VLPPIANVS lib. LXXIX. ad edictum.

HAC stipulatione dolum malum abesse, ab futurumq; esse, continetur. Et cum in rem sit doli mali mentio concepta: omnium dolum comprehendere uidetur, successorū, & adoptiui patris. Sed & si usus sine fructu legatus erit, adempta fructus causa, satisfacere iubet praetor. hoc merito: ut de solo usu, non etiam de fructu caueatur. Ergo & si fructus sine usu obtigerit, stipulatio locum habebit. Sed & si habitatio, uel opera hominis, uel cuius alterius animalis relictae fuerint, stipulatio locum habebit: licet haec usum fructum per omnia non imitentur.

VI. PAVLVS lib. LXXV. ad edictum.

IDEM est & in reditu praedij: sicuti si uindemia legata sit, uel messis: quamuis ex usufructu ea percipiantur, morteq; legatarij ad haeredem redeant.

VII. VLPPIANVS lib. LXXIX. ad edictum.

SI usufructus nomine tradita re satisfactum non fuerit: Proculus ait, posse haeredem rem uindicare: & si obijciatur exceptio de re usufructus nomine tradita, replicandum esse, quae sententia habet rationem. sed & ipsa stipulatio condici poterit. Cum usufructus pecuniae legatus est, exprimi debent hi duo casus in stipulatione: CVM MORIARIS, AVT CAPITE MINVTVS ERIS, DARI. idcirco hi duo soli casus: quoniam pecuniae usus aliter amitti non potest, q̄ his casibus.

VIII. PAVLVS lib. LXXV. ad edictum.

SI tibi usufructus, & mihi proprietates legatae sit, mihi cauendum est. Sed si mihi sub conditione legatae sit: quidam (ut Martianus) & haeredi & mihi cauendum esse putant, quae sententia uera est. Item si mihi legatae sit, & cum ad me pertinere desierit, alij: & hic utrisq; cauendum (ut supra) placuit. Quod si duobus coniunctim usufructus legatus sit: inuicem sibi cauere debent, & haeredi in casum illum, SI AD SOCIVM NON PERTINEAT VSVSFRVCTVS, HAEREDI REDDI.

IX. VLPPIANVS lib. LI. ad edictum.

SI usufructus mihi legatus sit, eumq; restituere sim Titio rogatus: Suidendum est, quis debeat cauere: utrum Titius, an ego, qui legatar-

rius sum. An illud dicimus, mecum hæredem acturum, ut caueat: & cum fideicommissario me agere debere? Et est expeditius hoc dicere: si mihi spes aliqua durat ususfructus, & cum tu amiseris, potest ad me recidere, id est, ad legatarium: ita rem expediri, ut tu mihi, ego domino proprietatis caueam. Quod si fideicommissarij causa fructus mihi relictus est, nec est ulla spes ad me reuertendi ususfructus: recta uia fideicommissarium cauere oportet domino proprietatis. Illud sciendum est: siue iure ipso quis usumfructum habeat, siue etiam per tuitionem prætoris: nihilominus cogendum esse, fructuarium cauere, aut actiones suscipere. Planè si ex die proprietatis alicui legata sit, ususfructus pure: dicendum esse Pomponius ait, remittendam hanc cautionem fructuario: quia certum sit, ad eum proprietatem, uel ad hæredem eius peruenturam. Si uestis ususfructus legatus sit: scripsit Pomponius, quanquam hæres stipulatus sit, finito ususfructu, uestem reddi: attamen non obligari promissorem, si eam sine dolo malo attritam reddiderit. Si plures domini sint proprietatis, unusquisque pro sua parte stipulabitur.

X. PAVLVVS lib. XL. ad edictum.

SI serui, qui nobis communis erat, usumfructum tibi legauero: necessaria erit hæc cautio hæredi meo. quamuis enim de proprietate possit communi diuidendo iudicio experiri: tamen causa ususfructus, qui tuus proprius est, ad officium communi diuidendo iudicis non pertinebit.

XI. PAPIANVS lib. VII. responsorum.

Vsu quoque domus relicto, boni uiri arbitratu cautionem interponi oportet. Nec mutatur, si pater hæredes filios simul habitare cum uxore legataria uoluit.

XII. VLPPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

SI uasorum ususfructus relictus sit: non erit cautio senatusconsulti necessaria, sed illa sola, BONI VIRI ARBITRATV SEVSVRVM FRVITVRVM. Si igitur tradita sunt fruendi causa: nemo dubitat, non fieri eius, qui accipit. non enim ideo traduntur, ut dominum recedat ab eo, qui tradit: sed ut utatur fruatur legatarius. ergo cum non fiant fructuarij uasa: uindicari à proprietario possunt, cautione nõ data. uideñdum est de conditione, an possit locum habere. & proditum est, neminem rem suam, nisi fuit condicere posse.

Digesto

# DIGESTORVM

SEV PANDECTARVM LIBER OCTAVVS.

## DE SERUITVTIBVS. Tit. I.

MARTIANVS lib. II. regularum.

Erututes aut personarum sunt, ut usus, ut ususfructus: aut rerum, ut seruitutes rusticorum prædiorum & urbanorum.

II. VLP IANVS lib. XVII. ad edictum.

**V**Nus ex dominis communium ædium seruitutem imponere non potest.

III. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.



Erututes prædiorum aliæ in solo, aliæ in superficie consistunt.

IIII. PAPINIANVS lib. VII. questionum.

Erututes ipso quidem iure neq; ex tempore, neq; ad tempus, neq; sub conditione, neq; ad certam conditionem (uerbi gratia, QVAM DIVVOLAM) constitui possunt. Sed tamen si hæc adijciantur: per pacti, uel per doli exceptionem occurreret contra placita seruitutem uindictanti: idq; & Sabinum respondisse Cassius retulit, & sibi placere.

Modum adijci seruitutibus posse constat: ueluti quo genere uehiculi agatur, uel ut equo dūtaxat, aut certum pondus uehatur, uel ut grex ille traducatur, aut carbo portetur. Interualla quoq; dierum & horarum non ad temporis caussam, sed ad modū pertinent iure constitutæ seruitutis.

V. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**V**ia, iter, actus, aquæductus eisdem ferè modis constituuntur, quibus & usumfructum constitui diximus. Usus seruitutum temporibus secerni potest: forte ut quis post horam tertiam usq; in horam decimam eo iure utatur, uel ut alternis diebus utatur.

VI. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

**A**D certam partem fundi seruitus tam remitti, q̄ constitui potest.

VII. IDEM lib. XV. ad Plautium.

**V**T pomum decerpere liceat, ut spaciari, ut cœnare in alieno possimus: seruitus imponi non potest. Si prædium tuum mihi seruiat: siue ego partis prædij tui dominus esse cœpero, siue tu mei: per partes quidè seruitus retinetur, licet ab initio per partes adgri non poterat.

VIII. VLP IANVS lib. XIII. ad L. Iuliam & Papiam.

**I**us cloacæ\* immittendæ seruitus est.

IX. CELSVS lib. V. digestorum,

als\* mittere  
de, als ad-

99 ij

Sicui mittendæ.

**S**I cui simpliciter uia per fundū cuiuspiam cedatur, uel relinquatur: Sin infinito, uidelicet per quamlibet eius partem, ire agere licebit: modo ciuilitur. Nam quædam in sermone tacite excipiuntur. nō enim per uillam ipsam, nec per medias uineas ire agere sinendus est: cum id æque commode per alteram partem facere possit, & minore seruiētis fundi detrimento. Verum constitit: ut quā primum uiam direxisset, eā demum ire agere deberet, nec amplius mutandæ eius potestatem haberet. sic & Sabino quæ uidebatur, qui argumento riuū utebatur, quem primo, quā liberet, ducere licuisset: postea, quæ ductus esset, transferre non liceret. quod & in uia seruandum esse, uerum est.

X. IDEM lib. XVIII. *digestorum.*

**S**iter legatum sit, quā, nisi opere facto, iri nō possit: licere fodiendo, & substruendo iter facere, Proculus ait.

XI. MODESTINVS lib. VI. *differentiarum.*

**P**RO parte dominij seruitutem adquiri non posse, uulgo traditur. Et ideo si quis fundum habens, uiam stipuletur, & partem fundi sui postea alienet: corrumpit stipulationem, in eum casum deducendo, à quo stipulatio incipere non possit. Pro parte quoque neque legari, neque adimi uia potest: etsi id factū sit, neque legatum, neque ademptio ualeat.

XII. IABOLENVS lib. IIII. *ἐπιστολῶν.*

**N**on dubito, quin fundo municipij per seruū recte seruitus adquiratur.

XIII. POMPONIVS lib. XIII. *ad Q. Mutium.*

**S**i tam angusti loci demonstratione facta, uia concessa fuerit, ut neque uehiculum, neque iumentum ea inire possit: iter magis, quā uia, aut actus adquisitus uidebitur. Sed si iumentum per eam duci poterit, non etiam uehiculum: actus uidebitur adquisitus.

XIIII. PAVLVS lib. XV. *ad Sabinum.*

**S**eruitutes prædiorum rusticorum etsi corporibus accedunt, incorporeales tamen sunt, & idcirco usu non capiuntur: uel ideo, quia tamen nemo enim tam perpetuo, tãque continenter ire potest, ut nullo momento possessio eius interpellari uideatur. Idem & in seruitutibus prædiorum urbanorum obseruatur. Seruitus itineris ad sepulchrū, priuati iuris manet: & ideo remitti domino fundi seruiētis, & adquiri etiam post religionem sepulchri hæc seruitus potest. Publico loco interueniente, uel uia publica, haustus seruitus imponi potest, aqua ductus nō potest. à principe tamen peti solet, ut per uiam publicā aquam ducere sine incommodo publico liceat. Sacri & religiosi loci interuentus, etiam itineris seruitutem impedit: cum seruitus per ea loca nulli deberi potest.

XV. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**Q**uoties nec hominum, nec prædiorum seruitutes sunt (quia nihil vicinorum interest) non valent: ueluti ne per fundum tuum eas, aut ne ibi consistas. & ideo si mihi concedas, ius tibi non esse fundo tuo uti frui, nihil agitur: aliter atq; si mihi concedas, ius tibi non esse in fundo tuo aquam quærere, minuendæ aquæ meæ gratia. Seruitutum non ea natura est, ut aliquid faciat quis: ueluti uiridiana tollat, aut amæniorum prospectum præstet, aut in hoc ut in suo pingat: sed ut patiat, aut non faciat aliquid.

XVI. IULIANVS lib. XLIX. digestorum.

**E**i qui pignori fundum accepit, nõ est iniquum utilem petitionem seruitutis dari, sicuti ipsius fundi utilis petitio datur. Idemq; seruati conuenit & in eo, ad quem uestigialis fundus pertinet.

XVII. POMPONIVS lib. singulari regularum.

**V**ia, itineris, actus, aquæ ductus pars, in obligationem deduci non potest: quia usus eorum indiuisus est. Et ideo si stipulator decesserit, pluribus hæredibus relictis, singuli in solidum uiam petunt: & si promissor decesserit, pluribus hæredibus relictis, à singulis hæredibus solida petitio est.

XVIII. PAVLVS lib. XXXI. questionum Papiniani notat.

**I**n omnibus seruitutibus, quæ aditione confusæ sunt, responsum esse: Idoli exceptione nocituræ legatario, si non patiat, eas iterum imponi.

XIX. LABEO lib. III. posteriorum à Laboleno epitomatorum.

**E**i fundo, quem quis uendit, seruitutem imponi (etsi non sit utilis) posse existimo: ueluti si aquam alicui ducere non expediret, nihilominus constitui ea seruitus possit, quædam enim habere possumus, quamuis ea nobis utilia non sunt.

XX. LABOLENVS lib. V. ex posterioribus Labconis.

**Q**uoties uia, aut aliquod ius fundi emeretur, cauendum esse putat Labeo, PER TENON FIERI, QVO MINVS EO IURE UTI POSSIM: quia nulla eiusmodi iuris uacua traditio esset. Ego puto, usum eius iuris pro traditione possessionis accipiendum esse: ideoq; & interdita ueluti possessoria constituta sunt.

XXI. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

**S**i intercedat solum publicum, uel uia publica: neq; itineris actus uel, neq; altius tollendi seruitutes impedit: sed immittendi, protegendique, proniendi. Item fluminum & stillicidiorum seruitutem impedit: quia cælum, quod supra id solum intercedit, liberum esse debet. Si ususfructus tuus sit, ædium proprietatis mea, quæ onera uicini sustinere debeant: necum in solidum agi potest, tecum uero nullo modo.

DE SERUITVTIBVS VRBANORVM  
prædiorum Tit. II.

CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

als \* aut.



Urbanorum prædiorum iura talia sunt: altius tollendi, & officiendi luminibus uicini, aut non extollendi. item stillicidium auertendi in testum, uel aream uicini, aut non auertendi. item immittendi tigna in parietem uicini: & deniq; proficiendi, protegendiue, cæteraq; istis similia.

II. VLP IANVS lib. XXIX. ad Sabinum.

Est & hæc seruitus eorum, ne prospectui officiat.

III. PAVLVS lib. II. instructionum

Luminum seruitute constituta, id adquisitionum uidetur, ut uicinus lumina uicini excipiat. cū aut seruitus imponitur, NE LUMINIBVS OFFICIATVR: hoc maxime adeptum uidebitur, ne ius sit uicino inuitis nobis altius ædificare, atq; ita minuere lumina nostræ rû ædificiorû.

IIII. VLP IANVS lib. XVII. ad edictum.

INUITVM autem in seruitutibus accipere debemus, non solum qui contradicit, sed & qui non consentit. Ideo Pomponius libro quadragesimo, infantem & furiosum inuitos recte dici ait. non enim ad factum, sed ad ius seruitutis hæc uerba referuntur.

V. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

Hæc autem iura similiter, ut rusticorum quoq; prædiorum, certo tempore non utendo pereunt: nisi quod hæc dissimilitudo est, quod non omnino pereunt non utendo, sed ita si uicinus simul libertatem usucipiat. Veluti si ædes tuæ ædibus meis seruiant, ne altius tollantur, ne luminibus mearum ædium officiatur: & ego per statutum tempus fenestras meas præfixas habuero, uel obstruxero: ita demum ius meum amitto, si tu per hoc tempus ædes tuas altius sublatas habueris. alioquin si nihil noui feceris, retineo seruitutem. Item si tigni immissi ædes tuæ seruitutem debeant, & ego exemero tignum: ita demum amitto ius meum, si tu foramen, unde exemptum est tignum, obturaueris, & per constitutum tempus ita habueris. alioquin si nihil noui feceris, integrum ius meum permanet.

VI. POMPONIVS lib. XXVI. ad Q. Mutium

Quod aut ædificio meo me posse consequi, ut libertatem usuciperem, dicitur: idem me non cõsecuturum, si arborẽ in eodem loco sitam habuissẽm, Mutius ait, & recte: quia nõ ita in suo statu & loco maneret arbor, quemadmodum paries propter motus naturales arboris.

CAVS

VII. CAIVS *lib. VII. ad edictum provinciale.*

**P**arietem, qui naturali ratione communis est: alterutri uicinarum demoliendi eū, & reficiendi ius nō est: quia non solus dominus est.

VIII. VLPPIANVS *lib. V. ad edictum.*

**C**um eo, qui tollendo obscurat uicini ædes, quibus non seruiat: nulla competit actio.

IX. MARCELLVS *lib. IIII. digestorum.*

**S**CAVRVS MARCELLO S. Binas ædes habeo. alteras tibi lego. hæres alteras ædes altius tollit, & luminibus tuis officit. nunquid cum illo agere putes? Et an interesse putes: suas ædes altius tollat, an hereditarias? sed & de illo quæro. an per alienas ædes accessum hæres ad eam rem, quæ legatur, præstare debet: sicut solet quæri, cū usus fructus loci legatus est, ad quem locū accedi, nisi per alienum, non potest: MARCELLVS RESPONDI. qui binas ædes habebat, si alteras legauit: non dubium est, quin hæres possit altius tollendo obscurare lumen legatarum ædium. Idem dicendum, si alteri ædes, alteri aliarum ædiū usumfructum legauerit. Non autem simile est itineris argumentum: quia sine accessu nullum est fructus legatum: habitari autem potest etiam ædibus obscuratis. Cæterum usumfructu loci legato, etiam accessus dandus est: quia & haustu aquæ relicto, iter quoque ad hauriendum præstaretur. sed ita officere luminibus, & obscurare legatas ædes conceditur: ut non penitus lumen recludatur, sed tantum relinquatur, quantum sufficit habitantibus in usus diurni moderationem.

X. VLPPIANVS *lib. I. de officio consulis.*

**Q**ui luminibus uicinarum officere, aliudue quid facere cōtra commodum eorum uolet: sciat se formam ac statum antiquorū ædificiorum custodire debere. Si inter te & uicinum tuum non conuenit, ad quam altitudinem extolli ædificia, quæ facere instituisti, oporteat: arbitrum accipere poteris.

XI. IABOLENVS *lib. X. ex Casio.*

**A**edificia, quæ seruitutem patiuntur, ne quid altius tollatur: uiciniaria supra eam altitudinem habere possunt. At si de prospectu est, eaque obstatura sunt, non possunt.

XII. PROCVLVS *lib. I. ἐπιστολῶν.*

**Q**uidam Iberius nomine, qui habet post horrea mea insulam, balnearia fecit secundū parietem cōmunem. non licet aut tubulos habere ad motos ad parietem cōmunem, sicuti nec parietē quidem suū sup parietem communem. de tubulis eo amplius hoc iuris est: quia per eos flamma torretur paries. de qua re uolo, cū Iberio loquaris, ne re illi aliās incitā faciat. PROCVLVS RESPONDI. nec Iberiū de ea re dubitare puto, flamma quod retur.

quod rem non permissam faciat, tubulos secundum parietem communem exstruendo. Parietem communem incrustare licet secundum Capitonis sententiam, sicut licet preciosissimas picturas habere in pariete communi. Cæterum si demolitus sit uicinus, & ex stipulatu adione damni infecti agatur: non pluris, quàm uulgaria rectoria, debent æstimari. quod obseruari & in incrustatione oportet.

XIII. PAPHIUS IVSTVS lib. I. constitutionum.

Imperatores Antoninus & Verus augusti rescripserunt: in ea area, quæ seruitutem nulli deberet, posse dominum uel alium uoluntate eius ædificare, intermisso legitimo spacio à uicina insula.

XIIII. VLPIANVS lib. XXIX. ad Sabinum

Inter seruitutes, NE LUMINIBVS OFFICIATVR. & NE PROSPECTVS OFFENDATVR: aliud & aliud obseruatur. quod in prospectu plus quis habet, ne quid scilicet officiat ad gratiorem prospectum & liberum. in luminibus autem, ne lumina cuiusquam obscuriora fiant. quodcumq; igitur faciat ad luminis impedimentum, prohiberi potest, si seruitus debeat. opus quoq; nouum ei nunciari potest, si modo sic faciat, ut lumini noceat.

XV. PAVLVS lib. V. *ὑπὸ τῶν Ἀλφεινῶν* Alfeni digestorum.

Lumen id est, ut cælum uideatur. & interest inter lumen & prospectum. nam prospectus etiam ex inferioribus locis est, lumen ex inferiore loco esse non potest.

XVI. VLPIANVS lib. XXIX. ad Sabinum.

Si arborem ponat, ut lumini officiat: æque dicendum erit, contra impositam seruitutem eum facere. nam & arbor efficit, quo minus cælum uideri possit. Si tamen id, quod ponitur, lumen quidem nihil impedit, solem autem auferat: siquidem eò loci, quo gratum erat, eum non esse: potest dici, nihil contra seruitutem fieri. sin uero heliocamino uel solario: dicendum erit, quia umbram facit in locum, cui sol fuit necessarius, contra seruitutem impositam fieri. Per contrarium si deponat ædificium, uel arboris ramos: quo facto, locus opacus quodam, coepit esse solis plenus: non facit contra seruitutem. hanc enim debuit, ne luminibus officiat. nunc non luminibus officit, sed plus æquo luminis facit. Interdum dici potest, eum quoq; qui tollit ædificium uel deprimit, luminibus officere: si forte κατ' ἀνάγκασιν lumen in eas ædes deuioluatur. Hæc lex traditionis, STILLICIDIA VTI NVNC SVNT, VT ITA SINT, hoc significat: impositam uicinis necessitatem stillicidiorum excipiendorum, non illud, ut etiam emptor stillicidia suscipiat ædificiorum uicinorum. Hæc igitur pollicetur uenditor: sibi quidem stillicidiorum seruitutem deberi, se autem nulli debere. Quæ

Quæ de stillicidio scripta sunt, etiam in cæteris seruitutibus accipienda sunt: si in contrarium nihil nominatim actum est.

XVII. POMPONIVS lib. X. ad Sabinum.

**S**i fistulæ, per quas aquam ducas, ædibus meis adplicatæ, damnum mihi dent: in factum actio mihi competit, sed & damni infecti stipulari à te potero.

XVIII. PAVLVVS lib. VI. ad Sabinum.

**F**istulam iunctam parieti communi, quæ aut ex castello, aut ex cælo aquam caperet, non iure haberi Proculus ait: sed non posse prohiberi uicinum, quominus balineum habeat secundum parietem commune, quamuis humorem capiat paries: non magis, quam si uelit in triclinio suo, uel in cubiculo aquam effundere. Sed Neratius ait: si talis sit usus tepidarij, ut assiduam humorem habeat, & ideo noceat uicino: posse eum prohiberi. Iuxta communem parietem, cameram ex siglino opere factam: si ita retineatur, ut etiam sublato pariete maneat: si modo non impediatur refectio communis parietis, iure haberi licet. Scalas posse me ad parietem communem habere, Sabinus recte scribit: quia remoueri eæ possunt.

XIX. IDEM lib. XV. ad Sabinum.

**S**eruitutes, quæ in superficie consistunt, possessione retinentur. Nã si forte ex ædibus meis in ædes tuas tignum immissum habuero: hoc ut immissum habeam, per causam tigni possideo habendi consuetudinem. Idem eueniet, & si mœnianum in tuum immissum habuero, aut stillicidium in tuum proiecero: quia in tuo aliquid utor, & sic quasi factio quodam possideo. Si domo mea altior area tua esset, tuq; mihi per aream tuam in domum meam ire agere concessisses, nec ex plano aditus ad domum meam per aream tuam esset: uel gradus, uel cliuos propius ianuam meam iure facere possum: dum ne quid ultra, quam quod necessarium esset, itineris causa demoliar. Si sublatum sit ædificium, ex quo stillicidium cadit, & eadem specie ac qualitate reponatur: utilitas exigit, ut idem intelligatur. nam alioquin (si quis strictius interpretetur) aliud est, quod sequenti loco ponitur. & ideo sublato ædificio ususfructus interit, quamuis area pars sit ædificij. Si seruitus stillicidij imposita sit: non licet domino seruentis areae ibi ædificare, ubi casitare cœpit stillicidium. Si antea ex tegula casitauerit stillicidium: postea ex tabulato, uel ex alia materia casitare non potest.

Stillicidium, quoquo modo acquisitum sit, altius tolli potest. lenius enim fit eo pacto seruitus: cum quod ex alto cadit, lenius & interdum nec directe perueniat ad locum seruentem. inferius demitti non potest: quia sit grauior seruitus, id est, pro stillicidio flumen. Ea de causa retro

quoque duci potest stillicidiū: quia in nostro magis incipiet cadere. pro-  
 duci non potest: ne alio loco cadat stillicidium, quā in quo imposta  
 est seruitus. Lenius facere poterimus, acrius non. Et omnino sciendum  
 est meliorem vicini conditionem fieri posse, deteriore non posse: nisi  
 si aliquid nominatim in seruitute imponēda immutatū fuerit. **Qui**  
 in area, in qua stillicidium cadit, ædificat: usque ad eum locum perduce-  
 re ædificium potest, unde stillicidium cadit. Sed si in ædificio cadit stilli-  
 cidium: supra ædificare ei conceditur, dum tamen stillicidium recte re-  
 cipiatur.

XX. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**S**I domus tua ædificijs meis utranque seruitutem deberet, & ne altius  
 tolleretur, & ut stillicidium ædificiorum meorum reciperet: & tibi  
 concessero, ius esse invito me altius tollere ædificia tua: quod ad stilli-  
 cidium meum attinet, sic statui debet: ut si altius sublatis ædificijs tuis,  
 stillicidia mea cadere in ea non possint, ea ratione altius tibi ædificare  
 nō liceat: si non impediuntur stillicidia mea, liceat tibi ea altius tollere.

XXI. IULIANVS lib. II. ex Minutio.

**Q**ui ædificium habet, potest seruitutem vicino imponere: ut non  
 solum de his ei luminibus, quæ in præsentia sunt, sed etiam de  
 his, quæ postea fuerint, caueat.

XXII. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**S**I seruitus imposta fuerit, LUMINA, QUAE NUNC SVNT,  
 SVT ITA SINT: de futuris luminibus nihil caueri videtur. Quod  
 si ita sit cautum, NE LUMINIBVS OFFICIATVR: quia ambigua  
 est scriptura, utrum ne his luminibus officiat, quæ nunc sunt, an etiā  
 his, quæ postea quoque fuerint: humanius est, verbo generali omne lu-  
 men significari, siue quod in præsentia, siue quod post tempus conuen-  
 tionis contigerit. Futuro quoque ædificio, quod nondum est: uel im-  
 poni, uel adquiri seruitus potest.

XXIII. PAVLVS lib. XV. ad Sabinum.

**C**uius ædificium iure superius est, ei ius est in infinito supra suum  
 ædificium imponere: dum modo inferiora ædificia nō grauiore  
 seruitute oneret, quā pati debent.

XXIII. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**H**oc quod dictum est de immixtis, locum habet ex ædificio alio in  
 alio. aliter enim supra alienum ædificium superius habere ne-  
 mo potest. Si ex tribus ædibus in loco impari positis, ædes mediæ  
 superioribus ædibus seruiant, inferiores autem nulli seruiant: & pa-  
 rtes communis, qui sit inter ædes inferiores & medias, altius à do-  
 mino inferiorum ædium sublatus sit: iure cum altius habiturum,  
 Sabinus ait.

Paulus

## XXV. PAVLVS lib. XV. ad Sabinum.

**I**N re communi nemo dominorum iure seruitutis, neq; facere quidquam inuito altero potest, neq; prohibere, quominus \* alter faciat. nul al's \* alter enim res sua seruit. itaq; propter immensas contentiones plerūq; res si fiat ad diuisionem peruenit: sed & per communi diuidendo actionem consequitur socius, quominus opus fiat: aut ut id opus, quod fecit, tollat: si modo toti societati prodest, id opus tolli.

## XXVI. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**S**ed si inter me & te communes sunt Titianæ ædes, & ex his aliquid non iure in alias ædes meas proprias immissum sit: nempe tecum mihi agere licebit, aut re perdere. Idem fiet, si ex proprijs tuis ædibus, in communes meas & tuas ædes quid similiter esset proiectum. mihi enim soli tecum est actio. Si in area communi ædificare uelis, socius prohibendi ius habet, quamuis tu ædificandi ius habeas à uicino concessum: quod inuito socio in re communi non habeas ius ædificandi.

## XXVII. PAVLVS lib. XV. ad Sabinum.

**F**oramen in pariete conclauis uel triclinij, quod esset proluendi pauimenti causa: id neq; flumen esse, neq; tempore adquiri placuit. hoc ita uerum est, si in eum locum nihil ex cælo aquæ ueniat. neque enim perpetuam causam habet, quod manu fit. at quod ex cælo cadit: & si non assidue fit, ex naturali tamen causa fit, & ideo perpetuo fieri existimatur. Omnes autem seruitutes prædiorum perpetuas causas habere debent: & ideo neque ex lacu, neq; ex stagno concedi aquæ ductus potest. Stillicidij quoque immitendi naturalis & perpetua causa esse debet.

## XXVIII. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**S**i quid igitur ex eo foramine, ex quo seruitus non consistit, damnatum uicinus sensisset: dicendum est, damni infecti stipulationem locum habere.

## XXIX. PAVLVS lib. XXV. ad Sabinum.

**S**i quis ædes, quæ suis ædibus seruirent, cum emisset, traditas sibi accepit: confusa sublataq; seruitus est. & si rursus uendere uult, nominatim imponenda seruitus est: alioquin libere ueneunt. Si partem prædij nactus sim, quod mihi, aut cui ego seruebam: non confundi seruitutem placet: quia pro parte seruitus retinetur. Itaq; si prædia mea prædij tuis seruiant, & tuorum partem mihi, & ego meorum partem tibi tradidero: manebit seruitus. Item ususfructus in alterutris prædij adquisitus, non \* interrumpit seruitutem.

## XXX. IDEM lib. XLV. ad edictum.

**S**i testamento damnatus hæres, ne officeret uicini luminibus, seruitutemq;

al's \* cor-  
rumpit.

tutemq; præstaret, deposuit ædificium: concedenda erit legatario actio utilis, qua prohibeatur hæres, si postea extollere supra priorem modum ædificium conabitur.

XXXI. IULIANVS lib. VII. *digestorum.*

**S**I ædes meæ seruiant ædibus Lucij Titij, & ædibus Publij Mæuij, ne salius ædificare mihi liceat: & à Titio præcario petierim, ut altius tollerem, atq; ita per statutum tempus ædificatum habuero: libertatem aduersus Publium Mæuium usucipiam. non enim una seruitus Titio & Mæuio debebatur, sed duæ. argumētum rei præbet, quod si alter ex his seruitutem mihi remisisset: ab eo solo liberarer, alteri nihilominus seruitutem deberem. Libertas seruitutis usucapitur, si ædes possideantur. quare si is, qui altius ædificatum habebat, ante statutum tempus ædes possidere desijt: interpellata usucapio est. Is aut qui postea easdē ædes possidere cœperit: integro statuto tempore libertatem usucipiet. Natura enim seruitutum ea est, ut possideri non possint: sed intelligatur possessionem earum habere, qui ædes possidet.

XXXII. PAVLVS lib. V. *ὑπὸ τοῦ ἄλλοῦ Alfeni digestorum.*

**E**VM debere columnam restituere, quæ onus uicinarum ædium ferat, cuius essent ædes, quæ seruirent: non eum, qui uellet imponere. nam cum in lege ædium ita scriptum esset, PARIES ONERI FERVNDQ, VT IN VNCEST, ITA SIT: satis apte significari, in perpetuum parietem esse debere. non enim his uerbis IN PERPETVVM hoc dicitur, ut idē paries æternus esset (quod ne fieri quidem posset) sed uti eiusdem modi paries in perpetuum esset, qui onus sustineret. Quemadmodum si quis alicui cauisset, ut seruitutem præberet, quæ suum onus sustineret: si ea res, quæ seruiret, & tuū onus ferret, perisset: alia in locum eius dari debeat.

XXXIII. IULIANVS lib. II. *ex Minutio.*

**E**T qui duas areas habet, alteram tradendo, seruum alteri efficere potest.

XXXIII. MARTIANVS lib. III. *regularum.*

**S**I binarum ædium dominus dixisset eas, quas uenderet, seruas fore, sed in traditione non fecisset mentionem seruitutis: uel ex uendito agere potest, uel incerti condicere, ut seruitus imponatur.

XXXV. PAPINIANVS lib. VII. *questionum.*

**B**inas quis ædes habebat, una contignatione tectas, utrasq; dinertæ partes cuiusq; sint) ex regione contignationis cuiusq; domini tignare: nec ullam inuicem habituros actionem, ius non esse immissum habere. nec interest, pure utrisq;, an sub conditione alteri ædes legatæ sint.

Paulus

**I**Demq; esse, & si duobus ædes cesserint.  
XXXVI. PAVLVS lib. II. *quæstionum.*

**S**i ædes meæ à tuis ædibus tantum distent, ut prospici non possint, aut medius mons earum conspectum auferat: seruitus imponi non potest.  
XXXVII. IVLIANVS lib. VII. *digestorum.*

**N**emo enim proprijs ædificijs seruitutem imponere potest: nisi & is qui cedit, & is cui ceditur, in conspectu habeant ea ædificia, ita ut officere alterum alteri possit.  
XXXVIII. PAVLVS lib. I. *manualium.*

**E**os, qui ius immittendi luminis non habuerunt, aperto pariete cõmuni, nullo iure fenestras immisisse respondi.  
XXXIX. IDEM lib. III. *responforum.*

**O**lympico habitationem & horreũ, quod in ea domo erat, quo ad uiueret, legauit, iuxta eandem domũ hortus & cœnaculum, quod Olympico legatum non est, fuere. ad hortum autem & cœnaculum semper per domum, cuius habitatio relicta erat, aditus fuit. *Quæsitum est, an Olympicus aditum præstare deberet? Respondi, seruitutem quidem non esse, sed hæredẽ transire per domum ad ea, quæ commemorata sunt, posse: dũ non noceat legatario. Lucius Titius aperto pariete domus suæ, quatenus stillicidij rigor, & tignorum protectus competebat, ianuam in publico aperuit. Quæro: cum neq; luminibus Publij Mæuij uicini, neq; itineri officeret, neq; stillicidium in uicini domo caderet: an aliquã actionẽ Publius Mæuius uicinus ad prohibendũ haberet? Respondi, secundum ea, quæ pponerentur, nullam habere.*

## DE SERUITVTIBVS PRAEDIORVM

rusticorum. Tit. III.

VLP IANVS lib. II. *institutionum.*



**S**eruitutes prædiorum rusticorum sunt hæc: iter, actus, uia, aquæ ductus. Iter est ius eundi ambulandi hominis, nõn etiam iumentum agendi. Actus est ius agendi uel iumentum, uel uehiculum, ita qui iter habet, actum non habet: qui actum habet, & iter habet, etiam sine iumento. Via est ius eundi, & agendi, & ambulandi, nam & iter & actum in se uia continet. Aquæ ductus est ius aquæ ducendæ per fundum alienum. In prædijs rusticis cõputanda etiã sunt: aquæ haustus, pecoris ad aquã adpulsus, ius pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ. Traditio plañe & patientia seruitutum inducit officium prætoris.

r. i. iij. Neratius

## II. NERATIVS lib. III. regularum.

**R**estricorū etiam prædiorū seruitutes sunt, licere altius tollere, & officere prætorio uicini. uel cloacam habere licere per uicini domum, uel prætorium: uel protectum habere licere. Aquæ ductus uel \*haustus aquæ per eundem locum ut ducatur etiam pluribus concedi potest: potest etiã, ut diuersis diebus uel horis ducatur. Si aquæ ductus uel \*haustus aquæ sufficiens est: potest etiam pluribus per eundem locum concedi, ut & eisdem diebus uel horis ducatur.

\*aliã utru  
big; deest.

## III. VLP IANVS lib. XVII. ad edictum.

**I**tem sic possunt seruitutes imponi: ut boues, per quos fundus colitur, in uicino agro pascantur. quam seruitutem poni posse, Neratius libro secundo membranarum scribit. Idem Neratius etiam, ut fructus in uicini uilla cogantur, coactiq; habeantur, & pedamenta ad uineam ex uicini prædio sumantur, constitui posse scribit. Eodem libro ait: uicino, cuius lapidicinæ fundo immineant, posse te cedere: ius esse ei, terrã, rudus, saxa in fundũ tuũ iacere, positãq; habere: & ut lapides prouoluantur, ibiq; positi habeantur, indeq; exportent. Qui habet haustum, iter quoq; habere uidetur ad hauriendum. Et (ut ait Neratius libro tertio membranarum) siue ei ius hauriendi, & ad eundem cessum sit, utrunq; habebit: siue tantum hauriendi, inesse & aditũ: siue tantum ad eundem ad fontẽ, inesse & haustum. Hæc de haustu ex fonte priuato. Ad flumen autem publicum, idem Neratius eodem libro scribit, iter debere cedi, haustum non oportere: & si quis tantum haustum cesserit, nihil eum agere.

## IIII. PAPINIANVS lib. II. responsorum.

**P**ecoris pascendi seruitus, item ad aquam adpellendi (si prædij fructus maxime in pecore consistat) prædij magis, q̄ personæ uideatur. Si tamen testator personam demonstrauit, cui seruitutem præstari uoluit: emptori, uel hæredi eius non eadem præstabitur seruitus.

## V. VLP IANVS lib. XVII. ad edictum.

**E**rgo secundum eum & uindicari poterit. Neratius ex Plautio ait: nec haustum, nec adpulsum pecoris, nec cretæ eximendæ calcisq; coquendæ ius posse in alieno esse, nisi fundum uicipium habeas: & hoc Proculũ, & Atilicinum existimasse ait. Sed & ipse dicit: ut maxime calcis coquendæ, & cretæ eximendæ seruitus constitui possit: non ultra posse, quàm quatenus ad eum ipsum fundum opus sit.

## VI. PAVLVS lib. XV. ad Plautium.

**V**eluti si figlinas haberem, in quibus ea uasa fierent, quibus fructus eius fundi exportarentur (sicut in quibusdam fit, ut amphoras uinum euehatur) aut dolia fierent, uel tegulæ ad uillã ædificandam. Sed

Sed si, ut uasa uenirent, figlinae exercerentur: ususfructus erit. Item longe recedit ab usufructu ius calcis coquendae, & lapidis eximendi, & arenae fodiendae: ut lapides eximantur, & calx coquatur aedificandi eius gratia, quod in fundo est. item syluae caeduae, ut pedamenta in uineas non desint. quid ergo, si praediorum meliorem causam haec faciant? non est dubitandum, quin seruitus sit. & hoc Martianus probat in tantum, ut & talem seruitutem constitui posse putet, ut tugurium mihi habere liceat in tuo: scilicet si habeam pascui seruitutem, aut pecoris adpellendi: ut si hyems ingruerit, habeam, quo me recipiam.

VII. IDEM lib. XXXIX. ad edictum.

**Q**ui sella, aut in lectica uehitur, ire non agere dicitur. Iumentum uero ducere non potest, qui iter tantum habet. Qui actum habet: & plostrum ducere, & iumentum agere potest: sed trahendi lapidem, aut rignu, neutri eorum ius est. quidam nec hastam rectam ei deferre licere: quia neque eundi, neque agendi gratia id faceret, & possent fructus eo modo laedi. Qui uiam habent, eundi agendique ius habent: plerique & trahendi quoque, & rectam hastam deferendi, si modo fructus non laedantur. In rusticis autem praedijs impedit seruitutem medium praedium, quod non seruit.

VIII. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**V**ia latitudo ex lege duodecim tabularum in porrectum octo pedes habeat: in amfraetum, id est, ubi flexum est, sedecim.

IX. PAVLVS lib. I. sententiarum.

**S**eruitus aquae ducendae, uel hauriendae, nisi ex capite, uel ex fonte, constitui non poterat: hodie tamen ex quocumque loco constitui solet.

X. IDEM lib. XXXIX. ad edictum.

**L**abeo ait, & talem seruitutem constitui posse, ut aquam quaerere, & inuentam ducere liceat. nam si licet nondum aedificato seruitutem constituere: quare non aequale liceat, nondum inuenta aqua, itidem constituere seruitutem? & si, ut quaerere liceat, cedere possumus: etiam ut inuenta ducatur, cedi potest.

XI. CELSVS lib. XXVI. digestorum.

**P**er fundum, qui plurius est, ius mihi esse eundi agendi potest separatum cedi. Ergo subtili ratione non aliter meum fiet ius, quam si omnes cedant: & nouissima demum cessione superiores omnes confirmabuntur. Benignius tamen dicitur: & antequam nouissimus cesserit, eos qui antea cesserunt, uetare uti cesso iure non posse.

XII. MODESTINVS lib. IX. differentiaryum.

**I**nter actum & iter nonnulla est differentia. Iter est enim, quo quis pedes uel leques comere potest: actus uero ubi & arma traicere, & uehiculum ducere liceat.

XIII. IABOLENVS lib. X. ex Cassio.

Certo

**C**erto generi agrorū adquire seruitus potest, ueluti uineis: quodq; uineis, seruitus manebit, sed si in contrahenda seruitute aliud actū erit: doli mali exceptio erit necessaria. Si totus ager itineri aut actui seruit: dominus in eo agro nihil facere potest, quo seruitus impediatur: quoniā ita diffusa est, ut oēs glebæ ueniant. At si iter actusue sine ulla determinatione legatus, modo determinabitur: quā primum iter determinatum est, eā seruitus consistit, ceteræ partes agri liberæ sunt. Igitur arbiter dandus, qui utroq; casu uiam determinare debet.

Latitudo actus itinerisq; ea est, quæ demonstrata est. quod si nihil dictum est, hoc ab arbitro statuendum est. In uia aliud iuris est. nam si dicta latitudo non est, legitima debetur. Si locus, non adiecta latitudine, nominatus est: per eum, quā libebit, iri poterit. Sin autem prætermissus est, æque latitudine non adiecta: per totū fundū una poterit eligi uia, dumtaxat eius latitudinis, quæ lege comprehensa est. pro quo ipso, si dubitabitur, arbitri officium inuocandum est.

XIIII. POMPONIUS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**P**er quem locum uiam aliq; concessero, per eundem & aliq; aquæ ductum cedere non potero. sed etsi aquæ ductum aliq; concessero, aliq; iter per eundem locum uendere, uel alias cedere non potero.

XV. IDEM lib. XII. ad Q. Mutium.

**Q**uintus Mutius scribit: cum iter aquæ uel quotidianæ, uel æstinæ, uel quæ longiora interualla habeat, per alienum fundum erit: facere fistulam suam uel fictilem, uel cuiuslibet generis in riuo ponere, quæ aquam latius exprimeret: & quod uellet, in riuo facere, dum ne domino prædij aquagium faceret deterius.

XVI. CALLISTRATUS lib. III. de cognitionibus.

**D**iuus Pius aucupibus ita rescripsit. οὐκ ἐστὶν εὐλογον, ἀκόνητον δὲ αὐτῶν τῶν ἡμῶν ἐν ἀλλοτρίοις χωρίοις ἰξένειν.

XVII. PAPHRIUS IUSTVS lib. I. constitutionum.

**I**mperatores Antoninus & Verus augusti rescripserunt: aquam de fluoimine publico pro modo possessionum ad irrigandos agros diuidi oportere, nisi proprio quis iure plus sibi datum iri debere ostenderit. Item rescripserunt: aquam ita demum permitti duci, si sine iniuria alterius id fiat.

XVIII. VLPIANVS lib. XIII. ad Sabinum.

**V**na est uia, & si per plures fundos imponatur: cū una seruitus sit. Deniq; quæritur, an si per unum fundum iero, per alium non per tantū tempus, quanto seruitus amittitur: an retineam seruitutem. Et magis est, ut aut tota amittat, aut tota retineatur. Ideoq; si nullo usus sum, tota amittitur: si uel uno, tota seruetur.

XIX. PAVLVVS lib. VI. ad Sabinum.

**S**tunus ex socijs stipuletur iter ad cōmunē fundū: inutilis est stipulatio, quia nec dari ei potest. sed si omnes stipulentur, siue cōmunis feruus: singuli ex socijs sibi dari oportere petere possunt, quia ita dari eis potest à te: ne si stipulator uiaē plures hāredes reliquerit, inutilis stipulatio fiat.

XX. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**S**i mihi eodem tempore concesseris, & ire agere per tuum locum, & uti frui eo ius esse: deinde ego tibi concessero, ius mihi uti frui nō esse: nō aliter eo loco uteris fruēris, quā ut ire agere mihi recte liceat. Item si educere per tuum fundum aquam iure potero, & in eo tibi aedificare inuito me ius non fuerit: si tibi concessero, ius esse aedificare: mihi lominus hanc seruitutem mihi praestare debebis, ne aliter aedifices, quā ut ductus aquae meus maneat: totiusq; rei conditio talis esse debet, qualis esset, si una duntaxat initio concessio facta esset. Seruitus naturaliter, nō manufacto opere, laedere potest fundum seruientem: quemadmodum si imbris aqua crescat in riuo, aut ex agris in eum confluat, aut aquae fons secundum riuum, uel in eo ipso postea inuentus fuerit. Si fundo Seiano cōfinis fuerit fons, ex quo per fundum Seianum aquam iure ducebam: meo facto fundo Seiano, manet seruitus. Hauriendi ius non hominis, sed praedij est.

XXI. PAVLVVS lib. XV. ad Sabinum.

**S**i mihi concesseris iter aquae per fundum tuum, nō destinata parte, sper quā ducerem: totus fundus tuus seruiet.

XXII. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**S**ed quae eius fundi loca tunc, cum ea fiet concessio, aedificijs, arboribus, uineis uacua fuerint: ea sola eo nomine seruient.

XXIII. PAVLVVS lib. XV. ad Sabinum.

**V**ia constitui uel latior octo pedibus, uel angustior potest: ut tamē eam latitudinem habeat, qua uehiculū ire poterit: alioquin iter erit, non uia. Si lacus perpetuus in fundo tuo est: nauigandi quoque seruitus, ut perueniatur ad fundum uicinum, imponi potest. Si fundus seruiens, uel is, cui seruitus debetur, publicetur: utroq; casu durant seruitutes: quia cum sua quisq; conditione fundus publicatur. Quae cumq; seruitus fundo debetur, omnibus eius partibus debetur. & ideo, quamuis particulatim ueniret, omnes partes seruitus sequitur: & ita, ut singuli recte agant, ius sibi esse eundi. Si tamen fundus, cui seruitus debetur, certis regionibus inter plures dominos diuisus est: quamuis omnibus partibus seruitus debeatur: tamen opus est, ut hi, qui nō proximas partes seruienti fundo habebunt: transitū per reliquas partes fundi diuisi iure habeant, aut si proximi patiantur, transeant.

XXIII. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**E**X meo aquæductu, Labeo scribit, cuiuslibet me posse uicino cõmo dare: Proculus, ut ne in meam partem fundi aliam, quàm ad quã seruitus adq̃uisita sit, uti ea possim. Proculi sententia uerior est.

XXV. IDEM lib. XXXIII. ad Sabinum.

**S**i partem fundi mei tibi certam uendidero: aquæductus ius, etiam si alterius partis causa plerunq̃ ducatur, te quoq̃ sequetur. neq̃ tibi aut bonitatis agri, aut usus eius aquæ ratio habenda est: ita ut eam solã partem fundi, quæ preciosissima sit, aut maxime usum eius aquæ desideret, ius eius ducendæ sequatur: sed pro modo agri detenti aut alienati, fiat eius aquæ diuisio.

XXVI. PAVLVS lib. XLVII. ad edictum.

**S**i uia, iter, actus, aquæductus legetur simpliciter per fundum: facultas est hæredi, per quam partem fundi uelit, constituere seruitutem: si modo nulla captio legatario in seruitute sit.

XXVII. IULIANVS lib. VII. digestorum.

**S**i cõmuni fundo meo & tuo seruiat fundus Sempronianus, & eundẽ in cõmune redemerimus: seruitus exstinguitur, quia par utriusq̃ domini ius in utroq̃ fundo esse incipit. At si proprio fundo meo, & proprio tuo idem seruiat: manebit seruitus, quia proprio fundo per cõmunem seruitus deberi potest.

XXVIII. IDEM lib. XXXIII. digestorum.

**I**n itinere ad prædiũ commune duorum legato: nisi uterq̃ de loco itinueris consentiat, seruitus neq̃ acquiritur, neq̃ deperit.

XXIX. PAVLVS lib. II. ἐπιτομῶν Alfeni digestorum.

**Q**ui duo prædia confinia habuerat, superiorem fundum uendiderat, & in lege ita dixerat: ut aquam sulco aperto emptori educere in fundum inferiorem recte liceat. si emptor ex alio fundo aquã acciperet, & eam in inferiorem ducere uellet: quaesitum est, an possit id suo iure facere, nec ne? Respondit nihil amplius, quàm quod ipsius fundi siccandi causa deriuaret, uicinum in inferiorem recipere debere.

XXX. IDEM lib. III. ἐπιτομῶν Alfeni digestorum.

**Q**ui duo prædia habebat, in unius uenditione aquam, quæ in fundo nascēbatur, & circa eã aquã late decē pedes exceperat. quaesitum est, utrũ dominiũ loci ad eũ pertineat, an ut per eũ locũ accedere possit? Respondit, si ita excepisset, CIRCA EAM AQUAM LATE DECEM PEDES, iter dumtaxat uideri uenditoris esse.

XXXI. IULIANVS lib. II. ex Minuto.

**T**ria prædia continua trium dominorum obiecta erant. unius prædij dominus ex suo fundo in unum fundum seruitutem aquæ

aquæ quæsierat: & per medium fundū, domino concedente, in suum agrū ducebat. post ea idem summū fundum emit: & imum fundum, in quæ aquam induxerat, uendidit. quæsitum est, num imus fundus id ius aquæ amississet: & quia utraq; prædia eiusdē domini facta essent, ipsa sibi seruire non potuissent: Negauit amississe seruitutem: quia prædium, per quod aqua ducebatur, alterius fuisset. Et quemadmodum seruitus summo fundo, ut in imum fundū aqua ueniret, imponi aliter non potuisset, quā ut per mediū quod fundū duceretur: sic eadem seruitus eiusdem fundi amitti aliter non posset, nisi eodē tempore etiam per mediū fundum aqua duci desisset, aut omnium tria simul prædia unius domini facta essent.

XXXII. AFRICANVS lib. VI. quæstionum.

**F**undus mihi tecum cōmunis est. partem tuam mihi tradidisti, & ad eundē uiam per uicinū tuum, proprium, recte eo modo seruitutē constitutam ait: neq; quod dici solet, per partes nec adquiri, nec imponi seruitutes posse, isto casu locum habere. hic enim non pro parte seruitutem adquiri: ut puta cū in id tēpus adquiratur, quo proprius meus fundus futurus sit.

XXXIII. IDEM lib. IX. quæstionum.

**C**um essent mihi & tibi fundi duo cōmunes Titianus & Seianus: & in diuisione cōuenisset, ut mihi Titianus, tibi Seianus cederet: inuicem partes eorū tradidimus, & in tradendo dictū est, ut alteri per alterum aquā ducere liceret. recte esse seruitutē impositam ait: maxime si pacto stipulatio subdita sit. Per plurimum prædia A QUAM DUCI quoquo modo imposita seruitute: nisi pactū uel stipulatio de hoc etiā subsecuta est: neq; eorum cuius, neq; alij uicino poterit haustum ex riuo cedere. pacto enim uel stipulatione interuenientibus, & hoc concedi solet: quamuis nullum prædium ipsum sibi seruire, neq; seruitutis fructus constitui potest.

XXXIII. PAPINIANVS lib. VII. quæstionum.

**V**Nus ex socijs fundi cōmunis, permittēdo IUS ESSE IRE AGERE, nihil agit. Et ideo si duo prædia, quæ mutuo seruirebāt, inter eosdē fuerint cōmunicata (quoniā seruitutes per partes retineri placet) ab altero seruitus alteri remitti nō potest. Quāuis em̄ unusquisq; sociorū solus sit, cui seruitus debet: tamē quia non psonæ, sed prædio debetur: neq; adquiri libertas, neq; seruitus remitti pro parte poterit. Si fons exaruerit, ex quo ductū aquæ habeo, isq; post statutum tempus ad suas uenas redierit: an aquæ ductus amissus erit, quæritur.

XXXV. PAVLVVS lib. XV. ad Plautium.

**E**T Atilicinus ait, Cæsarem Statilio Tauro rescripsisse in hæc uerba. Hi qui ex fundo \*Satriano aquā ducere soliti sunt, adierūt me: aliās \*Su- proposueruntq; aquam, qua per aliquot annos usi sunt, ex fonte, qui trino, aliās

ss ij est in Sabino.

est in fundo Satriano, ducere non potuisse, quod fons exaruiisset: & postea ex eo fonte aquam fluere coepisse: petieruntq; me, ut quod ius non negligentia aut culpa sua amiserant, sed quia ducere non poterant, his restitueretur. Quorum mihi postulatio cum non iniqua uisa sit, succurrendum his putavi. Itaq; quod ius habuerunt primum, cum ea aqua ad eos peruenire non potuit, id eis restitui placet.

XXXVI. PAPIANVS lib. II. responsorum.

**C**um fundo, quem ex duobus retinuit uenditor, aquae ducendae seruitus imposta sit: empto praedio quaesita seruitus, distractum de nouo praedium sequitur. nec ad rem pertinet, quod stipulatio, qua poenam promitti placuit, ad personam emptoris (si forte ei frui non licuisset) relata est.

XXXVII. PAVLVS lib. III. responsorum.

**A** οὐκίος τίτιος γάϊω Σεΐα τῶ ἀδελφῶ πλεῖσα χεῖρη. Ἰδαίος τῶ Σεΐατος \*εἰς τὴν κρήνην τὴν κατὰ σκηνασθεῖσα ἐμ' ἰσθμῶ ὑπὸ τῶ πατρὸς μου, ἢ ὅπως δ' ἂν βέλῃ. *Quaeritur, an ex hac scriptura usum aquae etiam ad haeredes Caij Seij pertineat? Paulus respondit, usum aquae personalem ad haereditatem Seij, quasi usuarii transmitti non oportere.*

\* Quidam hoc loco legendū putabat. Ἐκ κρήνης τῆς ἐν ἰσθμῶ κατὰ σκηνασθεῖσας.

XXXVIII. IDEM lib. I. manualium.

**F**lumine interueniente uia constitui potest, si aut uado transiri potest, aut pontem habet. diuersum, si pontonibus trañciatur. haec ita, si propter unius praedia flumē currat. Alioquin si tua praedia mihi uicina sint, deinde flumen, deinde Titij praedium, demum uia publica, in quam mihi iter adquiri uolo: dispiciamus, ne nihil uetet, a te mihi dari uiam usq; ad flumen, deinde a Titio usq; ad uiam publicam. sed & uideamus, num & si tu eorum praediorum dominus sis, quae trans flumen intra uiam publicam sint, idem iuris sit: quia uia consummari solet, uel usq; ad ciuitatem, uel usq; ad uiam publicam, uel usq; ad flumen, in quo pontonibus trañciatur, uel usq; ad proprium aliud eiusdem domini praedium. Quod si est, non uidetur interrumpi seruitus, quamuis inter eiusdem domini praedia flumen publicum intercedat.

COMMVNIA PRAEDIORVM TAM VRBANORVM QUAM RUSTICORVM. Tit. IIII.

UlpianVS lib. II. institutionum.



Edificia urbana quidem praedia appellamus. caeterum et si in uilla aedificia sint: aequae seruitutes urbanorum praediorum constitui possunt. Ideo autem haec seruitutes praediorum appellantur: quonia sine praedijs constitui non possunt

possunt. nemo enim potest seruitutem acquirere, uel urbani, uel rustici prædij. nisi qui habet prædium.

II. IDEM lib. XVII. ad edictum.

**D**E aqua tollenda per rotam ex flumine uel haurienda, uel si quis seruitutem castello imposuerit: quidam dubitauerunt, ne hæ seruitutes non essent. Sed rescripto imperatoris Antonini ad Tullianum adijcitur: licet seruitus iure non ualuit, si tamen hac lege comparauit, seu alio quocunq; legitimo modo sibi hoc ius adquisiuit: tuendum esse eum, qui hoc ius possedit.

III. CAIUS lib. VII. ad edictum provinciale.

**D**Vorum prædiorum dominus si alterum ea lege tibi dederit, ut id prædium, quod datur, seruiat ei, quod ipse retinet, uel contra: iure imposta seruitus intelligitur.

IIII. IABOLENVS lib. X. ex Casio.

**C**Aueri, ut ad certam altitudinem monumentum ædificetur, non potest: quia id, quod humani iuris esse desijt, seruitutem non recipit. Sicut ne illa quidem seruitus consistere potest, ut certus numerus hominum in uno loco humetur.

V. IDEM lib. II. ἐπιτολῶν.

**P**roprium solum uendendo, an seruitutem talem iniungere possim, ut mihi & uicino seruiat? Similiter si commune solum uendo, ut mihi & socio seruiat, an consequi possim? Respondi seruitutem excipere, nisi sibi, nemo potest. adiectio itaq; uicini pro superuacuo habenda est: ita ut tota seruitus ad eum, qui exceperit, pertineat. Solum autem commune uendendo, ut mihi & socio seruiat, efficere non possum: quia per unum socium communi solo seruitus adquiri non potest.

VI. VLP IANVS lib. XXVI. ad Sabium

**S**I quis duas ædes habeat, & alteras tradat: potest legem traditioni discernere, ut uel istæ, quæ non traduntur, seruæ sint his, quæ traduntur: uel contra, ut traditæ retentis ædibus seruiant: paruiq; refert, uicinæ sint ambæ ædes, an non. Idem erit & in prædijs rusticis. nam & si quis duos fundos habet, alium alij potest seruum facere tradendo. Duas autem ædes simul tradendo, non potest efficere alteras alteri seruas: quia neq; acquirere alienis ædibus seruitutem, neq; imponere potest. Si quis partem ædium tradat, uel partem fundi, non potest seruitutem imponere: quia per partes seruitus imponi non potest, sed nec adquiri. Planè si diuisit fundum regionibus, & sic partem tradidit: potest pro diuiso alterutri seruitutem imponere: quia non est pars fundi, sed fundus. Quod & in ædibus potest dici: si dominus pariete medio ædificato, unam domum in duas diuiserit: ut pleriq; faciunt. nam & hic pro

duabus domibus accipi debet. Item si duo homines binas aedes communes habeamus: simul tradendo idem efficere possumus, ac si ego solus proprias binas aedes haberem. sed & si separatim tradiderimus, idem fiet. sic tamen, ut nouissima traditio efficiat etiam praecedentem traditionem efficacem. Si tamen alterae unius propriae sint aedes, alterae communes: neutris seruitutem uel acquirere, uel imponere non posse, Pomponius libro octauo ex Sabino scribit. Si in uenditione quis dixerit, seruas fore aedes, quas uendidit: necesse non habet liberas tradere. quare uel suis aedibus eas seruas facere potest, uel uicino concedere seruitutem, scilicet ante traditionem. Plane si Titio seruas fore dixit: siquidem Titio seruitutem concesserit, absolutum est: si uero alij concesserit, ex empto tenebitur. A quo non abhorret, quod Marcellus libro sexto digestorum scribit. si quis in tradendo dixerit fundum Titio seruire, cum ei non seruiret, esset autem obligatus uenditor Titio ad seruitutem praestandam: an agere possit ex uendito, ut emptor seruitutem imponi patiatur praedio, quod mercatus est: magisque putat permittendum agere. Idemque ait, & ut possit uenditor Titio seruitute uendere, aequae agere permittendum. hoc ita demum, si excipiendae seruitutis gratia id in traditione expressum est. caeterum si quis (inquit) ueritus, ne seruitus Titio debeat, ideo hoc excepit: non erit ex uendito actio, si nullam seruitutem promisit.

## VII. PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

**I**n tradendis unis aedibus, ab eo, qui binas habet, species seruitutis exprimenda est: ne si generaliter seruire dictum erit, aut nihil ualeat, (quia incertum est, quae seruitus excepta sit) aut omnis seruitus imponi debeat. Interpositis quoque alienis aedibus, imponi potest, ut alterius tollere liceat, uel non tollere: uel etiam si iter debeat, ut ita conualescat, si medijs aedibus seruitus postea imposita fuerit: sicuti per plurius praedia seruitus imponi etiam diuersis temporibus potest. Quamquam dici potest, si tria praedia continua habeam, & extremum tibi tradam: uel tuo, uel meis praedijs seruitute acquiri posse. Si uero extremo, quod retineam (quia & medium meum sit) seruitutem consistere. Sed si rursum aut id, cui acquisita sit seruitus, aut medium alienauero: interpellare eum, donec medio praedio seruitus imponatur.

## VIII. POMPONIVS lib. VIII. ad Sabinum.

**S**i cum duas haberem insulas, duobus eodem momento tradidero: uidendum est, an seruitus alterutris imposita ualeat. quia alienis quidem aedibus nec imponi, nec acquiri seruitus potest: sed ante traditionem peractam suis magis acquirat, uel imponit is, qui tradit: ideoque ualebit seruitus.

Idem

## IX. IDEM lib. X. ad Sabinum.

**S**i ei, cuius prædiū mihi seruebat, hæres exstiti, & eam tibi hæreditatem uendidi: restitui in pristinum statum seruitus debet: quia id agitur, ut quasi tu hæres uidearis exstitisse.

## X. VLP IANVS lib. X. ad Sabinum.

**Q**uidquid uenditor seruitutis nomine sibi recipere uult, nominatim recipi oportet. nam illa generalis receptio, **QVIBVS EST SERUITVS, VT ITA SIT**, ad extraneos pertinet, nec ipsi uenditori proficit ad iura eius conseruanda. nullam enim habuit. quia nemo ipse sibi seruitutem debet. quinimò & si debita fuisset seruitus, deinde dominium rei seruientis peruenisset ad me: consequenter diceretur, extinguī seruitutem.

## XI. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**R**efectionis gratia accedendi ad ea loca, quæ non seruiant, facultas tributa est his, quibus seruitus debetur (quæ tamen accedere eis sit necesse) nisi in cessione seruitutis, nominatim præfinitū sit, quæ accederetur. & ideo nec secundum riuum, nec supra eum (si forte sub terra aqua ducatur) locum religiosum dominus soli facere potest, ne seruitus intereat. & id uerum est. Sed & depressurum, uel adlenaturum riuum, per quem aquam iure duci potestatem habes, nisi si, id ne faceres, cautum sit. Si per tuum fundum ius mihi est, aquam riuo ducere: tacite hæc iura sequuntur, ut reficere mihi riuum liceat, ut adire quæ proxime possim ad reficiendū eum ego fabricæ mei: item ut spacium relinquat mihi dominus fundi, quæ dextra & sinistra ad riuum eam, & quo terram, limum, lapidem, arenam, calcem iacere possim.

## XII. PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

**C**um fundus fundo seruit, uendito quæq; fundo seruitutes sequuntur. Cædificia quoque fundis, & fundi cædificijs eadē conditione seruiunt.

## XIII. VLP IANVS lib. VI. opinionum.

**V**enditor fundi Hieroniani fundo Botriano, quem retinebat, legem dederat, ne contra eū piscatio thynnaria exerceretur. quam uis mari (quod natura omnibus patet) seruitus imponi priuata lege non potest: quia tamen bona fides contractus, legem seruari uenditionis exposcit: personæ possidentium, aut in ius eorum succedentium, per stipulationis uel uenditionis legem obligantur. Si constat in tuo agro lapidicinas esse: inuito te, nec priuato, nec publico nomine quisquam lapides cædere potest, cui id ius faciendi non est. nisi talis consuetudo in illis lapidicinis consistat: ut si quis uoluerit ex his cædere, non aliter hoc faciat, nisi prius solitum pro hoc solatium domino præstet. Ita tamen lapides cædere debet, postquam satisfecit domino: ut neq;

neq; usus necessarij lapidis intercludatur, neq; commoditas rei iure domino adimatur.

XIII. IULIANVS lib. XLI. *digestorum.*

Item nihil prohibet iter sic constitui, ut quis interdum duntaxat eat. Quod circa prædia urbana etiam necessarij est.

XV. PAVLVS lib. I. *ad titulum Alfeni digestorum.*

Qui per certum locum iter aut actum alicui cessit: eum pluribus posse per eundem locum, uel iter, uel actum cedere, uerum est. quemadmodum si quis uicino suas ædes seruas fecit, nihilominus alius (quot uolet) easdem ædes seruas facere potest.

XVI. CAIUS lib. II. *rerum quotidianarum.*

Potest etiam in testamento heredem suum quis damnare, ne alius ædes suas tollat, ne luminibus ædium uicinarum officiat: uel ut patiatur eum tignum in parietem immittere, stillicidia uero aduersus eum habere: uel ut patiatur uicinum per fundum suum, uel hæredis ire agere, aquam uero ex eo ducere.

XVII. VLPPIANVS lib. VII. *questionum.*

Si precario uicinus in tuo maceriam duxerit, interdico quod precario agi non poterit: nec maceria posita, donatio seruitutis perfecta intelligitur: nec utiliter intendetur, ius sibi esse inuito te ædificatum habere, cum ædificium soli conditionem secutum, inutilem faciat intentionem. Cæterum si in suo maceriam precario, qui seruitutem tibi debuit, duxerit: neq; libertas usucapies, & interdico quod precario utiliter cum eo agetur. Quod si donationis causa permiseris: hoc interdico agere non poteris, & seruitus donatione tollitur.

XVIII. PAVLVS lib. I. *manualium.*

Receptum est, ut plures domini, & non pariter cedentes, seruitutes imponant, uel adquirant: ut tamen ex nouissimo actu etiam superiores confirmantur, perindeque sit, atque si eodem tempore omnes cessissent. Et ideo si is, qui primus cessit, uel defunctus sit, uel alio modo partem suam alienauerit: post deinde socius cesserit: nihil agatur. cum enim postremus cedit, non retro adquiri seruitus uidetur: sed perinde habetur, ac si cum postremus cedit, omnes cessissent. igitur rursus hic actus pendebit, donec nouus socius cedat. Idem iuris est, et si uni ex dominis cedatur, deinde in persona socij aliquid horum acciderit. Ergo & ex diuerso, si ei, qui non cessit, aliquid eorum contigerit: ex integro omnes cedere debebunt. tantum enim tempus eis remissum est, quo dare facere uel diuersis temporibus possint. & ideo non potest uni, uel unus cedere. Idemque dicendum est, si alter cedat, alter leget seruitutem. Nam si omnes socij legent seruitutem, & pariter eorum adeatur hæreditas: potest

test dici utile esse legatum. si diuersis temporibus: inutiliter dies legati cedit. neq; enim, sicut uiuentiu, ita & defunctorum actus suspendi receptu est.

SI SERUITVS VINDICETVR, VEL  
ad alium pertinere negetur Tit. V.

VLPIANVS lib. XIII. ad edictum.



Actiones de seruitutibus (siue rusticis, siue urbanis) eorum sunt, quorum praedia sunt. Sepulchra autem nostri domini non sunt. atquin uiam ad sepulchrum possumus uindicare.

II. IDEM lib. XVII. ad edictum.

DE seruitutibus in rem actiones competunt nobis ad exemplum earum, quae ad usum fructum pertinent, tam confessoria, quam negatoria: confessoria ei, qui seruitutes sibi competere contendit: negatoria domino, qui negat. Haec autem in rem actio confessoria non alij, quam domino fundi competit. seruitutem enim nemo uindicare potest, quam qui dominium in fundo uicino habet, cui seruitute dicit deberi. Recte Neratius scribit, si medijs loci usus fructus legetur, iter quoque sequi: per ea scilicet loca fundi, per quae qui usum fructum concessit, constitueret, quatenus est ad fruendum necessarium. Namque sciendum est iter, quod fruendi gratia fructuario praestatur, non esse seruitutem. neque enim potest soli fructuario seruitus deberi: sed si fundo debeat, & ipse fructuarius ea utetur. Pomponius dicit, fructuarium interdicto DE ITINERE uti posse, si hoc anno usus est. Alibi enim de iure, id est, in confessoria actione: alibi de facto, ut in hoc interdicto quaeritur, quod & Iulianus libro quadragesimo octauo digestorum scribit. pro sententia Iuliani facit, quod Labeo scribit: etiam si testator usus sit itinere, qui legauit usum fructu: debere utile interdictu fructuario dari, quemadmodu & haeredi uel emptori competunt haec interdicta.

III. IDEM lib. LXX. ad edictum.

SEd & si partem fundi quis emerit, idem dicendum est.

IIII. IDEM lib. XVII. ad edictum.

LOci corpus non est dominij ipsius, cui seruitus debetur, sed ius eundi habet. Qui iter sine actu, uel actum sine itinere habet, actione de seruitute utetur. In confessoriam actionem, quae de seruitute mouetur, fructus etiam ueniunt. Sed uideamus, qui possunt esse fructus seruitutis. & est uerius, id demum fructuum nomine computandum, si quid intersit agentis, seruitutem non prohiberi. Sed & in negatoria actione (ut Labeo ait) fructus computantur, quanti interest petitoris, non

uti fundi sui itinere aduersarium. & hanc sententiam & Pomponius probat. Si fundus, cui iter debetur, plurium sit: unicuique in solidum competit actio & ita & Pomponius libro quadragesimo primo scribit. sed in æstimatione id, quod interest, ueniet: scilicet quod eius interest, qui experietur. Itaque de iure quidem ipso singuli experientur, & uictoria etiam alijs proderit: æstimatio autem ad id, quod eius interest, reuocabitur: quamuis per unum seruitus adquiri non possit. Sed & si duorum fundus sit, qui seruiat: aduersus unumquemque poterit ita agi. & (ut Pomponius libro eodem scribit) quisquis defendit, solidum debet restituere: quia diuisionem hæc res non recipit. Si quis mihi itineris, uel actus, uel uiae controuersiam non faciat, sed reficere, sternere non patiatur: Pomponius scribit eodem libro, confessoria actione mihi utendum. Nam & si arborem impendentem habeat uicinus, quæ uiam, uel iter iniuriam, uel inhabile faciat: Marcellus quoque apud Iulianum notat, petendum iter, uel uiam uindicandam. Sed de refectione uiae & interdicto uti possumus, quod de itinere actusque reficiendo competit. non competit tamen, si scilicet quis sternere uelit: nisi nominatim id conuenit. Sed & de haustru (quia seruitus est) competit nobis in re actiones. Competit etiam de seruitute actio domino ædificij, neganti seruitutem se uicino debere: cuius ædes non in totum liberæ sunt, sed ei, cum quo agitur, seruitutem non debet. Verbi gratia. habeo ædes, quibus sunt uicinæ & Seianæ & Sempronianæ. Sempronianis seruitutem debeo. aduersus dominum Seianarum nolo experiri, altius me tollere prohibentem. in rem actione experiar. licet enim seruiant ædes meæ: ei tamen, cum quo agitur, non seruiunt. hoc igitur intendo: habere me ius altius tollendi, inuito eo, cum quo ago. quantum enim ad eum pertinet, liberæ ædes habeo. Si cui omnino altius tollere non liceat: aduersus eum recte agetur, ius ei non esse tollere. Hæc seruitus & ei, qui ulteriores ædes habet, deberi poterit.

V. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

**E**T Ideo si inter meas & Titij ædes, tuæ intercedat: possum Titij ædibus seruitutem imponere, ne liceat ei altius tollere, licet tuus non imponatur: quia donec tu non extollis, est utilis seruitus.

VI. VLP IANVS lib. XVII. ad edictum.

**E**T si forte, qui medius est (quia seruitutem non debebat) altius extulerit ædificia sua, ut iam ego non uidear luminibus tuis obstaturus, si ædificauero: frustra intendes ius mihi non esse, ita ædificatum habere, inuito te. Sed si intra statutum tempus rursus ædificium suum deposuerit uicinus: renascetur tibi uindicatio.

Sciendum tamen, in his seruitutibus eundem esse possessorem iuris & petitoris: & si forte non habeam ædificatum altius in meo, aduersarius

farius meus possessor est. Nam cum nihil sit innouatum: ille possidet, & ædificantem me prohibere potest & ciuili actione, & interdico QVO D VI AVT CLAM. idem & si lapilli iactu impenderit. Sed & si patiente eo ædificauero: ego possessor ero effectus. Etiam de seruitute, quæ oneris ferendi causa imposita erit, actio nobis competit: ut & onera ferat, & ædificia reficiat ad eum modum, qui seruitute imposita comprehensus est. Et Gallus putat, non posse ita seruitutem imponi, ut quis facere aliquid cogeretur, sed ne me facere prohiberet. Nam in omnibus seruitutibus refectionem ad eum pertinere, qui sibi seruitutem adserat: non ad eum, cuius res seruiat. Sed præualuit Seruij sententia in proposta specie: ut possit quis defendere, sibi ius esse cogere aduersarium reficere parietem ad onera sua sustinenda. Labeo autem hanc seruitutem non hominem debere, sed rem. denique licere domino rem delinquere scribit. Hæc etiam actio in rem magis est, quam in personam: & nõ alij competit, quam domino ædium aduersus dominum. sicuti cæterarum seruitutum intentio. Si ædes plurium dominorum sint, an in solidum agatur, Papinianus libro tertio quæstionum tractat: & ait singulos dominos in solidum agere, sicut in cæteris seruitutibus, excepto usufructu. Sed non idem respondendum esse inquit, si communes ædes essent, quæ onera uicini sustinerent. Modus autem refectionis in hac actione ad eum modum pertinet, qui in seruitute imposita continetur: forte ut reficiat lapide quadrato, uel lapide struili, uel quouis alio opere, quod in seruitute dictum est. Veniunt & fructus in hac actione: id est commodum, quod haberet, si onera eius ædium uicinus sustineret. Parietem autem meliorem quidem, quam in seruitute impositum est, facere licet: deteriore si faciat, aut per hanc actionem, aut per operis noui nunciationem prohibetur.

## VII. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

**H**Arum actionum euentus hic est: ut uictori officio iudicis aut res præstetur, aut cautio. Res ipsa hæc est, ut iubeat iudex aduersarium emendare uicium parietis, & idoneum præstare. Cautio autem, ut eum iubeat de reficiendo pariete cauere: neque se, neque successores eius prohibuit altius tollere, sublatumque habere. & si cauerit, absoluitur. si uero neque rem præstet, neque cautionem: tanti condemnetur, quanti actor in litem iurauerit.

## VIII. VLPPIANVS lib. XVII. ad edictum.

**S**icuti autem refectio parietis ad uicinum pertinet: ita fultura ædificiorum uicini, cui seruitus debetur, quamdiu paries reficitur, ad inferiorem uicinum non debet pertinere. Nam si non uult superior fulcire, deponat & restituat, cum paries fuerit restitutus. Et hic quoque, sicut

in cæteris seruitutibus, cõtrariã actio dabitur: hoc est, ius tibi non esse me cogere. Competit mihi actio aduersus eum, qui cessit mihi seruitutem: ut in parietem eius tigna immittere mihi liceat, superq; ea tigna (uerbi gratia) porticum ambulatoriam facere, superq; eum parietem columnas structiles imponere, quæ tectum porticus ambulatoriæ sustineant. Distant autem hæ actiones inter se: quod superior quidem locum habeat, etiam ad compellendum uicinum reficere parietem: hæc uero locum habet ad hoc solum, ut tigna suscipiat. quod non est contra genera seruitutum. Sed si quæretur, quis possessoris, quis petitoris partes sustineat? sciendum est, possessoris partes sustinere: (si quidem tigna immissa sint) eum, qui seruitutem sibi debet: ait: si uero non sunt immissa, eum qui negat. Et si quidem is obtinuerit, qui seruitutem sibi defendit: non debet ei seruitus cedi, siue recte pronuntiatum est (quia habet) siue perperam, quia per sententiam nõ debet seruitus constitui, sed quæ est, declarari. Planè si non utendo post litem cõtestatã amisit dolo malo domini ædium: ei restitui oportet, quemadmodum placet in dominio ædium. Aristo \*Cerellio Vitali respondit: non putare se, ex taberna \*casearia fumum in superiora ædificia iure immitti posse, nisi ei rei seruitus talis admittatur. Ideo (ait) quia & ex superiore in inferiora non aquam, non quid aliud immitti licet. in suo enim alicui hætenus facere licet, quatenus nihil in alienum immittat. Fumi aut, sicut aquæ, immisionẽ esse, posse igitur superiorem cum inferiore agere, ius illi non esse, id ita facere. Alfenũ deniq; scribere ait, posse ita agi: ius illi non esse in suo lapidem cedere, ut in meum frigidum fragmenta cadant. Dicit igitur Aristo eum, qui tabernam \*caseariam à Minturnensibus cõduxit, ad superiora prohiberi posse fumum immittere. sed Minturnenses ei ex conducto teneri, agiq; sic posse dicit cum eo, qui eum fumum immittat, ius ei non esse fumum immittere. Ergo et per contrarium agi poterit, ei ius esse. quod & ipsum uideatur Aristo probare. Sed & interdictum VTI POSSIDETIS poterit locum habere, si quis prohibeatur, qualiter uelit, suo uti. Apud Pomponium dubitatur libro duodecimo lectionum, an quis possit ita agere, licet re fumum non grauem (puta ex foco) in suo facere: \*aut non licere. \* & ait, magis non posse agi: sicut agi non potest, ius esse in suo ignem facere, aut sedere, aut lauare. Idem in diuersum probat. nam & balinei (inquit) uaporibus cum Quintilla cuniculum pergentem in hortos Iulij Vrsi instruxisset: placuit potuisse talem seruitutem imponi.

IX. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

Si eo loco, per quem mihi iter debetur, tu ædificaueris: possum iter incedere, ius mihi esse ire agere. quod si probauero: inhihebo opus tuum.

Item

aliã \* Ce  
realio.

al's \* raso  
ria. utru  
big.

\* hæc in nõ  
nullis non  
leguntur.

Item Iulianus scribit, si uicinus in suo ædificando effecerit, ut ne stillicidium meum reciperetur: posse me agere de iure meo, id est, ius mihi esse immittendi stillicidium, sicut in uia diximus. Et si quidem nondum ædificauit: siue usum fructum, siue uiam habet: ius sibi esse ire agere uel frui, intendere potest. quod si iam ædificauit dominus: is, qui iter & actum habet, adhuc potest intendere, ius sibi esse: fructuarius autem non potest, quia amisit usum fructum. & ideo de dolo actionem dandam hoc casu Iulianus ait. Contra si in itinere, quod per fundum tibi debeo, ædifices: recte intendam, ius tibi non esse, ædificare uel ædificatum habere: quemadmodum si in area mea quid ædifices. Qui latiore uia uel angustiore usus est, retinet seruitutem: sicuti qui aqua, ex qua ius habet utendi, alia mista usus est, retinet ius suum.

X. VLP IANVS lib. LIII. ad edictum.

SI quis diuturno usu & longa quasi possessione ius aquæ ducendæ nactus sit: non ei necesse est docere de iure, quo aqua constituta est (ueluti ex legato, uel alio modo) sed utilem habet actionem, ut ostendat per annos (forte tot) usum se non uis, non clam, non precario. Agi autem hac actione poterit non tantum cum eo, in cuius agro aqua oritur, uel per cuius fundum ducitur: uerum etiam cum omnibus, ne quicumque aquam ducerem, impediunt: exemplo scilicet cæterarum seruitutum. Et generaliter: quicumque ne aquam ducerem impediunt, hac actione cum eo experiri poterō.

XI. MARCELLVS lib. VII. digestorum.

AN unus ex socijs in communi loco, inuitis cæteris, iure ædificare possit: id est, an si prohibeatur à socijs, possit cum ijs ita experiri, ius sibi esse ædificare: & an socij cum eo ita agere possint, ius sibi prohibendi esse, uel illi ædificandi non esse: & si ædificatum iam sit, num possint cum eo ita experiri, ius illi non esse ita ædificatum habere: quæ alibi tibi dicitur: Et magis dici potest: prohibendi potius, quam faciendi ius socio non esse: quia ille, qui facere conatur (ut dixi) quodammodo sibi alienum quoque ius præcipit: si quasi solus dominus sit, ad suum arbitrium uti communi iure uelit.

XII. IABOLENVS lib. II. ἐπιστολῶν.

EGI, ius illi non esse, tigna in parietem meum immissa habere. an & de futuris non immittendis cauendum est? Respondi. iudicis officio contineri puto, ut de futuro quoque opere caueri debeat.

XIII. PROCVLVS lib. V. ἐπιστολῶν.

FISTULAS, quibus aquam duco, in uia publica habeo: & hæ ruptæ intendant parietem tuum. puto te posse recte mecum agere, ius mihi non esse, flumina ex meo in tuum parietem fluere.

XIIII. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**S**I cum meus proprius paries esset, passus sim immittere tigna, quæ Santea habueras: si noua uelis immittere, prohiberi à me potes: imò etiam agere tecum potero, ut ea quæ noua immiseris, tollas. Si paries *aliàs\* al-* es communis, opere *\*à te facto,* in ædes meas se inclinauerit: potero *tius.* cum agere, ius tibi non esse, parietem illum ita habere.

XV. VLP IANVS lib. VI. opinionum.

**A**Ltius ædes suas extollēdo, si quis ut luminibus domus minoris annis uiginti quinq; uel impuberis, cuius curator uel tutor erat, officiat, efficit: quamuis hoc quoq; nomine actione ipse hæredesq; teneantur (quia quod alium facientem prohibere ex officio necesse habuit, id ipse committere non debuit) tamen & aduersus possidentem easdem ædes, danda est impuberi uel minori actio, ut quod non iure factum est, tollatur.

XVI. IULIANVS lib. VII. digestorum.

**S**I à te emero, ut mihi liceat ex ædibus meis in ædes tuas stillicidium immittere: & postea, te sciante, ex causa emptionis immissum habeam: quæro, an ex hac causa actione quadam uel exceptione tuendus sim? Respondi, utroq; auxilio me usurum.

XVII. ALFENVS lib. II. digestorum.

**S**I quando inter ædes binas paries esset, qui ita uentrem faceret, ut in Suicini domo semipedem aut amplius procumberet: agi oportet, ius non esse, illum parietem ita proiectum in suum esse, inuito se. Cum in domo Caij Scij locus quidam ædibus Annij ita seruiret, ut in eo loco positum habere ius ei non esset: & Seius in eo syluam semisset, \* neq; non labra, crateras, cucumellas positas haberet: Annio consiliū omnes *\* aliàs. in* iuris periti dederunt, ut cū eo ageret, ius ei non esse, in eo loco ea posita *qua labra,* habere, inuito se. Secundū cuius parietem uicinus sterquilinum fecerat, ex quo paries madescibat: cōsulebatur, quemadmodum posset uicinum cogere, ut sterquilinum tolleret. Respondi, si in loco publico id fecisset, per interdictum cogi posse: sed si in priuato, de seruitute agere oportere: sed si damni infecti stipulatus esset, posse per eam stipulationem, si quid ex ea re sibi damni datum esset, seruare. *et teneras cucumellas.*

XVIII. IULIANVS lib. VI. ex Minutio.

**I**S, cuius familia uicinum prohibebat aquam ducere, sui potestatem non faciebat, ut secum agi posset. quærit actor, quid sibi faciendum esset? Respondi, oportere prætorem causa cognita iubere bona aduersarij possideri: & nō ante inde discedere, quàm is actori ius aquæ ducendæ restituisset, & si quid, qui aquam ducere prohibitus esset, siccitatibus detrimenti cepisset: ueluti si prata arboresue exaruisent.

Martianus

## XIX. MARTIANVS lib. III. regularum.

**S**I de communi seruitute quis bene quidem deberi intendit, sed aliquo modo litē perdidit culpa sua: non est æquū hæc cæteris damno esse. Sed si per collusionem cessit litem aduersario: cæteris dandā esse actionem de dolo Celsus scribit, idēq; ait Sabino placuisse.

## XX. SCAEVOLA lib. IIII. digestorum.

**T**estatrix fundo, quem legauerat, casus iunctas habuit. quæsitū est, si hæc fundo legato nō cederent: cumq; legatarius uindicasset, an ille fundus aliquā seruitutem casis deberet: aut si ex fideicommissi caussa sibi dari legatarius desideraret, hæredes seruitutem aliquam casis excipere deberent: Respondi, debere. Plures ex municipibus, qui diuersa prædia possidebant, saltum cōmunem, ut ius compascendi haberēt, mercati sunt: idēq; etiā à successorib; eorū est obseruatū. sed nōnulli ex his, qui hoc ius habebant, prædia illa sua ppria uenundederunt. Quæro, an in uenditione etiam ius illud secutum sit prædia: cum eius uoluntatis uenditores fuerint, ut hoc alienarent? Respondi, id obseruandum, quod actū inter contrahentes esset: sed si uoluntas contrahentiū manifesta non sit, & hoc ius ad emptores transire. Itē quæro, an cū pars illorū priorū fundorum legato ad aliquem transmissa sit, aliquid secum compascui iuris traxerit: Respondi, \*cum id quoq; ius fundi, qui legatus esset, uideretur: id quoq; cessurum legatario.

## XXI. LABEO lib. I. πρὸς τὸν Πάυλον à Paulo epitomatorum.

**S**I qua aqua nondum apparet, eius iter cōstitui non potest. PAVLVVS. Simò puto idcirco id falsum esse, quia cedi potest: ut aquam quæret, sed & inuentam ducere liceat.

ails \* id  
quod eius  
fundi, qui  
legatus esset, uideretur, cessurū legatario.

## QVEMADMODVM SERVITVTES AMITTANTUR. Tit. VI.

## CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**S**eruitutes prædiorum cōfunduntur, si idem utriusq; prædij dominus esse cœperit.

## II. PAVLVVS lib. XXI. ad edictum.

**Q**ui iter & actum habet, si statuto tempore tantū ierit: non perijisset actum, sed manere Sabinus, Cassius, & Octauenus aiunt. nam ire quoq; per se eum posse, qui actum haberet.

## III. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**I**ra prædiorū morte & capitis deminutione nō perire uulgo traditum est.

## IIII. PAVLVVS lib. XXVII. ad edictum.

**I**ter sepulchro debitum non utendo non amittitur.

Idem

V. IDEM lib. XXI. ad edictum.

**S**eruitus & per socium, & fructuarium, & bonæ fidei possessorem  
nobis retinetur.

VI. CELSVS lib. V. digestorum.

**N**am satis est fundi nomine itum esse.

Si ego uia, quæ no-

bis per uicini fundū debebatur, usus fuero, tu autē constituto tē-  
pore cessaueris: an ius tuum amiseris? & e contrario, si uicinus, cui  
uia per nostrum fundum debebatur, per meam partem ierit egerit, tu-  
am partem ingressus non fuerit: an partem tuam liberauerit? respondi.  
si diuisus est fundus inter socios regionibus (quod ad seruitutem atti-  
net, quæ ei fundo debebatur) perinde est, atq; si ab initio duobus fundis  
debita sit: & sibi quisq; dominorum usurpat seruitutem, sibi non uten-  
do deperdit, nec amplius in ea re causæ eorum miscentur. Nec fit in iu-  
ria ei, cuius fundus seruit, \* qui fit eo melior: quoniam alter domini-  
um utendo, sibi, non toti fundo proficit. Sed si is fundus, qui seruiert,  
ita diuisus est: plusculum dubitationis ea res habet. nam si certus ac fini-  
tus uia locus est: tunc si per longitudinem eius fundus diuisus est, ea-  
dem omnia seruanda erunt, quæ si initio constituendæ eius seruitutis  
similiter hi duo fundi fuissent. Si uero per latitudinem uia fundus diui-  
sus est (nec multum refert, æqualiter id factum sit, an inæqualiter) tūc  
manet idem ius seruitutis, quod fundo indiuiso fuerat: nec aut usu deri-  
neri, aut non utendo deperire, nisi tota uia, poterit. Nec si forte incide-  
rit, ut semita, quæ per alterum duntaxat fundum erat, uteretur: idcir-  
co alter fundus liberabitur. quoniam unū, atq; eo modo indiuiduum  
ius uia est. Possunt tamen alterutrum fundum liberare, si modo hoc  
specialiter cōuenit. Certe si is, cui seruitus debebatur, alterū ex ea diui-  
sione fundum redemerit: non ideo minus ea re fundi alterius seruitus  
permanebit. nec uideo, quid absurdi consecuturum sit eam sententi-  
am, fundo altero manente seruo: si modo & ab initio potuit angustior  
constitui uia, quàm lege finita est: & adhuc id loci superest in eo fundo,  
cui remissa seruitus non est, ut sufficiat uia. Quod si minus loci super-  
est, quàm uia sufficiat: uterq; fundus liberabitur: alter propter redem-  
ptionem, alter quia per eum locum, qui superest, uia constitui non po-  
test. Cæterum si ita constitutum est ius uia, ut per quamlibet par-  
tem fundi ire agere liceat, liceatq; uel subinde mutare: \* aut si ita diui-  
sus est fundus, ut per quamlibet eius partem æque iri atq; agi possit:  
tunc perinde obseruabimus, atq; si ab initio duobus fundis duæ seruitu-  
tes iniunctæ fuissent: ut altera retineri, altera non utendo possit deperi-  
re. Nec me fallit \* alieno facto ius alterius immutatum iri: quoniam  
ante fatius fuerat per alteram partem fundi ire agere, ut idem ius ei in  
alteram

aliās \* imò  
loco melio-  
re est. als.  
in hoc quo  
q; melior.

aliās \* nihil  
prohibet,  
atq; aliās,  
at si.  
als \* alio.

alteram partem fundi retineretur. Cōtra. illud commodum accessisse ei, cui uia debebatur: quod per duas pariter uias ire agere possit, \*pedes alias \*bis octonos in porrectum, senosq; denos in amfractum. c̄b.

## VII. PAVLVS lib. XII. ad Plautium.

**S**I sic constituta sit aqua, ut uel æstate tantum ducatur, uel uno mense: quæritur quemadmodum non utendo amittatur: quia non est continuum tempus, quo cum uti non potest, nõ sit usus. Itaq; & si alternis annis uel mensibus quis habeat aquam: duplicato cōstituto tempore amittitur. idem & de itinere custoditur. Si uero alternis diebus, aut die toto, aut nocte tantum: statuto legibus tempore amittitur, quia una seruitus est. Nam & si alternis horis, uel una hora quotidie seruitutem habeat: Seruius scribit, perdere eum non utendo seruitutem: quia id quod habet, quotidianum sit.

## VIII. IDEM lib. XV. ad Plautium

**S**I stillicidij immittendi ius habeam in aream tuam, & permifero ius tibi in ea area ædificandi: stillicidij immittendi ius amitto. Et similiter si per tuum fundum uia mihi debeatur, & permifero tibi in eo loco, per quem mihi uia debetur, aliquid facere: amitto ius uia. Is qui per partem itineris it, totum ius usurpare uidetur.

## IX. IABOLENVS lib. III. ex Plautio.

**S**I in partem aquagij aqua influxit: etiam si non ad ultima loca peruenit, omnibus tamen partibus usurpatur.

## X. PAVLVS lib. XV. ad Plautium.

**S**I communem fundum ego & pupillus haberemus: licet uterq; nõn uteretur, tamen propter pupillum & ego uiam retineo. Si is, qui nocturnam aquam habet, interdium per constitutum ad amissionem tempus usus fuerit: amisit nocturnam seruitutem, qua usus nõ est. Idem est in eo, qui certis horis aquæ ductum habens, alijs usus fuit, nec ulla parte earum horarum.

## XI. MARCELLVS lib. III. digestorum.

**S**I, cui uia uel actus debebatur, ut uehiculi certo genere uteretur, alio genere fuerit usus: uideamus, ne amiserit seruitutem, & alia sit eius conditio, qui amplius oneris, quàm licuit, uexerit: magisq; hic plus, q̄ aliud egisse uideatur: sicuti si latiore itinere usus sit, aut si plura iumenta egerit, quàm licuit, aut aquæ admiscuerit aliam. Ideoq; in omnibus istis quæstionibus seruitus quidem non amittitur: non autem conceditur plus, quàm pactum est, in seruitute habere. Hæres cum legatus esset fundus sub conditione, imposuit ei seruitutes. an exstinguantur, si legati conditio existat, uideamus: an acquisitæ sequantur legatarium. & magis dicendum est, ut sequantur.

XII. CELSVS lib. XXIII. *digestorum.*

**Q**ui fundum alienum bona fide emit, si itinere, quod ei fundo debetur, usus est: retinet id ius itineris. idemque et si precario, aut in deiecto domino, possidet. fundus enim qualiter qualiter se habet, cum in suo habitu possessus est, ius non deperit. neque refert iuste, \*nec ne possideat, qui talem eum possidet. Quare fortius, & si aqua per riuum sua sponte perfluxit, ius aquae ducendae retinetur. quod & Sabino recte placet, ut apud Neratium libro quarto membranarum scriptum est.

*aliás \*nec  
ne ire pos-  
sit, qui.*

XIII. MARCELLVS lib. XVII. *digestorum.*

**S**i quis ex fundo, cui uiam uicinus deberet, uendidisset locum proximum seruitenti fundo, non imposita seruitute: & intra legitimum tempus, quo seruitutes pereunt, rursus eum locum adquisisset: habiturus est seruitutem, quam uicinus debuisset.

XIII. IABOLENVS lib. X. *ex Cassio.*

**S**i locus, per quem uia, aut iter, aut actus debebatur, impetu fluminis occupatus esset: & intra tempus, quod ad amittendam seruitutem sufficit, alluione facta restitutus est: seruitus quoque in pristinum statum restituitur. Quod si id tempus praeterierit, ut seruitus amittatur: renouare eam cogendus est. Cum uia publica fluminis impetu uel ruina amissa est, uicinus proximus uiam praestare debet.

XV. IDEM lib. II. *ἐπιτολῶν.*

**S**i cum seruitus mihi per plures fundos deberetur, medium fundum adquisiui, manere seruitutem puto: quia toties confunditur seruitus, quoties uti ea is, ad quem pertinet, non potest. medio autem fundo adquisito potest consistere, ut per primum & ultimum iter debeatur.

XVI. PROCVLVS lib. I. *ἐπιτολῶν.*

**A**quam, quae oriebatur in fundo uicini, plures per eundem riuum iure ducere soliti sunt, ita ut suo quisque die à capite duceret: primo per eundem riuum, eumque communem: deinde ut quisque inferior erat, suo quisque proprio riuo. unus statuto tempore, quo seruitus amittitur, non duxit. existimo eum ius ducendae aquae amisisse, nec per ceteros, qui duxerunt, eius ius usurpatum esse. proprium enim cuiusque eorum ius fuit, nec per alium usurpari potuit. Quod si plurius fundo iter aquae debitum esset: per unum eorum omnibus ijs, inter quos is fundus communis fuisset, usurpari potuisset. Item si quis eorum, quibus aquae ductus seruitus debebatur, & per eundem riuum aquam ducebant, ius aquae ducendae non ducendo eam amiserit: nihil iuris eo nomine ceteris, qui riuo utebantur, adcreuit: idque commodum eius est, per cuius fundum id iter aquae non utendo pro parte unius amissum est. libertate enim huius partis seruitutis fruitur.

Pompo

XVII. POMPONIVS lib. XI. ex uarijs lectionibus.

**L**Abeo ait: si is, qui haustum habet, per tempus, quo seruitus amittitur, non ierit ad fontē, nec aquam hauserit: iter quoq; eū amisisse.

XVIII. PAVLVS lib. XV. ad Sabinum.

**S**I quis alia aqua usus fuerit, quàm de qua in seruitute imponenda factum est: seruitus amittitur. Tempus, quo non est usus præcedēs fundi dominus, cui seruitus debebatur: imputatur ei, qui eius loco successit. Si cum ius haberes immittendi, uicinus statuto tempore ædificatum non habuerit, ideoq; nec tu immittere potueris: non ideo magis seruitutem amittes: quia non potest uideri usucepisse uicinus tuus libertatem ædium suarum, qui ius tuum non interpellauit.

XIX. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**S**I partem fundi uendendo lege cauerim, ut per eam partem in reliquum fundum meum aquam ducerem: & statutum tempus intercesserit, antequàm riuum facerem: nihil iuris amitto (quia nullum iter aquæ fuit) sed manet mihi ius integrum: quod si fecissem iter, nec usus essem, amittam. Si per fundum meum uiam tibi legauero, & ad ita mea hereditate per constitutum tempus ad amittendam seruitutem, ignoraueris eam tibi legatam esse: amittes illam non utendo. quod si intra tempus, \* quàm nescires tibi legatam seruitutē, fundū tuum uen- al's \* ante dideris: ad emptorem uia pertinebit, si reliquo tempore ea usus fuerit: q̄p scires. scilicet quia tua esse cœperat, ut iam nec ius repudiādi legatū tibi possit contingere, cum ad te fundus non pertineat.

XX. SCAEVOLA lib. I. regularum.

**V**Su retinetur seruitus, cum ipse, cui debetur, utitur, quiñe in possessione eius est: aut mercenarius, aut hospes, aut amicus, uel medicus, qui ad uisitandum dominum uenit, uel colonus, uel fructuaris,

XXI. PAVLVS lib. V. sententiarum.

**L**icet suo nomine,

XXII. SCAEVOLA lib. I. regularum.

**D**Eniq; quicumq; quasi debita uia usus fuerit.

XXIII. PAVLVS lib. V. sententiarum.

**S**ue ad fundum nostrum facit, uel ex fundo.

XXIII. SCAEVOLA lib. I. regularum.

**L**icet malæ fidei possessor sit, retinebitur seruitus.

XXV. PAVLVS lib. V. sententiarum.

**S**eruitute usus non uidetur, nisi is, qui suo iure uti se credidit. ideoq; si quis pro uia publica, uel pro alterius seruitute usus sit: nec interdictum, nec actio utilis competit.

# DIGESTORVM

SEV PANDECTARVM LIBER NONVS.

## SI QVADRVES PAUPERIEM FECISSE dicetur. Tit. I.

VLPIANVS lib. XVIII. ad edictum.



**S**I QVADRVES PAUPERIEM FECISSE DICETVR<sup>1</sup> actio ex duodecim tabulis descendit. Quæ lex uoluit, aut dari quod nocuit, id est, id animal, quod noxiam commisit: aut æstimationem noxiæ offerre. noxia enim est ipsum delictum. quæ actio ad omnes quadrupedes pertinet. Ait autem, PAUPERIEM FECISSE. Pauperies est damnū sine iniuria facientis datū. nec enim potest dici animal iniuriam fecisse, quod sensu caret. Itaq; (ut Seruius scribit) tunc hæc actio locum habet, cum commota feritate nocuit quadrupes: puta si equus calcitrosus calce percusserit, aut bos cornu petere solitus petierit, aut mulæ propter nimiam ferocitatem. Quod si propter loci iniquitatem, aut propter culpam mulionis, aut si plus iusto onerata quadrupes in aliquem onus euerterit: hæc actio cessabit, damniq; iniuriæ agetur. Sed & si canis, cum duceretur ab aliquo, asperitate sua euaserit, & alicui damnum dederit: si contineri firmiter ab alio poruit, uel per eum locum induci non debuit: hæc actio cessabit, & tenebitur, qui canem tenebat. Sed & si instigatu alterius fera damnum dedit, cessabit hæc actio. Et generaliter locum habet hæc actio, quoties contra naturam fera mota pauperiæ dedit. Ideoq; si equus dolore concitatus, calce petierit: cessare istam actionem. sed eum, qui equum percusserit aut uulnerauerit, in factum magis, q̄ lege Aquilia teneri: utiq; ideo, quia non ipse suo corpore damnum dederit. At si cum equum permulserit quis, uel palpatus est, calce eū percusserit: erit actioni locus. Et si alia quadrupes aliam concitauit, ut damnum daret: eius, quæ concitauit, nomine agendum erit. Siue autem corpore suo pauperiem quadrupes dedit, siue per aliam rem, quam tetigit quadrupes: hæc actio locum habebit: ut puta si plostro bos obtriuuit aliquem, uel alia re deiecta. In bestijs autem propter naturalem feritatem, hæc actio locum non habet. & ideo si ursus fugit, & sic nocuit, non potest quondam dominus conueniri: quia desinit dominus esse, ubi fera euasit. & ideo etsi eum ut sum occidero, meum corpus est. Cum arietes uel boues commississent,

fissent, & alter alterum occidisset: Quintus Mutius diffinixit, ut siquidem is perisset, qui aggressus erat: cessaret actio. si is, qui non prouocauerat: competeret actio. quamobrem eum ibi aut noxiam sarcire, aut noxam dedere oportere. Et cum etiam in quadrupedibus noxa caput sequitur: aduersus dominum hæc actio datur, non cuius fuerit quadrupes, cum noceret, sed cuius nunc est. Planè si ante litè contestatam decesserit animal, extincta erit actio. noxæ autem dedere, est animal tradere uiuum demum. Si commune plurium sit animal: aduersus singulos erit insolidum noxalis actio, sicut est in homine. Interdum autem dominus in hoc non conuenitur, ut noxæ dedat, sed etiam insolidum: ut puta si in iure interrogatus, an sua quadrupes esset, responderet non esse suam. nam si confiteretur eius esse: insolidum condemnabitur. Si post litem contestatam ab alio sit animal occisum: quia domino legis Aquiliæ actio competit, ratio in iudicio habebitur, quod noxæ dedendæ facultatem dominus amiserit. ergo ex iudicio proposito litis æstimationem offeret: nisi paratus fuerit actionem mandare aduersus eum, qui occidit. Hanc actionem nemo dubitauerit hæredi dari, cæterisque successoribus. item aduersus hæredes cæterosque successores nõ iure successionis, sed eo iure, quo domini sint, competit.

## II. PAVLVS lib. XXII. ad edictum.

**H**æc actio non solum domino, sed etiam ei, cuius interest, competit: ueluti ei, cui res commodata est. item fulloni, qui eo, quod tenetur, damnum uidetur pati. Si quis aliquem euitans (magistratū forte) in tabernam proximam se immisisset, ibique à cane feroce læsus esset: nõ posse agi canis nomine, quidam putant. at si solutus fuisset: contra.

## III. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**E**x hac lege iam non dubitatur, etiam liberarum personarum nomine agi posse: forte si patrem familias, aut filium familias uulnerauerit quadrupes: scilicet ut non deformitatis ratio habeatur (cum liberum corpus æstimationem non recipiat) sed impensarum in curatione factarum, & operarum amissarum, quasque amissurus quis esset, inutilis factus.

## IIII. PAVLVS lib. XXII. ad edictum.

**H**æc actio utilis competit, & si non quadrupes, sed aliud animal pauperiem fecit.

## V. ALFENVVS lib. II. digestorum.

**A**gaso cum in tabernam equum deduceret, mulam equus olfecit. mula calcem reiecit, & crus Agasoni fregit. consulebatur, posset ne cum domino mulæ agi, quod ea pauperiem fecisset: respondi, posse.

VLPIANVS lib. XVIII. ad edictum.



Ex Aquilia omnibus legibus, quæ ante se de damno iniuria locutæ sunt, derogauit: siue duodecim tabularum, siue aliæ quæ fuerunt: quas nunc referre non est necesse. Certe lex Aquilia plebiscitum est: cum eam Aquilius tribunus plebis à plebe rogauerit.

II. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**L**Ege Aquilia capite primo cauetur. QVI SERVVM SERVAMVE ALIENVM ALIENAMVE, QVADRVPEDEM, VEL PECVDEM INIVRIA OCCIDERIT: QVANTI ID IN EO ANNO PLVRIMI FVIT, TANTVM AES DARE DOMINO DAMNAS ESTO. Et infra deinde cauetur, ut aduersus inficiantem in duplum actio sit. Vt igitur apparet, seruis exæquat quadrupes, quæ pecudum numero sunt, & gregatim habentur: ueluti oues, capræ, boues, equi, muli, asini. Sed an fues pecudum appellatione continentur, quaeritur. & recte Labeoni placet contineri. Sed canis inter pecudes non est. longe magis bestia in eo numero non sunt: ueluti ursi, leones, pantheræ. Elephanti autem & cameli, quoniam misti sunt (nam & iumentorum operam præstant, & natura eorum fera est) ideo primo capite contineri eos oportet.

III. VLPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

**S**I seruus seruauit iniuria occisus occisauit fuerit: lex Aquilia locum shabet. INIVRIA merito adijcitur. non enim sufficit occisum, sed oportet iniuria id esse factum.

IIII. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**I**Taq; si fenum tuum latronem insidiantem mihi occidero, securus ero. nam aduersus periculum naturalis ratio permittit se defendere. Lex duodecim tabularum furem\* noctu depræhensum occidere permittit: ut tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdum autem depræhensum ita permittit occidere, si in se telo defendat: ut tamen æque cum clamore testificetur.

aliàs\* nocturnum occid.

V. VLPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

**S**ED & si quemcunq; alium ferro se petentem quis occiderit: non uidebitur iniuria occidisse. & si metu quis mortis furem occiderit: non dubitabitur, quin lege Aquilia non teneatur. Sin autem cum posset adprehendere, maluit occidere: magis est, ut iniuria fecisse uideatur. ergo & Cornelia tenebitur. Iniuriam autem hic accipere nos oportet, non quemadmodum circa iniuriarum actionem, contumeliam quandam: sed quod non iure factum est, hoc est, si contra ius, & culpa quis occiderit. Et ideo interdum concurrat actio legis Aquiliæ & iniuriarum: sed

duæ

duæ erunt æstimationes, alia damni, alia contumeliæ. Igitur iniuriam hic accipiemus, damnum culpa datum etiam ab eo, qui nocere noluit.

Et ideo quærimus, si furiosus damnû dederit, an legis Aquiliæ actio sit? Et Pegasus negauit. quæ enim in eo culpa sit, qui suæ mentis non est? & hoc uerissimum est. cessabit igitur Aquilia actio: quemadmodû si quadrupes damnû dederit, aut tegula \* ceciderit. Sed & si infans <sup>\*aliàs, oc</sup> damnum dederit: idem erit dicendum. Quod si impubes id fecerit: La- <sup>ciderit.</sup> beo ait, quia furti tenetur, teneri & Aquilia eû. & hoc puto uerum, si fit iam iniuriæ capax. Si magister in disciplina uulnerauerit seruum, uel occiderit: an Aquilia teneatur, quasi damnû iniuria dederit? & Iulianus scribit: Aquilia teneri eum, qui eluscauit discipulum in disciplina, multo magis igitur in occiso idem erit dicendum. Proponitur autem apud eum species talis. tutor (inquit) puero discenti ingenuo filiofamilias, parum bene facienti, quod demonstratû erat: forma calcei ceruicæ ita percussit, ut oculus puero perfunderet. Dicit igitur Iulianus, iniuriarum quidem actionem non competere: quia non faciendæ iniuriæ causa percusserit, sed monendi & docendi causa. an ex locato, dubitat: quia leuis duntaxat castigatio concessa est docenti. sed lege Aquilia posse agi, non dubito.

**P** VI. PAVLVVS lib. XXII. ad edictum.

Receptoris enim nimia sæuicia culpæ adsignatur.

VII. VLPPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

**Q**ua actione patrem cōsecuturum ait, quo minus ex opera filij sui propter uiciatum oculû sit habiturus, & impendia, quæ pro eius curatione fecerit. Occisum autem accipere debemus: siue gladio, siue etiam fuste, uel alio telo, uel manibus (si forte strangulauit eum, uel calce petijt) uel capite, uel qualiter qualiter. Sed & si quis plus iusto oneratus, deiecerit onus, & seruum occiderit: Aquilia locum habet. fuit enim in ipsius arbitrio, ita se non onerare. Nam etsi lapsus aliquis seruum alienum onere presserit: Pegasus ait, lege Aquilia eum teneri: ita demum, si uel plus iusto se onerauerit, uel negligentius per lubricum transierit. Proinde si quis alterius impulsu damnum dederit: Proculus scribit, neq; eum, qui impulit teneri (quia non occidit) neq; eum, qui impulsus est, quia damnum non iniuria dedit, secundû quod in factum actio erit danda in eum, qui impulit. Si in conluctatione, uel in pancratio, uel pugiles, dum inter se exercentur, alius alium occiderit: siquidem in publico certamine, cessat Aquilia: quia gloriæ causa & uirtutis, non iniuriæ gratia uidetur damnum datum. Hoc autem in seruo non procedit, quoniam ingenui solent concertare: in filiofamilias uulnerato procedit. Planè si cedentē uulnerauerit: exit Aquiliæ locus,

cus, ut si in certamine seruum occiderit: nisi domino committente hoc factum sit. tunc enim Aquilia cessat. Sed & si quis seruum aegrotum leuiter percusserit, & is obierit: recte Labeo dicit, lege Aquilia eum teneri: quia aliud alij mortiferum esse soleat. Celsus autem: multum interesse, occiderit, an mortis causam praestiterit: ut qui mortis causam praestitit, non Aquilia, sed in factum actione teneatur. Vnde adserit eum, qui uenenum pro medicamento dedit, causam mortis praestitisse, quae admodum & qui furenti gladium porrexerit. nam neque hunc lege Aquilia teneri, sed in factum. Sed si quis de ponte aliquem praecipitauit, Celsus ait (siue ipso ictu perierit, aut continuo submersus est, aut lassatus in fluminis uictus perierit) lege Aquilia teneri, quae admodum si quis puerum saxo illisisset. Proculus ait: si medicus seruum imperite secuit, uel ex locato, uel ex lege Aquilia actionem competere.

## VIII. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

Idem iuris est, si medicamento perperam usus fuerit. Sed & qui bene secuit, & dereliquit curationem: securus non erit, sed culpa reus intelligitur. Mulionem quoque, si per imperitiam impetum mularum retinere non potuerit, & eam alienum hominem obtriuerint: uulgo dicitur, culpa nomine teneri. Idem dicitur, & si propter infirmitatem sustinere mularum impetum non potuerit. nec uideatur iniquum, si infirmitas culpa adnumeretur: cum affectare quis non debeat, in quo uel intelligit, uel intelligere debet, infirmitatem suam alij periculosam futuram. Idem iuris est in persona eius, qui impetum equi, quo uehebatur, propter imperitiam uel infirmitatem retinere non potuerit.

## IX. VLPPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

Item si obstetrix medicamentum dederit, & inde mulier perierit, Labeo distinguit, ut si quidem suis manibus supposuit, uideatur occidisse: si uero dedit, ut illi mulier offerret, in factum actionem dandam, quae sententia uera est. magis enim causam mortis praestitit, quam occidit. Si quis per uim, uel per suadum alicui medicamentum infudit, uel ore, uel clystere: uel si eum unxit malo ueneno: lege Aquilia, quae admodum obstetrix supponens, tenetur. Si quis hominem fame necauerit: in factum actione teneri, Neratius ait. Si seruum meum equitatem, concitato equo, effeceris in flumen praecipitari, atque ideo homo perierit: in factum esse dandam actionem, Osius scribit: quem admodum si seruus meus ab alio in insidias deductus, ab alio occisus esset.

Sed & si a iaculantibus per lusum seruus fuerit occisus, Aquilia locutus est. Sed si cum alij in campo iacularentur, seruus per eum locum transierit, Aquilia cessat: quia non debuit per campum iaculatorium iter intepesitum facere, qui tamen data opera in eum iaculatus est, utique Aquilia tenebitur.

Paulus

X PAVLVS lib. XXII. ad edictum.

**N**am iustus quoque noxius in culpa est.

XI. VLPPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

**I**tem Mela scribit: si cum pila quidam luderet, uehementius quis pila percussa, in tonsoris manus eandem deiecerit: & sic serui, quem tonsor radebat, gula sit praecisa, abiecto cultello: in quocumque eorum culpa sit, eum lege Aquilia teneri. Proculus ait, in tonsore esse culpam. Et sane si tibi tondebat, ubi ex consuetudine ludebatur, uel ubi transitus frequens erat: est quod ei imputetur. Quamuis nec illud male dicatur: si in loco periculoso sella habenti tonsori se quis commiserit, ipsum de se queri debere. Si alius tenuit, alius interemit: is qui tenuit, quasi mortis causam praebuit, in factum actione tenetur. Sed si plures seruum percusserint: utrum omnes, quasi occiderint, teneantur, uideamus. Et si quidem apparet, cuius ictu perierit: ille, quasi occiderit, tenetur. quod si non apparet: omnes, quasi occiderint, teneri Iulianus ait. Et si cum uno agatur, caeteri non liberantur: nam ex lege Aquilia quod alius praestitit, alium non liberat, cum sit poena. Celsus scribit, si alius mortifero uulnere percusserit, alius postea exanimauerit: priorem quidem non teneri, quasi occiderit, sed quasi uulnerauerit (quia ex alio uulnere periit) sed posteriori teneri, quasi occiderit. quod & Marcello uidetur, & est probabilis. Si plures trabem deiecerint, & hominem oppresserint: aequae ueteribus placet, omnes lege Aquilia teneri. Item cum eo, qui canem irritauerat, & effecerat, ut aliquem morderet: quamuis eum non tenuit, Proculus respondit, Aquiliae actionem esse. Sed Iulianus eum deum Aquiliae teneri, qui tenuit & effecit, ut aliquem morderet: caeterum si non tenuit, in factum agendum. Legis autem Aquiliae actio hero competit, hoc est domino. Si in eo homine, quem tibi redhibiturus essem, datum iniuria datum esset: Iulianus ait, legis Aquiliae actionem mihi competere, meque cum coepero redhibere, tibi quidquid fuero consecutus, restituendum. Sed & si seruus bona fide alicui seruiat: an ei competat Aquiliae actio: & magis in factum erit danda. Eum, cui uestimenta commoda sunt, non posse, si scissa fuerint, lege Aquilia agere, Iulianus ait: sed domino eam competere. An fructuarius, uel usufructuarius legis Aquiliae actionem haberet, Iulianus tractabat. & ego puto melius, utile iudicium ex hac causa dandum.

XII. PAVLVS lib. X. ad Sabinum.

**S**ed & si proprietatis dominus uulnerauerit seruum uel occiderit, in quo ususfructus meus est: danda est mihi ad exemplum legis Aquiliae actio in eum pro proportione ususfructus: ut etiam ea pars anni in estimationem ueniat, qua nondum ususfructus meus fuit.

xx Vlpianus

\* Hæc ali-  
as desunt.

\* Hæc in  
omnibus fe-  
re desunt.

XIII. VLP IANVS lib. XVIII. ad edictum.

**L**iber homo suo nomine utilem Aquiliæ habet actionem. directam enim non habet, quoniam dominus membrorum suorum nō uidetur. Fugitiui autem nomine dominus habet. Iulianus scribit, si homo liber bona fide mihi seruiat: ipsum lege Aquilia mihi teneri. Si seruus hæreditarius occidatur: quæritur quis Aquilia agat, cum dominus nullus sit huius serui? Et ait Celsus, legem domino damna salua esse uoluisse. dominus ergo hæreditas habebitur. quare adita hæreditate hæres poterit experiri. Si seruus legatus post aditam hæreditatem sit occisus: cōpetere legis Aquiliæ actionem legatario, si modo post mortem serui agnouit legatum. quod si repudiauit: consequens esse ait Iulianus dicere, hæredi competere.

XIII. PAVLVS lib. XXII. ad edictum

**Q**uod si ipse hæres eum occiderit: dicendum est, dandam in eum legatario actionem.

XV. VLP IANVS lib. XVIII. ad edictum.

**H**ic scripturæ consequens est dicere, ut si ante aditam hæreditatem occidatur legatus seruus, apud hæredem remaneat Aquiliæ actio per hæreditatem adquisita. Quod si uulneratus sit ante aditam hæreditatem: in hæreditate quidem actio remansit, sed cedere eam legatario hæredem oportet. Si seruus uulneratus mortifere, postea ruina, uel naufragio, uel alio ictu maturius perijt: nō quæritur de occiso agi posse, sed quæritur si de uulnerato. sed si manumissus, uel alienatus ex uulnere perijt: de occiso agi posse, & Iulianus ait. Hæc ita tam uarie: quia uerum est eum à te occisum, tunc cum uulnerabas, quod mortuo eo demum apparuit: at in superiore non est passa ruina apparere, an sit occisus. Sed si uulneratum mortifere liberum & hæredem esse iusserit, deinde decesserit: hæredem eius agere Aquilia non posse.

XVI. MARTIANVS lib. III. regularum.

**Q**uia in eum casum res peruenit, à quo incipere non potest.

XVII. VLP IANVS lib. XVIII. ad edictum.

**S**i dominus seruum suum occiderit: bonæ fidei possessori, uel ei qui pignori accepit, in factum actione tenebitur. \*Si coniunctim duobus legetur Stichus, & alter eorum occisum repudiauerit: puto coniunctum solū posse Aquilia agere: quia retro adcreuisse dominium ei uidetur.

XVIII. PAVLVS lib. X. ad Sabinum.

**S**ed & si is, qui pignori seruum accepit, occiderit eum, uel uulnerauerit: lege Aquilia & pignoraticia conueniri potest, sed alterutra contentus esse debet actor.

XIX. VLP IANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

Sed

\* hoc de pignori in pignori dect. Fl. nō habetur.

**S**ed etsi communem seruum occiderit quis, Aquilia teneri eum Celsus ait. Idem est & si uulnerauerit.

XX. IDEM lib. XVIII. ad edictum.

**S**cilicet pro ea parte, pro qua dominus est, qui agit.

XXI. IDEM lib. XVIII. ad edictum.

**A**It lex, QUANTI IN EO ANNO PLVRIMI FVIT. Quæ clausula æstimationem habet damni, quod datum est. Annus autem retrorsum computatur, ex quo quis occisus est. Quod si mortifere fuerit uulneratus, & postea post longum interuallum mortuus sit: inde annum numerabimus secundum Iulianum, ex quo uulneratus est: licet Celsus contra scribat. Sed utrum corpus eius solum æstimamus, quanti fuerit, cum occideretur: an potius quanti interfuit nostra, non esse occisum? & hoc iure utimur, ut eius quod interest fiat æstimatio.

XXII. PAVLVVS lib. XXII. ad edictum.

**P**roinde si seruum occidisti, quem sub poena tradendum promissit: utilitas uenit in hoc iudicium. Item causæ corpori coherentes æstimantur: ueluti si quis ex comædis, aut symphoniacis, aut gemellis, aut quadriga, aut pari mularum unum uel unam occiderit. non solum enim perempti corporis æstimatio facienda est: sed & eius ratio haberi debet, quo cætera corpora deprecia sunt.

XXIII. VLP IANVS lib. XVIII. ad edictum.

**V**nde Neratius scribit, si seruus hæres institutus occisus sit, etiam hæreditatis æstimationem uenire. Iulianus ait. si seruus liber & hæres esse iussus, occisus fuerit: neque substitutum, neque legitimum actione legis Aquiliæ hæreditatis æstimationem consecuturum, quæ seruo competere non potuit. quæ sententia uera est. precij igitur solummodo fieri æstimationem: quia hoc interesse solummodo substituti uideatur. Ego autem puto nec precij fieri æstimationem: quia si hæres esset, & liber esset. Idem Iulianus scribit: si institutus fuero sub conditione SI MANVM ISERO STICHVM, & Stichus sit occisus post mortem testatoris: in æstimationem hæreditatis precium etiam me consecuturum. propter occisionem enim defecit conditio. Quod si uiuo testatore occisus sit, hæreditatis æstimationem cessare: quia retrorsum, quanti plurimi fuit, inspicitur. Idem Iulianus scribit: æstimationem hominis occisi ad id tempus referri, quo plurimi in eo anno fuit. Et ideo si precioso pictori pollex fuerit precisus, & intra annum, quo precideretur, fuerit occisus: posse Aquilia agi, eoque precio æstimandum, quanti fuit prius, quam artem cum pollice amisisset. Sed & si seruus, qui magnas fraudes in meis rationibus commiserat, fuerit occisus: de quo quæstionem habere destinaueram, ut fraudum particeps erueretur: restitui

me Labeo scribit, tanti æstimandum, quanti mea intererat, fraudes serui per eum commissas detegi: non quanti noxa ipsius serui ualeat. Sed etsi bonæ frugi seruus intra annum mutatis moribus occisus sit: præciū id æstimabitur, quanto ualeret prius, quæ mores mutaret. In summa. omnia commoda, quæ intra annum, quo interfectus est, preciosio rem seruum facerent: hæc accedere ad æstimationem eius, dicendum est. Si infans sit occisus nondum anniculus: uerius est, sufficere hanc actionem, ut æstimatio referatur ad id tempus, quod intra annū uixit.

Hanc actionem & hæredi cæterisque successoribus dari constat: sed in hæredem uel cæteros hæc actio nō dabitur, cum sit pœnalis: nisi forte ex damno locupletior hæres factus sit. Si dolo seruus occisus sit, & lege Cornelia agere dominum posse constat, & si lege Aquilia egerit, præiudicium nō debere fieri Corneliæ. Hæc actio aduersus confidentem competit in simplum, aduersus negantem in duplum. Si quis hominem uiuum falsò confiteatur occidisse, & postea paratus sit ostendere hominē uiuum esse: Iulianus scribit cessare Aquiliã, quamuis confessus sit se occidisse. hoc enim solum remittere actori confessoriã actionē, ne necesse habeat docere eum occidisse. cæterum occisum esse hominem à quocunq; oportet.

XXIII. PAVLVVS lib. XXII. ad edictum.

**H**oc apertius est circa uulneratum hominem. nam si confessus sit uulnerasse, nec sit uulneratus: æstimationem cuius uulneris faciemus, uel ad quod tempus recurremus?

XXV. VLPPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

**P**roinde si occisus quidem non sit, mortuus autem sit: magis est, ut nō teneatur de mortuo, licet factus sit. Si procurator, aut tutor, aut curator, aut quiuis alius confiteatur absentem uulnerasse: confessoria in eos utilis actio danda est. Notandum: quod in hac actione, quæ aduersus confidentem datur, iudex non rei iudicandæ, sed æstimandæ datur. nam nullæ partes iudicantis in confidentes sunt.

XXVI. PAVLVVS lib. XXII. ad edictum.

**P**uta enim, quod qui conuenitur, fateatur se occidisse: & paratus sit æstimationem soluere, & aduersarius magni litem æstimet.

XXVII. VLPPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

**S**i seruus seruum alienū subriperit, & occiderit: Iulianus & Celsus scribunt, & furti, & damni iniuriæ actionem cōpetere. Si seruus communis, id est, meus & tuus, seruum meum occiderit: legi Aquiliæ locus est aduersus te, si tua uoluntate fecit: & ita Proculum existimasse Urseius refert. Quod si non uoluntate tua fecit: cessare noxalem actionem, ne sit in potestate serui, ut tibi soli seruiat. quod puto uerum esse.

Item

Item si seruus communis meus & tuus sit occisus à seruo Titij: Celsus scribit, alterutrum ex dominis agentem, aut litis aestimationē consecuturum pro parte, aut noxæ dedi ei in solidū oportere: quia hæc res diuisionem non recipiat. Serui autem occidentis nomine dominus tenetur: is uero, cui bona fide seruit, non tenetur. Sed an is, qui seruum in fuga habet, teneat nomine eius actione Aquiliæ, quæritur? Et ait Iulianus, teneri: & uerissimum est, cum & Marcellus consentiat. Huius legis secundum quidem caput in desuetudinem abiit. Tertio autem capite ait eadē lex: CAETERARVM RERVM PRAETER Hominem et pecudem occisos, si quis alteri damnum fecerit, quidve vsserit, fregerit, ruperit inivRIA: QUANTI EA RES FUIT IN DIEBUS TRIGINTA PROXIMIS, TANTVM AES DOMINO DARE DAMNAS ESTO. Si quis igitur nō occiderit hoīem uel pecudē, sed ufferit, fregerit, ruperit: sine dubio ex his uerbis legis agendū erit. Proinde si facē seruo meo obieceris, & eū adufferis: teneberis mihi. Item si arbuſtum meum, uel uillam meam incenderis: Aquiliæ actionem habebō. Si quis insulam meam uoluerit exurere, & ignis etiam ad uicini insulam peruenerit: Aquilia tenebitur etiam uicino. non minus etiam inquilinis tenebitur, ob res eorum exustas. Si fornacarius seruus coloni ad fornacem obdormisset, & uilla fuisset exusta: Neratius scribit, ex locato conuentū præstare debere, si negligens in eligendis ministerijs fuit. Cæterum si alius ignem subiecerit fornaci, alius negligenter custodierit: an tenebitur, qui subiecit? nā qui custodijt, nihil fecit: qui recte ignē subiecit, non peccauit. quid ergo? puto utilem actionem cōpetere tam in eum, qui ad fornacem obdormiuit, quàm in eum, qui negligenter custodijt. nec quisquam dixerit eum, qui obdormiuit, rem humanam & naturalem passum: cū deberet uel ignem extinguere, uel ita munire, ne euagaretur. Si furnum secundum parietem communem habebas, an damni iniuria tenearis? Et ait Proculus, agi non posse: quia nec cum eo, qui focum haberet, & ideo æquius puto, in factum actionē dari: scilicet si paries exustus sit. Sin autem nondum mihi damnum dederis, sed ita ignem habebas, ut metuam, ne mihi damnum des: damni infecti puto sufficere cautionem. Proculus ait: cum coloni serui uillam exussissent, colonū uel ex locato, uel ex lege Aquilia teneri: ita ut colonus possit seruos noxæ dedere: & si uno iudicio res esset iudicata, altero amplius non agendum. sed hæc ita, si culpa colonus careat. cæterum si noxios seruos habuisset: damni eum iniuria teneri, cur tales habuerit. Idem seruandum & circa inquilinorum insulæ personas scribit, quæ sententia habet rationem. Si cū apes meæ ad tuas aduolassent,

tu eas exufferis: legis Aquiliæ actionem competere, Celsus ait. In-  
 quit lex RUPERIT. quod uerbum ferè omnes ueteres sic intelle-  
 xerunt, CORRUPERIT. Et ideo Celsus quærit: si lolium uel auenam  
 in segetem alienam inieceris, quo eam inquinares: non solum QVOD  
 VI AVT CLAM dominum posse agere, uel (si locatus fundus sit) CO-  
 lonum: sed etiam in factum agendum. & si colonus eam exercuit, caue-  
 re eum debere, AMPLIUS NON AGI: scilicet ne dominus amplius  
 inquietet. nam alia quædam species damni est, ipsum quid corruppe-  
 re & mutare, ut lex Aquilia locum habeat: alia, nulla ipsius mutatione  
 adplicare aliud, cuius molesta separatio sit. Cum eo planè, qui uini  
 spurcauit, uel \* effudit, uel acetum fecit, uel alio modo uiciauit: agi posse  
 Aquilia, Celsus ait: quia & effusum, uel acetum factum, corrupti appella-  
 tione contineatur. nec negat fractum & ustum contineri corrupti ap-  
 pellatione: sed non esse nouum, ut lex specialiter quibusdam enumera-  
 tis, generale subijciat uerbum, quo specialia complectatur. quæ senten-  
 tia uera est. Rupisse autem eum utiq; accipiemus, qui uulnerauerit:  
 uel uirgis, uel loris, uel pugnis ceciderit: uel telo, uel quo alio sciderit ali-  
 cui corpus, uel tumorem fecerit. sed ita demum, si damnum iniuria da-  
 tum est. cæterum si nullo seruum precio uiliorem deterioremue fece-  
 rit: Aquilia cessat, iniuriarumq; erit agendum duntaxat. Aquilia enim  
 eas ruptiones, quæ damna dant, persequitur. Ergo etsi precio quidem  
 non sit deterior seruus factus, uerum sumptus in salutem eius & sanita-  
 tē facti sunt: in hæc mihi uidebitur damnū datum, atq; ideo lege Aqui-  
 lia agi posse. Si quis uestimenta sciderit, uel inquinauerit: Aquilia,  
 quasi ruperit, tenetur. Sed & si quis milium, uel frumentum meum  
 effuderit in flumen: sufficit Aquiliæ actio. Item si quis frumento are-  
 nam, uel aliud miscuerit, ut difficilis separatio sit: quasi de corrupto  
 agi poterit. Si quis de manu mihi numos excussit: Sabinus existi-  
 mat, damni iniuriæ esse actionem, si ita perierint, ne ad aliquem per-  
 uenirent: puta si in flumen, uel in mare, uel in cloacā ceciderunt. Quod  
 si ad aliquem peruenerint ope & consilio: furti quidem agendum est,  
 quod & antiquis placuit. Idem tamen & in factum dari posse actionem  
 ait. Si mulier pugno, uel equa ictu à te percussa, eiecerit: Brutus ait,  
 Aquilia teneri, quasi ruperit. Et si mulum plus iusto onerauerit, &  
 aliquid membri ruperit: Aquiliæ locum fore. Si nauem \* uenalia-  
 rum mercium perforasset quis: Aquiliæ actionem esse, quasi ruperit,  
 Viuianus scribit. Si oliuam immaturam decerpserit, uel segetē de-  
 secuerit immaturam, uel uuas crudas: Aquilia tenebitur. Quod si iam  
 maturas: cessat Aquilia. nulla enim iniuria est: cum tibi etiam impen-  
 sas donauerit, quæ in collectione huiusmodi fructuum impenduntur.  
 at si

ais\* con-  
 fudit.

aliás\* ue-  
 naliū.

at si collecta hæc interceperit: furti tenetur. Octavianus in uuis adijcit, ni si (inquit) in terram uuas proiecerit, ut effunderentur. Idem in sylua cædua scribit: ut si immaturam, Aquilia: quod si maturam interceperit, furti teneri eum, & arborū furtim cæsarū. Si salictum maturū, ita ne stirpes læderes, tuleris: cessare Aquiliam. Et si puerum quis castrauerit, & preciosiorē fecerit: Viuianus scribit, cessare Aquiliam: sed in iuriarum erit agendum, aut ex edicto adiliū, aut in quadruplum. Si calicem diatretum faciendum dedisti, siquidē imperitia fregit: damni iniuria tenebitur. si nō imperitia fregit, sed rimas habebat uiciosas: potest esse excusatus. Et ideo plerunq; artifices cōuenire solent, cū huiusmodi materiæ dantur: non periculo suo se facere. quæ res ex locato tollit actionem, & Aquiliæ. Si cum maritus uxori margaritas extricatas dedisset in usum, ea inuito uel inscio uiro pforasset, ut pertusis in li-  
nea uteretur: teneri eā lege Aglia, siue diuerterit, siue nupra est adhuc.

Si quis ædificij mei fores refrugerit, aut ipsum ædificiū diruerit: lege Aquilia tenetur. Si quis aquæductū meū diruerit: licet cæmenta mea sunt, quæ diruta sunt: tamē quia terra mea nō sit, quā aquā duco: melius est dicere, actionē utilē dandā. Si ex plostro lapis ceciderit, & quid ru-  
perit, uel fregerit: Aquilia plostrariū teneri placet, si male composuerit lapides, & ideo lapsi sint. Si quis seruum conductum habens ad mulum regendum commendauerit ei mulum, & ille ad pollicem eum alligauerit loro, & mulus eruperit sic, ut & pollicem auelleret seruo, & se præcipitaret: Mela scribit, si pro perito imperitus locatus sit, ex conducto agendum cum domino ob mulū ruptum uel debilitatum. sed si ictu aut terrore mulus turbatus sit: tunc dominū eius, id est, muli aut serui cū eo, qui turbauit, habiturum legis Aquiliæ actionem. Mihi aut uide-  
tur & eo casu, quo ex locato actio est, competere actionem Aquiliæ.

Item si uietori locaueris lacum uino plenum curādum, & ille eum pertuderit, ut uinum sit effusum: Labeo scribit, in factum agendum.

XXVIII. PAVLVS lib. X. ad Sabinum.

**Q**ui foueas urforum ceruorumq; capiendorum caussa faciunt: si in itineribus fecerint, eōq; aliqd deciderit, factumq; sit deterius: lege Aquilia obligati sunt. at si in alijs locis, ubi solent fieri, fecerunt: nihil tenentur. Hæc tamen actio ex caussa danda est: id est, si neq; denun-  
ciatū est, neq; scierit, aut puidere potuerit. Et multa huiusmodi deprehenduntur, quibus submouetur petitor, si euitare periculum potuerit.

XXIX. VLPPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

**Q**uemadmodū si laqueos eō loci posuisses, quo ius ponendi nō haberes, & pecus uicini in eos incidisset. Si ptectū meū, qd supra domū tuā & nullo iure habebā, recidisset: posse me tecū damni iniuria  
agere,

agere, Proculus scribit. debuiffe enim mecum, ius mihi non esse prote-  
 ctum habere, agere: nec aequũ esse, damnum me pati, rescissis à te meis  
 tignis. Aliud est dicendum ex rescripto imperatoris Seueri: qui ei, per  
 cuius domũ traiectus erat aquæductus citra seruitutem, rescripsit: suo  
 iure posse eum intercidere, & merito. interest enim, quod hic in suo pro-  
 textit, ille in alieno fecit. Si nauis tua impacta in meã scaphã damnum  
 mihi dedit: quæsitum est, quæ actio mihi comperat? Et ait Proculus, si  
 in potestate nautarũ fuerit, ne id accideret, & culpa eorum factum sit: le-  
 ge Aquilia cum nautis agendum. quia parui referret, nauẽ immittens  
 do, aut uerriculum ad nauem ducendo, an tua manu damnum dede-  
 ris: quia omnibus modis his per te damno afficio. sed si fune rupto,  
 aut cum à nullo regeretur, nauis incurrisset: cum domino agendũ non  
 esse. Item Labeo scribit. si cum ui uentorum nauis impulsã esset in  
 funes anchorarum alterius, nautæ funes præcidissent: si nullo alio mo-  
 do, nisi præcisissimis funibus, explicare se potuissent: nullam actionem dan-  
 dam. Idemq; Labeo & Proculus & circa retia piscatorum, in quæ nauis  
 inciderat, existimauerunt. Planè si culpa nautarum id factum sit, lege  
 Aquilia agendum. Sed ubi damni iniuria agitur: ob retia, non piscium,  
 qui ideo capti non sunt, fieri æstimationem: cum incertum fuerit, an ca-  
 perentur. Idemq; & in uenatoribus, & aucupibus probandum. Si na-  
 uis alteram contra se uenientem obruisset: aut in gubernatorem, aut in  
 ductorem actionem competere damni iniuriæ, Alfenus ait. Sed si tan-  
 ta uis nauis facta sit, quæ téperari non potuerit: nullam in dominũ dan-  
 dam actionem. si autem culpa nautarũ id actum sit: puto Aquilia suffi-  
 cere. Si funem quis, quo religata erat nauis, præciderit: de nauẽ, quæ pe-  
 rijt, in factum agendum. Ex hoc legis capite de omnibus animalia-  
 bus læsis, & quæ pecudes non sunt, agendum est: ut puta de cane. sed &  
 de apro, & leone, cæterisq; feris & auibus idem erit dicendum. Mu-  
 nicipales magistratus, si damnum iniuria dederint, possunt Aquilia re-  
 neri. Nam & cũ pecudes aliquis pignori cepisset, & fame eas necasset,  
 dum nõ patitur eis cibaria adferri: in factũ actio danda est. Item si dum  
 putat se ex lege capere pignus, non ex lege ceperit, & res tritas corru-  
 ptasq; reddat: dicitur legẽ Aquiliam locũ habere. quod dicendum est,  
 etsi ex lege pignus ceperit. Si quid tamẽ magistratus aduersus resisten-  
 tem uiolentius fecerit: non tenebitur Aquilia. nam etsi cũ pignori fer-  
 uum cepisset, ille se suspenderit, nulla dat actio. Hæc uerba, QVAN-  
 TI IN TRIGINTA DIEBUS PROXIMIS FUIT, & si non ha-  
 bent uerbum PLVRIMI, sic tamen accipienda constat.

XXX. PAVLVVS lib. XXXII. ad edictum.  
 Qui occidit adulterum deprehensum seruum alienum, hac lege non

non tenebitur. Pignori datus seruus si occisus sit, debitori actio competit. sed an & creditori danda sit utilis: quia possit interesse eius, quod debitor soluendo non sit, aut quod litem tempore amiserit: quaeritur? Sed iniquum fuerit, & domino & creditori eum teneri: nisi si quis putauerit, nullam in ea re debitorem iniuriam passurū, cum proficit ei ad debiti quantitatem: & quod amplius consecuturus sit ab eo, uel ab initio in id, quod amplius sit, quā in debito, debitori dandam esse actionē. Et ideo in his casibus, in quibus creditori danda est actio propter inopiam debitoris, uel quod litem amiserit: creditor quidem usq; ad modū debiti habebit Aquiliae actionem, ut proficit hoc debitori: ipsi autem debitori in id, quod debitū excedit, competit Aquiliae actio. Si quis alienum uinum uel frumentum consumpserit, non uidetur damnum iniuria dare: ideoq; utilis danda est actio. In hac actione, quae ex hoc capitulo oritur, & dolus & culpa punitur. Ideoq; si quis in stipulam suam uel spinam comburendae eius causa ignem immiserit, & ulterius euagatus & progressus ignis, alienam segetem uel uineam laeserit: requiramus, num imperitia eius, aut negligentia id acciderit. Siquidē die uentoso id fecit, culpa reus est. nam & qui occasionem praestat, ipse damnum fecisse uidetur. in eodem crimine est, & qui non obseruauit, ne ignis longius procederet. At si omnia, quae oportuit, obseruauit, uel subita uis uenti longius produxit ignem: caret culpa. Si uulneratus fuerit seruus non mortifere, negligentia autem perierit: de uulnerato actio erit, non de occiso.

## XXXI. IDEM lib. X. ad Sabinum.

SI putator cum ex arbore ramum deiceret, uel machinarius hominem praetereuntem occidit: ita tenetur, si is in publicum decadat, nec ille proclamauerit, ut casus eius euitari possit. sed Mutius dixit, etiā si in priuato idem accidisset, posse de culpa agi. culpam autem esse, cū qd diligenter prouideri potuerat, non esset prouisum: aut tunc denunciatum esset, cum periculum euitari non posset. Secundum quam rationem non multum referet, per publicum, an per priuatum iter fiet: cum plerunq; per priuata uulgo loca iter fiat. Quod si nullum iter erit: dolum duntaxat praestare debet, ne immittat in eum, quē uiderit transeruntem. Nam culpa ab eo exigenda non est: cum diuinare non poterit, an per eum locum aliquis transiturus sit.

## XXXII. CAIUS lib. VII. ad edictum prouinciale.

ILLud quaesitum est: an quod proconsul in furto obseruat, quod à familia factum sit: id est, ut nō in singulos detur poenae persecutio, sed sufficiat id praestari, quod praestandum foret, si id furtum unus liber fecisset: debeat & in actione damni iniuriae obseruari? Sed magis uisum est,

est, idem esse obseruandum, & merito. cum enim circa furti actionem hæc ratio sit, ne ex uno delicto tota familia dominus careat, eaq; ratio similiter in hac actione damni iniuriæ interueniat: sequitur, ut idem debeat existimari, præsertim cum interdū sit leuior hic causa delicti: ne luti si culpa, & non dolo damnus detur. Si idem eundem seruū uulnerauerit, postea deinde etiā occiderit: tenebitur & de uulnerato, & de occiso. duo enim sunt delicta. Aliter atq; si quis uno impetu pluribus uulneribus aliquem occiderit. tunc enim una erit actio de occiso.

XXXIII. PAVLVS lib. III. ad Plautium.

**S**I seruū meum occidisti, non affectionem æstimandam esse puto: Sueluti si filium tuum naturalem quis occiderit, quem tu magno emptum uelles: sed quanti omnibus ualet. Sextus quoq; Pedius ait: precia rerum non ex affectione, nec utilitate singulorum, sed communiter fungi. Itaq; eum, qui filium naturalem possidet, nec locupletiozem esse, quod eum plurimo, si alius possideret, redempturus esset: nec illū, qui filium alienum possidet, tantum habere, quanti eum patri uendere posset. In lege enim Aquilia \*consequimur & amisisse dicemur, quod aut consequi potuimus, aut erogare cogimur. In damnis, quæ lege Aquilia non tenentur, in factum actio datur.

aliās\* da  
mnū cō-  
seq.

XXXIII. MARCELLVS lib. XXI. digestorum.

**T**itio & Seio Stichus legatus, deliberante Seio, cum Titius uindicasset legatum, Stichus occisus est. deinde Seius repudiavit legatū. perinde Titius agere poterit, ac si soli legatus esset.

XXXV. VLPPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

**Q**uia retro adcreuisse dominium ei uidetur.

XXXVI. MARCELLVS lib. XXI. ad edictum

**N**am sicut repudiante legatario legatum, hæredis est actio, perinde ac si legatum non esset: ita huius quoq; actio est, ac si soli legatus esset. Si dominus seruū, quem Titius mortifere uulnerauerat, liberum & hæredem esse iusserit, eiq; postea Mæuius exstiterit hæres: non habebit Mæuius cum Titio legis Aquiliæ actionem, scilicet secundum Sabinī opinionem: qui putabat ad hæredem actionem non transmitti, quæ defuncto competere non potuisset. nam sanè absurdū accideret, ut hæres præciū quasi occisi cōsequeretur eius, cui hæres exstiterit. Quod si ex parte eū dominus hæredem cum libertate esse iusserit: cōhæres eius, mortuo eo, aget lege Aquilia.

XXXVII. IABOLENVS lib. XIII. ex Cassio.

als\* manu  
iniuriam.

**L**iber homo si iussu alterius \*damnū iniuria dedit: actio legis Aquiliæ cū eo est, qui iussit, si modo ius imperandi adfuit. q; si nō adfuit: cū eo agendū est, qui fecit. Si quadrupes, cuius nomine cōtestata actio esset

esset cum dominò, quod pauperiem fecisset, ab alio occisa est, & cum eo lege Aquilia agitur: æstimatio non ad corpus quadrupedis, sed ad causam eius, in quo de pauperie actio est, referri debet: & tanti damnandus est is, qui occidit, iudicio legis Aquiliæ, quanti actoris interest noxæ potius deditioe fungi, quàm litis æstimatione.

XXXVIII. IDEM *lib. VIII. ἐπιστολῶν.*

**S**eo tempore, quo tibi seruus meus, quem bona fide emisti, seruiebat, ipse à seruo tuo uulneratus est: placuit omnino me tecum recte lege Aquilia experiri.

XXXIX. POMPONIUS *lib. XIII. ad Q. Mutium.*

**Q**uintus Mutius scribit. e qua, cum in alieno pasceretur, in cogendo (quod prægnans erat) eiecit. quærebatur, dominus eius posset ne cum eo, qui egisset, lege Aquilia agere: quia equam ei sciendo ruperat: si percussisset, aut consulto uehementius egisset: uisum est agere posse. POMPONIUS. Quamuis alienum pecus in agro suo quis depræhendit: sic tamen illud expellere debet, quomodo si suum depræhendisset: quoniam si quid ex ea re damni cœperit, habet proprias actiones. Itaque qui pecus alienum in agro suo depræhendit, non iure id includit: nec agere illud aliter debet, quàm (ut supra diximus) quasi suum: sed uel abigere debet sine damno, uel admonere dominum, ut suum recipiat.

XL. PAVLVS *lib. III. ad edictum.*

**I**n lege Aquilia si deletum chirographum mihi esse dicā, in quo sub conditione mihi pecunia debita fuerat: & interim testibus quoque id probare possim, qui esse non possint eo tempore, quo conditio existat: & summam re exposita, ad suspicionem iudicem adducam: debebo quidem uincere, sed condemnationis exactio tunc cōperet, cum debiti conditio existit. quod si defecerit: condemnatio nullas uires habebit.

XLI. VLPIANVS *lib. XLI. ad Sabinum.*

**S**i quis testamentum deleuerit, an damni iniuriæ actio competat, uideamus. Et Marcellus libro quinto digestorū dubitans negat competere. quemadmodū enim (inquit) æstimatio inibitur? Ego apud eū notauī, in testatore quidem hoc esse uerū: quia quod eius interest, æstimari non potest. uerūtamen in hærede uel legataris diuersum: quibus testamēta penè chirographa sunt. Ibidem autem Marcellus scribit, chirographo deleto, competere legis Aquiliæ actionem. Sed etsi quis tabulas testamenti apud se depositas deleuerit, uel pluribus præsentibus legerit: utilius est in factum & iniuriarum agi, si iniuriæ faciendæ causa secreta iudiciorum publicauerit. Interdum euenire Pomponius eleganter ait, ut quis tabulas delendo furti non teneatur, sed tantum damni iniuriæ: utputa si non animo furti faciendi, sed tantum

damni dandi deleuit. nam furti non tenebitur. cum facto enim etiam animum furis furtum exigit.

XLII. IULIANVS *lib. LXXXVI. digestorum.*

**Q**ui tabulas testamenti depositas, aut alicuius rei instrumentum ita deleuit, ut legi non possit: depositi actione, & ad exhibendum tenetur. quod si corruptam rem restituerit, aut exhibuerit: legis quoque Aquilæ actio ex eadem causa comperit. corrupisse enim recte dicitur tabulas, & qui eas interleuerit.

XLIII. POMPONIUS *lib. XIX. ad Sabinum.*

**O**bid, quod ante, quam hereditatem adires, damnum admissum in res hereditarias est: legis Aquilæ actionem habes, quod post mortem eius, cui heres sis, acciderit. dominum enim lex Aquilia appellat, non utique eum, qui fuerit tunc, cum damnum daretur. nam isto modo ne ab eo quidem, cui heres quis erit, transire ad eum actio ea poterit: neque ob id, quod tunc commissum fuerit, cum in hostium potestate esses, agere postliminio reuersus poteris. Et hoc aliter constitutum sine magna captione postumorum liberorum, qui parentibus heredes erunt, non poterit. Eadem dicemus & de arboribus eodem tempore furtim caesis. Puto eadem dici posse & de actione **QVOD VI AVT CLAM**: si modo quis aut prohibitus fecerit, aut apparuerit eum intelligere debuisse, ab eis se, ad quos ea hereditas pertineret, si rescissent, prohibitum iri.

XLIIII. ULPIANVS *lib. XLI. ad Sabinum.*

**I**n lege Aquilia etiam leuissima culpa uenit. Quoties sciente domino seruus uulnerauerit, uel occiderit: Aquilia dominum tenet, dubium non est.

XLV. PAVLVS *lib. X. ad Sabinum.*

**S**cientiam hic pro patientia accipimus: ut qui prohibere potuit, teneatur, si non fecerit. Lege Aquilia agi potest, & sanato uulnerato seruo. Si meum seruum, cum liberum putares, occideris: lege Aquilia teneberis. Si cum stramenta ardentia transfilirent, duo concurrerint, amboque ceciderint, & alter flamma consumptus sit: nihil eo nomine agi poterit, si non intelligitur, uter ab utro euersus sit. Qui cum aliter tueri se non possent, damnum culpa dederunt: innoxij sunt. uim enim ui defendere, omnes leges omniaque iura permittunt. Sed si defendendi mei causa lapidem in aduersarium misero, & non cum, sed prætereuntem percussero: lege Aquilia tenebor. Illum enim solum, qui uim infert, ferire conceditur: & hoc si tuendi duntaxat, non etiam ulciscendi causa factum sit. Qui idoneum parietem sustulit: damni iniuria domino eius tenetur.

Ulpianus

XLVI. VLPIANVS lib. XLI. ad Sabinum.

**S**i uulnerato seruo, lege Aquilia actū sit: postea eo mortuo ex eo uulnerare, agi lege Aquilia nihilominus potest.

XLVII. IULIANVS lib. LXXXVI. digestorum.

**S**ed si priore iudicio æstimatione facta, postea mortuo seruo de occiso agere dominus instituerit: exceptione doli mali opposita com-  
pelletur, ut ex utroq; iudicio nihil amplius consequatur, quàm con-  
sequi deberet, si initio de occiso homine egisset.

XLVIII. PAVLVS lib. XXXIX. ad edictum.

**S**i seruus ante aditam hæreditatem damnum in rem hæreditariam dederit, & liber factus in eadem re damnum det: utraq; actione tenebitur, quia alterius & alterius facti eæ res sunt.

XLIX. VLPIANVS lib. IX. disputationum.

**S**i quis fumo facto apes alienas fugauerit, uel etiam necauerit: magis scausam mortis præstitisse uideatur, quàm occidisse: & ideo in factum actione tenebitur. Quod dicitur, damnū iniuria datum Aquiliam persequi, sic erit accipiendum: ut uideatur damnū iniuria datum, quod eū damno iniuriam attulerit, nisi magna ui cogente fuerit factum: ut Celsus scribit circa eum, qui incēdij arcendi gratia uicinas ædes intercedit. nam hic scribit cessare legis Aquiliæ actionem. iusto enim metu duci, qui ne ad se ignis perueniret, uicinas ædes intercedat. & siue peruenit ignis, siue ante extinctus sit: existimat legis Aquiliæ actionē cessare.

L. IDEM lib. VI. opinionum.

**Q**ui domum alienam inuito domino demolitur, & eò loci balneas exstruxit: præter naturale ius, quo superficies ad dominū soli pertinet, etiam dati damni nomine actioni subijcietur.

LI. IULIANVS lib. LXXXVI. digestorum.

**S**i ita uulneratus seruus, ut eo istu certum esset moriturum: medio deinde tempore hæres institutus, & postea ab alio istus, decessit: quero, an cum utroq; de occiso lege Aquilia agi possit? Respondi. occidisse quidem uulgo dicitur, qui mortis causam quolibet modo præbuit: sed lege Aquilia is demum teneri uisus est, qui adhibita ui, & quasi manu causam mortis præbuiisset: tracta uidelicet interpretatione uocis à cædendo, & à cæde. Rursus lege Aquilia teneri existimati sunt, non solum qui ita uulnerassent, ut confestim uita priuarent: sed hi etiam, quorum uulnere certum esset aliquem uita excessurum. Igitur si quis seruo mortiferum uulnus infligerit, eundemq; alius ex interuallo ita percusserit, ut maturius interficeretur, quàm ex priore uulnere moriturus fuerat statuendum: est, utrunq; eorum lege Aquilia teneri. Idq; consequens est authoritati ueterum: qui cum à pluribus seruus ita uul-

neratus esset, ut non appareret, cuius ictu perisset: omnes lege Aquilia teneri iudicauerunt. Aestimatio autē peremptri non eadem in utriusque persona fiet. nam qui prior uulnerauit: tantum praestabit, quanti in anno proximo homo plurimi fuerit, repetitis ex die uulneris trecentis sexagintaquinque diebus. posterior uero in id tenebitur, quāti homo plurimi uenire poterit in anno proximo, quo uita excessit: in quo praecium quoque hereditatis erit. Eiusdem ergo serui occisi nomine alius maiorem, alius minorem aestimationem praestabit. nec mirum: cum uterque eorum ex diuersa causa, & diuersis temporibus occidisse hominem intelligatur. Quod si quis absurde à nobis haec constitui putauerit: cogitet longe absurdius constitui, neutrum lege Aquilia teneri, aut alterum potius: cum neque impunita maleficia esse oporteat, nec facile constitui possit, uter potius lege teneatur. Multa autem iure ciuili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse, innumerabilibus rebus probari potest. Vnum interim proposuisse contentus ero. Cum plures tabernam alienam furandi causa sustulerint, quam singuli ferre non possent: furti actione omnes teneri existimantur: quamuis subtili ratione dici possit, neminem eorum teneri, quia neminem uerum sit eam sustulisse.

## LII. ALFENVS lib. II. digestorum.

**S**I plagis seruus mortuus esset, neque id medici inscientia, aut domini negligentia accidisset: recte de iniuria eo occiso agitur. Tabernarius in semita noctu supra lapidem lucernam posuerat, & quidam praeteriens eam sustulerat. tabernarius eum consecutus, lucernam reposcebat, & fugientem retinebat. ille flagello, quod in manu habebat, in quo dolo inerat, uerberare tabernarium coeperat, ut se dimitteret. ex eo maiore rixa facta, tabernarius ei, qui lucernam sustulerat, oculum effoderat. consulebat, num damnum iniuria uideretur dedisse, quoniam prior flagello percussus esset? Respondi, nisi data opera effodisset oculum, non uideri damnum iniuria fecisse. culpam enim penes eum, qui prior flagello percussisset, residere. sed si ab eo non prior uapulasset, sed cum ei lucernam eripere uellet, rixatus esset: tabernarii culpa factum uideri.

In cliuo capitolino duo plostra onusta mulae ducebant. prioris plostri muliones conuersum plostrum subleuabant, quo facilius mulae ducerent. interim superius plostrum cessim ire coepit: & cum muliones, qui inter duo plostra fuerant, e medio excessissent: posterius plostrum a priore percussum, retro redierat, & puerum cuiusdam obtriuerat. dominus pueri consulebat, cum quo agere oporteret. Respondi, in causa eius esse positum. Nam si muliones, qui superius plostrum sustinuisent, sua sponte se subduxissent: & ideo factum esset, ut mulae plostrum retinere non possent, atque ipso onere retraherentur: cum domino mularum nullam

nullam esse actionem, sed cum hominibus, qui conuersum plostrum sustinuerunt, lege Aquilia agi posse. Nam nihilominus eum damnum dare, qui quod sustineret, dimitteret sua uoluntate, ut aliquem feriret: ueluti si quis cum asellum agitasset, non retinuerit: æque si quis ex manu telum, aut aliud quod immisisset, damnum iniuria daret. Sed si quia mularum aliquid reformidassent, muliones timore perterriti, ne opprimerentur, plostrum reliquissent: cum hominibus actionem nullam esse, cum domino mularum esse. Quod si neque mularum, neque homines in causa essent, sed mularum retinere onus nequissent: aut cum continerentur, lapsæ concidissent, & ideo plostrum cessum redisset, & quod conuersum fuisset, onus sustinere nequissent: neque cum domino mularum, neque cum hominibus esse actionem. Illud quidem certe (quoquo modo res sese haberet) cum domino posteriorum mularum agi non posse: quoniam non sua sponte, sed percussæ retro redissent. Quidam boues uendit ea lege, ut daret experiundos. postea dedit experiundos. emptoris seruus in experiundo percussus ab altero boue cornu est. quærebatur, num uenditor emptori damnum præstare deberet? Respondi, si emptor boues emptos haberet, non præstari debere. sed si non haberet emptos, tamen culpa hominis factum esset, ut à boue feriretur: non debere, si uicio bouis: debere. Cum pila complures luderent, quidam ex his seruulum, cum pilam percipere conaretur, impulit. seruus cecidit, & crus fregit. quærebatur, an dominus seruuli lege Aquilia cum eo, cuius impulsu ceciderat, agere posset? Respondi, non posse: cum magis casu, quam culpa uideretur factum.

## LIII. NERATIUS lib. I. membranarum.

**B**Oues alienos in angustum locum coëgisti, eorum effectum est, ut eiicerent. datur in te ad exemplum legis Aquiliæ in factum actio. aliàs \*de-  
iiceretur

## LIIII. PAPINIANUS lib. XXXVII. questionum.

**L**Egis Aquiliæ actio & debitori cõpetit, cum reus stipulandi ante moram promissam animal uulnerauit. idem est, & si animal occiderit. Quod si post moram promissoris is, qui stipulatus fuerat, occidit: debitor quidem liberatur, lege autem Aquilia hoc casu non recte experitur. nam creditor ipse sibi potius, quam alij iniuriam fecisse uidetur.

## LV. PAVLVS lib. XXII. questionum.

**S**Tichum aut Pamphilum promisi Titio. cum Stichus esset decem, Pamphilus uiginti: stipulator Stichum ante moram occidit. quæsitum est de actione legis Aquiliæ? Respondi, cum uiliorum occidisse proponatur, in hunc tractatum nihil differt ab extraneo creditor. Quantum igitur fiet æstimatio? utrum decem, quanti fuit occisus: an quanti est, quem necesse habeo dare, id est, quanti mea interest? & quid dicemus

mus, si Pamphilus decesserit sine mora: num precium Stichum minuetur, quoniam liberatus est promissor: & sufficiens fuisse pluris, cum occideretur, uel intra annum. Hac quidem ratione, etiam si post mortem Pamphili intra annum occidatur, pluris fuisse uidebitur.

LVI. IDEM lib. II. sententiarum.

**M**ulier si in rem uiri damnum dederit, pro tenore legis Aquiliae conuenitur.

LVII. LABOLENVS lib. VI. ex posterioribus Labronis.

**E**quum tibi commodauimus in eo cum tu equitares, & una complures equitarent: unus ex his irruit in equum, & eum deiecit, & eo casu crura equi fracta sunt. Labeo negat tecum ullam actionem esse. sed si equitis culpa factum esset: cum equite sane, non cum equi domino agi posse, uerum puto.

DE HIS, QUI DEIECERINT, VEL EFFV  
derint. Tit. III.

VLPIANVS lib. XXIII. ad edictum.



**P**raetor ait de his, qui deiecerint, uel effuderint. **VNDE**  
IN EVM LOCVM, QVO VOLGO ITER FIET, VEL IN  
QVO CONSISTETVR, DEIECTVM VEL EFFVSVM  
QVID ERIT: QVANTVM EX EA RE DAMNVM DA-  
TVM, FACTVM VE ERIT: IN EVM, QUI IBI HABITA-  
UIT, IN DVPLVM IVDICIVM DABO. SI EO ICTV HOMO LIBER  
PERISSE DICETVR, QVINQVAGINTA AVREORVM IVDICIVM DA-  
BO. SI VIVET, NOCITVM QVE EI ESSE DICETVR: QVANTVM OB  
EAM REM AEQVVM IVDICI VIDEBITVR, EVM CVM QVO AGE-  
TVR, CONDEMNARI: TANTI IVDICIVM DABO. SI SERVVS INSCI-  
ENTE DOMINO FECISSE DICETVR: IN IVDICIO ADICIAM, VT NO-  
XAM DEDERE LICEAT. Summa cum utilitate id praetorem edixisse,  
nemo est, qui neget. publice enim utile est, sine metu & periculo priuati  
ra commeari. Parui autem interesse debet, utrum publicus locus sit, an uero  
priuatus: dummodo per eum uulgo iter fiat: quia iter facientibus pro-  
spicitur, non publicis uisibus studetur. semper enim ea loca, per quae uulgo  
iter fieri solet, eandem securitatem habere debent. Caeterum si aliquando  
uulgus in illa uia non commearat, & tunc deiectum sit uel effusum,  
cum adhuc secreta loca essent, & modo coepit commeari: non debet  
hoc edicto teneri. Quod cum suspenderetur, decedit, deiectum uide-  
ri: sed & quod suspensum decedit, pro deiecto haberi magis est. Pro-  
inde & si quid pendens effusum sit: quamuis nemo hoc effuderit, edi-  
ctum

alias \* non  
est quod ne-  
getur.

\*nemo est, qui neget. publice enim utile est, sine metu & periculo priuati  
ra commeari. Parui autem interesse debet, utrum publicus locus sit, an uero  
priuatus: dummodo per eum uulgo iter fiat: quia iter facientibus pro-  
spicitur, non publicis uisibus studetur. semper enim ea loca, per quae uulgo  
iter fieri solet, eandem securitatem habere debent. Caeterum si aliquando  
uulgus in illa uia non commearat, & tunc deiectum sit uel effusum,  
cum adhuc secreta loca essent, & modo coepit commeari: non debet  
hoc edicto teneri. Quod cum suspenderetur, decedit, deiectum uide-  
ri: sed & quod suspensum decedit, pro deiecto haberi magis est. Pro-  
inde & si quid pendens effusum sit: quamuis nemo hoc effuderit, edi-  
ctum

Etiam tamen locū habere, dicendum est. Hæc in factum actio in eū datur, qui inhabitauit, cū quid deijceretur uel effunderetur, nō in dominū actiū. culpa enim penes eū est. Nec adijcitur culpæ mentio uel inficiationis, ut in duplum detur actio: quamuis damni iniuriæ utrunq; exigat.

Sed cū liber homo perijt, damni æstimatio non fit in duplū: quia in hoīe libero nulla corporis æstimatio fieri potest: sed quinquaginta aureorū condemnatio fit. Hæc autē uerba, SI VIVET, NOCITVM QVE ET ESSE DICETVR: non pertinent ad damna, quæ in rem hominis liberi facta sunt (si forte uestimenta eius, uel quid aliud scissum, corruptum uel est) sed ad ea, quæ in corpus eius admittuntur. Si filiusfamilias cœnaculum conductum habuit, & inde deiectum uel effusum quid sit: de peculio in patrem non datur, quia non ex contractu uenit, in ipsum itaq; filium hæc actio cōpetit. Cum seruus habitator est, utrum noxalis actio danda sit, quia non est ex negotio gesto: an de peculio, quia nō ex delicto serui uenit: neq; enim recte dicitur serui noxa, cum seruus nihil nocuerit. sed ego puto seruum impunitum esse non oportere, sed extra ordinem officio iudicis corrigendum. Habitare autem dicimus, uel in suo, uel in conducto, uel gratuito. Hospes planē non tenebitur, qui ibi non habitat, sed paulisper hospitatur: sed is tenebitur, qui hospitium dedit. Tantum autem interest inter habitatorem & hospitem, quantum interest inter domicilium habentem & peregrinantem. Si plures in cœnaculo eodem habitent, unde quid deiectū est: in quemuis hæc actio dabitur.

II. CAIUS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**C**VM sanē impossibile est scire, quis deiecisset, uel effudisset.

III. VLPPIANVS lib. XXIII. ad edictum.

**E**T quidē in solidum, sed si cū uno fuerit actum, cæteri liberabūtur,

IIII. PAVLVS lib. XIX. ad edictum.

**P**ERCEPTIONE, non litis contestatione: præstaturi partem damni, societatis iudicio uel utili actione ei, qui soluit.

V. VLPPIANVS lib. XXIII. ad edictum.

**S**I uero plures diuiso inter se cœnaculo habitent: actio in eum solum datur, qui inhabitat eam partem, unde effusum est. Si quis gratuitas habitationes dederit libertis, & cliētibus, uel suis, uel uxoris: ipsum eorum nomine teneri, Trebatius ait. quod uerum est. Idem erit dicendū, & si quis amicis suis modica hospitioola distribuerit. Nam & si quis cœnaculariam exercens, ipse maximam partem cœnaculi habeat: solus tenebitur. Sed & si quis hospitalia habeat, æque solus tenebitur. Sed si quis cœnaculariam exercens, modicum sibi hospitium retinuerit, residuum pluribus locauerit: omnes tenebuntur, qui in hoc cœnaculo

habitant, unde deiectum effusumue est. Interdum tamen, quo sine  
 captionem actoris fiat, oportebit prætorum æquitate motum potius da-  
 re actionem in eum, ex cuius cubiculo, uel exhedra deiectum est: licet  
 plures in eodẽ coenaculo habitent. quod si ex mediano coenaculi quid  
 deiectum sit: uerius est, omnes teneri. Si horrearius aliquid deiecerit  
 uel effuderit, aut conductor apothecæ, uel qui in hoc duntaxat con-  
 ductum locum habebat, ut ibi opus faciat, uel doceat: in factum actioni  
 locus est, etiam si quis operantium deiecerit uel effuderit, uel discenti-  
 al's hac um. Cum autem legis Aquiliæ actione propter hoc quis cõdemna-  
 tus est: merito ei, qui ob hoc quod hospes, uel quis alius de coenaculo  
 deiecit, condemnatus est: in factum dandã esse Labeo ait aduersus deie-  
 ctorem. quod uerum est. Planẽ si locauerit deiectori: etiã ex locato ha-  
 bebatur actionem. Hæc autẽ actio, quæ competit de effusis & deiectis,  
 perpetua est, & hæredi competit: in hæredem uero non datur. Quæ au-  
 tem de eo competit, quod liber perisse dicitur: intra annum duntaxat  
 cõpetit. neq; in hæredem, sed nec hæredi, similibusq; personis datur:  
 nã & pœnalis est & popularis. Dummodo sciamus: ex pluribus deside-  
 rantibus hanc actionem, ei potissimum dari debere, cuius interest, uel  
 qui ad finitatem cognationeue defunctum contingit. Sed si libero noci-  
 tũ sit, ipsi perpetua erit hæc actio: si alius uelit experiri, annua erit. nec  
 enim hæredibus iure hæreditario competit. Quippe quod in corpore  
 libero damni datur, iure hæreditario transire ad successores non debet,  
 quasi nõ sit damnum pecuniariã. nam ex bono & æquo oritur. Præ-  
 tor ait. NE QVIS IN SVBGRVNDATA PROTECTO VE SVPRA EVM LO-  
 CVM, QVO VOLGO ITER FIET, IN VE QVO CONSISTETVR: ID PO-  
 SITVM HABEAT, CUIVS CASVS NOCERE CUI POSSIT. QVI AD-  
 VERSVS EA FECERIT: IN EVM SOLIDORVM DECEM IN FACTVM  
 IUDICIUM DABO. SI SERVVS INSCIENTE DOMINO FECISSE DI-  
 GETVR, AVT NOXAE DEDI IVBEBO. Hoc edictum superioris portio  
 est. consequens etenim fuit, prætorum etiam in hunc casum prospice-  
 re: ut si quid in his partibus ædium periculose positum esset, ne noce-  
 ret. Ait prætor. NE QVIS IN SVBGRVNDATA PROTECTO VE. hæc uer-  
 ba NE QVIS ad omnes pertinet, uel inquilinos, uel dominos ædium:  
 siue inhabitent, siue non, habeant tamen aliquid in his locis expositum.  
 SVPRA EVM LOCVM, QVO VOLGO ITER FIET, IN VE QVO  
 CONSISTETVR, ID POSITVM HABEAT. &c. Accipere debemus POSI-  
 TVM HABEAT: siue in habitationibus, uel coenaculis, siue etiam in hor-  
 reis, uel cuius alterius ædificij. Positum habere etiam is recte uidetur,  
 qui ipse quidem non posuit, uerum ab alio positum patitur. Quare si  
 seruus posuerit, dominus autem positum patitur: non noxali iudicio  
 domi-

dominus, sed suo nomine tenebitur. Prætor ait, CVIVS CASVS NOCERE CVI POSSIT. ex his uerbis manifestatur, non omne, quod positum est: sed quidquid sic positum est, ut nocere possit: hoc solum prospicere prætorem, ne possit nocere. nec spectamus, ut noceat: sed omnino, si nocere possit, edicto locus sit. Coërcetur autem, qui positum habuit: siue nocuit id, quod positum erat, siue non nocuit. Si id quod positum erat, deciderit, & nocuerit: in eum competit actio, qui posuit, non in eum, qui habitauit: quasi hæc actio non sufficiat. quia positum habuisse non utiq; uidetur, qui posuit: nisi uel dominus fuit ædium, uel inhabitator. Nam cum pictor in pergula clypeum uel tabulam expositam habuisset, eaq; excidisset, & transeūti damni quid dedisset: Seruius respondit, ad exemplum huius actionis dari oportere actionē. hanc enim non competere, palam esse: quia neq; in subgrunda, neq; in protecto tabula fuerat posita. Idem seruandum respondit, & si amphora ex resticulo suspensa decidisset, & damnum dedisset: quia & legitima & honoraria actio deficit. Ista autem actio popularis est, & hæredibus, similibusq; competit: in hæredem autem non competit, quia pœnalis est.

VI. PAVLVS lib. XIX. ad edictum.

**H**Oc edictum non tantum ad ciuitates & uicos, sed & ad uias, per quas uulgo iter fit, pertinet. Labeo ait, locum habere hoc edictum, si interdium deiectum sit, non nocte. sed quibusdam locis & nocte iter fit. Habitatore suam suorumq; culpam præstare debet. Si de naue deiectum sit, dabitur actio utilis in eum, qui nauis præpositus sit.

VII. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**C**VM liberi hominis corpus ex eo, quod deiectum effusumue quid erit, læsum fuerit: iudex computat mercedes medicis præstitas, cæteraq; impendia, quæ in curatione facta sunt. Præterea operarum, quibus caruit, & cariturus est ob id, quod inutilis factus est. Cicatricum autem & deformitatis nulla fit æstimatione: quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.

## DE NOXALIBVS ACTIONIBVS. Tit. IIII.

CAIVS lib. II. ad edictum prouinciale.



**N**Oxales actiones appellantur, quæ non ex contractu, sed ex noxa atq; maleficio seruorum aduersus nos instituntur. quarum actionū uis & potestas hæc est: ut si dānati fuerimus, liceat nobis deditioe ipsius corporis, quod deliquit, euitare litis æstimationem.

II. VLPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

zz ij

Si

**S**I seruus sciente domino occidit: in solidum dominum obligat. ipse enim debet ex maleficio serui in plus teneri, quam ut noxæ eum debeat. Is qui non prohibuit: siue dominus manet, siue desijt esse dominus: hac actione tenetur. sufficit enim, si eo tempore dominus fuit, quo non prohibebat. in tantum, ut putet Celsus, si fuerit alienatus seruus in totam uel in partem, uel manumissus: noxam caput nõ sequi. nam seruum nihil deliquisse, qui domino iubenti obtemperauit. Et sanè si iussit, potest hoc dici. si autem non prohibuit, quemadmodum serui factum excusabimus? Celsus tamen differentiam facit inter legem Aquilianam, & legem duodecim tabularum. Nam in lege antiqua si seruus sciente domino furtum fecit, uel aliam noxam commisit: serui nomine actio est noxalis, nec dominus suo nomine tenetur. At in lege Aquilia (inquit) dominus suo nomine tenetur, non serui. Vtriusq; legis reddit rationem. duodecim tabularum: quasi uoluerit seruos dominis in hac re non obtemperare. Aquilia: quasi ignouerit seruo, qui domino paruit, periturus si non fecisset. Sed si placeat, quod Iulianus libro octogesimo sexto scribit: si seruus furtum fecit, noxam uel nocuit, etiam ad posteriores leges pertinere: poterit dici etiã serui nomine cū domino agi posse noxali iudicio: ut quod datur Aquilia aduersus dominum, nõ seruum excuset, sed dominum oneret. Nos autem sententiã Iuliani probauimus: quia habet rationem, & à Marcello apud Iulianum probatur.

III. IDEM lib. III. ad edictum.

**I**N omnibus noxalibus actionibus, ubicunq; exigitur, scientia domini sic accipienda est: si cum prohibere posset, non prohibuit. aliud est enim authorem esse seruo delinquenti, aliud pati delinquere.

IIII. PAVLVVS lib. III. ad edictum.

**I**N delictis seruorum scientia domini quemadmodũ accipienda est: utrum cum cõsilio, an & si uiderit tantum, quamuis prohibere non potuerit? quid enim si ad libertatem proclamans, domino sciente faciat? quid si contemnat dominum: uel cum trans flumen sit seruus, uidentẽ quidem, sed inuito domino noxam noceat? Rectius itaq; dicitur, scientiam eius accipiendã, qui prohibere potest: & hoc in toto edito intelligendum est circa scientiæ uerbum. Si extraneus seruus sciente me fecerit, eumq; redemero: noxalis actio in me dabitur: quia nõ uidetur domino sciente fecisse, cum eo tempore dominus nõ fuerim.

Cum dominus ob scientiam teneatur: an serui quoq; nomine danda sit actio, uidentum est. nisi forte prætor unam poenã à domino exigi uoluerit. ergo dolus serui impunitus erit. quod est iniquũ. imò utroq; modo dominus tenebitur: una autem poena exacta, quam actor elegerit,

gerit, altera tollitur. Si detracta noxæ deditio, quasi cum conscio domino actum sit, qui non erat conscius: absolutione facta, & finito iudicio, amplius agens cum noxæ deditio, exceptione rei iudicatæ submouebitur: quia res in superius iudicium deducta & finita est. Donec autem prius iudicium agitur: licentia est agenti, si eum de scientia domini arguenda poeniteat, tunc ad noxalem causam transire. Contra quoque si cum eo, qui scit, cum noxæ deditio actum sit: amplius in dominum, detracta noxæ deditio, danda actio non est. In ipso autem iudicio, si uoluerit & scientiam domini arguere, non est prohibendus.

V. *VLP. IANVS lib. III. ad edictum.*

**S**I pluriū seruus deliquerit, omnibus ignorantibus, noxale iudiciū in quēuis dabitur. Sed si oībus sciētibus: quiuis eorū tenebitur, detracta noxæ deditio, quemadmodum si plures deliquissent: nec altero conuento, alter liberabitur. Sed si alter scit, alter ignorat: qui scit, detracta noxæ deditio, conuenitur: qui nescit, conuenitur cum noxæ deditio. Differentia autem harum actionum non solū illa est, quod qui scit, in solidum tenetur: uerum illa quoque, quod siue alienauerit: seruum, qui scit, siue manumiserit, siue decesserit seruus: dominus eius tenetur. sed si ipse dominus decesserit: hæres eius non tenetur,

VI. *IDEM lib. XVIII. ad edictum.*

**S**ed ipse seruus manumissus tenetur.

VII. *IDEM lib. III. ad edictum.*

**N**Oxalis non aliās datur, nisi apud me sit seruus. & si apud me sit seruus. licet eo tempore non fuit, quo delinquebat, teneor. sed & hæres meus tenetur, si noxius uiuat. Pomponius ait, si emptor serui noxali conuentus sit: uenditorem, quo sciente factum est, conueniri iam non posse.

VIII. *IDEM lib. XXXVII. ad edictum.*

**S**I seruus communis furtum fecerit: quiuis ex dominis in solidum noxali iudicio tenetur, eoque iure utimur. Sed non aliās poterit, qui conuentus est, euadere litis æstimationem: nisi in solidum noxæ dederit seruum. nec ferendus est, si partem dedere fuerit paratus. Planè si per hoc, quod socij dedere parati non fuerint, in solidum fuerit condēnatus: communi diuidendo, uel familiæ eriscundæ iudicio aduersus eos experietur. Ante noxale sanè iudicium acceptū, poterit suam partem cedendo securitatem consequi, nec necesse habebit suscipere iudiciū. Quamquā quis possit dicere euenire, ut dum pars ei cedatur, amittat actionem. dominus enim pro parte factus, non possit cum socio noxali ex periri. Fortassis nec communi diuidendo agere possit eius maleficij nomine, quod ante cōmunionem admissum est. qđ si nō potest: euidenti

iniuria adficietur. Sed melius est dicere, cōpetere ei cōmuni diuidendo iudiciū.

IX. PAVLVVS lib. XXXVIII. ad edictum.

**S**I communis familia, uel cōmunis seruus furtum fecerit, altero ex dominis sciente: is qui scit, omnium nomine tenebitur, & conueniens alterū quoq; liberabit, nec à socio quidquā debet consequi. sui em̄ facti nomine pœnam meruit. Quod si is, qui ignorauit, duplum præstitit: à socio simplum consequetur.

X. IDEM lib. XXII. ad edictum.

**S**ed & eo nomine agere cum socio poterit, quod seruum commune nem deteriore fecit: quemadmodū cum quolibet alio, qui rem commune deteriore fecisset. Cæterum si nihil præter ea post noxæ deditioem commune habebit: pro socio, uel (si socij non fuerint) in factum agi poterit.

XI. VLPPIANVS lib. VII. ad edictum.

**B**ona fide serui possessor eius nomine actione furti tenetur, dominus non tenetur: licet noxæ dedendo nō faciat eum actoris. Cum autem cœperit istum seruum dominus uindicare: doli exceptione submouebitur, uel officio iudicis consequetur, ut indemnitas maneat.

XII. PAVLVVS lib. VI. ad edictum.

**S**i bona fide possessor eum seruum, quem bona fide possidebat, dimiserit, ne agi cum eo ex noxali causa possit: obligari eum actione, quæ datur aduersus eos, qui seruum in potestate habeant, aut dolo fecerint, quo minus haberent: quia per hoc adhuc possidere uideatur.

XIII. CAIVS lib. XIII. ad edictum prouinciale.

**N**on solum aduersus bona fide possessores, sed & aduersus eos, qui mala fide possident, noxalis actio dabitur. nam absurdum uideretur eos quidem, qui bona fide possiderent, excipere actionem: prædones uero securos esse.

XIIII. VLPPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

**S**i quis à multis conueniatur ex noxa eiusdem serui, uel ab uno, ex pluribus tamen delictis. nō necesse habet (quia omnibus dedere nō potest) litis æstimationem offerre his, quibus dedere non potest. Quid ergo, si à pluribus conueniatur? & si quidem unus occupauit, an melior sit eius conditio, ut ipsi soli dedatur? an uero uel omnibus deditio beat: uel caueri, defensum iri aduersus cæteros? Et uerius est, occupantis meliorem esse conditionem. Ei itaq; deditur, non qui prior egit, sed qui prior ad sententiam peruenit. et ideo ei, qui postea uicerit, actio iudicati denegabitur. Sed & si statuliber sit, & ante deditioem exstiterit conditio, uel per fideicommissum libertas fuerit ante præstita, uel existente conditione legati dominium fuerit translatum: arbitrio iudicis ab

ris absolui eum oportet. sed & officium iudicis erit, ut caueatur ei, cui dedit, de euictione ob sum factum contingente.

XV. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**P**raetor decernere debet translationem iudicij in statu liberum fieri. Si uero rei iudicatae tempore adhuc in suspenso sit statuta libertas: Sabinus & Cassius liberari haeredem putant, tradendo seruum: quia roto suo iure cederet. quod & uerum est.

XVI. IULIANVS lib. XXII. digestorum.

**S**i haeres dolo malo fecerit, ne statuliberum in potestate haberet, & propter hoc iudicium sine noxae deditioe acceperit: impleta conditione statutae libertatis condemnari debet, sicuti mortuo seruo condempnaretur.

XVII. PAVLVVS lib. XXII. ad edictum.

**S**i ex duobus dominis, uno sciente, & altero ignorante, seruus delinquet: si ante cum altero, qui nesciebat, actus sit, & noxae dederit seruum: iniquum est, uilissimi hominis deditioe, alterum quoque liberari. Agetur igitur & cum altero: & si quid amplius est in damni persecutione, consequetur computato precio hominis noxae dediti. Ipsi tamen inter se pensare debent id communi diuidendo iudicio: ut si ille, quo sciente fecit, praestiterit: non totius partem ferat, sed partem eius, quanti seruus est: sic & si alter praestiterit aliquid, eius partem fieri. Illud iniquum est, eum qui iussit seruum facere, consequi aliquid a socio, cum ex suo delicto damnum patiatur. Si plures eiusdem serui nomine noxali mecum agere uelint, uel unus pluribus iudicij eiusdem serui nomine agar, in quo usufructus tuus, proprietatis mea sit: officio iudicis continebitur, cum eum noxae dedidero, ut etiam usufructum actoris faciam. sed per praetorem id consequar ego dominus proprietatis: ut aut cogat praetor te pro aestimatione usufructus conferre ad litis aestimationem, aut usum fructum cedere, si hoc expediat. Et si ego dominus proprietatis eum seruum nolui defendere: defensio tibi permittenda est. & si condemnatus hominem tradas, aduersus me te tueberis.

XVIII. POMPONIVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**I**s qui usufructum in seruo habet, perinde cum domino habet actionem furti, atque si quilibet alius esset: sed cum eo non est, quauis seruiat ei. & ideo dominus damnatus fructuario noxae dedens liberabitur.

XIX. PAVLVVS lib. XXII. ad edictum.

**S**i in re communi mea & tua, damnum nobis dederit Titij seruitus: si secum eo agemus, erit noxali Aquiliae actioni locus: ne damnatus in solidum singulis noxae dedere cogatur. Sed potest dici, quasi damnum unius sit, & una obligatio: aut utriusque pecuniam sufferendam, aut officio iudicis simul utriusque noxae dedendum. Sed & si alterutri nostrum in solidum

dū noxæ deditus fuerit, & ob id ab utroq; dominus sit absolutus: recte dicitur eum, cui noxæ deditus sit, alteri teneri communi diuidendo iudicio: ut communiceat seruū noxæ sibi deditum, cum ob rem communem ad socium peruenerit. Si serui, in quo ususfructus alienus est, dominus proprietatis operas conduxerit: uerba edicti efficiunt, ut cum noxæ deditioe cōdemnetur. Si seruus tuus nauē exerceuerit, eiusq; uicarius & idem nauta in eadem nauē damnum dederit: perinde in te actio danda est, ac si is exercitor liber, & hic uicarius seruus eius esset, ut de peculio serui tui ad noxam dedere uicarium damneris: ut tamen si serui tui iussu, uel sciente eo & patiente, damnum uicarius dederit: noxalis actio serui tui nomine esse debeat. idemq; fit, etiam si nautam facere iusserit.

## XX. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**Q**ui ex pluribus noxis diuersis tēporibus experitur: ex una noxa serui dominium nactus, nullam amplius actionem habet aduersus eum, qui dominus fuerat: cum actio noxalis caput sequatur. At si maluit dominus priore iudicio litis æstimationem sufferre: uel eidem, uel alij ex alio maleficio agenti, nihilominus tenetur.

## XXI. VLP IANVS lib. XXIII. ad edictum.

**Q**uoties dominus ex noxali causa conuenitur: si noluerit suscipere iudiciū, in ea causa res est, ut debeat noxæ dedere eum, cuius nomine iudiciū non suscipit: aut si id non faciat, iudiciū omnimodo suscipiet. sed non aliās condemnabitur, quā si in potestate habet, doloūe malo fecit, quō minus haberet. Eos, quorum nomine noxa in iudicio agitur, etiam absentes defendi posse placuit. sed hoc ita demū, si proprii serui sint. nam si alieni: præsentēs esse oportet. at si dubitetur, utrum proprii sint, an alieni (quod ita puto accipiendum, ut si constet, nel bona fide ei seruire) etiam absentes possunt defendi. Prator ait. SI IS, IN CUIVS POTESTATE ESSE DICETVR, NEGAVERIT SE IN POTESTATE SERVVM HABERE: VTRVM ACTOR VOLET, VEL DEIERARE IVBEO IN POTESTATE SVA NON ESSE, NEQVE SE DOLO MALO FECISSE, QUOMINVS ESSET: VEL IVDICIVM DABO SI NE NOXAE DEDITIONE. IN POTESTATE sic accipe debemus, ut facultatem & potestatem exhibendi eius habeat. ceterū si in fuga sit, uel peregre: non uidebitur esse in potestate. Quod si reus iurare nolit: similis est ei, qui neq; defendit absentem, neq; exhibet: quia cōdemnatur quasi contumaces. Si tutor nel curator existet, ipse iurare debet, in potestate domini non esse. Si autem procurator sit, dominus ipse iuret, necesse est. Si iusiurandum exegit actor, reusq; iurauit, dein de postea noxali uelit actor experiri: uidendum est, an exceptio iurisiurandi

randi debeat aduersus actorem dari. Et Sabinus putat nõ esse dandam: quasi de alia re iuratum sit, hoc est tunc non fuisse in potestate: modo uero cum in potestate depræhendatur, de facto eius agi posse. Neratius quoq; dicebat, post exactum iusiurandum posse actorem detracta noxæ deditioe experiri: si modo hoc contendat, postea quàm iuratum sit, cœpisse in potestate habere.

XXII. PAVLVVS lib. XVIII. ad edictum.

**S**I seruus depositus uel cõmodatus sit: cum domino agi potest noxa si actione. ei enim seruire intelligitur, & (quod ad hoc edictum attinet) in potestate eius est: maxime si copiam habeat recuperandi hominis. Is qui pignori accepit, uel qui precario rogauit, nõ tenetur noxa si actione. licet enim iuste possident, non tamẽ opinione domini possident. sed hos quoq; in potestate domini intelligi, si facultatem repetendi eos dominus habeat. Quid est autem habere facultatem repetendi: si habeat pecuniam, ex qua liberari possit. nam non debet cogi uendere res suas, ut soluat pecuniam, & repetat seruum. Dominus, qui seruum in sua potestate esse confitetur: aut exhibere eum debet, aut absentem defendere. quod nisi faciat: punitur, atq; si absentẽ nõ noxæ dederit. Si negauit dominus in sua potestate seruum esse: permittit prætor actori arbitrium, utrum iureiurãdo id decidere, an iudicium dicere sine noxæ deditioe uelit: per quod uincet, si probauerit eum in potestate esse, uel dolo eius factum, quo minus esset. si autem non probauerit, in potestate aduersarij esse seruum: rem amittit.

XXIII. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale

**S**ed etsi postea aduersarius eius in potestate habere cœperit seruum: steneretur ex noua possessione, denegata ei exceptione.

XXIIII. PAVLVVS lib. XVIII. ad edictum.

**D**E illo uidendum: utrum aduersus eum tantum, qui dolo fecit: quo minus in potestate haberet, actio locum habeat noxalis, si ex dolo eius acciderit, ut cesset noxalis actio: (forte si seruo suo fugam mandauit) an & possit nihilominus cum alio agi: quod accidit, cū alienatus, manumissus uel est. quod est uerius. in quo casu electio est actoris, cum quo uelit agere. Julianus autẽ ait de eo, qui manumisit: si paratus sit defendere se manumissus, exceptionem dandam ei, qui manumisit. hoc & Labeo.

XXV. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**I**dem est, etsi nouus dominus serui iudicium patiat.

XXVI. PAVLVVS lib. XVIII. ad edictum.

**E**lectio uero alterum liberabit. id enim prætor introduxit, ne eluderetur actor, non ut etiam lucrum faceret. ideoq; exceptione à sequenti

A quenti

als\*præ-  
toria.

quentibus submouebitur. His consequens est, ut si plures dolo fecerint, quo minus in potestate haberent: eligere debeat actor, quem velit conuenire. Item si ex pluribus dominis quidam dolo malo partes suas deserint possidere: electio erit actoris, utrum directò agere velit cum eo, qui possidet: an præterea cum eo, qui desijt possidere. Si seruum alienum alius in iure suum esse responderit: altero soluente, alter liberatur. Si is, quem deseris dolo possidere, decesserit prius, quàm hac actione conuenieris: liberaris, quia hæc actio in locum directæ actionis succedit. Diuersum dicemus, si moram feceris in iudicio accipiendo. Neque hæredi, neque in hæredem de eo, quod defunctus mentitus est, actio danda est: nec in ipsum quolibet tempore. nam liberum esse debet defendenti absentem seruum, huius edicti poenam euitare: scilicet ut sine noxæ deditioe conueniatur. Et ideo si negaueris seruum in tua potestate esse: postea fateri poteris, nisi si iam lis aduersus te contestata est. nam tunc audiri non debebis, ut Labeo ait. Octavianus ex causa etiam lite contestata tibi succurrendum: utique si ætas tua ea sit, ut ignosci tibi debeat. Si absente domino ductus sit seruus (uel etiã præsentem) & in ea causa sit, ut in integrum restitui possit: defensio permittitur eius nomine, qui ductus est. postulantibus enim exhiberi eum ad defendendum, indulgere debet prætor. Idem concedendum est fructuario, uel cui pignoris nomine obligatus est, si præsens dominus defendere noluerit: ne alterius dolus aut desidia alij noceat. Idem præstandum est in seruo communi, quem alter ex dominis noluit defendere. Sed & actori his casibus succurrendum est: quia placet domini acquisitione extinguere actionem. iussu enim prætoris ductus in bonis fit eius, qui duxit.

XXVII. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

SI noxale iudicium agitur de seruo, qui pignoris iure tenetur, aut cuius ususfructus alterius est: admonendi sumus, si creditor uel usufructuarius præsens defensionem suscipere noluerit: proconsulem interuenturum, & pignoris persecutionem, uel ususfructus actionem negaturum. Quo casu dici potest, ipso iure pignus liberari. nullum enim pignus est, cuius persecutio negatur. Ususfructus autem, etiam si persecutio denegatur, ipso iure durat eò usque, donec non utendo constituto tempore pereat. Ex his, quæ diximus de seruo, qui alicui pignoris iure obligatus est, de quo statulibero, & cuius ususfructus alienus est: apparet eum, qui alium seruum in iure suum esse responderit: quamuis noxali iudicio teneatur, non tamen posse noxæ deditioe ipso iure liberari: quia nullum ad actores dominium transferre possunt, qui ipsi domini non sunt. Certe tamen, si ex ea causa traditum, postea dominus uindictæ, nec litis æstimationem offerat: poterit per exceptionem doli mali repelli.

Africa

XXVIII. AFRICANVS lib. VI. *quæstionum.*

**E**T generaliter: si alieni serui nomine, qui tibi iusta seruitute seruiret, noxali tecum egerim, tuq; mihi eum noxæ dedideris: siue me possidente dominus eum uindictet, exceptione doli mali (nisi litis æstimationem offerat) eum submoueri puto: siue ipse possideat, Publiciana nam mihi dari, & aduersus excipientem **SI DOMINVS EIVS NON SIM**, utilem mihi replicationem doli mali profuturam. Et secundum hæc usu quoq; me capturum, quamuis sciens alienū possideam. Alioquin si aliter constituatur: futurum, ut summa iniquitate bonæ fidei possessor adficiatur: si cum ipso iure noxalis actio aduersus eū conpetit, necessitas ei imponatur, ut litis æstimationem offerat. Eademq; dicenda sunt, etsi cum ab eo non defenderetur, iussu prætoris eū duxerim: quoniam isto quoq; casu iustam causam possidendi habeo.

XXIX. CAIVS lib. VII. *ad edictum prouinciale.*

**N**on solum autē qui in potestate non habet, recusare potest noxale iudicium: uerum etiam habenti in potestate liberum est euitare iudicium, si indefensam eam personam relinquat. sed huic necessitas est ius suum ad actorem transferre, perinde ac si damnatus esset.

XXX. IDEM lib. III. *ad edictū prætoris urbani, tit. de dāno infecto.*

**I**N noxalibus actionibus eorum, qui bona fide absunt, ius non corrumptur: sed reuersis defendendi ex bono & æquo potestas datur: siue domini sint, siue alioqui in ea re ius habeant: qualis est creditor & fructuarius.

XXXI. PAVLVS lib. VII. *ad Plautum.*

**Q**uod ait prætor, cum familia furtum facit, ad eum modū se actionem daturum, ut tantum actor consequatur, quantum si liber fecisset, consequeretur: quæritur, utrum ad pecuniæ præstationem respiciat, an etiam ad noxæ deditionem: ut (puta) si ex precijs noxæ ditorum duplum colligatur, sequentes actiones inhiabantur? Sabinus & Cassius putant, precium quoq; noxæ ditorum imputari debere. quod & Pomponius probat, & est uerū. Nam & si seruus indefensus dicitur sit, æstimatio eius imputanda est. Certe non tantum duplicationis, sed & conditionis rationem habendam, Julianus putat. Sed & furti faciendi tempus spectandum esse, an eiusdem familiæ sint serui. nam si hi, qui plurium dominorum erant, unius esse postea cæperint: locum edicto non fore.

XXXII. CALLISTRATVS lib. II. *edicti monitorij.*

**I**S qui in aliena potestate est, si noxā commisisse dicatur, & non defendatur: ducitur. etsi præsens est dominus, tradere eum, & de dolo malo promittere debet.

XXXIII. POMPONIVS lib. XIII. *ad Sabinum.*

A ij Noxali

**N**Oxali iudicio inuitus nemo cogitur alium defendere: sed carer e  
bet eo, <sup>\*aliàs. de</sup> in potestate sit, indistincte ipsi sui defensio danda est. <sup>\*debere eo, quem nõ defendit, uerius est. Quod si liber est, q̄uis</sup>

**Q**uoties enim nemo filium familias ex causa delicti defendit, in  
eum iudicium datur. <sup>XXXIIII. IULIANVS lib. IIII. ad Vrscium.</sup>

**E**T si condénatus fuerit filius, iudicatum facere debet. tenet enim  
condemnationem filij, duntaxat de peculio posse conueniri. <sup>XXXV. VLP IANVS lib. XL. ad Sabinum.</sup>

**S**I quis seruum pignoratam, deinde à debitore subreptum, emerit à  
debitore: eius nomine furti tenebitur, dominio serui adquisito. nec  
oberit, quod Seruiana poterit is homo auocari. Idemq; & si à minore  
quis uiginti quinque annis emerit, uel in fraudem creditorum sciens. hi  
enim, quamuis auferri eis dominium possit, interim tamen conueni  
endi sunt. <sup>XXXVII. TRIPHONINVS lib. V. disputationum.</sup>

**S**I alienus seruus furtum mihi fecerit, qui postea in meum dominium  
peruenit: extinguitur furti actio, quæ mihi competierat, nondum  
in iudicium deducta. Nec si postea aliena uero eum, quem ante litæ con  
testatam emeram, furti actio restaurabitur. quod si post litem conte  
statam eum redemero: condemnandus erit uenditor,

<sup>XXXVIII. VLP IANVS lib. XXXVII. ad edictum.</sup>

**Q**uemadmodum si alij uendidisset. parui enim refert, cui uendide  
rit: aduersario, an alij. suaq; culpa litis æstimationem subiturum,  
qui uendendo noxæ deditioem sibi ademit. Iulianus autem libro ui  
cesimo secundo digestorum scribit: si seruum pro derelicto habeam, qui  
<sup>\*als. nec</sup> tibi furtum fecerat, liberari me: quia statim meus esse desinit, <sup>\*ne eius nomi</sup>  
e. n. q. f. ne, qui sine domino sit, furti actio sit. Si seruus meus rem tuam subtraxerit  
d. f. furti rit & uendiderit, tuq; numos, quos ex precio habebat, ei excusseris: lo  
actione  
esse. cus erit furti actioni ultro citroq; nã & tu aduersus me furti ages noxali  
serui nomine, & ego aduersus te numorum nomine. Sed & si seruo cre  
ditoris mei soluerim numos, ut is eos domino suo det: æque locus erit  
furti actioni, si is numos acceptos interceperit.

<sup>XXXIX. IULIANVS lib. IX. digestorum.</sup>

**S**I plurium seruus furtum fecerit, & omnes dolo fecerint, quo minus  
eum in potestate haberent: subsequi debet prætor iuris ciuilibus actio  
nes, & iudicium Honorarium, quod ex hac causa pollicetur in eum,  
quem actor elegerit. Neq; enim amplius præstari actor debet, quam  
ut detracta noxæ deditioem agere possit cum eo, cum quo noxali iudi  
cio

cio experiri potuisset, si seruus exhiberetur. Qui alienum seruum suū esse fatetur, quamuis noxali actione obligetur, nihilominus causa cognita satisfacere debet. qui autē pro suo seruo conuenitur, satisfatione onerandus non est. non enim offert se defensionem alieni serui. Si quis dicat dominum dolo fecisse, quo minus in potestate eius seruus esset: ille autem contendat, eum seruum ab alio defendi cum satisfatione: doli mali exceptioni locus erit. Sed etsi post iudicium acceptum cum domino, seruus apparuit, & quia non defendebatur, ductus est: exceptione doli mali posita, dominus absoluetur. Sed mortuo seruo ante, quam accipiatur iudicium, omnino hac actione non tenebitur dominus.

XL. IDEM lib. XXII. *digestorum.*

SI seruus legatus ante aditam hæreditatem non hæredis futuri subtraxerit: potest is cum legatario, qui legatum agnouerit, furti agere. sed si idem seruus hæreditariam rem subtraxerit, furti actio cessabit: quia huiusmodi rerum furtum non fit. ad exhibendum autem actio competit.

XLI. IDEM lib. II. *ad Vrseium Ferozem.*

CVm seruus communis alteri dominorum damnnum iniuria dedit: idcirco legis Aquiliæ actio non est, quia si extraneo damnū dedisset, cum altero in solidū lege Aquilia agi posset: sicuti & cum seruus communis furtum fecit, cum altero domino furti agi non potest, sed communi diuidendo.

XLII. VLP IANVS lib. XXXVII. *ad edictum.*

SI ad libertatem proclamauerit is, cuius nomine noxale iudicium susceptum est: sustineri debet id iudicium, quoad de statu eius iudicetur. & siquidem seruus fuerit pronuntiatus, noxale iudicium exercebitur. si liber: inutile uidebitur. Si quis pro seruo mortuo, ignorans eum decessisse, noxale iudicium acceperit: absolui debet, quia desit uerum esse, propter eum dare oportere. Hæ actiones perpetuæ sunt, locumque habent tam diu, quam diu serui dedendi facultatem habemus. Nec tantum nobis, uerum etiam successoribus nostris competunt. Item aduersus successores: sed non quasi iure successionis, sed iure dominij. Proinde & si seruus ad alium peruenisse proponatur: iure dominij noxali iudicio nouus dominus conuenietur.

XLIII. POMPONIVS lib. VIII. *ἐπιτολῶν.*

Serui, quorum noxa caput sequitur, ibi defendendi sunt, ubi deliquisse arguantur. itaque seruos dominus eodē loco exhiberi debet, ubi uim intulisse dicuntur: & carere omnium dominio poterit, si eos non defendat.

# DIGESTORVM

## SEV PANDECTARVM LIBER DECIMVS.

### FINIVM REGVNDORVM.

Tit. I.

CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.



INIVM regundorum actio in personam est, licet per vindicationem rei est.

II. VLPPIANVS lib. XIX. ad edictū.

**H**Aec actio pertinet ad praedia rustica, quāvis aedificia interueniant. neq; enim multum interest, arbores quis in cōfinio, an aedificium ponat. Iudici finium regundorum permittitur, ut ubi non possit dirimere fines, adiudicatione controuersiam dirimat. Et si forte amouendae ueteris obscuritatis gratia, per aliam regionem fines iudex dirigere uelit: potest hoc facere per adiudicationē & condemnationē.

III. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**Q**uo casu opus est, ut ex alterutrius praedio alij adiudicandū sit: q̄ nomine is, cui adiudicatur, certa pecunia condemnandus est.

IIII. PAVLVS lib. XXIII. ad edictum.

**S**ed & loci unius controuersia in partes scindi adiudicationibus potest, prout cuiusq; dominium in eo loco iudex compererit. In iudicio finium regundorū etiam eius ratio fit, quod interest. quid enim si quis aliquam utilitatem ex eo loco percepit, quam uicini esse appareret: an inique cōdemnatio eo noie fiet? Sed & si mensor ab alterutro solo conductus sit: condemnatio erit faciendae eius, qui non conduxit, in partem mercedis. Post litem autem contestatam etiā fructus ueniunt in hoc iudicio. nam & culpa & dolus exinde praestantur. sed ante iudicium percepti non omnimodo in hoc iudicium ueniunt. nam aut bona fide percepit, & lucrari eum oportet, si eos consumpsit: aut mala fide, & condici oportet. Sed & si quis iudici non pareat in succidenda arbore, uel aedificio in sine posito deponendo, parteue eius: condemnabitur. Si dicantur termini deiecti, uel exarati: iudex, qui de criminum cognoscit, etiam de finibus cognoscere potest. Si alter fundus duorum, alter trium sit: potest iudex uni parti adiudicare locum, de quo quaeritur, licet plures dominos habeat: quoniam magis fundo, quam personis adiudicari partes intelliguntur. Hic autem cū sit adiudicatio pluribus: unusquisq; portionem in fundo habet, quam & pro indiuiso habebat. Qui cōmunem fundum inter se habent, non cōdemnantur.

neq;

neq; enim inter ipsos accipi iudicium uidetur. Si communem fundum ego & tu habemus, & uicinum fundū ego solus: an finium regundorum iudiciū accipere possumus? Et scribit Pomponius, non posse: quia ego & socius meus in hac actione aduersarij esse non possumus, sed unius loco habemur. Idem Pomponius ne utile quidem iudiciū dandum dicit: cum possit, qui proprium habet, uel cōmunem uel proprium fundum alienare, & sic experiri. Non solum autem inter duos fundos, uerum etiam inter tres, pluresue fundos accipi iudicium finium regundorū potest: ut puta singuli plurium fundorū confines sunt, trium forte uel quatuor. Finium regundorum actio, & in agris uectigalibus, & inter eos, qui usumfructū habent, uel fructuarium & dominiū proprietatis uicini fundi, & inter eos, qui iure pignoris possident, cōpetere potest. Hoc iudicium locum habet in confinio prædiorū rusticorum, in urbanorum displicuit. Neq; em̄ \*confines hic sunt, sed magis uicini dicuntur: & ea cōmunibus parietibus plerunq; disterminantur. Et ideo & si in agris ædificia iuncta sunt, huic actioni locus non erit. Et in urbe hortorū latitudo efficere potest, ut etiam finium regundorū agi possit. Si uero \*flumen uel uia publica interuenit, confiniū nō intelligitur: & ideo finium regundorum agi non potest.

V. IDEM lib. XV. ad Sabinum.

**Q**uia magis in confinio meo uia publica, uel flumen sit, q̄ ager uicini.

VI. IDEM lib. XXIII. ad edictum.

**S**ed si riuus priuatus interuenit, finium regundorū agi potest.

VII. MODESTINVS lib. X. παρὰ ἐκ τῶν.

**D**e modo etiam agrorum arbitri dantur: & is, qui maiorem locū in territorio habere dicitur, cæteris, qui locum minorem possident, integrum locum adsignare cōpellitur: idēq; ita rescriptum est.

VIII. VLPIANVS lib. VI. de officio proconsulis.

**S**i irruptione fluminis fines agri confuderit inundatio, idēq; usurpandi quibusdam loca, in quibus ius non habent, occasionem præbet: præses prouinciæ alieno eos abstinere, & domino suum restitui, terminosq; per mensorem declarari iubet. Ad officium de finibus cognoscantis pertinet, & mensores mittere, & per eos dirimere ipsam finium quæstionē, ut æquū est, & (si ita res exigat) oculis etiā suis subiectis locis.

IX. IULIANVS lib. VIII. digestorum.

**I**udicium finium regundorū manet, quamuis socij cōmuni diuidendo egerint, uel fundum alienauerint.

X. IDEM lib. LI. digestorum.

**I**udicium communi diuidendo, familiæ exercundæ, finium regundorum tale est, ut in eo singulæ personæ duplex ius habeat: & agentis

als \*cōfinia hæc sunt, sed magis uicina dicunt: & ea. \*als deest

tis & eius, qui cum agitur.

XI. P A P I N I A N V S lib. II. *responsorum.*

**I**N finalibus quaestionibus uetera monumenta, & census auctoritas ante litem incohatam ordinati sequenda est: si modo non uarietate successionum, & arbitrio possessorum fines, additis uel detractis agris, postea permutatos probetur.

XII. P A V L V S lib. III. *responsorum.*

**E**Os terminos ( quantum ad domini quaestionem pertinet ) obseruari oportere fundorum, quos demonstrauit is, qui utriusque praedij dominus fuit, cum alterum eorum uenderet. non enim termini, qui singulos fundos separabant, obseruari debent: sed demonstratio ad finem, quae novos fines inter fundos constituit.

XIII. C A I V S lib. III. *ad L. duodecim tabularum.*

**S**ciendum est in hac actione finium regundorum illud obseruandum, quod ad exemplum quodammodo eius legis scriptum est, quam Athenis Solon dicitur tulisse. nam illic ita est. *Ἐὰν τις ἀιμασίᾳ πᾶς ἄλλος τρεῖς χωρίω δεύῃ, τὸν ὄρον μὴ διαβαίνῃ. Ἐὰν τευχίῳ, πῶδα ἀπολείπῃ. Ἐὰν δὲ οἰκίῳ, δύο πῶδας. Ἐὰν δὲ τάφορ ἢ βύτρον δεύῃ, ὄσον τὸ βάθος. Ἐὰν δὲ τῶν ἀπολείπῃ. Ἐὰν δὲ φρέατος, δευγῶν. Ἐλαίῳ δὲ ἢ σικκῶ, ἐννέα πῶδας.*

*aliàs d'uo δας ἀπό τῶ ἀλλοτῆς φυτεῖα. τὰ δὲ ἄλλα δένδρα, \* πέντε πῶδας.*

## FAMILIAE ERCSICVNDAE. Tit. II.

C A I V S lib. VII. *ad edictum prouinciale.*



**H**aec actio proficiscitur ex lege duodecim tabularum. namque cohæredibus uolentibus à communionem discedere, necessarium uidebatur, aliquam actionem constitui, qua inter eos res hæreditariæ distribuerentur. Quæ quidem actio nihilominus ei quoque ipso iure competit, qui suam partem non possidet. Sed si is, qui possidet, neget eum sibi cohæredem esse: potest eum excludere per hanc exceptionem, *SI IN EA RE, DE QVA AGITVR, PRÆIUDICIUM HÆREDITATI NON FIAT.* Quod si possideat eam partem: licet negetur esse cohæres, non nocet talis exceptio. Quo fit, ut eo casu ipse iudex, apud quem hoc iudicium agitur, cognoscat, an cohæres sit: nisi enim cohæres sit: neque adiudicari ei quidem quam oportet, neque aduersarius ei condemnandus est.

II. V L P I A N V S lib. XIX. *ad edictum.*

**P**er familiae erciscundæ actionem diuiditur hæreditas: siue ex testamento, siue ab intestato, siue ex lege duodecim tabularum, siue ex aliqua lege deferatur hæreditas, uel ex senatusconsulto, uel etiam

constitutione. & generaliter eorum duntaxat diuidi hæreditas potest, quorum & peti potest. Si quarta ex constitutione diui Pij adrogatum ad aliquem deferatur: quia hic neq; hæres, neq; bonorum possessor sit: utile erit familiæ erciscundæ iudicium necessariū. Item si filij familias militis peculium sit: fortius defendi potest, hæreditatem effectam per constitutiones, & ideo huic iudicio locus erit. In familiæ erciscundæ iudicio unusquisq; hæredum, & rei & actoris partes sustinet. Dubitandum autem non est, quin familiæ erciscundæ iudicium & inter pauciores hæredes ex pluribus accipi possit. In hoc iudicium & si nomina non ueniunt, tamen si stipulationes interpositæ fuerint de diuisione rerū, VT STETVR EI, ET ALTER ALTERI MANDET ACTIONES, PROCVRATOREM QVE EVM IN SVAM REM FACIAT: stabitur diuisioni.

III. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

Planè ad officium iudicis nonnunquam pertinet, ut debita & credita singulis pro solido, alijs alia attribuat: quia sæpe & solutio, & exactio partium nõ minima incõmoda habet. Nec tamen scilicet hæc attributio illud efficit, ut quis totum solus debeat, uel totum alicui soli debeat: sed ut siue agendum sit, partim suo, partim procuratorio nomine agatur: siue contra eum eo agatur, partim suo, partim procuratorio cõueniatur. Nam licet libera potestas maneat creditoribus cum singulis experiundi: tamen & his libera potestas est suo loco substituendi eos, in quos onera actionis officio iudicis translata sunt.

IIII. VLPIANVS lib. XIX. ad edictum.

Cætera itaq; res, præter nomina, ueniunt in hoc iudicium. Sin autem nomen uni ex hæredibus legatū sit: iudicio familiæ erciscundæ hoc hæres consequitur. Mala medicamenta & uenena ueniunt quidem in hoc iudicium: sed iudex omnino interponere se in ijs nõ debet, boni enim & innocentis uiri officio eum fungi oportet. Tantūdem debet facere in libris improbatæ lectionis, magicis forte, uel similibus hæc enim omnia protinus corrupenda sunt. Sed & si quid ex peculatu, uel sacrilegio quæsitum erit, uel ui, aut clam, aut latrocinio, aut aggressura: hoc non diuidet. Sed & tabulas testamenti debet aut apud eum, qui ex maiore parte hæres est, iubere manere: aut in ædem deponi. Nam & Labeo scribit, uendita hæreditate tabulas testamenti descriptas deponi oportere: hæredem enim exemplum debere dare: tabulas uero authenticas ipsum tenere, aut in ædem deponere.

V. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

Si quæ sunt cautiones hæreditariæ, eas iudex curare debet, ut apud seum maneant, qui maiore ex parte hæres sit: cæteris descriptum &

B reco-

recognitum faciat, cautione interposita, ut cum res exegerit, ipsæ exhibeantur. Si omnes iisdem ex partibus hæredes sint, nec inter eos conueniat, apud quem potius esse debeant: sortiri eos oportet: aut ex consensu, uel suffragio eligendus est amicus, apud quem deponantur: uel in ædem sacram deponi debent.

VI. VLP IANVS lib. XIX. ad edictum.

**N**am ad licitationem rem deducere, ut qui licitatione uicerit, hic habeat instrumenta hæreditaria: nõ placet, neq; mihi, neq; Pomponio.

VII. VENVLEIVS lib. VII. stipulationum.

**S**i hæres unus, cum sub conditione aut apud hostes additum coheredem haberet, dixerit se hæredem esse, & actione expertus uicerit: deinde conditio hæredis exstiterit, uel postliminio redierit: an uictoriae commodum debeat cum eo comunicari? an indubitate iudicati actione in solidum competat? & puto electionem coheredi dandam, aut comunicandi eam, aut experiundi potestatem faciendi huic, qui post uictoriam coheredis effectus sit hæres, aut reuersus sit in ciuitatem. Idemq; obseruandum, si postea natus sit postumus. non enim his personis silentium imputari potest, cum ad hæreditatem post uictoriam coheredis peruenerint.

VIII. VLP IANVS lib. XIX. ad edictum.

**P**omponius scribit, si uni ex hæredibus prælegatæ fuerint rationes: non prius ei tradendas, quam coheredes descripserint. Nam & si feruus actor ( inquit ) fuerit legatus, non aliàs tradendus est, quam rationes reddiderit. Nos uidebimus, nunquid etiam cautio sit interponenda: ut quoties desideratæ fuerint rationes, uel actor prælegatus, copia eorũ fiat. plerunq; enim authenticæ rationes sunt necessariæ actori ad instruenda ea, quæ postea emergunt ad notitiam eius spectantia: & necessariũ est cautionem ab eo super hoc coheredibus præstari. Idem Pomponius ait & columbas, quæ emitti solent de columbario, uenire in familiæ eriscundæ iudicium, cum nostræ sint tam diu, quam diu consuetudinẽ habeant ad nos reuertendi. quare si quis eas adprehendisset, furti nobis competit actio. Idem & in apibus dicitur: quia in patrimonio nostro computantur, Sed & si quid de pecoribus nostris à bestia ereptum sit: uenire in familiæ eriscundæ iudicium putat, si ferã euaserit: nam magis est, ut non desinat nostrum esse ( inquit ) quod à lupo eripitur, uel ab alia bestia: tam diu, quã diu ab eo fuerit consumptum.

IX. PAVLVS lib. XXIII. ad edictum

**V**eniunt in hoc iudicium res, quas hæredes usceperunt, cum defuncto traditæ essent. hæc quoq; res, quæ hæredibus traditæ sunt, cum defunctus emisset.

X. VLP IANVS lib. XIX. ad edictum.

**I**tem prædia, quæ nostri patrimonij sunt. sed & uectigalia, uel superficiaria. nec minus quæ hæ res, quas alienas defunctus bona fide possedit.

XI. PAVLVVS lib. XXIII. ad edictum.

**P**artum quoque editum & post aditam hæreditatem,

XII. VLP IANVS lib. XIX. ad edictum.

**E**T post litem contestatam Sabinus scribit, in familia eriscundæ iudicium uenire, & adiudicari posse. Idem erit & si seruis hæreditatis ab extraneo aliquid datû sit. Res, quæ sub conditione legata est, interim hæredum est: & ideo uenit in familia eriscundæ iudicium, & adiudicari potest, cum sua scilicet causa: ut existente conditione eximatur ab eo, cui adiudicata est: aut deficiente conditione ad eos reuertatur, quibus relicta est. Idem etiam in statu libero dicitur: qui interim est hæredum, donec existente conditione ad libertatem perueniat.

XIII. PAPINIANVS lib. VII. quæstionum.

**A**lienationes enim post iudicium acceptum interdictæ sunt, dumtaxat uoluntariæ: non quæ uetustiore causam, & originem iuris habent necessariam.

XIIII. VLP IANVS lib. XIX. ad edictum.

**S**ed & si usucapio fuerit cœpta ab eo, qui hæres non erat, ante litem contestatam, & postea impleta fuerit: rem de iudicio subducit.

**V**susfructus an in hoc iudicium deducatur, quæritur: utputa si deducatur & usufructu fundus fuit ab hæredibus legatus,

XV. PAVLVVS lib. XXIII. ad edictum.

**V**el si seruo hæreditario usufructus legatus sit. nec enim à personis discedere sine interitu sui potest.

XVI. VLP IANVS lib. XIX. ad edictum.

**E**T puto officio iudicis contineri, ut si uolent hæredes à communionem usufructus discedere, morem gerat, cautionibus interpositis. Iulianus ait: si alij fundum, alij usumfructum fundi iudex adiudicauerit: non communicari usumfructum. Ususfructus & ex certo tempore, & usque ad certum tempus, & alternis annis adiudicari potest. Id quod annis fundo post litem contestatam alluit: æque uenit in hoc iudicium. Sed & si dolo & culpa quid in usumfructum ab uno ex hæredibus factum sit: hoc quoque in iudicium uenire Pomponius ait. Nam omnia, quæ quis in hæreditate dolo aut culpa fecit, in iudicium familiaris eriscundæ ueniunt: sic tamen, si quasi hæres fecerit. Et ideo si uiuo testatore unus ex hæredibus pecuniam sustulerit, in familiaris eriscundæ iudicium ea non uenit: quia tunc nondum hæres erat. ubi autem quasi hæres fecit: & si aliam præterea quis actionem habet, tamen teneri eum

B ij fami-

familiae erciscundae iudicio Iulianus scribit. Idemque ait, si unus ex heredibus rationes hereditarias deleuerit: teneri quidem lege Aquilia, quasi corruerit: non minus autem & familiae erciscundae iudicio. Item aliis haereditarius propriam rem haereditis unius subripuerit: Ofili redum subrip. us ait, esse familiae erciscundae actionem, & communi diuidendo: furti quoque actionem cessare. Quare agentem familiae erciscundae iudicio consecuturum, ut aut ei seruus adiudicetur, aut litis aestimatio in simplum offeratur.

XVII. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**D**Amno commisso ab uno haerede, conueniens esse dicitur, simpli habendam aestimationem in familiae erciscundae iudicio.

XVIII. VLPIANVS lib. XIX. ad edictum.

**H**is consequenter (ut Iulianus ait) si ex pluribus heredibus uni seruus sit generaliter per optionem legatus, & haeredes Stichum tabulas hereditarias interleuisse dicant uel corrupisse, & propter hoc renunciauerint, ne optaretur seruus: deinde optatus uindictetur: poterunt, si is uindictetur, doli mali exceptione uti, & de seruo quaestionem habere.

Sed an in familiae erciscundae iudicium de morte testatoris, uel de morte uxoris, liberorumque suorum habebunt quaestionem haeredes, quaeritur? Et rectissime Pöponius ait, haec ad diuisionem rerum hereditariarum non pertinere. Idemque ait, & si quis testamento cauerit, ut seruus exportandus ueneat: officio iudicis familiae erciscundae contineri, ut uoluntas defuncti non intercidat. Sed & cum monumentum iussit testator fieri, familiae erciscundae agetur, ut fiat. Idem tamen tentat, (quia haereditum interest, quos ius monumenti sequitur) praescriptis uerbis posse eos experiri, ut monumentum fiat. Sumptuum, quos unus ex heredibus bona fide fecit: usuras quoque consequi potest a cohærede ex die mortis, secundum rescriptum imperatorum Seueri & Antonini.

etiam illud eleganter adijcit: cohæredem, & si non soluit, habere familiae erciscundae iudicium, ut cogatur cohæres soluere: cum aliis non sit liberaturus re creditor, nisi in solidum ei satisfiat. Si filius familias cum patri aliis haeres pro parte exstitisset, & a creditoribus peculiaribus conueniretur: paratus sit soluere id omne, quod debetur: per doli exceptionem consequetur a creditoribus, mandari sibi actiones. sed etiam familiae erciscundae iudicium cum cohæredibus habebit. Sed & cum unus ex heredibus legatum soluit ei, qui missus fuerat in possessionem legatorum seruadorum causa: putat Papinianus, & uerum est, familiae erciscundae iudicium ei competere aduersus cohæredes: quia non aliis decederet legatarius possessionem, quam uice pignoris erat consecutus, quam si totum legatum fuisset exsolutum. Sed & si quis Titio debitum soluerit, ne pignus ueniret, Neatius scribit, familiae erciscundae iudicio eum posse experiri.

Caius

## XIX. CAIVS lib. VII. ad edictum provinciale.

**T**em ex diuerso similiter p̄spicere iudex debet: ut quod unus ex hæredibus ex hæreditaria re percepit, stipulatus uē est, non ad eius solius lucrum pertineat. Quæ ita scilicet cōsequetur iudex: si aut reputationes inter eos fecerit, aut curauerit cautiones interponi, quibꝫ inter eos communicentur commoda & incommoda.

## XX. VLP IANVS lib. XIX. ad edictum.

**S**ilia nupta, quæ dotem conferre debuit, per errorem cohæredum ita cauit, ut quod à marito recuperasset, pro partibus hæreditarijs solueret: nihilominus arbitrum familiæ erciscundæ sic arbitraturum, Papinianus scribit, ut etiam si constāte matrimonio ipsa diem suum obierit, conferatur dos. Nam imperitia (inquit) cohæredum iurisdictionis formam immutare non potuit. Si filius familias iussu patris obligatus sit, debet hoc debitum præcipere. sed & si in rem patris uertit, idem placet. & si de peculio: peculiū præcipiet. & ita Imperator noster rescripsit. Hoc amplius filius familias hæres institutus, dotem uxoris suæ præcipit, nec immerito: quia ipse onera matrimonijs sustinet. integram igitur dotē præcipiet, & cauebit defensum iri\* cohæredes, qui ex stipulatu possunt conueniri. Idem si alius dotem dedit, & stipulatus est. Nec solum uxoris suæ dotem, sed etiam filij sui uxoris: quasi huius quoq; matrimonijs onus ad ipsam spectet: quæ & filij onera & maritus ipse agnoscere necesse habet. Præcipere autem non solū patri datam dotē filij oportere, uerū etiam ipsius filio Marcellus scribit. Sed filio datam tam diu, quā diu peculium patitur, uel in rem patris uersum est. Si pater inter filios sine scriptura bona diuisit, & onus æris alieni pro modo possessionum distribuit: non uideri simplicem donationem, sed potius supremi iudicij diuisionem Papinianus ait. Planè (inquit) si creditores eos pro portionibus hæreditarijs conueniant, & unus placita detrectet: poterit cum eo præscriptis uerbis agi, quasi certa lege permutationem fecerint: scilicet si omnes res diuisæ sint. Familiæ erciscundæ iudicium amplius, quā semel agi non potest, nisi causa cognita. Quod si quædam res indiuisæ relicte sint: communi diuidendo de eis agi potest. Papinianus ait, si uni ex hæredibus onus æris alieni iniungatur, citra speciem legati: officio iudicis familiæ erciscundæ cognoscen-  
tis suscipere eum id oportere: sed non ultra dodrantē portionis suæ, ut quadrantem illibatum habeat. Indemnes igitur cohæredes suos præstare cauebit. Idem scribit, si filius in muneribus publicis, in quibus pater ei consensit, reliquatus est, & pro parte hæres scriptus est: hoc quoq; debere præcipere, quia & hoc patris æs alienū fuerit. Sed si qua mu-  
nera post mortem patris susceperit: ab his hæredes patris soluti sunt.

aliās\* cohæredibus.

Neratius autem retulit eum, qui plures filios haberet, unū ex filiis <sup>et vna</sup> <sup>vota</sup> suscepturū professum esse: & prius q̄ honore fungeretur, mortuū esse, omnibus filiis hæredibus institutis. quæsitum esse, an is filius, quod in eā rem impendisset, FAMILIÆ ERCISCUNDÆ consequatur: respondisse nulla actione id consequi posse. quod merito displicuit. debet itaq; hoc in familiæ erciscundæ iudicium uenire. Item Papinianus scribit, si maritus alterum ex hæredibus onus dotis soluentis dirigit in stipulationem uenit, suscipere iussit: & mulier aduersus utrumq; dotis petitionem: cohæredem esse defendendū ab eo, qui suscipere onus iussus est. Sed legata, quæ ab utroq; pro dote data, electa dote, retineantur: in cōpendio cohæredis, qui debito leuatur, esse non oportere: uidelicet, ut cohæres, qui onus æris alieni suscepit, officio iudicis legatum consequatur. & uerum est hoc, nisi aliud testator edixit.

Idem scribit, q̄d uni ex cohæredibus statuliber cōditionis implendæ noīe dedit de peculio: in hoc iudiciū non uenire, nec cōicari debere.

**I**dem & in communi diuidendo.

XXI. PAVLVS lib. XXIII. ad edictum.

**I**tem Labeo scribit, si unus hæredum thesaurum relictum à testatore effodit: familiæ erciscundæ iudicio eum teneri, & si cum extraneo conscio partitus sit. Item familiæ erciscundæ iudex potest pluribus eandē rē adiudicare, si aut pluribus fuerit unius rei p̄ceptio relictæ. ubi etiā necessitatem facere Pōponius scribit, ut pluribus adiudicetur: uel si certā partem unicuiq; cohæredū adsignet, sed possit etiā licitatione admitti uni rē adiudicare. Sed & regionibus diuisum fundū posse adiudicare secundū diuisionem, nemo dubitauerit. Sed etiam cum ad iudicauerit, poterit imponere aliquam seruitutem, ut alij alium seruum faciat ex his, quos adiudicat. Sed si pure alium fundum adiudicauerit, alium adiudicando, amplius seruitutem imponere non poterit.

Familiæ erciscundæ iudiciū ex duobus constat: id est, rebus atq; præstationibus, quæ sunt p̄sonales actiones. Papinianus de re, quæ apud hostes est, Marcellū reprehendit, quod non putet præstationes eius rei uenire in familiæ erciscundæ iudiciū, quæ apud hostes est. quod etiā impedimentum est rei præstationem uenire, cum & ipsa ueniat,

XXIII. PAVLVS lib. XXIII. ad edictum.

**P**ropter spem postliminiū, scilicet cum cautione: quia possunt non reuerti. nisi si tantum æstimatus sit dubius euentus.

XXIII. VLPIANVS lib. XIX. ad edictum.

**S**ed & eius rei, quæ in rebus humanis esse desijt, ueniunt præstationes: & ego Papiniano consentio. Familiæ erciscundæ iudicium & iur-

& inter bonorum possessores, & inter eum, cui restituta est hereditas ex Trebelliano senatusconsulto, & ceteros honorarios successores locum habet.

XXV. PAULVS lib. XXIII. ad edictum.

**H**eredes eius, qui apud hostes decessit, hoc iudicio experiri possunt. Si miles alium castrensiū, aliū ceterorum bonorū heredem fecerit: non est locus familiæ erciscundæ iudicio. diuisum est enim per constitutiones inter eos patrimoniū. Quemadmodū cessat familiæ erciscundæ iudicium, cum nihil in corporibus, sed omnia in nominibus sunt. Quantum uero ad accipiendū familiæ erciscundæ iudicium, nihil interest, possideat quis hereditatem, nec ne. De pluribus hereditatibus, quæ inter eosdem ex diuersis causis cōmunes sunt, unum familiæ erciscundæ iudicium sumi potest. Si inter me & te Titiana hereditas communis sit, inter me autem & te & Titium Seiana: posse unum iudiciū accipi inter tres Pomponius scribit. Item si plures hereditates inter nos communes sunt: possumus de una familiæ erciscundæ iudicio experiri. Si testator rem cōmunem cum extraneo habebat: siue rei suæ partē alicui legauit, siue hæres ante iudiciū familiæ erciscundæ acceptum partem suam alienauit: ad officiū iudicis pertinet, ut eam partem, quæ testatoris fuit, alicui iubeat tradi. Quod pro emptore, uel p donato (puta) cohæres possidet: in familiæ erciscundæ iudicium uenire negat Pomponius. Idem scribit, cum ego & tu hæredes Titio existissemus, si tu partē fundi, quē totū hereditariū dicebat, à Sempronio petieris, & uictus fueris: mox eandem partem à Sempronio emero, & traditus mihi fuerit: agente te familiæ erciscundæ iudicio, non solum non ueniet hoc, quod pro hærede possidetur: sed nec id, quod pro emptore, cum enim per iudicem priorem apparuit, totam rem nō esse hereditatis: quemadmodum in familiæ erciscundæ iudicium ueniet. An ea stipulatio, qua singuli hæredes in solidum habent actionem, ueniat in hoc iudicium, dubitatur: (ueluti si is, qui uiam, iter, actū stipulatus erat, decesserit) quia talis stipulatio per legem duodecim tabularum non diuiditur, quia nec potest. Sed uerius est, non uenire eam in iudicium, sed omnibus in solidum competere actionem: & si nō præsterit uia, pro parte hereditaria condemnationē fieri oportere. Contra si promissor uia decesserit, pluribus hæredibus institutis: nec diuidi obligationem, nec dubium, quin duret: quoniā uia promittere & is potest, qui fundum nō habet. igitur quia singuli in solidum tenentur, officio iudicis cautiones interponi debere, ut si quis conuentus ex his litis estimationem præstiterit, id pro parte à ceteris consequatur. Idem dicendum est, & si testator uiam legauerit. In illa quoque stipulatione pro spiciendum est cohæredibus, si testator promiserit, **NE QVE**

per

PER SE, NEQVE PER HAEREDEM SVVM FIERI, QVO  
MINVS IRE AGERE POSSIT: quoniam uno prohibente, in soli  
dum committitur stipulatio: ne unius factum cæteris damnosum sit.

Idem iuris est in pecunia, si à testatore sub pœna promissa sit. nam li  
cet hæc obligatio diuidatur per legem duodecim tabularũ: tamen (quia  
nihilum prodest ad pœnam euitandã partem suam soluere) siue non-  
dum soluta est pecunia, nec dies uenit: prospiciendum est per cautio-  
nem, ut de indemnitate caueat, per quem factum fuerit, ne omnis pe-  
cunia solueretur: aut ut caueat, se ei, qui in solidum soluit, partem præ-  
staturum: siue iam soluit unus uniuersam pecuniam, quam defunctus  
promisit, ne pœna cõmitteretur: familiæ erciscundæ iudicio à cohære-  
dibus partes recipere poterit. Idem obseruatur in pignoribus luendis.  
nam nisi uniuersum, quod debetur, offeratur: iure pignus creditor uen-  
dere potest. Si unus ex cohæredibus noxali iudicio seruum hæredi-  
tarium defenderit, & litis æstimatione obtulerit, cum hoc expediret: id  
pro parte hoc iudicio consequetur. Idem est, & si unus legatorum no-  
mine cauerit, ne in possessionem mitteretur. Et omnino quæ pro parte  
expediri non possunt, si unus cogente necessitate fecerit: familiæ er-  
ciscundæ iudicio locus est. Non tantum dolum, sed etiam cula-  
pam in re hæreditaria præstare debet cohæres: quoniam cum cohære-  
de non contrahimus, sed incidimus in eum: Non tamen diligentiam  
præstare debet, qualem diligens paterfamilias: quoniam hic propter  
suam partem caussam habuit gerendi, & ideo negotiorum gestorum  
ei actio non competit. talem igitur diligentiam præstare debet, qua-  
lem in suis rebus. Eadem sunt, si duobus res legata sit. nam & hos cone-  
iunxit ad societatem non consensus, sed res. Si incerto homine  
legato, & postea defuncto legatario aliquis ex hæredibus legatarij non  
consentiendo impedierit legatum: is qui impedit, hoc iudicio cetero-  
ris, quanti intersit eorum, damnabitur. Idem est, si è contrario unus ex  
hæredibus, à quibus generaliter homo legatus est, quem ipsi eleger-  
int: noluerit consentire, ut præstetur, quem solui omnibus expedie-  
bat: & ideo conuerti à legatario iudicio, pluris damnati fuerint. Item  
culpæ nomine tenetur, qui cum ante alios ipse adisset hæreditatem, ser-  
uitutes prædijs hæreditarijs debitas passus est non utendo amitti. Si  
filius, cum patrem defenderet, condemnatus soluerit, uel uiuo eo, uel  
post mortem: poterit æquius dici, habere petitionem à cohærede in fa-  
miliæ erciscundæ iudicio. Iudex familiæ erciscundæ nihil debet in-  
diuisum relinquere. Itẽ curare debet, ut de euictione caueatur his, qui-  
bus adiudicat. Si pecunia, quæ domi relicta non est, per præceptio-  
nem relicta sit: utrum uniuersa à cohæredibus præstanda sit, an pro par-  
te hæ

te hæreditaria, quemadmodum si pecunia in hæreditate relicta esset, dubitatur. Et magis dicendum est: ut id præstandum sit, quo d præstaretur, si pecunia esset inuenta.

XXVI. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**O**fficio autem iudicis cõuenit, iubere hæreditaria rem uenire unã pluresiue, & pecuniã ex precio redactã ei numerari, cui legata sit.

XXVII. PAVLVS lib. XXI. ad edictum.

**I**n hoc iudicio condemnationes & absolutiones in omniũ personas faciendæ sunt. Et ideo si in alicuius persona omissa sit damnatio: in cæterorũ quoq; psona, qd' fecit, iudex nõ ualebit: quia nõ potest uno iudicio res iudicata in partem ualere, in partem non ualere.

XXVIII. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**R**em pignori creditori datam si per præceptionem legauerit testator: officio iudicis continetur, ut ex cõmuni pecunia luatur: eãq; ferat is, cui eo modo fuerat legata.

XXIX. PAVLVS lib. XXIII. ad edictum.

**S**i pignori res data defuncto sit, dicendum est, in familiæ erciscundæ iudicium uenire. sed is, cui adiudicabitur, in familiæ erciscundæ iudicio pro parte cohæredi erit damnandus: nec cauere debet cohæredi indemnem eum fore aduersus eũ, qui pignori dedit. quia pro eo erit, ac si hypothecaria uel Seruiana actiõne petita litis æstimatio oblata sit: ut & is, qui obrulerit, aduersus dominum uindicantem exceptione tuerendus sit. Contra quoq; si is hæres, cui pignus adiudicatum est, uelit totum reddi: licet debitor nolit, audiendus est. Non idem dici potest, si alteram partem creditor emerit. adiudicatio enim necessaria est, emptio uoluntaria: nisi si obijciatur creditori, quod animose licitus sit. sed huius rei ratio habebitur: quia quod creditor egit, pro eo habendum est, ac si debitor per procuratorem egisset: ut & eius, quod propter necessitatem uel ultra impendit, sit actio creditori.

XXX. MODESTINVS lib. VI. responsorum.

**F**undus mihi cõmunis est, & pupillæ cohæredi. in eo fundo reliquæ conditæ sunt, quibus religio ab utrisq; partibus debebatur. nã parentes quoq; eiusdẽ puellæ ibi sepulti sunt. sed tutores distrahere fundum uolunt. ego non consentio: sed portionẽ meam pssidere malo, cum uniuersitatem emere non possim, & uelim pro meo arbitrio exsequi ius religionis. quæro, an recte arbitrum cõmuni diuidundo iudicio ad hunc fundum partiendum petam: an etiam is arbiter, qui familiæ erciscundæ datur, isdẽ partibus fungi possit, ut hanc possessionem, exceptis cæteris corporibus hæreditarijs, pro iure cuiq; nobis partiaturs. Herenius Modestinus respondit, nihil pponi, cur familiæ erciscundæ

dæ iudicio aditus arbiter officium suum etiam in eius fundi, de quo agitur, diuisione interponere non possit: sed religiosa loca in iudiciũ non deduci, eorumq; ius singulis hæredibus in solidum competere.

XXXI. P A P I N I A N V S lib. VII. *questionum.*

**S**I seruus pignori obligatus luatur ab uno ex hæredibus: quamuis postea decedat, officium tamen arbitri durat: sufficit enim communis causa, quæ præcessit, quæq; hodie duraret, si res non intercidisset.

XXXII. I D E M lib. II. *responsorum.*

**Q**Uæ pater in filios non diuisit, post datas actiones uice diuisionis ad singulos pro hæreditaria portione pertinent: si modo cætera, quæ non diuisit, in unum generaliter non contulit, uel res datas non sequitur.

XXXIII. I D E M lib. VII. *responsorum.*

**S**I pater familias singulis hæredibus fundos legando, diuisionis arbitrio fungi uoluit: non aliter partem suam cohæres præstare cogatur, quam si uice mutua partem à nexu pignoris liberam consequatur.

XXXIII. I D E M lib. VIII. *responsorum.*

**S**ERUOS inter cohæredes tempore diuisionis æstimatedos, non emendati, sed diuidendi animo præcis adscriptos uideri placuit. quare suspensa cõditione mortuos, tam hæredi, q̃ fidei commissario deperisse.

XXXV. I D E M lib. XII. *responsorum.*

**P**OMPONIUS Philadelphus dotis causa prædia filia, quam habebat in potestate, tradidit: & redditus eorum genero solui mandauit. antea præcipua filia retinere possit, cum omnes filios hæredes instituisset, quærebatur. iustã causam retinendæ possessionis habere filiam quoniam pater prædia, de quibus quærat, dotis esse uoluit, & matrimonium post mortem quoq; patris stetit: respondi. filiam etenim, quæ naturaliter agros tenuit: specie dotis, cuius capax fuit, defendi.

XXXVI. P A V L V S lib. II. *questionum.*

**C**UM putarem te cohæredem meũ esse, idq; uerum non esset: egi ones & condemnationes factæ sunt. quæro, rei ueritate cognita, utrum conditio inuicem comperat, an uindicatio: & an aliud in eo, qui hæres est, aliud in eo, qui hæres non est, dicendum sit? Respondi. qui ex asse hæres erat, si cum putaret se Titium cohæredem habere, suscepit eũ eo familiae eriscundæ iudicium, & condemnationibus factis soluerit peccuniam: quoniam ex causa iudicati soluit, repetere non potest. Sed tu uideris eõ moueri: quod non est iudicium familiae eriscundæ, nisi inter cohæredes acceptum. Sed quamuis non sit iudicium: tamen ad impediendam repetitionem sufficit, quod quis se putat condemnatum. Quod si neuter eorum hæres fuit, sed quasi hæredes essent, acceperunt familiae

familiae eriscundae iudicium: de repetitione idem in utrisque dicendum est, quod diximus supra in alterutro. Planè si sine iudice diuiserint res: conditionem earum rerum, quae ei cesserunt, quem cohæredem putauit: ei, qui fuit hæres, competere dici potest. Non enim transactum inter eos intelligitur, cum ille cohæredem esse putauerit.

XXXVII. SCAEVOLA lib. XII. *questionum.*

**Q**ui familiae eriscundae iudicio agit, non confitetur aduersarium sibi esse cohæredem.

XXXVIII. PAVLVS lib. III. *responsorum.*

**L**ucius & Titia fratres & emancipati à patre, & adulti curatores acceperunt. hi cõmunes pecunias ex redditibus redactas, singulis subministrauerunt. postea patrimonium diuiserunt. post diuisionem Titia soror Lucio fratri suo coepit quaestionem mouere, quasi amplius accepisset, quàm ipsa acceperat. cum Lucius frater eius nõ amplius sua portione, imò minus quàm dimidia consecutus sit: quaero, an Titiae cõpetat aduersus fratrem actio? Paulus respondit: secundum ea, quae proponuntur, si Lucius non amplius ex reditu praediorum communium accepit, quàm pro hæreditaria portione ei cõpeteret: nullã sorori eius aduersus eum competere actionem. Idem respondit, cum ex decretis alimentis à prætore amplius fratrem accepisse diceretur, quàm sororem: nõ tamen ultra partem dimidiam.

XXXIX. SCAEVOLA lib. I. *responsorum.*

**E**x parte hæres institutus causam de totis bonis, quam omnes hæredes patiebantur, suscepit & obtinuit. cohæres partem suam ab eo petebat, nec partem sumptuum factorum in litem præstare uolebat. quaesitum est, an doli exceptio noceret? Respondi: si idcirco amplius erogatum esset, quod ipsius quoque causa defensa esset: habendam rationem sumptuum. Sed & si omiserit doli exceptionem: agere posse de recipienda portione sumptuum. Intestatò moriens codicillis prædia sua omnia, & patrimonium inter liberos diuisit: ita ut longe amplius filio, quàm filiae relinqueret. quaesitum est, an soror fratri dotem conferre deberet? Respondi. secundum ea, quae proponerentur (si nihil indiuisum reliquisset) rectius dici ex uoluntate defuncti collationem dotis cessare. Stichus libertatem dedit, qui erat annorum quindecim, C V M ERIT ANNORVM TRIGINTA. eidem ex die mortis suae, quoad ueretur, cibariorum nomine denarios denos: uestiarij, denarios uicenos quinos præstari se uelle significauit. quaesitum est, an utile esset cibarium & uestiariorũ legatum, cum Stichus ante libertatis tẽpus decesserit: & an si nõ est utile, hæres, qui præstiterat, à cohærede repetere possit, apud quem morabatur? Respondi. non quidem debita fuisse: sed si

als\* ma-  
gistratu  
functus.

id, quod datum est in alimenta, consumptum sit: repeti nō posse. **F**ilius reipublicæ debita, quæ post mortem patris cōtraxit, fratri suo pro parte hæreditaria reputare non potest, si nō in omnibus socij sint: licet hæreditatem paternam communem habent, & pater pro altero filio in patria \* magistratum nactus decessit. **D**uos filios scripsit hæredes, & certos homines unicuiq; eorum prælegauit, in quibus uni Stephanum cum peculio. is uiuo testatore manumissus, decessit. deinde pater. quæsitum est, an id quod in peculio habuit Stephanus prius, q̄p manumitteretur, ad utrosq; filios pertineat: an uero ad eū solum, cui cum peculio prælegatus fuerat? Respondi. secundū ea, quæ proponerentur, ad utrosq; p̄tinere. **P**ater inter filios diuisit bona, & eā diuisionem testamēto cōfirmauit: & cauit, ut æs alienum, quod unusquisq; eorum habet, siue habebit, solus sustineret. postea unus ex filijs cū pecuniam mutuaret, interuenit pater: eiusq; consensu prædia, quæ filio adsignauerat, pignori data sunt. post mortem patris eadem prædia idem filius possedit, usuras soluit. quæro, an familiæ erciscundæ iudicio, si prædia pignori data distrahat creditor, aliquid ei à cohærede præstandum sit? Respondi. secundum ea, quæ proponerentur, nihil esse præstandum.

XL. CAIVS lib. II. fideicommissorum.

**S**i ex asse hæres institutus, rogatus sit mihi partem aliquam restituere (ueluti dimidiā) utile familiæ erciscundæ iudicium recte inter nos agetur. **XL I. PAVLV S lib. I. decretorum.**

**Q**uædam mulier à iudice appellauerat, quod diceret eum in diuisenda hæreditate inter se & cohæredē non tantū res, sed etiam libertos diuisisse, & alimēta, quæ dari testator certis libertis iussisset. nullo eñ iure id eū fecisse. Ex diuerso respōdebatur, consensisse eos ei diuisioni, & multis annis alimēta secundū diuisionē præstitisse. Placuit statim esse alimentorū præstationi: sed illud adiecit, nullā esse libertorum diuisionem. **XL II. POMPONIV S lib. VI. ad Sabinum.**

**S**i ita legatū fuerit uni ex hæredibus, **Q**UOD MIHI DEBET, PRAE hæredes exigant. Nam & si quod alius deberet, percipere unus iussus fuerit: officio iudicis actiones ei præstari debent, pro portione cohæredis. **XL III. VLP IANVS lib. XXX. ad Sabinum.**

**A**rbitriū familiæ erciscundæ uel unus petere potest. nam prouocare ad iudicem uel unum hæredē posse, palam est. igitur & præsentibus cæteris, & inuitis, poterit uel unus arbitrum poscere.

XL IIII. PAVLV S lib. VII. ad Sabinum.

**I**nter cohæredes etiam communi diuidundo iudicio agi potest, ut hæres duntaxat, quæ eorum communes sunt, & causæ ex his rebus pen-

pendentes, in iudicium ueniant: de cæteris uero integre sit familiæ erciscundæ iudicium. Si familiæ erciscundæ uel communi diuidendo actum sit: adjudicationes prætor tuetur, exceptiones aut actiones dando. Si cohæredes absente uno cohærede rem uendiderunt, & in ea re dolo malo fecerunt, quo plus ad eos perueniret: uel familiæ erciscundæ iudicio præstabit ei, qui absuit, uel hæreditatis petitione. Fructus, quos ante aditam hæreditatē ex fundo hæreditario hæres cepit: non aliter familiæ erciscundæ iudicio præstare eum Iulianus ait, quæ si cū sciret hæreditarium fundum esse, cepit. Qui familiæ erciscundæ, & cõmuni diuidendo, & finium regundorum agunt, & actores sunt, & rei: ideo iurare debent non calumniæ causa litem intendere, non calumniæ causa inficias ire. Quod ex facto suo unus ex cohæredibus ex stipulatione hæreditaria præstat, à cohærede non repetet: ueluti si A' SE, HAEREDE' QVE SVO DOLVM MALVM ABFVTVRVM defunctus spondit: uel NEQVE PER SE, NEQVE PER HAEREDEM SVVM FORE, QVO MINVS QVIS EAT AGAT. Imò si reliqui propter factum unius teneri cõperint, quia conditio stipulationis hæreditariæ existiterit: habebunt familiæ erciscundæ iudicium cum eo, propter quæ commissa est stipulatio. Si quis stipulatus fuerit, TITIVM HAEREDEM' QVE EIVS RATVM HABITVRVM, & Titius pluribus hæredibus relictis decesserit: eum solum teneri, qui non habuit ratum: & eum solum ex hæredibus stipulatoris acturum, à quo fuerat petitum. Vt fructu uxori legato, donec ei dos soluatur: per arbitrum familiæ erciscundæ tam id, quod cohæredis nomine ex dote solutum sit, recuperari: quæ ut cohæres soluat, effici posse Cassius ait, & uerum est. Si duo cohæredes damnati sint statuat ponere, & altero cessante alter eam fecerit: non esse iniquum Iulianus ait, familiæ erciscundæ iudicium dari, ut pars impendiorum boni uiri arbitratu præstetur.

## XLV. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

SI quid cõtendis ex hæreditate mihi tecum cõmune esse, quod ego ex alia causa meum proprium esse dico, id in familiæ erciscundæ iudicium non uenit. Dolus, quæ seruus hæredis admisit, in iudicium familiæ erciscundæ non uenit: nisi domini culpa in hoc erat, qui non idoneum seruum rei cõi adplicuerat.

## XLVI. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

SI maritus sub cõditione à patre institutus sit, interim de uxoris dote actio pendet. Planè si post mortem soceri diuortium factum sit: quamuis pendente cõditione institutionis, dicendum est præceptioni locum esse: quia mortuo patre quædam filios sequuntur, etiã ante quæ fiant hæredes: ut matrimonium, ut liberi, ut tutela: igitur & dotem præcipe debet, qui onus matrimonij post mortem patris sustinuit, & ita Scæuolæ quoque nostro uisum est.

XLVII. POMPONIVS *lib. XXI. ad Sabinum.*

**I**N iudicio familiæ erciscundæ, uel communi diuidendo, si dum res quos arbiter sumptus fuit, & agere, & opus nouum nunciare pro sua quenq; parte posse. & cum adiudicationes ab arbitro fiunt: si uni adiudicetur totus fundus, cauere oportere, ut quæ ex his actiõibus recepta fuerint, reddant: aut quæ in eas impensæ factæ fuerint, præstentur. & si cum res in iudicio esset, eo nomine actum nõ fuerit: eũ consequi integrã actionem, cui totus fundus, aut pro quacunq; parte adiudicatus erit. Itẽ quæ res moueri possunt, & in ea iudicia ueniunt, si interea subrepta sint: furti eos agere, quorum periculo hæ res fuerunt, posse.

XLVIII. PAVLVS *lib. VII. ad Sabinum.*

**S**I familiæ erciscundæ, uel cõmuni diuidendo, uel finium regundo: sum actum sit, & unus ex litigatoribus decesserit pluribus hæredibus relictis: non potest in partes iudicium scindi, sed aut omnes hæredes accipere id debent, aut dare unum procuratorem, in quem omniũ nomine iudicium agatur.

XLIX. VLP IANVS *lib. II. disputationum.*

**Q**VI hæres erat ex parte \*institutus à testatore, iussus à prætore distrahere seruum, cui erat testamento data libertas: ideo distraxit, duplamq; promisit, & ex ea cautione conuentus præstitit. Quæ situm est, an familiæ erciscundæ iudicio consequatur, quod ex duplæ stipulatione abest? Primo uideamus, an hic debuerit de dupla cauere. & mihi uidetur non debuisse hi enim demum ad duplæ cautionem compelluntur, qui sua sponte distrahunt: cæterũ si officio distrahentis funguntur, non debent adstringi: non magis, quàm si quis ad exsequendam sententiam à prætore datus, distrahat. nam & hic in ea conditione est, ne cogatur implere id, quod coguntur hi, qui suo arbitrio distrahunt: nam inter officiũ suscipientis, & uoluntate distrahentis multum interest. Quapropter re quidem integra stipulationem duplæ interponere non debuit: sed decernere prætor debet, esse emptori aduersus hæredem existentem actionem ex empto, si res distracta fuisset euicta. Si autem hæres errauit, & cavit, & seruus peruenit ad libertatem: stipulatio committetur. quæ si fuerit commissa: æquũ erit utilem actionem ei aduersus cohæredem dari, directo iudicio familiæ erciscundæ \* cessante, ne in damno moretur. nam ut familiæ erciscundæ iudicio agere quis possit, non tantum hæredem esse oportet: uerum ex ea causa agere, quam gessit, quamq; admisit post ea, quàm hæres effectus sit. cæterum cessat familiæ erciscundæ actio. & ideo si ante, quàm quis sciret se hæredem esse, in hæreditate aliquid gesserit: familiæ erciscundæ iudicio non erit locus

aliàs \*institutus, testatorẽ iussus à prætore sepelire, seruũ. &c

\* aliàs deest.

locus, quia non animo hæredis gessisse uidetur. Quare qui ante aditam hæreditatem quid gessit, ueluti si testatorem sepeliuit: familiæ erciscundæ iudicium non habet. sed si post aditam hæreditatem id fecit: consequenter dicemus, familiæ erciscundæ iudicio consequi eum posse sumptum, quem fecit in funus.

L. IDEM lib. VI. opinionum.

**Q**uæ pater filio emancipato studiorum causa peregre agenti subministravit: si nõ credendi animo pater misisse fuerit comprobatus, sed pietate debita ductus: in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur.

L. IULIANVS lib. VIII. digestorum.

**F**undus, qui dotis nomine socero traditus fuit, cum socer filium ex aliqua parte hæredem instituit: per arbitrium familiæ erciscundæ præcipi ita debet, ut ea causa filij sit, quæ futura esset, si dos per præceptionem legata fuisset. Quare fructus post litem contestatam percepti, ad eum redigendi sunt, habita ratione impensarum. qui uero ante litæ contestatam percepti fuerint: æqualiter ad omnes hæredes pertinebunt. sed et impensarum ratio haberi debet: quia nullus casus interuenire potest, qui hoc genus deductionis impediatur. Si ego à te hæreditatem petere uellem, tu mecum familiæ erciscundæ agere: ex causa utriusque nostrum mos gerendus est. Nam si ego totam hæreditatem possideo, & te ex parte dimidia hæredem confiteor, sed à communione discedere uolo: impetrare debeo familiæ erciscundæ iudicium, quia aliter diuidi inter nos hæreditas nõ potest. Item si tu iustam causam habeas, propter quam per hæreditatis petitionem potius, quam per familiæ erciscundæ iudicium negocium distrahere uelis: tibi quoque permittendum erit hæreditatem petere. Nam quædam ueniunt in hæreditatis petitionem, quæ in familiæ erciscundæ iudicium non deducuntur. ueluti si ego debitor hæreditarius sim: iudicio familiæ erciscundæ nõ consequeris id, quod defuncto debui: per hæreditatis petitionem consequeris.

L. II. IDEM lib. II. ad Vrseium Ferocem.

**M**æuius, qui nos hæredes fecit, rem communem habuit cum Attio. si cum Attio communi diuidendo egissemus, & nobis ea res adiudicata esset: uenturam eam in familiæ erciscundæ iudicio Proculus ait. Seruius liber & hæres esse iussus, id quod ex rationibus, quas pater familiam gessisset, penes se retineret: iudicio familiæ erciscundæ coheredibus suis præstabit. Arbiter familiæ erciscundæ inter me & te sumptus, quædam mihi, quædam tibi adiudicare uolebat. pro his rebus alterum alteri condemnandum esse intelligebat. quæsitum est, an posset pensatione utroque facta, condemnatione eum solum, cuius summa

summa excederet, eius duntaxat summæ, quæ ita excederet, damnare: & placuit posse id arbitrum facere. Cum familiæ erciscundæ, uel communi diuidendo agitur: uniuersæ res æstimari debent, non singularum rerum partes.

LIII. VLP IANVS lib. II. *responforum.*

**P**ecuniam, quam filius emâcipatus ita credidit, ut patri solueretur: ita demum in hæreditatē patris numerari, si patri aduersus filium eiusdem quantitaris nomine actio competebat.

LIIII. NERATIVS lib. III. *membranarum.*

**E**x hæreditate Lucij Titij, quæ mihi & tibi cōmunis erat, fundi partem meam alienaui. deinde familiæ erciscundæ iudicium inter nos acceptum est. neq; ea pars, quæ mea fuit, in iudicio ueniet, cum alienata de hæreditate exierit: neq; tua. quia etiam si remanet in pristino iure, hæreditariæq; est: tamen alienatione meæ partis exit de communione. Vtrum autem unus hæres partem suam non alienauerit, an plures, nihil interest: si modo aliqua portio alienata ab aliquo ex hæredibus, hæreditaria esse desiit.

LV. VLP IANVS lib. II. *ad edictum.*

**S**i familiæ erciscundæ, uel communi diuidendo iudicium agatur, & diuisio tam difficilis sit, ut penè impossibilis esse uideat: potest iudex in unius personam totam condemnationem conferre, & adiudicare omnes res.

LVI. PAVLVVS lib. XX. *ad edictum.*

**N**on solum in finiu regundorum, sed in familiæ erciscundæ quoq; iudicio præeriti temporis fructus ueniunt.

LVII. PAPINIANVS lib. II. *responforum.*

**A**rbitro quoq; accepto, fratres communem hæreditatem consensu diuidentes, pietatis officio funguntur: quæ reuocari non oportet, licet arbiter sententiam iurgio preëmpto non dixerit: si non intercedat ætatis auxilium.

### COMMVNI DIUIDVNDQ. Tit. III.

PAVLVS lib. XXIII. *ad edictum.*



**C**ommuni diuidendo iudicium ideo necessarium fuit: quod pro socio actio magis ad personales inuicem præstationes pertinet, quàm ad communium rerum diuisionem. Deniq; cessat communi diuidendo iudicium, si res communis non sit.

II. CAIVS lib. VII. *ad edictum provinciale.*

**N**ihil autem interest, cum societate, an sine societate res inter aliquos

quos communis sit. nam utroq; casu locus est communi diuidundo iudicio. Cum societate res communis est inter eos, qui pariter eandem rem emerunt: sine societate communis est inter eos, quibus eadem res testamento legata est. In tribus duplicibus iudicijs, familiae erciscundae, communi diuidundo, finium regundorum quaeritur, quis actor intelligatur: quia par causa omnium uidetur: sed magis placuit eum uideri actorem, qui ad iudicium prouocasset.

III. VLP IANVS lib. XXX. ad Sabinum.

**I**N communi diuidundo iudicio nihil peruenit ultra diuisionem rerum ipsarum, quae communes sunt: quam si quid uel in his damni datum factumque est, uel quid eo nomine aut abest alicui sociorum, aut ad eum peruenit ex re communi. Si quid ipsi inter se sine dolo malo pepigerunt: id in primis & familiae erciscundae, & communi diuidundo iudex seruare debet.

IIII. IDEM lib. XIX. ad edictum.

**P**ER hoc iudicium corporalium rerum fit diuisio, quarum rerum dominium habemus, non etiam hereditatis. De puteo quaeritur, an communi diuidundo iudicio agi possit: & ait Mela, ita demum posse, si solum eius commune sit. Hoc iudicium bonae fidei est. quare & si una res indiuisa relicta sit, ualebit utique caeterarum diuisio: & poterit iterum communi diuidundo agi de ea, quae indiuisa mansit. Sicut autem ipsius rei diuisio uenit in communi diuidundo iudicio, ita etiam praestationes ueniunt: & ideo si quis impensas fecerit, consequetur. sed & si non cum ipso socio agat, sed cum haerede socii, Labeo recte existimat impensas & fructus a defuncto perceptos uenire. Plane fructus ante percepti, quam res communis esset, uel sumptus antea facti: in communi diuidendo iudicio non ueniunt. Ea propter scribit Iulianus, si missi in possessionem damni infecti sumus, & antequam possidere iuberemur, ego insulam fulsero, sumptum istum communi diuidundo iudicio consequi me non posse.

V. IULIANVS lib. II. ad Ulpianum Ferocem.

**S**ED si res non defenderetur, & ideo iussi sumus a praetore eas aedes possidere, & ex hoc dominium eorum nancisceremur. Respondit Proculus, communi diuidundo iudicio partem eius impensae me seruaturum esse.

VI. VLP IANVS lib. XIX. ad edictum.

**S**I quis putans sibi cum Titio fundum communem esse, fructus perciperit, uel sumptum fecerit, cum esset cum alio communis: agi poterit communi diuidundo iudicio. quare etsi fundum Titius alienauerit: licet hic communi diuidundo iudicio locus non sit, quia a communi discessum est: utili tamen locum futurum, quod datur de praestati-

D tioni-

tionibus, quoties communio esse desijt. Sive autem locando fundum communem, sive colendo, de fundo communi quid socius consecutus sit: communi diuidendo iudicio tenebitur. Et si quidem communi nomine id fecit: neque lucrum, neque damnū sentire eum oportet. Si vero non cōmuni nomine, sed ut lucretur solus: magis esse oportet, ut & damnū ad ipsum respiciat. Hoc autem ideo præstat cōmuni diuidendo iudicio: quia uidetur partem suā nō potuisse expedite locare. Cæterū non aliās cōmuni diuidendo iudicio locus erit ( ut & Papinianus scripsit) nisi id demū gessit aliquis, sine quo partē suā recte administrare nō potuit: alioquin si potuit, habet negociorū gestorū actionē, eaq; tenet

Si quid post acceptū cōi diuidendo iudiciū fuerit impensum: Nerva recte existimat etiam hoc uenire. sed & partum uenire Sabinus & Atili cōius responderunt. sed & accessionē & decessionem hoc iudicium accipere, idem existimauerūt. Si quis in cōmunem locum mortuū intulerit: an religiosum fecerit, uidendum. Et sanē ius quidē inferendū in sepulchrum, unicuique in solidum cōpetit: locum autem purum alter non potest facere religiosum. Trebatius autē & Labeo, quāq; putant non esse locum religiosum factum, tamen putant in factum agendum.

Si damni infecti in solidū pro ædibus caueris: Labeo ait cōmuni diuidendo iudiciū tibi non esse: cum necesse tibi non fuerit in solidum cauere, sed suffecerit pro parte tua. quæ sententia uera est. Si fundus cōmunis nobis sit, sed pignori datus à me: uenit quidem in cōmuni diuidendo iudicio, sed ius pignoris creditori manebit, etiam si adiudicatus fuerit. nam etsi pars socio tradita fuisset, integrum maneret. Arbitrum autem communi diuidendo hoc minoris partem æstimare debere, quod ex pacto uendere eā rem creditor potest, Iulianus ait. Idem scribit, si is, cum quo seruum cōmunem habebam, partem suam mihi pignori dederit, & cōmuni diuidendo agere cœperit: pignoratitia exceptione eū submoueri debere. sed si exceptione usus non fuero: officium iudicis erit, ut cum debitori totū hominē adiudicauerit, partis æstimatione eum condēnet. manere enim integrum ius pignoris. quod si mihi iudex adiudicauerit: tanti duntaxat me cōdemnet, quanto pluris pignus sit, q̄ pecunia credita: & debitore à me iubeat liberari. Officio iudicis etiā talis adiudicatio fieri potest: ut alteri fundū, alteri usum fructum adiudicet. Cætera eadem sunt, quæ in familiæ eriscundæ iudicio tractauimus. Urseius ait, cum in cōmuni ædificio uicinus nunciavit, ne quid operis fieret: si unus ex socijs ex hac caussa damnatus fuisset: posse eam pœnam à socio pro parte seruare. Iulianus autem recte notat, ita demum hoc uerum, si interfuit ædium hoc fieri.

VII. IDEM lib. XXX. ad Sabinum.

Com.

**C**omuni diuidendo iudicium locum habet & in uestigali agro: sed uestigalis ager an regionibus diuidi possit, uidendum. magis autem debet iudex ab huiusmodi diuisione: alioquin præstatio uestigalis confundetur. Neratius scribit arbitrum, si regionibus fundū non uestigalē diuisum duobus adiudicauerit: posse quasi in duobus fundis seruitutem imponere. Qui in rem Publicianā habent, etiam cōmuni diuidendo iudicium possunt exercere. de quibus etiam caussis uindictio cessat ( si tamen iusta caussa est possidendi) utile cōmuni diuidendo cōpetit: ut puta si ex caussa indebiti soluti res possideatur. Inter prædones autem hoc iudicium locū non habet. nec si precario possideant, locū habebit, nec si clam. quia iniusta est possessio ista: precaria uero iusta quidem, sed quæ non pergat ad iudicij uigorē. Iulianus scribit, si alter possessor puocet, alter dicat eum ui possidere: nō debere hoc iudicium dari, nec post annum quidem: quia placuit etiam post annum in eum, qui ui deiecit, interdictum reddi. Et si precario ( inquit ) dicat eū possidere, adhuc cessabit hoc iudicium: quia & **DE PRECARIO** interdictum datur. Sed & si clam dicatur possidere, qui puocat: dicendum esse ait, cessare hoc iudicium. nam & de clandestina possessione competere interdictum inquit. Si duo sunt, qui rem pignori acceperunt: æquissimum est utile cōmuni diuidendo iudicium dari. Sed & si de usufructu sit inter duos controuersia, dari debet. Itē si duo à prætore missi sint in possessionē legatorū. est enim iusta caussa possidendi custodiæ gratia. Ergo etsi duo uentres: idem erit dicendum, quod habet rationē. Planē si iam **DAMNI INFECTI** missus, iustus sit possidere: nō erit huic utili iudicio locus, cum uindictationem habere possit. Cum de usufructu cōmuni diuidendo iudicio agitur: iudex officium suum ita diriget, ut uel regionibus eis uti frui permittat, uel locet usumfructum uni, uel tertiæ personæ, ut hi pensiones sine ulla controuersia percipiant: uel ( si res mobiles sint ) etiam sic poterit, ut inter se conueniant, caueantq; per tempora se usuros fruituros: hoc est, ut apud singulos mutua uice certo tempore sit usufructus. Neq; colonis, neq; ijs, qui depositum susceperunt, hoc iudicium competit, quamuis naturaliter possideant. Inter eos, qui pignori acceperunt, talis diuisio fieri debet: ut non uero precio æstimetur pars, sed in rātum duntaxat, quātum pro ea parte debetur. & si adsignet quidē pignus uni ex creditoribus: licentia tamen non denegetur debitori debitum offerre, & pignus suū luere. Idemq; dicitur, & si possessor pignoris, litis æstimationem pignoratitia in rem agenti offerat. Si debitor communis prædij partē pignori dederit, & uel à domino alterius debitoris, licēdo superatus creditor eius, aut ab alio creditore alterius debitoris,

uerit: & debitor eius, cui res fuit adiudicata, uelit partē suam prædij recuperare soluto eo, quod ipse debuit: eleganter dicitur non esse audiendum, nisi & eam partem paratus sit recuperare, quam creditor per adiudicationem emit. Nam etsi partem rei uendideris, & prius, quā traderes emptori, communi diuidendo iudicio prouocatus fueris, alteraq; pars tibi adiudicata sit: cōsequenter dicitur ex empto agi nō posse, nisi totam rem paratus fuerit suscipere: quia hæc pars beneficio alterius uenditori accessit. quinimō & ex uendito posse conueniri emptorē, ut recipiat totum. solum illud spectandum erit, num forte fraus aliqua uenditoris interuenit. Sed si distracta parte cesserit uictus licitatione uenditor: æque ut præcium restituat, ex empto tenebitur. Hæc eadē & in mandato, cæterisq; huius generis iudicijs seruabūtur.

## VIII. PAULVS lib. XXIII. ad edictum

**E**T si non omnes, qui rem communem habent, sed certi ex his diuidere desiderant: hoc iudicium inter eos accipi potest. Si incertum sit, an lex Falcidia locum habeat: inter legatarium & hæredē communi diuidendo agi potest, aut incertæ partis uindicatio datur. Similiter fit, & si peculium legatum sit: quia in quantum res peculiare diminuit id, quod domino debetur, incertum est. Venit in communi diuidendo iudicium etiam, si quis rem communem deteriorem fecerit: forte seruum uulnerando, aut animum eius corrumpendo, aut arborēs ex fundo excidendo. Si communis serui gratia noxæ nomine plus præstitit socius: æstimabitur seruus, & eius partem consequetur.

Item si unus in solidum de peculio conuentus, & damnatus sit: est cum socio communi diuidendo actio, ut partem peculij consequatur.

## IX. AFRICANVS lib. VII. quæstionum.

**S**Ed & postquam socius serui communis nomine de peculio in solidum damnatus esse: si apud sociū res peculiare intercidat, nihilominus utile esse iudicium communi diuidendo, ad recuperandam partem pecuniæ. alioquin iniquum fore, si tota ea res ad dānum eius, qui iudicium acceperit, pertineat: cum \* utriusq; domini periculum in rebus peculiaribus esse debeat. Nam & eum, qui mandatu domini defensionē serui suscepit: omne, quod bona fide præstitit, seruaturum: quamuis peculium postea interciderit. Hæc ita, si neutrius culpa interuenierit. Etenim dominum, cum quo de peculio agitur, si paratus sit à rebus peculiaribus petitori cedere: ex caussa audiendum putauit, scilicet si non dolo malo & frustratione id faciat.

## X. PAULVS lib. XXIII. ad edictum.

**I**tem quamuis legis Aquiliæ actio in hæredem non competit: tamē hoc iudicio hæres socij præstat, si quid defunctus in re communi admisit

als\* neutrius.

misit: quo nomine legis Aquiliae actio nascitur. Si usus tantum noster sit, qui neque uenire, neque locari debeat: quemadmodum diuisio possit fieri in communi diuidendo iudicio, uideamus. Sed praetor interueniet, & rem emendabit: ut si iudex alteri usum adiudicauerit, non uideatur alter, qui mercedem accepit, non uti, quasi plus faciat (quia uidetur frui) quia hoc propter necessitatem fit. In communi diuidendo iudicio iusto precio aestimare rem debeat iudex: & de euictione quoque cauendum est.

XI. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

**I**n summa admonendi sumus: quod si post interitum rei communis is, cui aliquid ex comunione praestari oportet, eo nomine agere uelit: communi diuidendo iudicium utile datur. ueluti si actor impensas aliquas in rem communem fecerit, siue socius eius solus aliquid ex ea re lucratus est (ueluti operas serui, mercedesue) hoc iudicio eorum omnium ratio habetur.

XII. VLPPIANVS lib. LXXI. ad edictum.

**S**i aedes communes sint, aut paries communis: & eum reficere, uel demoliri, uel in eum mittere quid opus sit: communi diuidendo iudicio erit agendum, aut interdicto VTI POSSIDETIS experimur.

XIII. IDEM lib. LXXV. ad edictum.

**I**n iudicium communi diuidendo omnes res ueniunt: nisi si quid fuerit ex communi consensu exceptum nominatim, ne ueniat.

XIIII. PAVLVS lib. III. ad Plautium.

**I**n hoc iudicium uenit, quod communi nomine actum est, aut agi debuit ab eo, qui scit se socium habere. Impendia autem, quae dum proprium meum fundum existimo, feci: quae scilicet, si uindicaretur fundi pars, per exceptionem doli retinere possem: an etiam si communi diuidendo iudicio mecum agatur, aequitate ipsius iudicij retinere possim, considerandum est. Quod quidem magis puto: quia bonae fidei iudicium est communi diuidendo: sed hoc ita, si mecum agetur. Caterum si partem meam alienaui: non erit, unde retinere possim. Sed is, qui a me emit, an retinere possit, uidentum est. nam si uindicaretur ab eo pars: impendiorum nomine, quae ego fecissem, ita ut ego, poterat retentionem facere. Et uerius est, ut & in hac specie expensae retineatur. Quae cum ita sint: rectissime dicitur, etiam impendiorum nomine utile iudicium dari debere mihi in socium, & manente rei communione. Diuersum est enim, cum quasi in rem meam impendo, quae sit aliena aut communis. hoc enim casu, ubi quasi in rem meam impendo, tantum retentionem habeo: quia neminem mihi obligare uolui. At cum puto rem Titij esse, quae sit Mauij: aut esse mihi communem cum alio, quam est: id ago, ut alium mihi obligem. & sicut negotiorum gestorum actio datur aduersus eum, cuius negotia curauit, cum putarem alterius ea esse: ita & in

propósito. Igitur etsi abalienauero prædium ( quia in ea causa fuit, ut actio mihi dari deberet ) danda mihi erit ( ut Iulianus quoque scribit ) ne gociorum gestorum actio. Si conueniat, ne omnino diuisio fiat: huiusmodi pactum nullas uires habere, manifestissimum est. Si autem, <sup>\* aliàs</sup> ne intra certum tempus, \* quod etiã ipsius rei qualitati prodest: ualet. Si <sup>quoad.</sup> inter socios conuenisset, ne intra certum tempus societas diuidetur: quin uendere liceat ei, qui tali conuentione teneretur, non est dubium. quare emptor quoque communi diuidendo agendo, non est dupatione submouebitur, qua auctor eius submoueretur. Si paciscatur socius, ne partem suam petat: effectum tollitur societas.

XV. IDEM lib. V. ad Plautium.

SI socius serui communis nomine conuentus & condénatus sit: ager communi diuidendo etiam ante, quam præstet. nam etsi noxali iudicio cum uno actum sit, statim ager cum socio, ut ei pars tradatur: cautionibus interpositis, ut si non dederit, reddat.

XVI. IDEM lib. VI. ad Plautium.

CVm socij diuidunt societatem: de eo, quod sub conditione debetur, cautiones interuenire solent.

XVII. MODESTINVS lib. IX. regularum.

QVI cohæredes habet, si fundum pignori datum à testatore suo, commparauerit à creditore: non debet à cohæredibus communi diuidendo iudicio conueniri.

XVIII. IABOLENVS lib. II. ἐπιστολῶν.

VT fundus hæreditarius fundo non hæreditario seruiat, arbiter disponere non potest: quia ultra id, quod in iudicium deductum est, excedere potestas iudicis non potest.

XIX. PAVLVS lib. VI. ad Sabinum.

ARbor, quæ in confinio nata est: item lapis, qui per utrumque fundum extenditur: quam diu cohærent fundo, è regione cuiusque finium utriusque sunt, nec in communi diuidendo iudicium ueniunt. sed cum aut lapis exemptus, aut arbor eruta, uel succisa est: communis pro iudicio fit, & uenit in communi diuidendo iudicium. nam quod erat finitis partibus, rursus confunditur. Quare sicut duabus massis duorum dominorum conflatis, tota massa communis est, etiam si aliquid ex prima specie separatim maneat: ita arbor & lapis separatus à fundo, confunditur domini. De uestibulo communi binarum ædium, arbiter communi diuidendo inuito utrolibet dari non debet: quia qui de uestibulo liceri cogitur, necesse habet interdum totarum ædium precium face- re, si aliàs aditum non habeat. Si per eundem locum uia nobis de- beatur, & in ea impensa facta sit: durius ait Pomponius, communi diui- dendo

diuidendo uel pro socio agi posse. quæ enim communio iuris separatim intelligi potest: sed negotiorum gestorum agendum. Iudex communi diuidendo, ite familiæ erciscundæ de seruo, qui in fuga est, iubere potest liceri eos, inter quos iudex est: & tunc eum adiudicare ei, penes quem licitatio remansit: nec erit periculum, ne ex senatusconsulto poena legis Fauia committatur. Aquarum iter non uenire in iudicium communi diuidendo Labeo ait. nam aut ipsius fundi est, & ideo in iudicium non uenit: aut separatim a fundo, diuisum tamen aut mensura, aut temporibus. Sed possunt iura interdum separata a fundo esse, nec mensura, nec temporibus diuisa: ueluti cum is, cuius fuerunt, plures hæredes reliquit, quod cum accidit: consentaneum est, & ea in arbitrio familiæ erciscundæ uenire. Nec uidere se (inquit Póponius) quare minus in communi diuidendo iudicio, quam familiæ erciscundæ iudicium ueniant. Igitur in omnibus huiusmodi speciebus in communi diuidendo iudicio uenit, ut præfata iura aut mensura, aut temporibus diuidantur.

XX. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

**S**is, cum quo fundum comunem habes, ad delictum non respondit: & sub id motu iudicis uilla diruta est, aut arbusta succisa sunt: præstabit tibi detrimentum iudicio communi diuidendo. quidquid enim culpa socij admissum est, eo iudicio continetur.

XXI. VLPPIANVS lib. XXX. ad Sabinum.

**I**udicem in prædijs diuidendis, quod omnibus utilissimum est, uel quod malunt litigatores, exsequi conuenit.

XXII. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

**S**imeo & uicini nomine parietem ædificem, uel repetiturus ab eo pro parte impensam, uel donationis gratia: communis fiet paries.

XXIII. VLPPIANVS lib. XXXII. ad edictum.

**S**iconuenerit inter te & socium tuum, ut alternis annis fructum perciperetis, & non patiatum te socius tui anni fructum percipere: uidentum, utrum ex conducto sit actio, an uero communi diuidendo. Eadem questio est, etsi socius, qui conuenerat, ut alternis annis fruere: pecus immisit, & effecit, ut futuri anni fructus, quos socium percipere oportuit, corrumpentur. Et puto magis communi diuidendo iudicium, quam ex conducto locum habere. quæ enim locatio est, cum merces non intercesserit: aut certe actionem incerti ciuilem reddendam.

XXIII. IULIANVS lib. VIII. digestorum.

**C**ommunis seruus si ex re alterius dominorum adquisierit, nihilominus commune id erit: sed is, ex cuius re adquisitum fuerit, communi diuidendo iudicio eam summam præcipere potest: quia bonæ fidei conuenit, ut unusquisque præcipuum habeat, quod ex re eius seruus adquisierit. Cum agere

agere tecum communi diuidendo uellem, partem tuam Titio tradidisti, mutandi iudicij causa: teneris mihi prætoria actione, quod fecisses, ne tecum communi diuidendo ageretur.

XXV. IDEM lib. XII. *digestorum.*

SI Stichus communis meus & tuus seruus habuerit Pamphilum uideam aureorum decem, & mecum actum de peculio fuerit, condemnatusque decem præstitero: quamuis postea Pamphilus decefferit, nihilominus actione communi diuidendo uel pro socio quinq; præstare debbit: quia te hoc are alieno liberaui. Longe magis consequar, si Stichus post mortem Pamphili alium uicarium adquisierit.

XXVI. ALFENVS VARVS lib. II. *digestorum.*

COMMUNIS seruus, cum apud alterum esset, crus fregit in opere, que crebatur, alter dominus, quid cum eo, penes quem fuisset, ageret? Respondi. si quid culpa illius magis, quam casu res communis damni cœpisset: per arbitrium communi diuidendo posse recuperari.

XXVII. PAVLVS lib. III. *ὑπερομιών Alfeni digestorum.*

DE communi seruo unus ex socijs questionem habere, nisi communis negocij causa, iure non potest.

XXVIII. PAPINIANVS lib. VII. *questionum.*

Sabinus in re communi ait neminem dominorum iure facere quidquam inuito altero posse. unde manifestum est prohibendi ius esse. in re enim pari potioem causam esse prohibentis constat. Sed et si in communi prohiberi socius a socio, ne quid faciat, potest: ut tamen factum opus tollat, cogi non potest. si cum prohibere poterat, hoc prætermisit. & ideo per communi diuidendo actionem damnum sarciri poterit. Sin autem facienti consensit: nec pro damno habet actionem. quod si quid absente socio ad læsionem eius fecit: tunc etiam tollere cogitur.

XXIX. PAVLVS lib. II. *questionum.*

SI quis cum existimaret fundum communem sibi cum Mauio esse, quem cum Titio communem habebat, impedisset: recte dicitur etiam communi diuidendo iudicium ei sufficere. hoc enim est: si sciam rem communem esse, ignorem autem cuius socij, neque enim negocia socij gero, sed propriam rem tueor: & magis ex re, in quam impeditur, quam ex persona socij actio nascitur. Denique ea actione & pupillum teneri dicimus, ut impendia restituat officio iudicis. Diuersa causa est eius, qui putat se in rem propriam impendere, cum sit communis. huic enim nec communi diuidendo iudicium competit, nec utile dandum est. ille enim, aliàs\* uel qui scit rem esse communem, \* uel alienam: negocia eo animo gerit, ut aliquem sibi alienam obliget, licet in persona labi. Póponius scripsit, posci iudicem posse à quolibet sociorum. Sed etiam si unus ex socijs mutus erit, recte cum eo communi diuidendo agi.

SCAUR

XXX. SCAEVOLA lib. I. *responsorum.*

**C**omuni diuidendo iudiciū recte agi: siue neuter possideat, siue alter sociorum tantum, non possideat.

XXXI. PAVLVS lib. V. *responsorum.*

**B**ina mancipia, quæ ex hæreditate paterna iussu prætoris pupillis ministerij causa seruata essent: diuisa non uideri, sed omnium communia permanisse.

## AD EXHIBENDVM.

Tit. IIII.

VLPIANVS lib. XIX. *ad edictum.*

**H**æc actio per quam necessaria est, & uis eius in usu quotidiano est: & maxime propter uindicationes introducta est.

II. PAVLVS lib. XXI. *ad edictum.*

**E**xhibere est facere in publico potestatem, ut ei qui agit, experiūdi sit copia.

III. VLPIANVS lib. XXIII. *ad edictum.*

**I**n hac actione actor nosse debet, & \*dicere omnia argumenta rei, de qua agitur. Qui ad exhibendum agit, non utiq; dominum se dicit, nec debet ostendere: cum multæ sint causæ ad exhibendum agendi. Præterea in hac actione notandum est, quod reus contumax per in litem iusiurandum petitori damnari possit, ei iudice quantitatem taxante. Est autem personalis hæc actio: & ei competit, qui in rem acturus est qualicumq; in rem actione: etiam pignoratitia Seruiana, siue hypothecaria, quæ creditoribus competit. Sed & usumfructum petitorio competere ad exhibendum Pomponius ait. Sed & si quis interdicturus, rem exhiberi desideret, audietur. Item si optare uelim seruum, uel quamlibet aliam rem, cuius optio mihi relicta est: ad exhibendum me agere posse constat, ut exhibitum possim uindicare. Si quis noxali iudicio experiri uelit, ad exhibendum ei actio necessaria est. Quid enim, si dominus quidem paratus sit defendere, actor uero \*designare non possit, nisi ex presentibus: quia aut seruum non recognoscit, aut nomen non tenet: nonne æquum est ei familiam exhiberi, ut noxium suum agnoscat? Quod ex causa debet fieri, ad designandum eum, cuius nomine noxali quis agit, recensitione seruorum facta. Si quis extra hæredem tabulas testamenti, uel codicillos, uel quid aliud ad testamentum pertinens exhiberi uelit: dicendum est, per hanc actionem agendum non esse, cum sufficiant interdicta in hanc rem competetia, & ita Pomponius. Sciendum est autem non solum eis, quos diximus, competere ad exhibendum actionem: uerum ei quoq; cuius interest exhiberi. iudex igitur summam matim debeat cognoscere, an eius intersit, non autem, & an eius res sit: &

E sic

sic iubere uel exhiberi, uel non: quia nihil illius interest. Plus dicit Iulianus: etiam si uindicationem nō habeam, interim posse me agere ad exhibendum, si mea inter sit exhiberi: ut puta si mihi seruus legatus sit, quem Titius optasset. agam enim ad exhibendum, ut Titius optet, & sic uindicem: quamuis exhibitum ego optare non possim. Si mecum fuerit actum ad exhibendum: ego ob hoc, quod conuentus sum ad exhibendum, actione ad exhibendum agere non possum: quamuis uideatur interesse mea ob hoc, quod teneor ad restituendum. sed hoc non sufficit. alioquin & qui dolo fecit, quo minus possideret, poterit ad exhibendum agere, quamquam neque uindicaturus, neque interdictus sit: & fur, & raptor poterit. quod nequaquam uerum est. Eleganter igitur definit Neratius, iudicem ad exhibendum hactenus cognoscere: an iustam & probabilem causam habeat, propter quam exhiberi sibi desideret.

Pomponius scribit, eiusdem hominis nomine recte plures ad exhibendum agere posse: forte si homo primi sit, secundi in eo usufructus sit, tertius possessionem suam contendat, quartus pignoratium sibi eū adfirmet. Omnibus igitur ad exhibendum actio competit: quia omnium interest eum hominē exhiberi. Ibidem subiungit, iudicem per arbitrium sibi ex hac actione commissum, etiam exceptiones aestimare, quas possessor obijcit: & si qua tam euidentis sit, ut facile repellat agentem, de bere possessore absolui. si uero obscurior, uel quæ habeat altiorē questionem: differendam in directum iudicium, re exhiberi iussa. De quibusdam tamen exceptionibus omnimodo ipsum debere disceptare, qui in ad exhibendum actione iudicat: ueluti pacti cōuenti, doli mali, iuris iurandi, rei iudicatae est. Interdū æquitas exhibitionis efficit, ut quāuis ad exhibendum agi non possit, in factum tamen actio detur, ut Iulianus tractat. Seruus (inquit) uxoris meæ rationes meas conscripsit. hæ rationes possidentur à te. desidero eas exhiberi. Ait Iulianus: si quidem in mea charta scriptæ sunt, locum esse huic actioni: quia & uindicare eas possum. nam cum charta mea sit, & quod in ea scriptum est, meum est. sed si charta mea non sit: quia uindicare non possum, nec ad exhibendum experiri. in factum igitur mihi actionem competere. Sciendum est, aduersus possessorem hac actione agendum: non solū eum, qui ciuilitate, sed & eum, qui naturaliter incumbat possessioni. Denique creditorem, qui pignori rem accepit, ad exhibendum teneri placet.

IIII. POMPONIVS lib. VI. ad Sabinum.

**N**am & cum eo, apud quem deposita, uel cui commodata, uel locata res sit, agi potest.

V. VLP IANVS lib. XXIII. ad edictum.

**C**elsus scribit: si quis merces, quas exuehendas conduxit, in horreo posuit

posuit: cū conductore ad exhibendū agi posse. Item si mortuō cōducto  
re hæres existat: cū hærede agendū. sed si nemo hæres sit: cū horreario  
agendū. nam si à nullo (inquit) possidentur: uerū est, aut horreariū possi  
dere, aut certe ille est, qui possit exhibere. Idē ait: q̄modo aut possidet,  
qui uehendas conduxit: an quia pignori tenet? quæ species ostendit  
etiam eos, qui facultatem exhibendi habent, ad exhibendum teneri.

Julianus etiam scribit ad exhibendum teneri, qui rerum uel legato  
rum seruandorum causa in possessione sit. sed & eum, qui ususfructus  
nomine remaneat: quamuis nec hic utiq; possideat. Inde Julianus quæ  
rit, quatenus hos oporteat exhibere. & ait priorem quidem sic, ut actor  
possessionem habeat: is autem, cum quo agetur, rei seruandæ causa sit  
in possessione. eum uero, qui usumfructum habet, sic ut actor rē possi  
deat: is, cū quo agetur, utatur fruatur. Idem Julianus scribit: empto  
rem, qui ruta cæsa non restituit, ad exhibendum teneri, in quantum in  
litem iurauerit. sed ibi adiicit: si emptor possideat, uel dolo fecerit, quo  
minus possideat. Idem Celsus scribit: stercus, quod in aream meam  
congeffisti, per ad exhibendum actionem posse te consequi, ut tollas:  
sic tamen, ut totum tollas. cæterum aliàs non posse. Sed & si ratis de  
lata sit ui fluminis in agrum alterius: posse eum conueniri ad exhiben  
dum, Neratius scribit. Vnde quærit Neratius, utrum de futuro dūtaxat  
damno, an etiam de præterito domino agri cauendum sit. Et ait etiam  
de præterito caueri oportere. Sed & si de ruina aliquid in tuam aream,  
uel in tuas ædes deciderit: teneberis ad exhibendum, licet non posside  
as. Item si quis facultatem restituendi non habet: licet possideat, ta  
men ad exhibendum non tenebitur. ut puta si in fuga seruus sit: ad hoc  
planè solum tenebitur, ut caueat se exhibiturum, si in potestatem eius  
peruenerit. sed si non sit in fuga, permiseris autem ei, ubi uelit morari:  
idem erit dicendum\*. aut si peregre à te missus sit, uel in prædijs tuis  
agat: ad hoc solum teneberis, ut caueas.

\* Hæc ali  
às defunt

VI. PAVLVVS lib. XIII. ad Sabinum.

**G**emma inclusa auro alieno, uel sigillum candelabro, uindicari nō  
potest: sed ut excludatur, ad exhibendum agi potest. Aliter atq; in  
tigno iuncto ædibus, de quo nec ad exhibendū agi potest: quia lex duo  
decim tabularum solui uetat, & actione DE TIGNO IUNCTO ex  
eadem lege in duplum agitur.

VII. VLPIANVS lib. XXIII. ad edictum.

**T**igni appellatione omnem materiam in lege duodecim tabularū  
accipimus, ut quibusdam recte uidetur. Sed & si rotam meam  
tuo uehiculo aptaueris: teneberis ad exhibendum (& ita Pomponius  
scribit) quamuis tunc ciuilitè non possideas. Idem & si armario, uel na

E ij ui

ni tabulam meam, uel ansam scypho iniunxeris, uel emblemata phialæ: uel purpuram uestimento intexueris: aut brachium statuæ coaduna ueris. Item municipes ad exhibendum conueniri possunt: quia factitas est restituendi. nam & possidere & usucapere eos posse constat. idem in collegijs cæterisque corporibus dicendum erit. Si quis non possideat litis contestatæ tempore, postea ante sententiam possidere coeperit: oportere dici putamus, debere condemnari, nisi restituat. Si quis cum iudicij accepti tempore possideret, postea sine dolo malo possidere desierit: absolui eum oportet, quamuis sit (inquit Pomponius) quod ei imputetur, cur non statim restituit, sed passus est secum litem contestari. Idem scribit: si quis litis contestatæ tempore possederit, deinde desierit possidere, mox coeperit (siue ex eadem causa, siue ex alia) condemnari eum oportere, nisi restituat. Ibidem non male Pomponius scribit: eius, qui ad exhibendum egit, utroque tempore interfuisse oportere rem ei restitui: hoc est, & quo lis contestaretur, & quo fieret condemnatio. & ita etiam Labeoni placet.

## VIII. IULIANVS lib. IX. digestorum:

**S**I ad exhibendum actum est cum eo, qui neque possidebat, neque dolo malo fecerat, quo minus possideret: deinde eo defuncto hæres eius possidet rem: exhibere eam cogendus erit. Nam etsi fundum uel hominem petiero, & hæres ex eadem causa possidere coeperit: restituere cogitur.

## IX. VLPPIANVS lib. XXIII. ad edictum.

**I**ulianus scribit. si quis hominem, quem possidebat, occiderit: siue ad alium transtulerit possessionem, siue ita rem corruerit, ne haberi possit: ad exhibendum tenebitur, quia dolo malo fecit, quo minus possideret. Proinde & si uinum, uel oleum, uel quid aliud effuderit, uel confregerit: ad exhibendum tenebitur. Glans ex arbore tua in fundum meum decidit. eam ego immisso pecore depasco. qua actione possum teneri? Pomponius scribit, competere actionem ad exhibendum: si dolo pecus immisi, ut glandem comederet. Nam etsi glans exstaret, nec patereris me tollere, ad exhibendum tenereris: quemadmodum si materiam meam delatam in agrum suum quis auferre non pateretur. Et placet nobis Pomponij sententia, siue glans exstet, siue consumpta sit. Sed si exstet, etiã interdicto DE GLANDE LEGENDA \* ut mihi tertio quoque

\* hæc ali die legendæ glandis facultas esset \* uti potero, si dani infecti cauero. Si autem defunctus quis rem fecit ad alium peruenire: uideat dolo fecisse, quo minus possiderat: si modo hoc dolose fecerit. Sed & si quis rem deteriorem exhibuerit, æque ad exhibendum eum teneri, Sabinus ait. sed hoc utique uerum est, si dolo in aliud corpus res sit translata: ueluti si ex scypho massa facta sit. quantum enim massam exhibeat: ad exhibendum tenebitur. nam

muta

mutata forma propè interimit substantiam rei, ut Marcellus scribit.

Si tibi decem nomismata sint sub conditione legata, & mihi decem ususfructus purè: deinde hæres pendente conditione, non exacta cautione, decem fructuario soluerit: ad exhibendum eum actione, qui decem soluerit, teneri: quasi dolo fecerit, quo minus possideret. dolus autem in eo est: quod cautionem exigere supersedit à fructuario, effectumq; ut legatum tuum euanesceret, cum iam numos uindicare non possis. Ita demum autem locum habebit ad exhibendum actio, si conditio exstiterit legati. Potuisti tamen tibi prospicere stipulatione legato- rum. si prospexisti: non erit tibi necessaria ad exhibendum actio. Si tamen ignarus legati tui à fructuario satis nõ exegit: dicit Marcellus cessare ad exhibendum, scilicet quia nullus hic dolus est. succurrendum tamen legatario in factum aduersus fructuarium actione ait. *Quantũ ad hanc actionem attinet: exhibere est in eadem causa præstare, in qua fuit, cum iudicium acciperetur: ut quis copiam rei habens, possit actionem exsequi, quã destinauit, in nullo causa, quã intèdit, læsa: quamuis non de restituendo, sed de exhibendo agatur. Proinde si post litem contestatam usucaptum exhibeat: non uideretur exhibuisse, cum petitor intentionem suam perdidit. & ideo absolui eum non oportet: nisi paratus sit repetita die intentionem suscipere, ita ut fructus secundum legem æstimentur. Quia tamen causa petitori in hac actione restituitur. Sabinus putauit, partum quoq; restituendum: siue prægnas fuerit mulier, siue postea conceperit. quã sententiam & Pomponius pbat.*

als\* ad exhibendũ

Præterea utilitates, si quæ amissæ sunt ob hoc, quod non exhibetur, uel tardius exhiberetur: æstimandæ à iudice sunt. Et ideo Neratius ait: utilitatem actoris uenire in æstimationem, non quanti res sit. quæ utilitas (inquit) interdum minoris erit, quàm res.

X. PAVLVS lib. XXVI. ad edictum.

SI optione intra certum tempus data, iudicium in id tempus extractum est, quo frustra exhibeatur: utilitas petitoris conseruetur. quod si per hæredem non stetit, quo minus exhiberet tempore iudicij accipiendi: absoluendus est hæres.

XI. VLPIANVS lib. XXIII. ad edictum.

SEd & si hæreditas amissa sit ob hoc, quod seruus non exhibebatur: sequissimum est æstimari officio iudicis damnum hæreditatis. Quo autem loco exhiberi rem oporteat, uel cuius sumptibus, uideamus. Et Labeo ait, ibi exhibendam, ubi fuerit, cū lis contestaretur: periculo autè & impendijs actoris perferendam, perducendam uero eò loci, ubi actum sit. Planè pascere seruum, uestire, curare, possessorem oportere ait. Ego autem arbitror interdum etiam hæc actorem agnoscere oportere:

E ij si for

si forte ipse seruus ex operis, uel artificio suo solebat se exhibere, nunc uero cogitur uacare. Proinde & si apud officium fuerit depositus exhibendus: cibaria debet agnoscere, qui exhiberi desiderauit, si non solebat possessor seruum pascere. nam si solebat: sicuti pascit, ita & cibaria potest non recusare. Interdum tamen eò loci exhibere debet suis sumptibus: si forte proponatur data opera eum in locū abditū res contulisse, ut actori incommodior esset exhibitio. nam in hunc casum suis sumptibus, & periculo debet exhibere in eum locum, ubi agetur: ne ei calliditas sua proficit. Si de pluribus rebus quis conueniat, & litis contestatæ tempore omnes possederit: licet postea quasdam desierit (quãuis sine dolo) possidere: damnandū, nisi exhibeat eas, quas potest.

XII. PAVLVS lib. XXVI. ad edictum.

**D**E eo exhibendo, quem quis in libertatem uindicare uelit: huic actioni locus esse potest. Et filius familiars ea actione teneretur, si facultatem rei exhibendæ habeat. Sæpius ad exhibendum agenti, si ex eadem causâ agat, obstaturam exceptionem Iulianus ait. nouam autem causam interuenire: si is, qui uindicandi gratia egisset, post acceptum iudicium eam ab aliquo accepit. & ideo exceptionem ei non officere. Item si ei, qui furti acturus, ad exhibendū egisset, iterum furtū factū sit. Deniq; si quis optandi gratia ad exhibendū egisset, & post litem contestatam alterius testimonio optio data sit: ad exhibendum agere potest. Si quis ex uuis meis mustum fecerit, uel ex oliuis oleum, aut ex lanis uestimenta, cum sciret hæc aliena esse: utriusq; nomine ad exhibendum actione tenebitur: quia quod ex se nostra fit, nostrum esse, uerius est. Si post iudicium acceptum homo mortuus sit: quamuis sine dolo malo & culpa possessoris: tamen interdum tanti damnandus est, quanti actoris interfuit per eum non effectum, quo minus tunc, cum iudicium acciperet, homo exhiberetur. tanto id magis: si apparebit eo casu mortuū esse, qui non incidisset, si tunc exhibitus fuisset. Si iusta ex causâ statim exhiberi res non possit: iussu iudicis cauere debet, se illo die exhibiturum. Hæres non quasi hæres, sed suo nomine hæc actione uti potest. Item hæres possessoris suo nomine teneretur. Igitur non procedit querere, an hæredi & in hæredem danda sit. Plane ex dolo defuncti danda est in hæredem hæc actio, si locupletior hæreditas eo nomine facta sit: ueluti quod precium rei consecutus sit.

XIII. CAIVS lib. VI. ad edictum prætoris Urbani. Tit. de liberali causa.

**S**I liber homo detineri ab aliquo dicatur: interdictū aduersus eum, si qui detinere dicitur, de exhibendo eo potest quis habere. nam ad exhibendum actio in eam rem inutilis uidetur: quia hæc actio ei creditur competere, cuius peculiariter interest.

Pomponius

## XIIII. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

**S**iquis nummos ab uxore sibi donatos, sciens suos factos non esse, pro re empta dederit: dolo malo fecit, quo minus possideat: & ideo ad exhibendum actione tenetur.

## XV. IDEM lib. XVIII. ad Sabinum.

**T**hesaurus meus in tuo fundo est, nec eum pateris me effodere. cum eum loco non moueris, furti quidem, & ad exhibendum eo nomine agere me recte non posse, Labeo ait: quia neque possideas eum, neque dolo feceris, quo minus possideres: utpote cum fieri possit, ut nescias thesaurum in tuo fundo esse. Non esse autem iniquum, iuranti mihi, non calumnie causa id postulare: vel interdictum, uel iudicium ita dari: ut si per me non steterit, quo minus damni infecti tibi operis nomine caueatur: ne uim facias mihi, quo minus eum thesaurum effodiam, tollam, exportem. Quod si etiam furtiuus iste thesaurus est, etiam furti agi potest.

## XVI. PAVLVS lib. X. ad Sabinum.

**C**um seruus aliquid tenet, dominus ad exhibendum suo nomine tenetur. si autem seruus citra scientiam domini dolo fecit, quo minus habeat: uel furti actione, uel de dolo malo noxalis serui nomine danda est. ad exhibendum autem utilis nulla constituenda est.

## XVII. VLPPIANVS lib. IX. de omnibus tribunalibus.

**S**iquis hominem debilitatum exhibeat, uel eluscatum: ad exhibendum actione quidem absolui debet (exhibuit enim, & nihil impedit directam actionem talis exhibitio) poterit tamen agere actor ex lege Aquilia de hoc damno.

## XVIII. IDEM lib. VI. opinionum.

**S**olutione chirographo inani facto, & pignoribus liberatis: nihilominus creditor, ut instrumenta ad eum contractum pertinentia, tam ab alio, quam debitore exhibeantur, agere potest.

## XIX. PAVLVS lib. III. ἀντιτοκῶν Alfeni digestorum.

**A**d exhibendum possunt agere omnes, quorum interest. Sed quidam consuluit, an possit efficere hoc dicto, ut rationes aduersarij sibi exhiberentur, quas exhiberi magni eius interesset? Respondit, non oportere ius ciuile calumniari, neque uerba eius captare: sed qua mente quid diceretur, animaduertere. Nam illa ratione etiam studiosum alius cuius doctrinae posse dicere, sua interesse, illos aut illos libros sibi exhiberi: quia si essent exhibiti, cum eos legisset, doctior & melior futurus esset. \* alias. illos aut alios.

## XX. VLPPIANVS lib. II. regularum.

**Q**uestionis habendae causa ad exhibendum agitur ex delictis factorum ad iudicandos conscios.

# DIGESTORVM

## SEV PANDECTARVM LIBER VNDECIMVS.

DE INTERROGATIONIBVS IN IVRE FACIENDIS, & de interrogatorijs actionibus sublatis. Tit. I.

CALLISTRATVS lib. II. *edicti monitorij.*



**T**OTIES hæres interrogandus est, qua ex parte hæres sit: quoties aduersus eum actio instituitur, & dubitat actor, qua ex parte is, cum quo agere uelit, hæres sit. Est autem interrogatio tunc necessaria, cum in personam est actio, & ita si certum petetur: ne dum ignoret actor, qua ex parte aduersarius defuncto hæres exstiterit, interdum plus petendo aliquid damni

sentiat. Interrogatorijs autem actionibus hodie non utimur: quia nemo cogitur ante iudicium de suo iure aliquid respondere: ideoque minus frequentantur, & in desuetudinem abierunt, & tantummodo ad probationes litigatoribus sufficiunt ea, quæ ab aduersa parte expressa fuerunt apud iudices: uel in hæreditatibus, uel alijs rebus, quæ in causis uertuntur.

II. VLPPIANVS lib. XXII. *ad edictum.*

**E**Dictum de interrogatiõibus ideo prætor proposuit: quia sciebat difficile esse eis, qui hæredem bonorumum possessorem conuenient, probare aliquem esse hæredem, bonorumum possessorem.

III. PAVLVS lib. VII. *ad edictum.*

**Q**Via plerumque difficilis probatio hæreditatis est.

IIII. VLPPIANVS lib. XXII. *ad edictum.*

**V**oluit prætor adstringere eum, qui conuenitur ex sua in iudicio responsione: ut uel confitendo, uel mentiendo sese oneret: simul ut de portione, pro qua quisque hæres exstiterit, ex interrogatione certioreretur. Quod ait prætor, **QVI IN IVRE INTERROGATVS RESPONDIT**, sic accipiendum est apud magistratus populi Romani, uel præfides prouinciarum, uel alios iudices. ius enim eum solum locum esse, ubi iuris dicendi, uel iudicandi gratia consistat: uel si domi, uel in itinere hoc agat.

V. CAIVS lib. III. *ad edictum prouinciale.*

**Q**ui interrogatur, an hæres, uel quora ex parte sit, uel an in potestate habeat eum, cuius nomine noxali iudicio agitur: ad deliberandum tempus impetrare debet: quia si perperam confessus fuerit, incommo adficietur.

Vlpianus

## VI. VLP IANVS lib. XXII. ad edictum.

**E**T quia hoc defunctorum interest, ut successores habeant: interest & uiuentium, ne præcipitentur, q̄ diu iuste deliberant. Interdū interrogatus quis, an hæres sit, nō cogitur respondere: ut puta si contro uersiam hæreditatis ab alio patiatur. & ita diuus Hadrianus constituit. ne aut negando hæredem, præiudicet sibi: aut dicendo se hæredē, illigetur etiam ablata sibi hæreditate.

## VII. IDEM lib. XVIII. ad edictum.

**S**I quis in iure interrogatus, an quadrupes, quæ pauperiem fecit, eius sit, responderit: tenetur.

## VIII. PAVLVS lib. XXII. ad edictum.

**S**I quis interrogatus de seruo, qui damnum dedit, responderit suum esse seruū: tenebitur lege Aquilia quasi dominus. etsi cum eo actum sit, qui respondit: dominus ea actione liberatur.

## IX. VLP IANVS lib. XXII. ad edictum

**S**I sine interrogatione quis responderit se hæredem, pro interrogato habetur. Interrogatum non solum à prætore accipere debemus, sed & ab aduersario. Sed si seruus interrogetur, nulla erit interrogatio: non magis, quàm si seruus interroget. Alius pro alio non debet respondere cogi, an hæres sit. de se enim debet quis in iudicio interrogari, hoc est, cum ipse conueniatur. Celsus libro quinto digestorum scribit. si defensor in iudicio interrogatus, an is, quem defendit, hæres, uel quōta ex parte sit, falsò responderit: ipse quidem defensor aduersario tenebitur: ipsi autem, quem defendit, nullum facit præiudicium. ueram itaq; esse Celsi sententiam, dubium non est. An ergo non uideatur defendere, si non responderit, uidendum. quod utiq; consequens erit dicere: quia nō plene defendit. Qui iinterrogatus hæredem se responderit, nec adiecerit, ex qua parte: ex asse respondisse dicendus est. nisi forte ita interrogetur, an ex dimidia parte hæres sit: & responderit, hæres sum. hic enim magis puto ad interrogatum respōdisse.

Illud quæritur: an quis cogatur respondere, utrum ex testamento hæres sit: & utrū suo nomine ei quæsitā sit hæreditas: an uero per eos, quos suo iuri subiectos habet, uel per eum, cui hæres exstitit? Summatim igif prætor cognoscere debebit, cū quæretur, an quis respōdere debeat, quo iure hæres sit: ut si ualde interesse compererit, plenius respondere iubeat. quæ obtinere debent non solum in hæredibus, sed etiam in honorarijs successoribus. Deniq; Iulianus scribit, eum quoq; cui hæreditas restituta est, debere in iure interrogatum respondere, an hæreditas ei sit restituta. & si de peculio agatur, non oportere responderi à patre uel domino, an in potestate habeat filiū uel seruū: quia hoc so

hum quaratur, an peculium apud eum, cum quo agitur, sit.

X. PAVLVS lib. XLVII. ad edictum.

**N**on alienum est eum, à quo damni infecti stipulari uelimus, interrogare in iure: an aedes uel locus eius sit, ex quo damnum timeatur, & pro qua parte: ut si neget suum prædium esse, ne damni infecti caueat: aut cedere, aut si resistendum putauerit, quasi dolo uersatus, tradere compellatur.

XI. VLPPIANVS lib. XXII. ad edictum.

**D**e aetate quoque interrogatus, interdum respondere debet. Si quis cum hæres non esset, interrogatus responderit ex parte se hæredé: sic conuenietur, atque si ex ea parte hæres esset. fides enim ei contra se habebitur. Qui ex quadrante hæres, uel omnino, cum hæres non esset, responderit se hæredem ex asse: in assem instituta actione conuenietur. Si cum esset quis ex semisse hæres, dixerit se ex quadrante: mendacij hanc pœnam feret, quod in solidum conuenietur. non enim debuit mentiri, dum se minoris portionis hæredem adseuerabat. Interdum tamen iusta ratione potest opinari se hæredem ex minore parte. quid enim si nescit sibi partem adcreuisse, uel ex incerta parte fuit institutus? cur ei responsum noceat? Qui tacuit apud prætoré, in ea causa est, ut instituta actione in solidum conueniatur: quia quasi negauit se hæredem. nam qui omnino non respõdet, contumax est. contumaciæ autem pœnam hanc ferre debet, ut in solidum conueniatur, quæadmodum si negasset: quia prætorém contènerè uidetur. Quod autem ait prætor, OMNINO NON RESPONDISSE, posteriores omnes sic acceperunt: ut omnino non respondiße uideatur, & qui ad interrogatum non respondit, id est *ωρος έπος*. Si interrogatus quis, an ex asse hæres esset, responderit se ex parte hæredem: si ex dimidia esset, nihil ei nocere respõsum. quæ sententia humana est. Nihil interest, neget quis, an taceat interrogatus, an obscure respondeat, ut incertum dimittat interrogatoré. Ex causa succurri ei, qui interrogatus respõdit, non dubitamus. nam & si quis interrogatus, an patri hæres esset, responderit: mox prolato testamento inuentus sit, ex hæredatus: acquisitum est ei succurri. & ita Celsus scribit. hic quidè & alia ratione: quod ea, quæ postea emergunt, auxilio indigent. quid enim si occultæ tabulæ & remotæ postea prolatae sunt? cur noceat ei, qui respõdit, quod in præsentiarum uidebatur? Idem dico, etsi quis hæredem se responderit, & mox falsum, uel inofficiosum, uel irritum testamentum fuerit pronunciatum. non enim improbe respondit, sed scriptura ductus. Qui interrogatus responderit: sic tenet, quasi ex contractu eius obligatus, pro quo pulsabatur: dum ab aduersario interrogetur. Sed si à prætoré fuerit

rit interrogatus: nihil facit prætoris autoritas, sed ipsius responsum, siue mendacium. Qui iusto errore ductus negauerit se hæredem, uenia dignus est. Sed & si quis sine dolo malo, culpa tamen respondit: dicendum erit, absolui eum debere, nisi culpa dolo proxima sit. Celsus itaq; scribit, licere respondenti pœnitere, si nulla captio ex eius præsentia sit actori. quod uerissimum mihi uidetur: maxime si quis postea plenius instructus quid faciat, instrumētis uel epistolis amicorū de iure suo edoctus.

XII. PAVLVS lib. XVII. ad edictum.

SI filius qui abstinuit se paterna hæreditate, in iure interrogatus, responderit se hæredem: tenebitur. nam ita respondendo pro hærede gessisse uidetur. Sin autem filius, qui se abstinuit, interrogatus tacuerit: succurrendum est ei: quia hunc, qui abstinuit, prætor non habet hæredis loco. Exceptionibus, quæ institutis in iudicio contra reos actionibus opponuntur: etiam is uti potest, qui ex sua responsione conuenitur: ueluti pacti conuenienti, rei iudicatæ, & cæteris.

XIII. IDEM lib. II. ad Plautium.

CONFessionibus falsis respondentes ita obligantur, si eius nomine, de quo quis interrogatus est, cum aliquo actio sit: quia quæ cum alio actio esset, si dominus esset, in nosmetipsos cōfessione nostra conferemus. Etsi eum, qui in potestate patris esset, respondissem filium meum: ita me obligari, si ætas eius pateretur, ut filius meus esse possit: quia falsæ confessiones naturalibus conuenire debent. propter quæ fiet, ut patris familias nomine respondendo non obliger. Eum, qui alius deest patrem familias suū esse respondit seruum, non teneri noxali actione. ac nec si bona fide liber homo mihi seruiat, mecum noxali iudicio agi potest: & si actū fuerit, manebit integra actio cum ipso, qui admisit.

XIII. IABOLENVS lib. IX. ex Castio.

SI is, cuius nomine noxæ iudicium acceptū est, manente iudicio liber iudicatus est: reus absolui debet, nec quidquam interrogatio in iure facta proderit: quia eius personæ, cuius nomine quis cum alio actionem habet, obligationem transferre non potest in eum, qui in iure suum esse confitetur: uelut alienum seruum suum esse confitendo. liberi aut hominis nomine (quia cum alio actio nō est) ne per interrogationē quidem aut confessionem transferri poterit. quo casu eueniet, ut non recte hominis liberi nomine actum sit cum eo, qui confessus est. In totum autem confessiones ita ratæ sunt: si id, quod in confessione uenit, & ius & natura recipere potest.

XV. POMPONIVS lib. XVIII. ad Sabinum.

SI ante aditam hæreditatem seruum hæreditarium meum esse responderis: teneor, quia domini loco habetur hæreditas. Mortuo ser-

F ij uo,

aliās ne-  
turam.

no, quem in iure interrogatus, suum esse cōfessus sit: non tenetur is, qui respondit: quemadmodū & si pprius eius fuisset, post mortē eius non teneretur. XVI. VLP IANVS lib. XXXVII. ad Sabianum.

**S**I seruus ab hostibus captus sit, de quo in iure interrogatus, respōdet in sua potestate esse: quamuis iure postliminium possit interim nos efficere dubitare: attamen nō puto locum esse noxali actioni, quia non est in potestate. Quancūq; aut placet etiam eum teneri, qui alienū seruum suum confessus esset: tamen rectissime placuit eum demū teneri, qui eum seruū potuit habere. cæterū si dominiū quærere nō potuit: nō teneri. XVII. IDEM lib. XXXVIII. ad edictum.

**S**I seruus non sit unius, sed plurium: & omnes mentiti sunt, eum in sua potestate non esse, uel quidā ex illis: aut dolo fecerunt, quo minus sit in potestate: unusquisq; eorū tenebitur in solidū, quēadmodum tenerentur, & si haberent in potestate. Is uero, qui nihil dolo fecit, quo minus in potestate haberet, uel non negauit: non tenebitur.

XVIII. IULIANVS lib. III. ad Vrseium Ferocem.

**Q**VI ex parte dimidia hæres erat, cum absentem cohæredem suū defendere uellet, ut satisfationis onus euitare posset: respondit se solum hæredem esse, & condemnatus est. quærebat actor, cum ipse soluendo non esset: an rescisso superiore iudicio, in eum, qui reuera hæres erat, actio dari deberet? Proculus respondit, rescisso iudicio, posse agi: idq; uerum est.

XIX. PAPINIANVS lib. VIII. quæstionum.

**S**I filius, cum pro patre suo ageret, tacuit interrogatus: omnia perit: de obseruanda erunt, ac si non esset interrogatus.

XX. PAVLVS lib. II. quæstionum.

**Q**VI seruum alienum respondit suum esse, si noxali iudicio cōuen- tus sit, dominum liberat. aliter atq; si is, qui confessus sit se occidisse seruum, quem alius occidit: uel si quis responderit se hæredem. nā his casibus nō liberatur, qui fecit, uel qui hæres est. Nec hæc inter se contraria sunt. nam superiore casu ex persona serui duo tenentur ( sicut in seruo communi dicimus ) ubi altero conuento, alter quoq; liberatur. at is, qui confitetur se occidisse uel uulnerasse, suo nomine tenetur: nec debet impunitum esse delictum eius, qui fecit, propter eum, qui respon- dit: nisi quasi defensor eius, qui admisit, uel hæredis litem subiit hoc ge- nere. tunc enim in factum exceptione danda submouendus est actor: quia ille negotiorum gestorū uel mandati actione recepturus est, quod præstitit. Idem est in eo, qui mandatu hæredis hæredem se esse re- spondit, uel cum eum aliās defendere uellet. In iure interrogatus, an fundum possideat: quæro, an respondere cogendus sit, & quota ex parte

parte fundum possideat? Respondi. Iabolenus scribit, possessorem fundi cogi debere respondere, quota ex parte fundum possideat: ut si minore ex parte possidere se dicat, in aliam partem, quæ non defenderetur, in possessionem actor mittatur. Idem & si damni infecti caueamus. nam & hic respondere debet, quota ex parte eius sit prædiū: ut ad eam partem stipulationem accommodemus. Poena autem non repromittentis hæc est, ut in possessionem eamus: & ideo eò ptinet scire, an possideant.

XXI. VLP IANVS lib. XXII. ad edictum.

**V** Bicumq; iudicem æquitas mouerit: æque oportere fieri interrogationem, dubium non est.

XXII. SCAEVOLA lib. III. digestorum.

**P**ROCURATORE Cæsaris ob debitum fiscale interrogante: unus ex filiis, qui nec bonorum possessionem acceperat, nec hæres erat: respondit se hæredem. an quasi interrogatoria creditoribus cæteris tenentur: respondi, ab his, qui in iure non interrogassent, eum ex responsio suo conueniri non posse.

## DE QVIBVS REBVS AD EVNDEM iudicem eatur. Tit. II.

POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.



**S** I inter plures familiæ eriscundæ agatur, & inter eosdem communi diuidundo, aut finium regundorum: eundem iudicē sumi. præterea, quo facilius coire cohæredes, uel socij possint, in eundem locum omnium præsentiam fieri

oportet.

II. PAPINIANVS lib. II. questionum.

**C**VM ex pluribus tutoribus unus, quod cæteri non sunt idonei, conueniuntur: postulante eo, omnes ad eundem iudicem mittuntur, & hoc rescriptis principum continetur.

## DE SERVO CORRVPITO. Tit. III.

VLP IANVS lib. XXIII. ad edictum.



**A** T prætor. QVI SERVVM SERVAM'VE ALIENVM ALIENAM RECEPISSE, PERSVASISSE'VE QVID EI DICETVR DOLO MALO, QVO EVM EAM DETERIOREM FACERET: IN EVM, QVANTI EA RES ERIT, IN DVPLVM IVDICIUM DABO. Qui bona fide seruum

emit, hoc edicto non tenebitur: quia nec ipse poterit serui corrupti agere: quia nihil eius interest seruum non corrumpi. & sanè si quis hoc ad-

F iij miserit

miserit: eueniet, ut duobus actio serui corrupti cōpetat. quod est absurdum. Sed nec eum, cui bona fide homo liber seruit, hanc actionē posse exercere opinamur. Quod autē prator ait. RECEPISSE: ita accipimus, si susceperit seruum alienum ad se. Et est proprie RECIPERE abscondendi caussa refugium seruo præstare, uel in suo agro, uel in alieno loco, ædificio. PERSVADERE autem est plus, quàm compelli atq; cogi sibi parere. Sed persuadere τῶν μισῶν ὄσι. nam & bonum consilium quis dando potest suadere, & malum. & ideo prator adiecit, DOLO MALO, QVO EVM DETERIOREM FACERET. neq; enim delinquit, nisi qui tale aliquid seruo persuadet, ex quo eum faciat deteriolem. qui igitur seruum sollicitat ad aliquid uel faciendū, uel cogitandum improbe: hic uidetur hoc edicto notari. Sed utrum ita demum tenetur, si bonæ frangi seruum pepulit ad delinquendum: an uero etsi malum hortatus est, uel malo seruo monstrauit, quemadmodum faceret? Et est uerius, & si malo monstrauit, quem in modum delinqueretur: teneri eum. imò etsi erat seruus omnimodo fugiturus, uel furtum facturus, hic uero laudator huius propositi existit: teneri. Nō enim oportet laudando augere maliciam. Siue ergo bonum seruum fecerit malum, siue malum deteriolem: corrupisse uidetur. Is quoq; deteriolem facit, qui seruo persuadet, ut iniuriam faceret, uel furtum, uel fugeret, uel ut alienum seruum sollicitaret, uel ut peculium intricaret, aut amator existeret, uel errori, uel malis artibus esset deditus: uel ut in spectaculis nimius, uel seditiosus: uel si actori suasit, siue uerbis, siue precio, ut rationes dominicas intercederet, uel adulteraret, uel etiam ut rationem sibi commissam turbaret.

II. PAVLVVS lib. XIX. ad edictum.

**V**el si luxuriosum uel contumacem fecit: quise ut stuprum pateatur persuadet.

III. VLPPIANVS lib. XXIII. ad edictum.

**D**olo malo adiecto, calliditatem notat prator eius, qui persuadet. Cæterum sine dolo si quis deteriolem fecerit (ut si lusus gratia fecerit) non tenetur. Vnde quæritur: si quis seruo alieno suaserit, in lectū ut ascenderet, uel in puteū descenderet: & ille parens ascenderit, uel descenderit, & ceciderit, crusq; uel quid aliud fregerit, uel perierit: an teneatur? Etsi quidem sine dolo malo fecerit: non tenetur. si dolo malo: tenebitur.

III. PAVLVVS lib. XIX. ad edictum,

**S**ed commodius est utili lege Aquilia eum teneri.

V. VLPPIANVS lib. XXIII. ad edictum.

**D**oli uerbum etiam ad eum, qui recepit, referendum est: ut nō alius teneat, nisi qui dolo malo recepit. Cæterū si quis ut domino custō

custodiret, receperit, uel humanitate, uel misericordia ductus, uel alia probata atq; iusta ratione: non tenebitur. Si quis dolo malo persuaserit quid seruo, quem liberum putabat: mihi uidetur teneri eum oportere. \* magis enim delinquit, qui liberum corruperit. & ideo si seruus fuerit, tenebitur. Hæc actio etiam aduersus fatentem in duplum est: quamuis Aquilia inficiantem duntaxat coërceat. Si seruus seruauit fecisse dicitur: iudicium cum noxæ deditioe redditur. Hæc actio refertur ad tempus serui corrupti, uel recepti, non ad præsens. & ideo si decesserit, uel alienatus sit, uel manumissus: nihilo minus locū habebit hæc actio. nec enim exstinguitur manumissionē semel nata actio.

\* aliās.  
maius e-  
nim qd  
delingit.

VI. PAVLVVS lib. XIX. ad edictum.

Præteritæ enim utilitatis æstimatio in hoc iudicium uersatur.

VII. VLP IANVS lib. XXIII. ad edictum.

Nam & mali serui forsitan consequuntur libertatem: & posterior causa interdum tribuit manumissionis iustam rationem.

VIII. PAVLVVS lib. XIX. ad edictum.

Sed & hæres eius, cuius seruus corruptus est, habet hanc actionē: nec solū si manserit in hæreditate seruus, sed et si exierit, forte legatus.

IX. VLP IANVS lib. XXIII. ad edictum.

Si quis seruum communem meum & suum corruperit: apud Iulianum libro nono digestorum quaeritur, an hac actione teneri possit? Et ait teneri eum \* pro socio, si socij sint: præterea poterit & communi diuidendo teneri, ut Iulianus ait. Sed cur deteriore facit Iulianus conditionem socij, si cum socio agat, quam si cum extraneo agat: nam qui cum extraneo agit: siue receperit, siue corruperit, agere potest. qui cum socio: sine alternatione, id est si corruperit, nisi forte non putauit Iulianus hæc cadere in socium. nemo enim suum receperit. Sed si cælandi animo recepit: potest defendi, eum teneri. Si in seruo ego habeā usum fructum, tu proprietatē: si quidem à me sit deterior factus, poteris mecum experiri. si uero tu id feceris: ego agere utili actione possum. ad omnes enim corruptelas hæc actio pertinet: & interesse fructuarij uideatur, bonæ frugi seruum esse, in quo usum fructū habet. Etsi forte alius eum receperit, uel corruperit: utilis actio fructuario cōpetit. Datur autem hæc actio, quanti ea res erit, in duplum. Sed quaestionis est, æstimatio utrum eius duntaxat fieri debeat, quod seruus in corpore uel in animo damni senserit, hoc est quanto uilius seruus factus sit: an uero & cæterorum? Et Neratius ait, tanti condemnandū corruptorē, quanto seruus ob id, quod corruptus sit, minoris existat.

X. PAVLVVS lib. XIX. ad edictum.

In hoc iudicium etiam rerum æstimatio uenit, quas secū seruus abstulit:

stulit: quia omne damnum duplatur. neque intererit, an ad eum perlatæ fuerint res, an ad aliū, siue etiam consumptæ sint. etenim iustus est, eum teneri, qui princeps fuerit delicti: quæ eum quæri, ad quæ res perlatæ sunt.

XI. VLP IANVS lib. XXIII. ad edictum.

**N**eratius ait, postea furta facta in æstimationem nõ uenire. quam sententiã ueram puto. nam & uerba edicti, **Q**VANTI EA RES ERIT, omne detrimentũ recipiunt. Seruo persuasi, ut chirographa debitorum corrumpat. uidelicet tenebor. sed si consuetudine peccandi, postea & rationes, cæteraque similia instrumenta subtraxerit, uel interleuerit, uel deleuerit: dicendum erit, corruptorem horum nomine non teneri. Quamuis autem rerum subtractarum nomine serui corrupti competit actio: tamen & furti agere possumus. ope enim & consilio sollicitatoris uidentur res abesse. nec sufficit alterutra actione egisse: quia altera alteram non minuit. Idem & in eo, qui seruum recepit, & aliã\* di- cælauit, & deteriore[m] fecit, Iulianus scribit. sunt enim\* diuisa inter se uersama maleficia furis, & eius, qui deteriore[m] seruũ fecit. Hoc amplius & con- lef. dictionis nomine tenebitur. quamuis enim conditione hominem, peccatam autem furti actione consecutus sit: tamen & quod interest, debet consequi actione serui corrupti.

**Q**uia manet reus obligatus etiam rebus redditis.

XII. PAVLVVS lib. XIX. ad edictum.

**H**æc actio perpetua est, non temporaria: & hæredi, cæterisque successoribus competit. in hæredem autem non dabitur, quia peccatialis est. Sed etsi quis seruum hæreditarium corruperit: hac actione tenebitur. sed & petitione hæreditatis, quasi prædo, tenebitur:

XIII. PAVLVVS lib. XIX. ad edictum.

**V**T tantum ueniat in hæreditatis petitionem, quantum in hanc actionem. De filio filiaue\* familias corruptis huic edicto locus nõ est: quia serui corrupti constituta hæc actio est, qui in patrimonio nostro esset: & pauperiore se factum esse dominus probare potest, dignitate & fama domus integra ei manente. Sed utilis competit, officio iudicis æstima- mandata: quoniam interest nostra, animum liberorum nostrorum corrumpi. Si seruus communis meus & tuus proprium meum seruum corruperit: Sabinus ait, non posse agi cum socio: perinde ac si prius meus seruus corrupisset conseruum. Item si seruus communis extraneum corruperit: uidentum est, utrum cum duobus agi debeat, an & cum singulis, exemplo cæterarum noxarum: & magis est, ut unusquisque in solidum teneatur: altero autem soluente, alterum liberari. Si is, in quo usumfructum habeo, seruum meum corruperit: erit.

erit mihi actio cum domino proprietatis. Pignori dati nomine debitor hanc actionem habet. In hac actione extra rem duplum est. id enim quod damni datum est, duplatur. His consequenter & illud probatur. si seruo meo persuaseris, ut Titio furtum faciat: nō solū in id teneris, quo deterior seruus effectus est: sed & in id, quod Titio præstiturus sim. Item non solum si mihi damnum dederis consilio tuo, sed etiam si extraneo: eo quoque nomine mihi teneris, quod ego lege Aquilia obnoxius sim. aut si ex cōducto teneor alicui, quod ei seruum locavi, & propter te deterior factus sit: teneberis eo nomine. & si qua ralia sint. Aestimatio autē habetur in hac actione, quanto seruus inutilior factus sit: quod officio iudicis expediatur. Interdum tamen & si inutilis sit, ut non expediatur talem seruum habere: utrum & precium cogitur dare sollicitator, & seruum dominus lucrifacit: an uero cogi debet dominus restituere seruum, & precium serui accipere? Et uerius est, electionem domino dari: siue seruum detinere cupit, & damnum, quanto deterior seruus factus est, in duplum accipere: uel seruo restituto (si copiam huius rei habet) precium consequi. quod si non habeat: precium quoque simili modo accipere. Cedi autem sollicitatori periculo eiusdē à domino serui actionibus debet. Quod tamen de restitutione hominis dicitur: tunc locum habet, cum de uiuo homine agitur. quid autem si de manumisso eo agatur? non facile apud iudicem audietur, dicendo ideo se manumisisse, quoniam habere noluerat domi: ut & precium habeat & libertum.

XV. CAIVS lib. VI. ad edictum provinciale.

**C**orrūpitur animus serui, etsi persuadetur ei, ut dominū contemnat.

XVI. ALFENVS lib. II. digestorum.

**D**ominus seruum dispensatorem manumisit. postea rationes ab eo accepit: & cum de eis non cōstaret, comperit apud quandam mulierculam pecuniam eum consumpsisse. quærebatur, possetne agere serui corrupti, cum ea muliere, cū is seruus iam liber esset? Respondi, posse. Sed etiam furti de pecunijs, quas seruus ad eam detulisset.

XVII. MARTIANVS lib. III. regularum.

**S**erui corrupti nomine, & constante matrimonio, marito in mulierem datur actio: sed fauore nuptiarum in simplum.

## DE FUGITIVIS.

Tit. IIII.

VLPIANVS lib. XXI. ad edictum.



**L**S qui fugitiuum cælauit, fur est. Senatus censuit, ne fugitiui admittantur in saltus: neue protegantur à millicis & procuratoribus

G ribus

ribus possessionum, multam statuit. His autem, qui intra viginti dies fugitios, uel dominis reddidissent, uel apud magistratus exhibuissent: ueniã in ante actum dedit. Sed & deinceps eodem senatusconsulto impunitas datur ei, qui intra præstituta tempora, quæ repperit fugitios in agro suo, domino uel magistratibus tradidit. Hoc autem senatusconsulto aditum etiam militi dedit uel pagano ad inuestigandum fugitiuum, in prædia senatorum uel paganorum, cui rei etiam lex Fauia prospexit, & senatusconsultum Modesto consule factum: ut fugitios inquirere uolentibus, literæ ad magistratus dentur: multa etiam centum solidorum in magistratus statuta, si literis acceptis, inquirentes non adiuuent. Sed & in eum, qui quæri apud se prohibuit, eadem poena statuta est: etiam generali epistola diuorum Marci & Commodi: qua declaratur, & præfides, & magistratus, & milites stationarios dominum adiuuare debere in inquirendis fugitiuis: & ut inuentos redderent, & ut hi, apud quos delitescant, puniantur, si crimine contingantur. Vnusquisque eorum, qui fugitiuum adprehendit, in publicum deducere debet. & merito monetur magister, eos diligenter custodire, ne euadant, Fugitiuum accipe etsi quis erro sit. Fugitini autem appellatione ex fugitiua natum non contineri, Labeo libro primo ad edictum scribit. In publicum deduci intelliguntur, & qui magistratibus municipalibus traditi sunt, uel publicis ministerijs. Diligens custodia etiam uincere permittit.

Tam diu autem custodiuntur, quam diu ad præfectum uigilum, uel ad præsidem præuinciae deducantur. eorumque nomina, & notæ, & cuius se quis esse dicat, ad magistratus deferantur, ut facilius agnosci & percipi fugitui possint. Notæ autem uerbo etiam cicatrices continentur. Idem iuris est, si hæc in scriptis publice, uel in ædes proponantur.

II. CALLISTRATVS lib. VI. cognitionum.

aliã\* sup  
plices. **F**ugitiui\* simplices dominis reddendi sunt: sed si pro liberis se gesserint, grauius coerceri solent,

III. VLPIANVS lib. VII. de officio proconsulis.

**D**iuus Pius rescripsit: eum, qui fugitiuum uult requirere in prædijs alienis, posse adire præsidem, literas ei daturum, & (si res ita exegerit) apparitorem quoque, ut ei permittatur ingredi & inquirere: & poenam eundem præsidem in eum constituere, qui inquirere nonauerit.

Sed & diuus Marcus oratione, quam in senatu recitauit, facultatem dedit ingrediendi tam Cæsaris, quam senatorum & paganorum prædia, uolentibus fugitios inquirere: scrutandisque cubilia, atque uestigia occultantium.

III. PAULVS lib. I. sententiarum.

**L**imenarchæ & stationarij fugitios deprehensos, recte in custodia præfidis retinent. Nam & magistratus municipales ad officium præfidis pro-

provinciae uel proconsulis comprehensos fugitiuos recte transmittūt.

III. TRIPHONINVS lib. I. *disputationum.*

**S**I in arenam fugitiuus seruus se dederit: ne isto quidem periculo discriminis uitae, quod sibi irrogauit, potestatem domini euitare poterit. nam diuus Pius rescripsit, omnino eos dominis suis reddendos: siue ante pugnam ad bestias, siue post: quoniam interdum aut pecunia interuersa, aut commisso aliquo maiore maleficio, ad fugiendam inquisitionem, uel iusticiam animaduersionis, in arenam se dare mallēt. reddi ergo eos oportet.

DE ALEATORIBVS: Tit. V.

VLPIANVS lib. XXIII. *ad edictum.*

**R**aptor ait. SI QVIS EVM, APVD QVEM IN ALEA LV SVM ESSE DICETVR, VERBERAVERIT, DAMNV M'VE EI DEDERIT: SIVE QVID EO TEMPORE DOMO EIVS SVBTRACTVM ERIT: IVDICIVM NON DABO. IN EVM, QVI ALEAE LVDENDAE CAVSSA VIM INTVLERIT, VTIQVE QVAE RES ERIT, ANIMADVERTAM. Si rapinam fecerint inter se collusores, ui bonorum raptorum non denegabitur actio. susceptorem enim duntaxat prohibuit uindicari, nō & collusores, quamuis & hi indigni uideantur. Item notandum, quod praetor susceptorem uerberatum quidem, & damnum passum, ubicunq; & quodcunq; nō uindicat: uerum furtum factum domi & eo tempore, quo alea ludebatur: licet lusor non fuerit, qui quid eorum fecerit, impune fit. Domū autem pro habitatione & domicilio nos accipere debere certum est.

Quod autem praetor negat se furti actionem daturum: uideamus, utrum ad poenalem actionem solam pertineat, an etsi ad exhibendum uelit agere, uel uindicare, uel condicere: & est relatum apud Pomponium, solummodo poenalem actionem negatam. quod puto uerum. praetor enim simpliciter ait, SI QUID SVBTRACTVM ERIT, IVDICIVM NON DABO. IN EVM, (inquit) QVI ALEAE LVDENDAE CAVSSA VIM INTVLERIT: VTIQVE QVAE RES ERIT, ANIMADVERTAM. haec clausula pertinet ad animaduersionem eius, qui compulsi ludere: ut aut multa multetur, aut in latumias, uel in uincula publica detur.

II. PAVLVS lib. XIX. *ad edictum.*

**S**olent enim quidam & ad lulum cogere, uel ab initio, uel uicti, dum detinent. Senatusconsultum uetuit in pecuniam ludere: praeter q̄ si quis certet \*disco uel pilo iaciendo, currendo, saliendo, luctando, aliās \*ha pugnando; quod uirtutis causa fiat.

G ij Mar-

## III. MARTIANVS lib. V. regularum.

**I**N quibus rebus ex lege Titia & Cornelia etiam sponfionem facere licet. Sed ex alijs, ubi pro uirtute certamen non fit, non licet.

## IIII. PAVLVS lib. XIX. ad edictum.

**Q**UOD in conuiuio uescendi causa ponitur, in eam rem familia luti uel domino competit repetitio. Si seruus uel filius familias uictus fuerit: partem dabitur in dominum de peculio actio, non noxalis: quia ex negotio gestum agitur, sed non amplius cogendus est prestare, quam id, quod ex ea re in peculio sit. Aduersus parentes & patronos repetitio eius, quod in alea lusum est, utilis ex hoc edicto danda est.

SI MENSOR FALSVM MODVM  
dixerit, Tit. VI.

## VLPIANVS lib. XXIII. ad edictum.



**A**Duersus mensorem agrorum praetor in factum actionem proposuit, a quo falli nos non oportet. nam interest nostra, ne fallamur in modi renunciatione: si forte uel de finibus contentio sit, uel emptor scire uelit, uel uenditor, cuius modi ager ueneat. Ideo autem hanc actionem proposuit: quia non crediderunt ueteres inter tales personas locationem esse, sed magis operam beneficij loco praebere: & id, quod datur, ei ad remunerandum dari, & inde honorarium appellari. si autem ex locato fuerit actum dicendum erit, nec tenere intentionem. Hanc actio dolum malum duntaxat exigit. uisum est enim satis abundeque coerceri mensorem: si dolo malus solus conueniatur eius hominis, qui ciuilitate obligatus non est. proinde si imperite uersatus est, sibi imputare debet, qui eum adhibuit. Sed et si negligenter: aequum mensor securus erit. lata culpa plane dolo comparabitur. Sed et si mercedem acceperit, non omnem culpam eum prestare propter uerba edicti, utique enim scit praetor, & mercedem interuenire. Is autem tenetur hac ratione, qui renunciauit, sed renunciauit & eum accipere debemus, qui per alium renunciauit.

## II. PAVLVS lib. XXV. ad edictum.

**V**EL per literas. Sed si ego tibi, cum esses mensor, mandauerim, ut mensuram agri ageres: & tu Titio id delegaueris, & ille dolo quid in ea re fecerit: tu teneberis. quia dolo malo uersatus es, qui tali homini credidisti.

## III. VLPIANVS lib. XXIII. ad edictum.

**S**I duobus mandauero, & ambo dolose fecerint: aduersus singulos

in solidum agi potest. sed altero cōuento, si fatissatum erit: in alterum actionem denegari oportebit. Competit autem hæc actio ei, cuius interfuit, falsum modum renūciatum nō esse: hoc est uel emptori, uel uenditori, cui renūciatio obsuit. Pomponius tamen scribit: si emptor plus dederit uenditori propter renunciationē ( quia condicere potest, q̄ plus dederit ) agi cum mensore non posse. nihil enim emptoris interesse, cum possit condicere: nisi soluendo uenditor nō fuit. tunc emisor tenebitur. Sed si uenditor maiorem modum tradiderit, fraudatus à mensore: consequenter dicit Pomponius, non esse actionem aduersus mensorem: quia est ex uendito actio aduersus emptorem, nisi & hic emptor soluendo non sit. Item Pomponius scribit: si propter iudicium adhibitus mensor, fraudauerit me in renunciatione: teneri eū, si ob hoc de iudicio minus tuli. planē si ab iudice adhibitus, contra me renunciauerit dolo malo dubitat, an teneri mihi debeat. quod magis admittit.

Hanc actionem hæredi similibusq; personis dandam Pomponius \* scribit. sed in hæredem similesq; personas denegandam \* ait.

Serui autem nomine magis noxalem, quàm de peculio competere ait: quamuis ciuili actio de peculio competat.

III. PAVLVVS lib. XXV. ad edictum.

**H**æc actio perpetua est: quia initium rei non ad circūscriptionem, sed à suscepto negotio originem accepit

V. VLP IANVS lib. XXV. ad edictum.

**S**i mensor non falsum modum renunciauerit, sed traxerit renunciationem: & ob hoc euenerit, ut uenditor liberetur, quia adsignaturum se modū intra certum diem promisit: hæc actio locum nō habet. sed nec utilis dari debere, Pomponius ait. erit ergo ad actionē de dolo decurrendū. Si cū falsus modus renunciatus esset, emptor cū uenditore ex empto egisset: agere poterit & cum mensore. sed si nihil eius interest, condemnari mensorem non oportet. quod si nō de toto modo, qui deerat, cum uenditore egerit, sed de minore: consequenter scribit Pomponius, de residuo cum mensore agi posse. Hoc iudicium latius prætor porrexit. nam & si cuiusvis alterius rei mensuram falsam renunciauisset diceretur, hæc actio competit. proinde siue in ædificij mensura sefellit, uel frumenti, uel uini,

VI. PAVLVVS lib. XXV. ad edictum.

**S**ive de itineris latitudine, siue seruitutum immittendi, pisciendiq; squæratum: siue areâ, uel tignū, uel lapidē metiendo mentitus fuerit.

VII. VLP IANVS lib. XXIII. ad edictum.

**V**el cuius alterius rei tenebitur. & si mēsor machinarius sefellerit, hæc actio datur. nec nō illud q̄q; Pōponius dicit, etiā in eum, qui

G iij mēsor

\* Hæc in  
nonnullis de  
sunt.

mēfor non fuit, fefellit tamen in modo: competere hanc actionem. hoc exemplo etiā aduersus architectū dari debet qui fefellit. nā & diuus Seuerus aduersus architectū, & redemptorē actiones dandas decreuit. ego & aduersus tabulariū puto actiones dandas, qui in cōputatione fefellit.

DE RELIGIOSIS, ET SVMP TIBVS  
funerū, & ut funus ducere liceat. Tit. VII.

VLP IANVS lib. X. ad edictum.



Vi propter funus aliquid impendit, cum defuncto contrahere creditur, non cum hærede.

II. IDEM lib. XXV. ad edictum.

**L**ocū, in quo seruus sepultus est, religiosum esse Aristo ait. Qui mortuum in locum alienum intulit, uel inferre curauit: tenebitur in factum actione. In locum alterius accipere debemus, siue in agro, siue in ædificio. sed hic sermo domino dat actionem, nō bonæ fidei possessori. nam cum dicat, in locum alterius: apparet de domino eum sentire, id est eo, cuius locus est. sed & fructuarius inferendo tenebitur domino proprietatis. An & socius teneat, si ignorate socio intulerit, tractari potest. est tamen uerius, familiæ eriscundæ, uel communi diuidendo conueniri eū posse. Prætor ait. SIVE HOMO MORTVVS, OSSA VE HOMINIS MORTVI IN LOCVM PVRVV ALTERIVS, AVT IN SEPVLCHRVM, IN QVO IVS NON FVERIT, ILLATÁ ESSE DICENTVR: QVI HOC FECIT, IN FACTVM ACTIONE TENEBITVR, ET POENAE PECVNARIAE SVBICIETVR. De ea autē illatione prætor sensit, quæ sepulturæ causa fit. Purus autem locus dicitur, qui neque sacer, neque sanctus, neque religiosus: sed ab omnibus huiusmodi nominibus uacare uidetur. Sepulchrū est, ubi corpus, ossa uē hominis condita sunt. ut autem Celsus ait: non totus, qui sepulturæ destinatus est, locus religiosus fit, sed quatenus corpus humanum est. Monumentum est, quod memoriæ seruandæ gratia existit. Si usum fructū quis habet, locum religiosum non facit. Sed & si alius proprietatē, alius usum fructum habeat: non facit locum religiosum nec proprietarius: nisi forte ipsum, qui usum fructum legauit, intulerit: cum in alium locū inferri tam oportune non posset. & ita Iulianus scribit. aliās autē inuito fructuario locus religiosus non fiet. Sed si cōsentiat fructuarius: magis est, ut locus religiosus fiat. Locum, qui seruit, nemo religiosum facit: nisi cōsentiat is, cui seruitus debeat. Sed si nō minus cōmode per aliū locum seruitute uti potest: non uidetur seruitutis impediendæ causa id fieri: & ideo religiosus fit. & sanè habet hoc rationē. Is, qui pignori dedit

dedit agrum, si in eum suum mortuum intulerit, religiosum eum facit. Sed & si ipse inferatur, idem est. ceterum alij concedere non potest.

III. PAVLVS lib. XXVII. ad edictum.

**E**X consensu tamen omnium, utilius est dicere, religiosum posse fieri: idque Pomponius scribit.

III. VLPIANVS lib. XXV. ad edictum.

**S**criptus hæres prius, quam hæreditatē adeat, patrem familias mortuum inferendo, locum facit religiosum: nec quis putet hoc ipso pro hærede eum gerere. finge enim adhuc eum deliberare de adeunda hæreditate. Hoc ego etiam puto. si non hæres eum intulerit, sed quis alius, hærede uel cessante, uel absente, uel uerente, ne pro hærede gerere uideatur: tamen locum religiosum facere puto. plerumque enim defuncti ante sepeliuntur, quam quis hæres eis existat. sed tunc locus sit religiosus, cum defuncti fuit. naturaliter enim uidetur ad mortuum pertinere locus, in quem inferitur: præsertim si in eum locum inferatur, quem ipse destinauit. usque adeo, ut etiam si in legatum locum sit illatus ab hærede: illatione tamen testatoris fiat religiosus: si modo in alium locum tam opportune inferri non potuit.

V. CAIVS lib. XIX. ad edictum prouinciale.

**F**amiliaria sepulchra dicuntur, quæ quis sibi familiaeque suæ constituit. hæreditaria autem, quæ quis sibi hæredibusque suis constituit.

VI. VLPIANVS lib. XXV. ad edictum.

**V**el quæ pater familias iure hæreditario adquisiit. Sed in utroque hæredibus quidem, cæterisque successoribus (qualescunque fuerint) licet sepelire, & mortuum inferre: etiam si ex minima parte hæredes ex testamento, uel ab intestato sint: licet non consentiant alij. Liberis etiam cuiuscumque sexus uel gradus, & filijs familias, & emancipatis, idem ius concessum est: siue existiterint hæredes, siue sese abstineant. ex hæredatis autem (nisi specialiter testator, iusto odio commotus, eos ueruerit) humanitatis gratia tantum sepeliri, non etiam alios, præter suam posteritatem inferre licet. Liberti autem nec sepeliri, nec alios inferre poterunt, nisi hæredes existiterint patrono: quauis quidam inscripserint monumentum, SIBI LIBERTISQUE SVIS \*fecisse: & ita \*Papinianus respondit, & sapientissime item constitutum est. Si adhuc monumentum purum est: poterit quis hoc & uendere, & donare. si cenotaphium sit, posse hoc tenere dicendum est. nec enim hoc esse religiosum diui fratres rescripserunt.

VII. CAIVS lib. XIX. ad edictum prouinciale.

**I**S, qui intulit mortuum in alienum locum: aut id tollere, quod intulit, aut loci precium præstare cogitur per in factum actionem: quæ tam hæreditaria, quam in hæredem cõpetit, & perpetua est. Aduersus eum, qui in alterius arcam

\*als deest.  
als F.C.  
\*aliàs. Põponius.

arcam lapideam, in qua adhuc mortuus non erit conditus, mortuum intulit: utilem actionem in factum proconsul dat: quia non proprie uel in sepulchrum, uel in locum alterius intulisse dici potest.

VIII. VLP IANVS lib. XXV. ad edictum.

**O**ssa, quæ ab alio illata sunt, uel corpus, an liceat domino loci effodere, uel eruere sine decreto pontificum, seu iussu principis, quaestio est. & ait Labeo exspectandum seu permissum pontificalem, seu iussionem principis: alioquin iniuriarum fore actionem aduersus eum, qui eiecit. Si locus religiosus pro puro uenisse dicitur: praetor in factum actionem in eum dat ei, ad quæ ea res pertinet. quæ actio & in heredem competit, cum quasi ex empto actionem contineat. Si in locum publicis usibus destinatum intulerit quis mortuum: praetor in eum iudicium dat. si dolo fecerit, extra ordinem erit plectendus: modica ratione coercionis. sed si sine dolo: absoluentus est. In hanc autem actionem loci puri appellatio & ad ædificium producenda est. Nec solum domino hæc actio competit, uerum ei quoque, qui eiusdem loci habet usumfructum, uel aliquam seruitutem: quia ius prohibendi etiam habent. Ei, qui prohibitus est inferre in eum locum, quo ei ius inferendi esset, in factum actio competit: & interdum etiam si non ipse prohibitus sit, sed procurator eius: quia intellectu aliquo prohibitus & ipse uidetur.

IX. CAIVS lib. XIX. ad edictum provinciale.

**L**iberum est ei, qui prohibetur mortuum inferre, aut statim interdicto uti, quo prohibetur ei uis fieri: aut aliò inferre, & postea in factum agere. per quam consequetur actor, quanti eius interfuit, prohibitum non esse. in quam computationem cadit loci empti pretium, aut (si conduxerit) conducti merces. item sui loci pretium, quem quis (nisi coactus) religiosum facturus non esset. unde miror, quare constare cum (ut apparet) pecuniariæ quantitatis ratio in eam deducitur: certe perpetuò ea inter ipsos competit.

X. VLP IANVS lib. XXV. ad edictum.

**S**tuenditor fundi exceperit locum sepulchri ad hoc, ut ipse postertim inferret: agere potest. uidetur enim etiam hoc exceptum inter eminentem & uendentem, ut ei per fundum sepulturæ causa ire liceret.

XI. PAVLVS lib. XXVII. ad edictum.

**Q**uod si locus monumenti hac lege uenierit, ne in eum inferretur, quos ius est inferri: pactum quidem ad hoc non sufficit, sed stipulatione id cauere oportet.

XII. VLP IANVS lib. XXV. ad edictum

Si

**S**I quis sepulchrum habeat, uiam autem ad sepulchrum nō habeat, & à uicino ire prohibeatur: imperator Antoninus cum patre rescriptit, iter ad sepulchrum peti precariò, & concedi solere: ut quoties non debetur, impetretur ab eo, qui fundum adiunctum habeat. non tamen hoc rescriptum, quod impetrandi dat facultatem, etiam actionem ciuilem inducit: sed extra ordinem interpelletur. præses etiam compellere debet, iusto precio iter ei præstari: ita tamen, ut iudex etiam de opportunitate loci prospiciat, ne uicinus magnum patiatur detrimētum. Senatus consulto cauetur, ne usus sepulchrorum permutationibus poluatur: id est, ne sepulchrū alienæ conuersationis usum accipiat. Prætor ait. **Q**UOD FUNERIS CAUSSA SVMPTVS FACTVM ERIT, EIVS RECVPERANDI NOMINE IN EVM, AD QVEM EA RES PERTINET, IVDICIVM DABO. hoc edictum iusta ex causa propositum est: ut qui funeravit, persequatur id, quod impendit. sic enim fiet, ne insepulta iaceant corpora, ne quis de alieno funeretur. Funus autem eum facere oportet, quem decedens elegerit. sed si ille non fecerit: nullam esse huius rei pœnam constat, nisi aliquod pro hoc ei emolumentum relictum est. tunc enim, si non paruerit uoluntati defuncti, ab hoc repellitur. sin autē de hac re defunctus non cauit, nec ulli delegatū id munus est: scriptos hæredes ea res cōtingit. si nemo scriptus est: legitimos, uel cognatos quosq; suo ordine, quo succedunt. Sumptus funeris arbitrantur pro facultatibus uel dignitate defuncti. Prætor uel magistratus municipalis ad funus sumptum decernere debet: siquidem est pecunia in hæreditate, ex pecūnia. si non est: distrahere debet ea, quæ tempore peritura sunt, quorum retentio onerat hæreditatem. si minus est: si quid auri argentiq; fuerit, distrahi aut pignori iubebit, ut pecunia expediatur. **XIII. CAIVS lib. XIX. ad edictum prouinciale.**

**V**el à debitoribus, si facile exigi possit.

**XIIII. VLP IANVS lib. XXV. ad edictum.**

**A**T si quis impediatur, qui emit, quo minus ei res tradantur: prætorem interuenire oportet, tueriq; huiusmodi factū, si quid impediatur, quo minus ei res uenditæ tradantur. Si colonus uel inquilinus sit is, qui mortuus est, nec sit, unde funeretur: ex inuestis & illatis eum funerandū, Pōponius scribit: & si quid superfluum remāserit, hoc pro debita pēsiōne teneri. Sed & si res legata sint à testatore, de cuius funere agitur, nec sit, unde funeretur: ad eas quoq; manum mittere oportet. satius est enim de suo testatorem funerari, quàm alios legata conferre. Sed si adita fuerit postea hæreditas, res emptori auferenda nō est: quia bonæ fidei possessor est, & dominium habet, qui authore iudice comparauit. legatarium tamen legato carere non oportet, si potest in-

**H** demnis

demnis ab hærede præstari. quod si non potest: melius est legatarium non lucrari, quæ emptorem damno adfici. Si cui funeris sui curam restator mandauerit, & ille accepta pecunia funus non duxerit: de dolo actionem in eum dandam Mela scribit. credo tamen & extra ordinem eum à prætore compellendum funus ducere. Funeris causa sumptus factus uidetur is demum, qui ideo fit, ut funus ducatur, & sine quo funus duci non possit: ut puta si quid impensum est in elatione mortui. Sed & si quid in locum fuerit erogatum, in quem mortuus inferretur: funeris causa uideri impensum, Labeo scribit: quia necessario locus paratur, in quo corpus conditur. Impensa peregre mortui, quæ facta est, ut corpus perferretur: funeris est, licet nondum homo funeretur. Idem & si quid ad corpus custodiendum, uel etiam commedandum factum sit: uel si quid in marmor uel uestem collocandam. non aut oportet ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud huiusmodi, quod homines simpliciores faciunt. Hæc actio, quæ funeraria dicitur, ex bono & æquo oritur. cõtinet autem funeris causa tantum impensa, non etiam ceteros sumptus. Aequum autem accipitur ex dignitate eius, qui funeratus est: ex causa, ex tempore, ex bona fide: ut neq; plus imputetur sumptus nomine, quam factum est: neq; tantum, quantum factum est, si immodice factum est. debet enim haberi ratio facultatum eius, in quem factum est: & ipsius rei, quæ ultra modum sine causa consumitur. quid ergo si ex uoluntate testatoris impensum est: sciendum est nec uoluntatem sequendam, si res egrediatur iustam sumptus rationem. pro modo enim facultatum debet sumptus fieri. Sed interdum is, qui sumptum in funus fecit, sumptum non recipit: ueluti si pietatis gratia fecit, non hoc animo, quasi recepturus sumptum, quem fecit. hoc & Imperator noster rescripsit. igitur æstimandum erit ab arbitro & perpendendum, quo animo sumptus factus sit: utrum negotium quis uel defuncti, uel hæredis gerat, uel ipsius humanitatis: an uero misericordiar, uel pietati tribuens, uel affectioni. potest tamen distingui & misericordiar motus: ut si in hoc fuit misericors uel pius, qui funerauit, ut eum sepeliret, ne insepultus iaceret: non etiam ut de suo sumptum faceret. quod si iudici liqueat: non debet eum, qui conuenitur, absolue re. quis enim sine pietatis intentione alienum cadauer funerat: oportebit igitur testari quæq; quo animo funerat: ne postea patiatur quæstionem. Pleeriq; filij cum parentes suos funerant, uel alij, qui & hæredes fieri possunt: licet ex hoc ipso neq; pro hærede gestio, neq; aditio præsumitur: tamen ne uel miscuisse se necessarij, uel ceteri pro hærede gessisse uideantur: solent testari pietatis gratia se facere sepulturam. quod si superuacuum fuerit factum: ad illud se munire uidentur, ne immiscuisse se credantur:

tur: non ad illud, ut sumptum consequantur. quippe protestantur pietatis gratia id se facere. plenius igitur eos testari oportet, ut & sumptus possint seruare. Fortassis posset quis dicere, interdum partem facti sumptus posse recuperari: ut si quis pro parte quasi negocium gerens, pro parte pietatis gratia id facit. quod est uerius. partē igitur sumptus consequetur, quem non donandi animo fecit. Iudex, qui de ea æquitate cognoscit, interdum sumptum omnino non debet admittere, modicum factum: si forte in contumeliam defuncti hominis locupletis modicus factus sit. nam non debet huius rationem habere, cū contumeliam defuncto fecisse uideatur, ita eum funerando. Si quis, dū se hæredē putat, partem familias funerauerit: funeraria actione uti non poterit: quia non hoc animo fecit, quasi alienum negocium gerens. & ita Trebatius & Proculus putant. puto tamen & ei ex causa dandā actionem funerariam. Labeo ait. quoties quis aliam actionē habet de funeris impensa consequenda, funeraria etiam agere non posse. & ideo si familiæ eriscundæ agere possit: funeraria non acturum. planē si iam familiæ eriscundæ iudicium actum sit, posse agi. Idem Labeo ait: si prohibente hærede funeraueris testatorem, ex causa competere tibi funerariam. quid enim si filiū testatoris hæres eius prohibuit? huic contradici potest. ergo pietatis gratia funerasti. sed pone testatum me, habiturum me funerariam actionem. de suo enim expedit mortuos funerari. & quid si testator quidem funus mihi mandauit, hæres prohibet, ego tamen nihilominus funeravi? nonne æquum est mihi funerariam uel negociorum gestorum competere? & generaliter puto iudicem non meram negociorum gestorum actionem imitari, sed solutius æquitatem sequi, cum hoc ei & actionis natura indulget. Diuus autem Marcus rescripsit eum hæredem, qui prohibet funerari ab eo, quem testator elegit, non recte facere: pœnam tamen in eum statutam non esse. Qui mandatu alterius funerauit, non habet funerariam actionem: siue is, qui mandauit scilicet funerandum, soluit ei, cui mandauit: siue debet. quod si pupillus mandauit sine tutore auctore: utilē funerariam dandam aduersus hæredem ei, qui impendit. lucrari enim hæredem iniquum est. Si autem pupillus funus ad se pertinens sine tutoris auctoritate mandauit: dandam in eum actionem arbitror, si & hæres existit ei, qui funeratur, soluēdoq; hæreditas est. Contra si quis mandatu hæredis funerauerit: non posse eum funeraria agere, Labeo scribit: quia habet mandati actionem. si tamen quasi negocium hæredis gerens funerauit: licet ratum non habet, tamen funeraria eum agere posse, Labeo scribit. Datur aut hæc actio aduersus eos, ad quos funus ptinet: ut puta aduersus hæredē, bonorum uel possessorē, ceterosq; successores.

**F**VNERIS impensas & patronus, qui bonorū possessionē petit contra tabulas, præstat. **XVI. VLP IANVS lib. XXV. ad edictum.**

**I**N eum, ad quē dotis nomine aliquid puenit, dat prætor funerariam actionē. æquissimum em̄ uisum est ueteribz, mulieres quasi de patri monijs suis, ita de dotibus funerari: & eū, qui morte mulieris dotē luatur, in funus conferre debere: siue pater mulieris sit, siue maritus.

**XVII. P A P I N I A N V S lib. II. responsorum.**

**S**Ed si nondum pater dotem recuperauerit: uir solus conuenietur, re sputaturus patri, quod eo nomine præstiterit.

**XVIII. I V L I A N V S lib. X. digestorum.**

**I**mpensa enim funeris æs alienum dotis est.

**XIX. V L P I A N V S lib. XV. ad Sabinum.**

**I**Deoq; etiam dos sentire hoc æs alienum debet.

**XX. I D E M lib. XXV. ad edictum.**

**N**Eratius quærit, si is, qui cum dotem dederat pro muliere, stipulatus est duas partes dotis reddi, tertiam apud maritum remanere: pactus sit, ne quid maritus in funus cōferret: an funeraria maritus teneatur: & ait, siquidē ipse stipulator mulierē funerauit: locum esse pacto, & inutile ei funerariam fore. si uero alius funerauit: posse eū maritum conuenire, quia pacto hoc publicum ius infringi nō possit. quid tamen si quis dotē hac lege dederit pro muliere, ut ad ipsum rediret, si in matrimonio mortua esset, aut quoquo modo soluto matrimonio: nunquid hic in funus non conferat? Sed cum dos morte mulieris ad eū peruenerit: potest dici conferre eū. Si maritus lucratur dotē, conuenitur funeraria: pater aut non. Sed & in hunc casum puto, si dos (quia pmodica fuit) in funus non sufficit: & in superfluum in patrem debere actionem dari. Cum materfamilias decedit, nec est soluendo hæreditas: funerari eam ex dote tantum oportet, & ita \*Celsus scribit.

\* aliās,  
Marcel-  
lus.

**XXI. P A V L V S lib. XXVII. ad edictum.**

**I**N patrem, cuius in potestate fuerit is, cuius funus factum erit: competit funeraria actio pro dignitate & facultatibus.

**XXII. V L P I A N V S lib. XXV. ad edictum.**

**C**elsus scribit. quoties mulier decedit: ex dote, quæ penes uirum remanet, & cæteris muliebribus bonis pro portione funeranda est.

**XXIII. P A V L V S lib. XXVII. ad edictum.**

**V**eluti si in dotem centum sint, in hæreditate ducenta: duas partes hæres, unam uir conferet.

**XXIII. V L P I A N V S lib. XXV. ad edictum.**

**I**ulianus scribit, non deductis legatis.

Paulus

XXV. PAVLVS lib. XXVII. ad edictum.

**N**ec precijs manumissorum.

XXVI. POMPONIVS lib. XV. ad Sabinum.

**N**ec ære alieno deducto.

XXVII. VLPPIANVS lib. XXV. ad edictum.

**E**T sic pro rata & maritum & hæredem conferre in funus oportet. Maritus funeraria non conuenietur, si mulieri in matrimonio dotē soluerit, ut Marcellus scribit. quæ sententia uera est: in his tamē casibus, in quibus hoc ei facere legibus permissum est. Præterea maritū puto funeraria in id demū teneri, quod facere potest. Id em̄ lucrari uidetur, quod præstaret mulieri, si conueniretur.

XXVIII. POMPONIVS lib. XV. ad Sabinum.

**Q**uod si nulla dos esset: tunc oēm impensam patrē præstare debere, Atilicinus ait: aut hæredes eius mulieris, puta emancipatæ. q̄ si neq; hæredes habeat, neq; pater soluēdo sit: maritū, in quantū facere potest, pro hoc cōueniri: ne iniuria eius uideret, quondam uxorē eius insēpultā relinqui.

XXIX. CAIVS lib. XIX. ad edictum prouinciale.

**S**i mulier post diuortiū alij nupta decesserit: non putat Fulcinius priorem maritū, licet dotē lucri faciat, funeris impensam præstare. Is, qui filiā familias funerauit: ante q̄ dos patri reddatur, cum marito recte agit: reddita dote, patrem obligatum habet. utiq; autem, si cū marito actum fuerit, is eo minus patri mulieris restitutus est.

XXX. POMPONIVS lib. XV. ad Sabinum.

**C**ontra quoq; quod pater in funus filiæ impendit, aut alio secū agēte funeraria iā præstitit: ipse per actionē de dote à marito recipit. Sed si emancipata in matrimonio decedat: collaturos hæredes bonorum iūe possessores & patrem pro portione dotis, quā recuperant: & uirum pro portione dotis, quam lucratus est.

XXXI. VLPPIANVS lib. XXV. ad edictum.

**S**i filius familias miles sit, & habeat castrēse peculii: puto successores eius ante teneri, sic deinde ad patrē ueniri. Qui seruū alienum uel ancillā sepeliuit: habet aduersus dominū funerariā actionem. Hæc actio nō est annua, sed ppetua: & hæredi cæterisq; successorib; & in successores dat.

XXXII. PAVLVS lib. XXVII. ad edictum.

**S**i possessor hæreditatis funus fecerit, deinde uictus in restitutione nō deduxerit, qd impendit: utilē esse ei funerariam. Si eodē momento tēporis uir & uxor decesserit: Labeo ait, in hæredē uiri pro portione dotis dandā hanc actionē: quoniā id ipsum dotis nomine ad eū peruenit.

XXXIII. VLPPIANVS lib. LXVIII. ad edictum.

**S**i quis fuerit hæres, cui deinde hæreditas ablata sit, quasi indigno:

H iij magis

magis est, ut penes eum iura sepulchrorum remaneant.

XXXIII. PAVLVVS lib. LXIII. ad edictum.

**S**I locus sub conditione legatus sit: interim hæres inferendo mortuum, non facit religiosum locum.

XXXV. MARCELLVS lib. V. digestorum.

**M**inime maiores legendum putauerunt eum, qui ad patriam delendam & parentes & liberos interficiendos uenit. quod si filius patrem, aut pater filium occidisset sine scelere: etiam præmio adficiendum omnes constituerunt.

*aliás\* occidisset: sine scelere &*

XXXVI. POMPONIVS lib. XXVI. ad Q. Mutium.

**C**um loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt religiosa uel sacra esse: & sicut homines liberi in seruitute perueniunt. quod si ab hac calamitate fuerint liberata, quasi postliminio reuersa, pristino statui restituntur.

XXXVII. MACER lib. I. ad legem uicesimam hereditatum.

**F**uneris sumptus accipitur, quidquid corporis causa erogatum est: ueluti unguentorum, & precium loci, in quo defunctus humatus est, & si qua uestiaria sunt, uel sarcophagi, & uestura, & quidquid corporis causa, antequam sepeliatur, consumptum est: funeris impensam esse existimo. Munimentum autem sepulchri id esse diuus Hadrianus rescripsit, quod causa muniendi eius loci factum sit, in quo corpus impositum sit. itaque si amplum quid ædificari testator iusserit (ueluti in circuitu portationes) eos sumptus funeris causa non esse.

XXXVIII. VLPIANVS lib. IX. de omnibus tribunalibus.

**N**e corpora aut ossa mortuorum detinerentur, aut uexarentur: nec prohiberentur, quo minus uia publica transferentur, aut quo minus sepelirentur: præsidis prouinciæ officium est.

XXXIX. MARTIANVS lib. III. institutionum.

**D**ui fratres edicto admonuerunt, ne iustæ sepulturæ traditum, id est terra conditum corpus inquietetur. uideatur autem terra conditum, & si in arcula conditum hoc animo sit, ut non alibi transferatur. sed arculam ipsam (si res exigat) in locum commodiorem licere transferre, non est denegandum.

XL. PAVLVVS lib. III. questionum.

**S**i quis eo animo corpus intulerit, quod cogitaret inde aliud postea transferre: magisque temporis gratia deponere, quam quod ibi sepeliret mortuum, & quasi æternam sedem daret, destinauerit: manebit locus profanus.

XLI. CALLISTRATVS lib. III. institutionum.

**S**i plures sunt domini eius loci, ubi mortuus inferitur: omnes consentire debent, cum extranei inferatur. nam ex ipsis dominis quemlibet recte ibi sepeliri constat, etiam sine ceterorum consensu: maxime cum aliás non sit locus, in quo sepeliretur.

XLII. FLORENTINVS lib. VII. institutionum.

*Monu*

**M**onumentum generaliter res est memoriae causa in posterum prodita: in qua si corpus uel reliquiae inferantur, fiet sepulchrum. si uero nihil eorum: erit monumentum memoriae causa factum, quod Graeci *μνηστέριον* appellant.

XLIII. PAPIANVS lib. IX. *questionum.*

**S**unt personae, quae quaquam religiosum locum facere non possunt, interdito tamen de mortuo inferendo utiliter agunt: ut puta dominus proprietatis si in fundum, cuius fructus alienus est, mortuum inferat, aut inferre uelit. nam si intulerit: non facit iustum sepulchrum. sed si prohibeatur: utiliter interdito, quo de iure dominij quaeritur, agat. eademque sunt in socio, qui in fundum commune inuito socio mortuum inferre uult. nam praeter publicam utilitatem, ne insepulta cadauera iacerent: strictam rationem in super habemus, quae nunquam in ambiguis religionum quaestionibus omitti solet. nam summam esse rationem, quae pro religiosis facit.

XLIII. PAULVS lib. III. *questionum.*

**C**um in diuersis locis sepultum est, uterque quidem locus religiosus non sit. quia unius sepultura sepulchra plura efficere non potest. mihi autem uidetur, illum esse religiosum locum, ubi quod principale est conditur: id est caput, unde qualis cuiusque imago sit, cognoscitur. cum autem impetratur, ut reliquiae transferantur: definit locus religiosus esse.

XLV. MAETIANVS lib. VIII. *fidei commissorum.*

**I**mpensa funeris semper ex hereditate deducitur: quae etiam omnem creditum solet praecedere, cum bona soluendo non sunt.

XLVI. SCAEVOLA lib. II. *questionum.*

**S**i plura praedia quis habuerit, & omnium usumfructum separatim legauerit: poterit in unum inferri, & electio erit haeredis, & gratificatio: nil locus. sed fructuario utilis actio in haereditate danda ad id recipiendum, quod propter eam electionem imminutus est ususfructus. Si haeres mulieris inferat mortuam in haereditarium fundum: a marito, qui debet in funus conferre, pro aestimatione loci consequatur. Ei, cui uestimenta legantur, si in funus erogata sint: utilem actionem in haereditatem dandam placuit, & privilegium funerarium.

DE MORTVO INFERENDO ET SEPULCHRO AEDIFICANDO. Tit. VIII.

VLPIANVS lib. LXVIII. *ad edictum.*

**R**ator ait. QVO, QVA VE ILLI MORTVVM INFERRE, INVITO TE, EI IVS EST: QVO MINVS ILLI EO EA VE MORTVVM INFERRE, ET IBI SEPELIRE LICEAT: VIM FIERI VETO.

**T**O. Qui inferendi mortuū ius habet, non prohibetur inferre. prohiberi aut inferre uidetur: siue in locū inferre, phibeatur, siue in itinere arceatur. Hoc uero interdīcto DE MORTVO INFERENDO dominus proprietatis uti potest: quod etiā de loco puro cōpetit. Item si mihi in fundū uia debeat, in quem fundum inferre uolo, & uia phibeatur: hoc interdīcto posse me experiri placuit: & quia inferre phibeor, & quia uia uti phibeor. Idēq; erit probandum, etsi alia seruitus debeat.

Hoc interdīctū phibitorium esse palam est. Prator ait. QVO' ILLI IUS EST, INVITO TE, MORTVVM INFERRE: QVO MINVS ILLI IN EO LOCO SEPVLCHRVM SINE DOLO MALO AEDIFICARE LICET: VIM FIERI VETO. Interdīctum hoc p̄pterea propositum est: quia religionis interest, monumēta exstrui, & exornari. Facere sepulchrum siue monumentū in eo loco, in quo ei ius est, nemo prohibetur.

Aedificare uidetur phibere, & qui phibet eō materiam conuehi, quæ ædificationi necessaria sit. p̄inde & si operi necessarios phibuerit quis uenire: interdīctū locum habet. etsi machinā quis alligare phibeat: si tamē eō loci phibeat, qui seruitutē debeat. Cæterum si in meo solo uelis machinā imponere: nō tenebor interdīcto, sed iure te non patiar. Aedificare autē nō solū, qui nouū opus molitur, intelligendus est: uerum is quoq; qui uult reficere. Is, qui id agit, ut labat sepulchrū, hoc interdīcto tenetur.

II. MARCELLVS lib. XXVIII. *digestorum.*

**N**Egat lex Regia mulierē, quæ prægnās mortua sit, humari ante, q̄ partus ei excidat. is qui cōtra fecerit: spem animantis cū grauida permisse uidet.

III. POMPONIVS lib. IX. *ad Sabinum.*

**S**I p̄pius ædes tuas quis ædificet sepulchrū, & opus nouū nūciare possis. sed factō ope nullā habebis actionem, nisi QVOD VI AVT CLAM. Si p̄pius ædificiū alienū intra legitimū modū mortuus illatus sit: postea eū phibere nō poterit ædificij dominus, quo minus aliū mortuū eō inferat, uel monumentū ædificet: si ab initio domino sciēte hoc fecerit.

IIII. VLP IANVS lib. II. *responsorum.*

**L**Onga possessio ius sepulchri non tribuit ei, cui iure non competit:

V. IDEM lib. I. *opinionum.*

**S**I in eo monumento, quod imperfectum esse dicitur, reliquæ hominis conditæ sunt: nihil impedit, quo minus id perficiatur. Sed si religiosus locus iam factus sit: pontifices explorari debent, quatenus salua religione desiderio reficiendi operis medendum sit.

*Finit altera Digestorum pars de iudicijs.*

SEQVITVR TERTIA DE REBVS CREDITIS.

# DIGESTORVM

SEV PANDECTARVM LIBER DVODECIMVS.

De rebus creditis liber primus.

SI CERTVM PETATVR CONDICTI-  
one. Tit. I.

VLPIANVS lib. XXVI. ad edictum.



**E**RE est, prius quam ad uerborum interpretationem perueniamus, pauca de significatione ipsius tituli referre. Quoniam igitur multa ad contractus uarios pertinentia iura sub hoc titulo prætor inferuit: ideo rerū creditarum titulū præmisit. Omnes enim contractus, quos alienam fidem secuti institui mus, complectitur. Nam (ut libro primo quæstio- num Celsus ait) credendi generalis appellatio est. ideo sub hoc titulo prætor & de commodato, & de pignore edixit. nam cuiusque rei adsen- timur, alienam fidem secuti, mox recepturi quid ex hoc cōtractu: cre- dere dicimur. Rei quoque uerbum, ut generale, prætor elegit.

II. PAVLVS lib. XXVIII. ad edictum.

**M**VTuum damus recepturi non eandem speciem, quam dedimus, (alioquin commodatum erit, aut depositum) sed idem genus. Nam si aliud genus, ueluti si pro tritico uinū recipiamus: non erit mu- tuum. Mutui datio consistit in his rebus, quæ pondere, numero, mē- sura constant: quoniam earum rerum datione possumus in creditum ire, \* quia in genere suo functionē recipiunt per solutionem, & specie. Nam in cæteris rebus ideo in creditū ire non possumus: quia aliud pro alio inuito creditori solui non potest. Appellata est autem mutui da- tio ab eo, quod de meo tuum fit. & ideo si de meo tuum non fiat: non nascitur obligatio. Creditum ergo à mutuo differt, quo genus à spe- cie. Nam creditū cōsistit etiā extra eas res, quæ pondere, numero, men- sura continentur: sicuti & si eandem rem recepturi sumus, creditū est. Item mutuum non potest esse, nisi proficiatur pecunia: creditum au- tem fit interdum, etiam si nihil proficiatur: ueluti si post nuptias dos promittatur. In mutui datione oportet dominū esse dantē. nec obest, quod filius familias & seruus dantes peculiare numos obligant. id em̄ tale est, quale si uoluntate mea tu des pecuniam. nam mihi actio adqui- ritur, licet numi mei non fuerint. Verbis quoque credimus, quodā actu ad obligationem comparandam interposito, ueluti stipulatione.

\* als. quæ  
T Simile hu  
ic Homeri  
ω. Βέλομ  
ἐξὸ λαὸν  
σοὸρ ἔμμε  
ναί, ἢ ὄπω  
λέαδ; Sicut  
inf. depos.  
l. si hominē  
& sup. de  
iudi. l. 2. in  
fi. & alibi.

I Pom-

## III. POMPONIVS lib. XXVII. ad Sabinum.

**C**VM quid mutuum dederimus: & si non cauimus, ut æque bonum nobis reddatur: non licet debitori deteriore rem, quæ ex eodem genere sit, reddere: ueluti uinum nouum pro uetere. Nam in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum est. Id autem agi intelligitur, ut eiusdem generis, & eadem bonitate soluatur, qua datum est.

## IIII. VLP IANVS lib. XXXIIII. ad Sabinum.

**S**I quis nec causam nec propositum foenerandi habuerit, & tu emptum prædia desideraueris mutuum pecuniam, nec uolueris crediti nomine, ante quam emisses, suscipere: atque ita creditor (qui necessitatem forte proficiscendi habebat) deposuerit apud te hanc eandem pecuniam, ut si emisses, crediti nomine obligatus esses: hoc depositum periculo eius est, qui suscepit. Nam & qui rem uendendam acceperit, ut pretio uteretur: periculo suo rem habebit. Res pignori data, pecunia soluta, condici potest: etiam fructus ex iusta causa percepti, condicendi sunt. Nam & si colonus post lustrum completum fructus perceperit, condici eos constat: ita demum, si non ex uoluntate domini percepti sunt. Nam si ex uoluntate domini: procul dubio cessat conditio. Ea quæ ui fluminis importata sunt, condici possunt.

## V. POMPONIVS lib. XXII. ad Sabinum.

**Q**UOD te mihi dare oportuerat, si id postea perierit, quam per te factum erit, quo minus id mihi dares: tuum fore id detrimentum conitat. Sed cum quaeritur, an per te factum sit: animaduerti debet, non solum si in potestate tua fuerit id, necne, aut dolo malo feceris, quo minus esset, uel fuerit, necne: sed etiam si aliqua iusta causa sit, propter quam intelligere deberes, te dare oportere.

## VI. PAVLVS lib. XXVIII. ad edictum.

**C**ERTUM est, cuius species uel quantitas, quæ in obligatione uersatur, aut nomine suo, aut ea demonstratione, quæ nominis uice fit, gignitur, qualis quantitate sit, ostenditur. Nam & Pedius libro primo de stipulationibus nihil referre ait: proprio nomine res appellentur, an digito ostendantur, an uocabulis quibusdam demonstrantur, quatenus mutua uice fungantur, quæ tantundem præsentent.

## VII. VLP IANVS lib. XXVI. ad edictum.

**O**MNIA, quæ inferi stipulationibus possunt, eadem possunt etiam numerationi pecuniæ. ideo & conditiones.

## VIII. POMPONIVS lib. VI. ex Plautio.

**P**ROINDE mutui datio interdum pendet, ut ex post facto confirmetur: ueluti si dem tibi mutuos numos, ut si conditio aliqua existiterit, tui fiant, sisque mihi obligatus. Item si legatam pecuniam hæres crediderit

diderit, deinde legatarius eam noluerit ad se pertinere: quia hæredis ex die aditæ hæreditatis uidetur numi fuisse, ut credita pecunia peti possit. Nam & Iulianus ait, traditiones ab hærede factas ad id tempus redigi, quo hæreditas adita fuerit, cum repudiatum sit legatum, aut adpositum.

IX. VLP IANVS lib. XXVI. ad edictum.

**C**\*Erri conditio competit ex omni causa, & ex omni obligatio- a/s \*certe  
ne, ex qua certum petitur: siue ex certo contractu petatur, siue ex  
incerto. Licet enim nobis ex omni contractu certum condicere, dum  
modo præsens sit obligatio. Cæterum si in diem sit, uel sub conditio-  
ne obligatio: ante diem, uel conditionem non potero agere. Competit  
hæc actio etiam ex legati causa, & ex lege Aquilia, sed & ex causa fur-  
tina per hanc actionem condicatur. Sed etsi ex senatusconsulto agatur,  
competit hæc actio: ueluti si is, cui fidei commissaria hæreditas restitu-  
ta est, agere uolet. Siue aut suo nomine q̄s obligatus sit, siue alieno: per  
hanc actionem recte conuenietur. Quoniam igitur ex omnibus con-  
tractibus \*hæc certi \*conditio competit: siue re fuerit cōtractus factus, \*aliās de  
siue uerbis, siue cōiunctim: referendæ sunt nobis quædam species, quæ sunt.\*  
dignum habent tractatum, an hæc actio ad petitionem earum suffi-  
ciat. Numeravi tibi decem, & hæc alij stipulatus sum. nulla est stipu-  
latio. an cōdicere decem per hanc actionem possim, quasi duobus con-  
tractibus interueniētibus: uno, qui re factus est, id est, numeratione: alio  
qui uerbis, idq; inutiliter: quoniā alij stipulari non potui: & puto posse.  
Idem erit, si a pupillo fuero sine tutoris autoritate stipulatus, cui  
tutore authore credidi. Nam & tunc manebit mihi conditio ex nume-  
ratione. Idem quæri potest, etsi quod tibi numeravi, sub impossibili  
conditione stipuler. cum enim nulla sit stipulatio: manebit cōditio.  
Sed etsi ei numerauero, cui postea bonis interdictum est, mox ab eo sti-  
puler: puto pupillo eum comparandum, quoniā & ipse stipulando sibi  
adquirat. Si numos meos tuo nomine dederō uelut tuos, absente te  
& ignorante: Aristo scribit adquiri tibi conditionem. Iulianus quoq;  
de hoc interrogatus libro decimo scribit, uerā esse Aristonis sententiā:  
nec dubitari, quin si meam pecuniam tuo nomine uoluntate tua dede-  
ro, tibi adquiratur obligatio: cum quotidie credituri pecuniam mutu-  
am, ab alio poscamus, ut nostro nomine creditor numeret futuro de-  
bitori nostro. Deposui apud te decem. postea permisi tibi uti. Ner-  
ua & Proculus, etiam ante quā moueantur, condicere, quasi mutua  
tibi hæc posse aiunt & est uerum, ut & Marcello uidetur. animo enim  
cepisse possidere, ergo transit ad eum periculum, qui mutuam roga-  
uit, & poterit ei condici.

X. IDEM lib. II. ad edictum.

I ij Quod

**Q**uod si ab initio, cum deponeré, uti tibi (si uoles) permifero: creditam non esse, ante quàm mota sit: quoniam in debitum iri nō est certum.

XI. IDEM *lib. XXIII. ad edictum.*

**R**ogasti me, ut tibi pecuniam crederem. ego cū non haberem, lan-  
cem tibi dedi, uel massam auri, ut eā uenderes, & numis uteris.  
si uendideris: puto mutuā pecuniam factam. quod si lancē, uel massam  
sine tua culpa perdideris, ante quàm uenderes: utrum mihi, an tibi pe-  
rierit, quæstionis est. Mihi uidetur Neruæ distinctio uerissima: existi-  
mantis multum interesse, uenalem habui hanc lancem, uel massam,  
nécne: ut si uenale habui, mihi perierit, quemadmodū si alij dedissem  
uendendam. quod si non fui hoc pposito, ut uenderem, sed hæc causa  
fuit uendendi, ut tu uteris: tibi eā perisse, & maxime si sine usuris cre-  
didi. Si tibi decem dedero, ut nouem debeas: Proculus ait, recte non  
amplius te ipso iure debere, quàm nouem. Sed si decē dedero, ut undecim  
debeas: Putat Proculus amplius, quàm decem condici non posse. Si  
fugitiuus seruus numos tibi crediderit: an condicere numos tibi domi-  
nus possit, quæritur. & quidem si seruus meus, cui concessa est peculij  
administratio, crediderit tibi: erit mutua. Fugitiuus autem, uel alius ser-  
uus cōtra uoluntatē domini credendo, nō facit accipientis. quid ergo:  
uindictari numi possunt, si existant: aut si dolo malo desinant possideri,  
ad exhibendum agi. quod si sine dolo malo consumpti sunt: condicere tibi  
potero.

XII. POMPONIUS *lib. VI. ex Plautio.*

**S**i à furioso, cum eum compotem mentis esse putares, pecuniā quasi  
mutuā acceperis, eaq; in rem tuā uersa fuerit: conditionē furioso  
adquiri, Iulianus ait. Nā ex quibus causis ignorantibus nobis actiones  
adquirunt, ex istis etiam furioso adquiri. Itē si is, qui seruo crediderat,  
furere cōperit: deinde seruus in rē domini uerterit: condici nomine fu-  
riose posse. Et si alienā pecuniā credendi causa quis dederit: deinde fure  
re cōperit, & consumpta sit ea pecunia: conditionem furioso adquiri.

XIII. VLPIANUS *lib. XXVI. ad edictum.*

**N**am & si fur numos tibi credendi animo dedit, accipientis non fa-  
cit: sed consumptis eis, cōdictio nascitur. Vnde Papinianus libro  
octauo quæstionū ait. Si alienos numos mutuos tibi dedi: non ante mi-  
hi teneris, quàm si eos consumpseris. quod si per partes eos consumpseris, an  
per partes tibi condicam, quæritur. & ait me condicturum: si admoni-  
tus alienos numos fuisse, ideo per partes condicam, quia nondum to-  
tos consumptos compererim. Si seruus communis decem credide-  
rit: puto, siue administratio seruo communi concessa est, siue non, &  
consumantur numi: in quinum competere actionem. Nam & si com-  
munes tibi numos credidero centum: posse me quinquaginta condi-  
cere

cere, Papinianus libro octauo quæstionum scribit, etiam si singula corpora communia fuerint.

XIIII. IDEM lib. XXIX. ad edictum.

SI filiusfamilias contra senatusconsultum mutuatus, pecuniam soluerit: patri numos uindicanti nulla exceptio obijcietur. Sed si fuerint consumpti numi à creditore: Marcellus ait, cessare conditionem. quoniam toties conditio datur, quoties ex ea caussa numerati sunt, ex qua actio esse potuisset, si dominium ad accipientem transtulisset. in proposito autem non esse. Deniq; per erroré soluti contra senatusconsultum crediti, magis est cessare repetitionem.

XV. IDEM lib. XXXI. ad edictum.

Singularia quædam præcepta sunt circa pecuniam creditam. nam si tibi debitorem meum iussero dare pecuniã: obligaris mihi, quamuis numos meos non acceperis. quod igitur in duabus personis recipitur, hoc & in eadem persona recipiendum est: ut cum ex caussa mandati pecuniam mihi debeas, & conuenerit, ut crediti nomine eam retineas: uideatur mihi data pecunia, & à me ad te profecta.

XVI. PAULVS lib. XXXII. ad edictum.

SI socius ppriam pecuniã mutuam dedit: omnimodo creditã facit, licet cæteri dissenserint. Quod si cõmunem numerauerit: nõ aliã creditam efficit, nisi cæteri q; cõsentiant: quia suæ partis tantũ alienationẽ habuit.

XVII. VLP IANVS lib. I. disputationum.

CVm filiusfamilias uaticũ suum mutuũ dederit, cũ studiorũ caussa Romæ ageret: respõsum est à Scauola, extraordinario iudicio esse illi subueniendũ.

XVIII. IDEM lib. VII. disputationum.

SI ego pecuniam tibi quasi donaturus dederò, tu quasi mutuam accipias: Iulianus scribit, donationẽ nõ esse. sed an mutua sit, uidendũ est. & puto, nec mutuã esse: magisq; numos accipientis non fieri, cum alia opinione acceperit. Quare si eos consumpserit: licet conditio te neatur, tamẽ doli exceptione uti poterit: quia secundũ uoluntatẽ dantis numi sunt consumpti. Et si ego quasi deponens tibi dederò, tu quasi mutuum accipias: nec depositum, nec mutuum est. Idem est, & si tu quasi mutuam pecuniam dederis, ego quasi commodatam ostentandi gratiã accepi. sed in utroq; casu, consumptis numis, conditio sine doli exceptione locus erit.

XIX. IULIANVS lib. X. digestorum.

NON ois numeratio eũ, qui accipit, obligat: sed q; id ipsum agit, ut confestim obligetur. Nam & is, qui pecuniã mortis caussa donat: numerat quidẽ pecuniã, sed non aliter obligat accipientẽ, q; si existat casus, in quem obligatio collata fuit: ueluti si donator conualuit,

I iij aut

aut is, qui accipiebat, prior deceffit. Et cum pecunia datur, ut aliquid fieret: quamdiu in pendentem est, an id futurum sit, cessabit obligatio. Cū uero certum esse cœperit, futurum id nō esse: obligabitur, qui accepit. ueluti si Titio decem dederō, ut Stichum intra calendas manumittar: ante calendas nullam actionem habebō, post calendas ita demū agere poterō, si manumissus non fuerit. Si pupillus sine tutoris autoritate crediderit, aut soluendi causa dederit: cōsumpta pecunia conditionem habet, uel liberatur: non alia ratione, quā quod factō eius intelligitur ad eum, qui accepit, peruenisse. qua propter si eandem pecuniam is, qui increditum uel insolutum acceperat, alij porro increditum uel insolutum dederit: consumpta ea, & ipse obligatur pupillo, uel eum à se liberat: & eum, cui crediderit, obligatum habebit, uel se ab eo liberabit. nam omnino qui alienam pecuniam credendi causa dat, cōsumpta ea habet obligatum eum, qui accepit: item qui insolutum dedit, liberatur ab eo, qui accepit.

XX. IDEM lib. XVIII. digestorum.

**S**I tibi pecuniam donassem, ut mihi eandem crederes: an credita fuerit: dixi in huiusmodi propositionibus nō proprijs uerbis nos uti. nam talem contractum, neq; donationem esse, neq; pecuniam creditā. donationem non esse: quia nō ea mente pecunia daretur, ut omnimodo penes accipientem maneret. creditam nō esse: quia exsoluendi causa daretur magis, quā alterius obligandi. Igitur si is, qui pecuniā hac conditione accepit, ut mihi in creditum daret, acceptam dederit: nō fore creditā. magis enim meum accepisse intelligi debeo. Sed hæc intelligenda sunt propter subtilitatē uerborum. benignius tamē est, utrunq; ualere.

XXI. IDEM lib. XLVIII. digestorum.

**Q**uidam existimauerunt, neq; eū, qui decē peteret, cogendū quin q; accipere, & reliqua persequi; neq; eum, qui fundū suū diceret, partem duntaxat iudicio persequi. sed in utraq; causa humanius mihi facturus uideatur prætor, si actorem compulerit ad accipiendū id, quod offertur: cum ad officium eius pertineat, lites deminuere.

XXII. IDEM lib. III. ex Minutio.

**V**inum, quod mutuum datum erat, per iudicem petitum est. quæsitum est, cuius temporis æstimatio fieret: utrum cum datum esset, an cum lis contestata fuisset, an cum res iudicaretur? Sabinus respondit: si dictum esset, quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset. si non: quanti tunc, cum petitum esset. Interrogatus, cuius loci precium sequi oporteat? Respondi, si cōuenisset, ut certo loco redderetur: quanti eo loco esset. si dictū nō esset: quanti, ubi esset petitum.

XXIII. AFRICANVS lib. II. questionum.

**S**teum seruum, qui tibi legatus sit, quasi mihi legatum possederim, & uendiderim: mortuo eo, posse te mihi precium condicere, Iulianus ait, quasi ex re tua locupletior factus sim.

XXIII. VLP IANVS lib. singulari πρὸς ἐκτὼν.

**S**i quis certum stipularus fuerit, ex stipulatu actionem non habet: sed illa condicticia actione id persequi debet, per quam certum petitur.

XXV. IDEM lib. singulari consularium.

**C**reditor, qui ad restitutionem ædificiorum credidit, in pecuniâ, quam credidit, priuilegium exigendi habebit.

XXVI. IDEM lib. V. opinionum.

**S**i pecuniam militis procurator eius mutuam dedit, fideiussoremque accepit: exemplo eo, quo si tutor pupilli, aut curator iuuenis, pecuniam alterutrius eorum creditam, stipularus fuerit: actionem dari militi, cuius pecunia fuerit, placuit.

XXVII. IDEM lib. X. ad edictum.

**C**iuitas mutui datione obligari potest, si ad utilitatem eius pecuniæ uersæ sunt. alioquin ipsi soli, qui cōtraxerūt, nō ciuitas, tenebunt.

XXVIII. CAI VS lib. XX. ad edictum prouinciale.

**C**\*reditor, qui non idoneum pignus accepit: non amittit exactio-

\* al's. Si cre

di. n. i. p. ac

cepit: artū

nem eius debitæ quantitatis, in quâ pignus nō sufficit.

XXIX. PAVLVS lib. III. ad Plautium.

**S**i institutorem seruum dominus habuerit: posse dici, Iulianus ait, etiâ condici ei posse: quasi iussu eius contrahatur, à quo præpositus sit.

XXX. IDEM lib. V. ad Plautium.

**Q**ui pecuniam creditam accepturus, spondit creditori futuro: in potestate habet, ne accipiendo se ei obstringat.

XXXI. IDEM lib. XVII. ad Plautium.

**C**um fundus uel homo per cōditionem petitus est: puto hoc nos

p. n. f.

ciure uti, ut post iudicium acceptum causa omnis restituenda sit: id est omne, quod habiturus esset actor, si litis contestandæ tempore solutus fuisset. Seruum tuum imprudens à fure bona fide emi. is ex peculio, quod ad te pertinebat, hominē parauerat, qui mihi traditus est.

Sabinus, Cassius. posse te mihi hominem condicere: & si quid mihi ab-

esset ex negotio, quod is gessisset, inuicem me tecum acturū. & hoc uerum est. Sed Iulianus ait: uidendum, ne dominus integram actionē ex-

empto habeat, uenditor autē condicere possit bonæ fidei emptori. qd'

ad peculiares numos attinet, si exstant, uindicare eos dominus potest: sed actione de peculio tenetur uenditori, ut precium soluat. si con-

sumpti sunt: actio de peculio euanescit. sed adijcere debuit Iulianus, non aliter domino serui uenditorem ex empto teneri, quàm si ei preci-

um

um solidum, & quæcunq; ( si cum liberò contraxisset ) deberentur, dominus serui præstaret. idè dici debet, si bonæ fidei possessori soluisset: si tamè actiones, quas aduersus eum habet, præstare domino paratus sit.

XXXII. CELSVS lib. V. *digestorum.*

**S**I me & Titium mutuum pecuniam rogaueris, & ego meum debito Srem tibi promittere iusserim: tu stipulatus sis, cum putares eum Titij debitorem esse: an mihi obligaris, subsisto. Siquidem nullum negotium mecum contraxisti: sed propius est, ut obligari te existimem: non quia pecuniam tibi credidi ( hoc enim, nisi inter consentientes, fieri nõ potest ) sed quia pecunia mea ad te peruenit, eam à te mihi reddi, bonum & æquum est.

XXXIII. MODESTINVS lib. X. *πρωδικτόν.*

**P** Rincipalibus constitutionibus cauetur: ne hi, qui prouinciam regunt, qui ùe circa eos sunt, negociantur, mutuum pecuniam dent, fœnus ùe exercent.

XXXIII. PAVLVVS lib. II. *sententiarum.*

**P** Ræfidis prouinciæ officiales, qui perpetui sunt, mutuum pecuniam dare, & fœnebrem exercere possunt. Præses prouinciæ mutuum pecuniam fœnebrem sumere non prohibetur.

XXXV. MODESTINVS lib. III. *responsorum.*

**P** ERiculum nominum ad eum, cuius culpa deterius factum pbari potest, pertinet.

XXXVI. IABOLENVS lib. I. *ἐπισηλώσ.*

**P** ECuniam, quam mihi sine conditione debebas, iussu meo promissisti Attio sub conditione. cum pendente conditione in eodem statu sit obligatio tua aduersum me, tanquam si sub contraria conditione eam mihi spondidisses: si pendente conditione petam, an nihil acturus sim? Respondi. non dubito, quin ea pecunia, quam ipse sine conditione stipulatus sum ( etiam si conditio in persona Attij, qui ex mea uoluntate eandem pecuniam sub conditione stipulatus est, non extiterit ) credita esse pmaneat. perinde est enim, ac si nulla stipulatio interuenisset. pendente autem causa conditionis, idem petere non possum: quoniam cum incertum sit, an ex ea stipulatione deberi possit, ante tempus petere uideor.

XXXVII. PAPIANVS lib. I. *definitionum.*

**C** VM ad præsens tempus conditio confertur, stipulatio nõ suspenditur. & si conditio uera sit: stipulatio tenet, quamuis tenere contra re spondes: Eadem sunt, & cum in præteritum conditio confertur.

XXXVIII. SCAEVOLA lib. I. *questionum.*

**R** Espiciendum enim est, an quantum in natura hominum sit, possit sciri eam debitum iri.

## XXXIX. PAPINIANVS lib. I. definitionum.

**I**taque tunc potestate conditionis obtinet, cum in futurum confertur.

## XL. PAVLVS lib. I. questionum.

**L**eda est in auditorio Aemilij Papiniani praefecti praetorio iuriscor-  
sulti cautio huiusmodi. LVCIVS TITIVS SCRIPSI ME ACCEPIS-  
SE A PVBLIO MAEVIO QVINDECIM MVTVA NVMERATA MIHI  
DE DOMO. ET HAEC QVINDECIM PROBA RECTE DARI CA-  
LENDIS FVTVRIS, STIPVLATVS EST PVBLIVS MAEVIVS, SPOPON-  
DI EGO LVCIVS TITIVS. SI EA DIE SVPRADICTA SVMMA PVBLIO  
MAEVIO, EI'VE, AD QVEM EA RES PERTINEBIT, DATA, SOLVTA,  
SATIS'VE EO NOMINE FACTVM NON ERIT: TVNC EO AMPLI-  
VS, QVO POST SOLVAM, POENAE NOMINE IN DIES TRIGINTA,  
IN'QVE DENARIOS CENTENOS, DENARIOS SINGVLOS DARI STI-  
PVLATVS EST PVBLIVS MAEVIVS, SPOPONDI EGO LVCIVS TITI-  
VS. CONVENIT'QVE INTER NOS, VTI PVBLIO MAEVIO EX SVM-  
MA SVPRADICTA MENSTRVOS REFVNDERE DEBEAM DENARI-  
OS TRECECOS EX OMNI SVMMA EI, HAEREDI'VE EIVS. quaesitum  
est de obligatione usurarum: quoniam numerus mensium, qui soluti-  
oni competebat, transierat. Dicebam, quia pacta incontinenti facta sti-  
pulationi inesse creduntur: perinde esse, ac si per singulos menses cer-  
tam pecuniam stipulatus, quo tardius soluta esset, usuras adiecisset. igitur  
finito primo mense, primae pensionis usuras currere, & similiter post  
secundum & tertium tractum usuras non solutae pensionis crescere: nec  
ante sortis non solutae usuras peti posse, quam ipsa fors peti potuerat. Pa-  
ctum autem, quod subiectum esset, quidam dicebat ad sortis solutionem tan-  
tum pertinere: non etiam ad usurarum, quae priore parte simpliciter in sti-  
pulationem uenissent: pactumque id tantum ad exceptionem prodesse.  
& ideo non soluta pecunia statutis pensionibus, ex die stipulationis usu-  
ras deberi, atque si id nominatim expressum esset. Sed cum sortis petitio  
dilata sit: consequens est, ut etiam usurae ex eo tempore, quo moram fe-  
cit, accedant: & si (ut ille putabat) ad exceptionem tantum prodesset  
pactum (quamuis sententia diuersa obtinuerit) tamen usurarum obli-  
gatio ipso iure non committeretur. Non enim in mora est is, a quo pe-  
cunia propter exceptionem peti non potest. Sed si quantitatem, quae  
medio tempore colligatur, stipulemur, cum conditio exstiterit: sicut  
est in fructibus, idem & in usuris potest exprimi: ut ad diem non soluta  
pecunia, quod competit usurarum nomine, praestetur ex die interpo-  
sita stipulationis.

## XLI. AFRICANVS lib. VII. questionum.

**E**ius, qui in prouincia Stichum seruum calendario praeposuerat,  
K Romae

Romæ testamentum recitatum est: quo idem Stichus liber, & ex parte hæres erat scriptus. qui status sui ignarus, pecunias defuncti aut exegit, aut credidit: ut interdum & stipularetur, & pignora acciperet. consulebatur, quid de his iuris esset? Placebat debitores quidem, qui ei soluissent, liberatos esse: si modo ipsi quoque dominum decessisse ignorassent. earum autem summarum nomine, quæ ad Stichum peruenissent, familiaræ circumspectæ quidem actionem non competere cohæredibus, sed negotiorum gestorum dari debere. Quas uero pecunias ipse credidisset: eas non ex maiore parte, quæ ex qua ipse hæres esset, alienatas esse. Nam & si tibi in hoc dederim numos, ut eos Stichus credas: deinde mortuo me ignorans dederis: accipientis non facies. neque enim sicut illud receptum est, ut debitores soluentes ei liberentur: ita hoc quoque receptum, ut credendo numos alienet. Quare si nulla stipulatio interuenisset: neque creditam pecuniam pro parte cohæredis peti posse, neque pignora teneri. Quod si stipulatus quicquid esset: referre, quæ admodum stipulatus esset. Nam si nominatim, forte Titio domino suo mortuo iam, dari stipulatus esset: procul dubio inutiliter esse stipulatum. quod si sibi dari stipulatus esset: dicendum, hæreditati eum adquisisse. sicut enim nobis metipsis ex re nostra hæreditati quoque ex re hæreditaria adquiri. post aditam uero à cohæredibus hæreditatem non æque idem dici: utique si scierint eum sibi cohæredem datum: quoniam tunc non possent uideri possessores bonæ fidei esse, qui nec possidendi animum haberent. Quod si proponatur cohæredes eius id ignorasse (quod forte ipsi quoque ex necessarijs fuerint) potest adhuc idem responderi, quæ quidem casu & illud euenturum: ut si suæ conditionis cohæredes iste seruus habeat: inuicem bona fide seruire uideantur.

XLII. CELSVS lib. VI. digestorum.

Si ego decem stipulatus à Titio, deinceps stipuler à Seio, quanto minus à Titio consequi possim: si decem petiero à Titio, non liberatur Seius. alioquin ne quidem mihi caueatur. At si iudicatum fecerit Titius: nihil ultra Seius tenebitur. Sed & si cum Seio egero: quantumcumque est, quo minus à Titio exigere potero eo tempore, quo iudicium inter me & Seium acceptum est: tanto minus postea à Titio petere possim. Labeo ait, cum decem dari curari stipulatus sis: ideo non posse te prædo promissor liberari possit. quo scilicet significat: non esse cogendum eum accipere iudicium, si reum locupletem offerat.

\*hec alijs  
oia desunt.

DE IVREIVRANDO \*SIVE VOLVNTARIO,  
sive necessario, siue iudiciali.

Tit. II.

Caius

CAIVS lib. V. ad edictum provinciale.



Maximum remedium expediendarum litium in usum uenit iurisiurandi religio: qua uel ex pactioe ipsorum litigatorum, uel ex auctoritate iudicis deciduntur controuersia.

II. PAVLVS lib. XVIII. ad edictum.

Iurandum speciem continet transactionis: maioremq; habet auctoritatem, quam res iudicata.

III. VLP IANVS lib. XXII. ad edictum.

**A** It praetor. SI IS, CVM QVO AGETVR, CONDITIONE DELATA, IURAVERIT. Eum CVM QVO AGETVR accipere debemus ipsum reum: nec frustra adijcitur, CONDITIONE DELATA. Nam si reus iurauerit, nemine ei iurandum deferente: praetor id iurandum non tuebitur. sibi enim iurauit. Alioquin facillime quisq; ad iurandum decurrens, nemine sibi deferente iurandum, oneribus actionum se liberabit. Quacunq; autem actione quis conueniatur, si iurauerit, proficiet ei iurandum: siue in personam, siue in rem, siue in factum, siue poenali actione, uel quauis alia agatur, siue de interdicto. sed & si de conditione personae fuerit iuratum, praetor iurandum tuebitur. ut puta. detuli tibi iurandum: & iurasti, te in potestate mea non esse. tuendum erit iurandum. Vnde Marcellus scribit, etiam de eo iurari posse, an praegnans sit mulier, uel non sit: & iurando standum. deniq; ait, si de possessione erat <sup>\*a's dea</sup> quaestio, seruari oportere: si forte quasi praegnans <sup>est.</sup> ire in possessionem uolebat, & cum ei contradiceretur, uel ipsa iurauit se praegnantem, uel contra eam iuratum est. Nam si ipsa ibit in possessionem sine metu. si contra eam: non ibit, quamuis uere praegnans fuerit: proderitq; (inquit Marcellus) mulieri iuranti iurandum, ne conueniatur quasi calumpniae causa uentris nomine fuerit in possessione, neue uim patiatur in possessione. sed an iurandum eousq; profit, ut post editum partum non quaeratur, ex eo editus sit, an non sit, cuius esse dicitur, Marcellus tractat. & ait, ueritatem esse quaerendam: quia iurandum alteri neq; prodest, neq; nocet. matris igitur iurandum partui non proficiet, nec nocebit: & si mater detulerit, & iuretur ex eo praegnans non esse. Iurari autem oportet, ut delatum est iurandum. caeterum si ego detuli, ut per deum iurares, tu per caput tuum iurasti,

III. PAVLVS lib. XVIII. ad edictum.

**V** El filiorum tuorum:

V. VLP IANVS lib. XXII. ad edictum.

**N**on erit ratum habendum iurandum. quod si exegi, ut per salutem tuam iurares, & iurasti: stabitur. Omne enim omnino licitum

K ij tum

tum iusiurandum, per quod uoluit quis sibi iurari, idoneum est: & si ex eo fuerit iuratum, prætor id tuebitur. Diuus Pius iuriurando, quod aliàs \*fupstitione \*propria superstitione iuratum est, standum rescripsit. Dato iureiurando, non aliud quæritur, quæ an iurata sit, remissa quæstione AN DE BEATR: quasi satis probata sit iureiurando. Sed si quis illicitum iusiurandum detulerit, scilicet improbatæ publicæ religionis: uideamus, an pro eo habeatur, atque si iuratum non esset. quod magis existimo dicendum. Si neque iuratum est, neque remissum iusiurandum: pro eo debet haberi, atque si res in iusiurandum admissa non esset. proinde si postea iurare paratus sit, nihil ei hoc iusiurandum proficiet: quia ex eo, quod delatum est, iuratum non est.

VI. PAVLVS lib. XVIII. ad edictum.

**R**emittit iusiurandum, qui deferente se, cum paratus esset aduersarius iurare, gratiam ei facit, contentus uoluntate suscepti iurandi. Quod si non susceperit iusiurandum: licet postea parato iurare, actor nolit deferre: non uidetur remissum. Nam quod susceptum est, remitti debet.

VII. VLP IANVS lib. XXII. ad edictum.

**A**it prætor. EIVS REI, DE QVA IUSIURANDVM DELATVM FVERIT: NEQVE IN IPSVM, NEQVE IN EVM, AD QVEM EA RES PERTINET, ACTIONEM DABO. EIVS REI sic erit accipiendum: siue de tota re, siue de parte sit iuratum. Nam de eo, quod iuratum est, pollicetur se actionem non daturum: neque in eum, qui iurauit, neque in eum, qui in locum eius, cui iusiurandum delatum est, succedit.

VIII. PAVLVS lib. XVIII. ad edictum.

**E**tiam si in rem successit.

IX. VLP IANVS lib. XXII. ad edictum.

**N**am postea, quam iuratum est, denegatur actio: aut si controuersia erit, id est, si ambigitur: an iusiurandum datum sit: exceptioni locus est. Iureiurando dato uel remisso, reus quidem acquirit exceptionem sibi alijsque: actor uero actionem acquirit, in qua hoc solum quaeritur, an iurauerit dari sibi oportere: uel cum iurare paratus esset, iusiurandum ei remissum sit. Si damnetur quis post iusiurandum ex famoso iudicio: famosum esse, magis est. Si is, qui temporaria actione mihi obligatus erat, detulerit iusiurandum, ut iurem eum dare oportere, egoque iurauero: tempore non liberatur: quia post litem cum eo contestatam perpetuatur aduersus eum obligatio. Si minor uiginti quinque annis detulerit, & hoc ipso captum se dicat, aduersus exceptionem iurandi debet id replicari, ut Pomponius ait. Ego autem puto hanc replicationem non semper esse dandam: sed plerumque ipsum prætor-

prætozem debere cognoscere, an captus sit: & sic in integrum restituere. nec enim ut quisque minor est, statim & circūscriptum se docuit. Propterea exceptio ista siue cognitio statutum tempus post annum uicesimum quintum non debet egredi. Sed & si quis iusiurandum in fraudem creditorum detulerit debitori: aduersus exceptionem iusiurandi, replicatio fraudis creditoribus dari debet. Præterea si fraudator detulerit iusiurandum creditori, ut iuraret decem sibi dari oportere: mox bonis eius uenditis, expiri uolet: aut denegari debet actio, aut exceptio opponitur fraudatorum creditorum. Iusiurandum defensoris uel procuratoris ei ab aduersario delatum prodesse, exceptionemque domino parere, Iulianus scribit. Idem ergo dicendum erit, & si datus ad petendum procurator, reo deferente, iurauerit dari mihi oportere. nam actionem mihi parit. quæ sententia habet rationem. Si petitor iurauit, possessore deferente, rem suam esse, actio dabitur: sed hoc duntaxat aduersus eum, qui iusiurandum detulit, eosque, qui in eius locum successerunt. Cæterum si aduersus alium uelit prærogatiua iusiurandi uti: nihil ei proderit.

X. PAVLVS lib. XVIII. ad edictum.

**Q**uia non debet alij nocere, quod inter alios actum est.

XI. VLPIANVS lib. XXII. ad edictum.

**S**ed & si possessori fuerit iusiurandum delatum, iuraueritque rem petitoris non esse: quam diu quidem possidet, aduersus eum, qui detulit iusiurandum, si petat, exceptione iusiurandi utetur. Si uero amiserit possessionem: actionem non habebit, nec quidem etiam si is possideat, qui ei iusiurandum detulit. non enim rem suam esse iurauit, sed eius non esse. Proinde si cum possideret, deferente petitore, rem suam esse iurauit: consequenter dicemus, amissa quoque possessione, si is, qui detulit iusiurandum, nactus sit possessionem: actionem in factum ei dandam. fructus etiam perceptos ex re, quam meam esse iurauit, restitui mihi placuit. sed & partum editum, foetusque pecorum restituendos constat post iusiurandum delatum. Item si iurauero usumfructum alicuius rei uel meum esse, uel mihi dari oportere: eatenus mihi competit actio, quatenus si uere usumfructum haberem, duraret. quibus uero casibus amitteretur, non competit mihi actio. Sed & si rerum, in quibus ususfructus propter abusum constitui non potest, iurauerit usumfructum se habere, uel sibi deberi: effectum iusiurandi sequendum arbitror. Ideoque tunc quæ uideri eum recte iurasse puto: & ex eo iure iurando posse petere usumfructum, cautione oblata. Si cum de hereditate inter me & te controuersia esset, iurauero hereditatem meam esse: id consequi debebo, quod haberem, si secundum me de hereditate pronunciatum

K iij      esset

esset. & non solum eas res restituere debebis, quas tunc possidebas: sed & si quas postea cœpisses possidere: perindeq; haberi, qd' iuratū est, atq; si probatū esset. Idcirco utilis actio mihi cōpetit. Quod si ego ex eadē hæreditate possiderem, tuq; cœpisses petere à me: cum aduersus te iurasssem, exceptione me uti debere iurisiurandi. Planē si aliud à me petere hæreditatem cœperit: dubium non erit (ut & Iulianus scribit) nihil mihi iurandum prodesse.

XII. IULIANVS lib. X. Digestorum.

**I**dem est, & si ego quolibet alio possidente res hæreditarias petere uelim: quia & si petissem à te hæreditatē, probassemq; meā esse: nihilo minus ab altero petendo, id ipsum probare necesse haberem.

XIII. VLP IANVS lib. XXII. ad edictum.

**S**I duo patroni essent, & libertus altero deferente iurasset, se liberti eius non esse: utrum alteri debitæ sibi portionis, an uero dimidiæ debitæ ei & suæ partis bonorū possessio competeret: Iulianus quaerit: & ait, si is, cui iuratum est, patronus fuisset: alteri suæ partis bonorū possessionē competere. nec ei prodesse, quod aduersus alterum libertus iurasset. multum tamē fidei & authoritatis apud iudicem patronū habiturum, quo magis solum patronum se probaret, quod libertus iurasset alterum patronum non esse. Idem ait eum, qui iurauit fundū suum esse, post longi temporis præscriptionem etiam utilem actionē habere debere. Item Iulianus scribit eum, qui iurauit, se furtum nō fecisse, uideri de toto iurasse: atq; ideo neq; furti, neq; cōdicticia teneri: quia cōdicticia (inquit) solus fur tenetur. Nunquid ergo qui iurauit furtum se non fecisse: hoc solo nomine, conditione si conueniatur, exceptione utetur? Cæterū si contendat, qui condicit, quasi cum hærede se furis agere: nō debet repelli: & quasi μονομερῆς condictio ei dari debet aduersus hæredem furis: nec pati eum iudex debet, si cœperit tentare furem probare. Si quis iurauerit me ei uendidisse rem centum: exempto agere poterit, ut ei cætera præstentur: id est, ut res tradatur, & de euictione caueatur: an tamen ad precium consequendum ex uendito conueniri possit, uidendum. & si quidem de hoc ipso iuratū est, & quod precium solutum est: nulla pro precio actio superest. Si uero hoc nō fuerit iuratum: tunc cōsequens est, de precio eum teneri. Idem dicemus, & si quis societatem fecisse iurauerit. Nam & is pro socio poterit conueniri. Marcellus etiam scribit, si quis iurauerit ob decem pignori dedisse fundum: non aliās eum pignoraticia agere posse, quam si decem soluerit. sed & illud adijcit, fortassis eum etiā in decem ex iureiurando suo posse conueniri. quod magis probat. cui Quintus Saturninus consensit: argumentoq; hic utitur eius, qui iurauit eam, quæ uxor sua fue-

rat, rem sibi in dotem dedisse. nam & hic uxori ait utilis de dote actione dandam, quae non esse extra aequitate posita non negauerim. Si quis iurauerit in re pecuniaria per genium principis, dare se non oportere, & peierauit: uel dari sibi oportere, uel intra certum tempus iurauerit se soluturum, nec soluit: Imperator noster cum patre rescripsit, fustibus eum castigatum dimitti, & ita ei superindici, *πρωτερος μη ομνε.*

XIII. PAVLVVS lib. I. ad edictum.

**Q**uoties propter rem iuratur: nec parenti, nec patrono remittitur iusiurandum. propter rem autem iusiurandum exigitur (ueluti de pecunia credita) cum iurat actor sibi dari oportere, uel reus se dare non oportere. idem est, cum de pecunia constituta iusiurandum exigitur.

XV. IDEM lib. VI. ad edictum.

**A**d personas egregias, eosque, qui ualitudine impediuntur, domum mitti oportet ad iusiurandum.

XVI. VLP IANVS lib. X. ad edictum.

**S**i patronus libertam suam duxerit uxorem: non compellitur iurare de rerum amotarum iudicio. sed & si ipse deferat iusiurandum libertae suae, de calumniis non debet ipse iurare.

XVII. PAVLVVS lib. XVIII. ad edictum.

**I**usiurandum, quod ex conuentione extra iudicium defertur, refertur non potest. Pupillus tutore auctore iusiurandum deferre debet. Quod si sine tutoris auctoritate detulerit: exceptio quidem obstabit, sed replicabitur: quia rerum administrandarum ius ei non competit. Si tutor, qui tutelam gerit, aut curator furiosi prodigiae iusiurandum detulerit: ratum id haberi debet. Nam & alienare res, & solui eis potest, & agendo rem in iudicium deducunt. Procurator quoque quod detulit, ratum habendum est: scilicet si aut uniuersorum bonorum administratione sustineat, aut si id ipsum nominatim mandatum sit, aut si in rem suam procurator sit.

XVIII. VLP IANVS lib. XXVI. ad edictum.

**A**lias autem procuratorem deferentem iusiurandum non esse audiendum, Iulianus libro decimo digestorum scribit: ne postea reus, qui semel iurauit, a domino conueniatur: nec multum ei proficere, si fuerit ei de rato cautum siue enim dominus petat, cogetur reus docere liquidò se iurasse, posita scilicet exceptione: siue ex stipulatione de rato agat, necesse habebit ipse de periurio suo docere.

XIX. IDEM lib. XXII. ad edictum.

**S**itque mandatum fuit procuratori, ut petat, ille autem iusiurandum detulit: aliud fecit, quam quod mandatum est.

XX. PAVLVVS lib. XVIII. ad edictum.

Seruus

**S**eruus quod detulit, uel iurauit, seruat, si peculij administrationē habuit. *XXI. CAIVS lib. V. ad edictum provinciale.*

**H**ic enim solui quicquid recte potest, & nouā obligationis ius habuit. *XXII. PAVLVS lib. XVIII. ad edictum.*

**Q**uidam putant & de peculio actionem in dominum dandam, si auctori seruus detulerit iusiurandū. eadē & in filiofamilias dicenda sunt. *XXIII. VLP IANVS lib. XXVI. ad edictum.*

**S**i seruus iurauerit dominum dare non oportere: exceptio domino indulgenda est, sibi quicquid aduersarius imputabit, qui seruo detulit iusiurandum. *XXIII. PAVLVS lib. XVIII. ad edictum.*

**M**ulto magis proderit patri religio filij, cum quo etiā iudicium consistere poterit. ipsi autem referentes, conditionem eorum, quibus subiecti sunt, non faciunt deteriores. *XXV. VLP IANVS lib. XXVI. ad edictum.*

**S**ed & si seruus meus delato uel relato iureiurādo, iurarit rem domini esse, uel dari oportere: puto dandam mihi actionem, uel pacti exceptionem propter religionem & conuentionem. *XXVI. PAVLVS lib. XVIII. ad edictum.*

**Q**ui iurasse dicitur, nihil refert, cuius sexus & aetatis sit. omni enim modo custodiri debet iusiurandum aduersus eum, qui contentus eo, dum deferret, fuit. quamuis pupillus non uideatur peierare, quia sciens fallere non uideatur. Si pater filiū dare non oportere iurauerit: Cassius respōdit, & patri & filio dandam exceptionem iusiurandi. Si pater iurauerit in peculio nihil esse: filius conueniri poterit. sed & pater ita conuenietur, ut post adquisiti peculij ratio habeatur. Iurandi conditio ex numero esse uideri potest nouandi delegandū: quia proficiscitur ex conuentione, quamuis habeat & instar iudicij.

**I**usiurandum etiam loco solutionis cedit. *XXVII. CAIVS lib. V. ad edictum provinciale.*

**I**n duobus reis stipulandi ab altero delatum iusiurandum etiam alteri nocebit. Quod si reus iurauit, etiam fideiussori proficit. Item a fideiussore exactum iusiurandum, prodesse etiam reo Cassius & Iulianus aiunt. Nam quod in locum solutionis succedit, hoc quoque eodem loco habendum est: si modo ideo interpositum est iusiurandum, ut de ipso contractu, & de re, non & de persona iurantis ageretur. Si ei, qui debitorem meum in iudicium exhibere promiserit, iusiurandum detulerim: isque iurauerit, se omnino exhibitionem eius non promississe: prodesse id debitori meo non debet. si uero iurauerit se nihil mihi prestare oportere: distinguendum est, & replicatione emendandum, utrum ideo

ideo iurauerit, quia post promissionem exhibuerit: an uero, quia soluerit. quod eodem modo & in fideiussore debiti distinguendum est.

Ex duobus reis promittendi eiusdem pecuniæ, si alter iurauit, alteri quoque prodesse debet. Exceptio iurisiurandi non tantum si ea actione quis utatur, cuius nomine exegit iusiurandum, opponi debet, sed etiam si alia: si modo eadem quæstio in iudiciũ deducatur: forte si ob actionem mandati, negotiorum gestorum, societatis, cæterasque similes iusiurandum exactum sit, deinde ex iisdem causis certum conditur: quia per alteram actionem altera quoque consumitur. Si quis iurauerit se non rapuisse: non debet adiuuari hoc iureiurando, & in actione furti, & conditione: quia aliud est furtũ fecisse, quod uel clam fieri potuit. Colonus, cũ quo propter succisas forte arbores agebatur ex locato, si iurauerit se non succidisse: siue è lege duodecim tabularum de arboribus succisis, siue ex lege Aquilia damni iniuriæ, siue interdicto QVODVI AVT CLAMP oſtea conteneretur: per exceptionẽ iurisiurandi defendi poterit. Quæ iurauit diuortij causa rẽ se non amouisse: non debet defendi per exceptionẽ, si cum ea in rẽ agatur. & si cõtendat suã esse: alio iureiurãdo opus est. cõtã si iurauerit suã esse: debet in actione rerũ amotarũ defendi. & omnino hoc obseruandũ est (licet per aliã actionem eadem quæstio moueatur) ut exceptio iurisiurandi locũ habeat. Igitur si quis iurauit se non esse condemnatũ: etiã si ex stipulatu IUDICATVM SOLVI ob rem iudicatã cõueniat, defendetur per exceptionẽ. Contra si cũ ex stipulatu IUDICATVM SOLVI conueniret, iurauit se dare nõ oportere: agẽti iudicati nõ utiq; obstabit exceptio. potest enim fieri, ut nõ sit cõmissa stipulatio, licet res iudicata sit: nisi ideo iurauit quod nec damnatũ se esse diceret. Item Pomponius ait eum, qui furtũ sibi alicuius rei factum iurauerit, nõ statim etiam conditionis causam nancisci. Item cum ex hac parte iusiurandum & actionem & exceptionem inducat: si forte reus extra iudicium, actore inferente, iurauerit se dare non oportere, & actor reo referente dari sibi oportere, uel cõtã: posterior causa iurisiurandi potior habebitur. nec tantum præiudicium periurio alterius fiet: quia non quæretur, an dare eum oporteat, sed an actor iurauerit.

XXIX. TRIPHONINVS lib. VI. *disputationum.*

QVod si iurauit te deferente, non iurasse te dari tibi oportere: aduersus utilem actionem, qua hoc quæretur, an iuraueris tibi dari oportere, opponenda est exceptio iurisiurandi, perimentis quæstionem actione compræhensam.

XXX. PAVLVVS lib. XVIII. *ad edictum.*

EVm, qui iurauit ex ea actione, quæ inficiando crescit, aliquid sibi deberi

deberi: simpli, nō dupli persecutionem sibi acquirere, Pedius ait. abunde enim sufficere, exonerare petitorum probandi necessitate: cū omīssa hac parte edicti, dupli actio integra maneat. & potest dici hoc iudicio nō principalē causam exerceri, sed iusiurandum actoris conseruari. Si iurauero te Stichum mihi dare oportere, qui non sit in rerum natura: nec aestimationem mihi praeſtare reus debet, nisi ex causa furtiua, uel propter moram. tunc enim etiam post mortem serui aestimatio praestatur. Si mulier iurauerit decem dotis sibi deberi: tota ea summa praestanda est. sed si iurauit se decem dedisse in dotem: hoc solum non erit querendum, an data sint: sed quasi data sint, quod ex eo reddi oportet, praestandum erit. In popularibus actionibus iusiurandum exactum, ita demum aduersus alios proderit, si bona fide exactum fuerit, nam & si quis egerit: ita demum consumit publicam actionem, si non per collusionem actum sit. Si libertus deferente patrono iurauit se libertum non esse: ratum habendum est iusiurandum, ut nec operarū petitio, nec bonorum possessio contra tabulas dari debeat. Si iurauero usufructum mihi dari oportere: non aliter dari debet, quam si caueam boni uiri arbitrato me usurum, & finito usufructu restitutorū.

XXXI. CAIVS lib. XXX. ad edictum provinciale.

**A**dmonendi sumus, interdum etiam post iusiurandum exactum, permitti constitutionibus principum ex integro causam agere: si quis noua instrumenta se inuenisse dicat, quibus nunc solum usurus sit. sed hae constitutiones tunc uidentur locum habere, cum à iudice aliquis absolutus fuerit. solent enim saepe iudices in dubijs causis, exacto iureiurando, secundum eum iudicare, qui iurauit. Quod si aliās inter ipsos iureiurando transactum sit negotium: non conceditur eandem causam retractare.

aliās \* retractare.

XXXII. MODESTINVS lib. III. differentiarum.

**I**usiurandi gratiam facere pupillus non potest.

XXXIII. VLPIANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

**Q**ui per salutem suam iurat, licet per deum iurare uideatur (respectu enim diuini numinis ita iurat) attamen si non ita specialiter iusiurandum ei delatum est: iurasse non uidetur. & ideo ex integro sollemniter iurandum est.

XXXIII. IDEM lib. XXVI. ad edictum.

**I**usiurandum & ad pecunias, & ad omnes res locum habet. etiam de operis iusiurandum deferri potest: nec de iniuria queri aduersarius potest, cum possit iusiurandum referre. Quid tamē si ideo dicat reus se liberatum, quoniam Stichum, quem promiserat, putat decessisse: non erit tutus per relationē. & ideo ex hac causa putat Marcellus (& recte) aut

aut remittendum ei iusiurandum, aut spacium dandum, ut certioreretur, & sic iuret. Defensor municipum, uel cuiusuis corporis, iusiurandum deferre potest, si super hoc mandatum habeat. Pupillo nõ deferitur iusiurandum. Procurator non compellitur iurare, nec defensor: & ita Iulianus scribit libro decimo digestorum, defensorem iurare non compelli: sufficereq; ad plenam defensionem, si paratus sit iudicium accipere. Qui iusiurandum defert, prior de calumnia iurare debet, si hoc exigatur: deinde sic ei iurabitur. hoc iusiurandum de calumnia æque patrono & parentibus remittitur. Si de qualitate iuramenti fuerit inter partes dubitatu: conceptio eius in arbitrio iudicantis est. Ait prætor. EVM, A' QVO IVSIVRANDVM PETETVR, SOLVERE AVT IVRARE COGAM. alterum itaq; eligat reus, aut soluat, aut iuret. si non iurat: soluere cogendus erit à prætore. Datur autem & alia facultas reo, ut si malit, referat iusiurandum. & si is, qui petet, conditione iurifiurandi non utetur: iudicium ei prætor non dabit. Aequissimi enim hoc facit: cum non debeat displicere conditio iurifiurandi ei, qui derulit. sed nec iusiurandum de calumnia referenti dabitur: quia nõ est ferendus actor, si conditioni, quam ipse derulit, de calumnia uelit iurari. Non semper autem consonans est, per omnia referri iusiurandum, quale deferitur: forsitan ex diuersitate rerum uel personarum quibusdam emergentibus, quæ uarietatem inducunt. ideoq; si quid tale inciderit: officio iudicis cõceptio huius iurifiurandi terminetur. Cum res in iusiuradum demissa est: iudex iurantem absoluet, & referentem audiet. & si actor iuret: condemnet reum. nolentem autem iurare reu, si soluat, absoluet. non soluentem condemnet. uel ex relatione non iurante actore, absoluet reum.

XXXV. PAVLVVS lib. XVIII. ad edictum.

**T**Vtor pupilli, omnibus probationibus alijs deficientibus, iusiurandum deferens, audiendus est: quandoq; eñ pupillo denegabitur actio. Prodigus si deferat iusiurandum, audiendus non est. Idemq; in cæteris similibus ei dicendum est. Nam siue pro pacto conuento, siue pro solutione, siue pro iudicio hoc iusiurandum cedit: non ab alijs delatarum probari debet, q̄ qui ad hæc habiles sunt. Qui non compelluntur Romæ iudicium accipere, nec iurare compellendi sunt: ut legati puinciales.

XXXVI. VLPIANVS lib. XXVI. ad edictum.

**S**I actor deferat iusiurandum de sola constituta pecunia, & reus iurauerit: exceptione utetur, si de constituta conueniatur. sed si de forte, id est, de priorie obligatione cõueniatur: exceptio cessabit, nisi de hac quoq; iurauerit, aduersario deferente.

XXXVII. IDEM lib. XXXIII. ad edictum.

**S**I non fuerit remissum iusiurandū ab eo, qui detulit, nec de calūnia iuret: consequens est, ut debeat denegari actio. Sibi enim impu- aliās\* ele- tionē. nit: ut sit iste remittenti similis.

XXXVIII. PAVLVVS lib. XXXVII. ad edictum.

**M**anifestæ turpitudinis est & confessionis, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre.

XXXIX. IVLIANVS lib. X. digestorum.

**S**I quis cum debitore suo pepigerit, ne ab eo pecunia peteretur, si iurasset se capitolum nō ascendisse, uel aliud quodlibet fecisse, uel nō fecisse, isq; iurauerit: & exceptio iusiurandi dari debet, & solutum repeti poterit. est enim iusta cōuentio, si quælibet causa in conditione iusiurandi deducta fuerit.

XL. IDEM lib. XIII. digestorum.

**I**usiurandum à debitore exactum efficit, ut pignus liberetur. est enim hoc acceptilationi simile. perpetuam certe exceptionem parit. idcirco pœnam quoq; petentem creditorem exceptione submoueri oportet, & solutum repeti potest: utpote cum interposito eo, ab omni cōtrouersia discedatur.

XLI. POMPONIVS lib. singulari regularum.

**L**abeo etiam absenti & ignoranti iusiurandi gratiam fieri posse respondit. sed & per epistolam iusiurandi gratia fieri potest.

XLII. IDEM lib. XVIII. ἐπιτολῶν.

**C**reditor, qui de mutua pecunia contra pupillum contendebat, iusiurandum deferente: pupillus iurauit se dare non oportere. eandem pecuniam à fideiussore eius petit. an excludendus sit exceptione iusiurandi? quid tibi placeat, rescribe mihi. Eandem rem apertius explicat Iulianus. Nam si cōtrouersia inter creditorem & pupillum fuerit, an omnino pecuniam mutuam accepisset: & cōuenerit, ut ab omni conditione discederetur, si pupillus iurasset: isq; iurauerit se dare non oportere: naturalis obligatio hac exceptione tolletur, & soluta pecunia repeti poterit. Sin uero creditor quidem se mutuam dedisse cōtendat, pupillus aut hoc solo defendatur, q; tutor eius non interuenit, & hoc tale iusiurandum interpositum est: hoc casu fideiussorem prætor non tuebitur. Si aut liquidò adprobari non potest, quid actum sit: & in obscuro erit (ut plerunq;) de facto, an de iure inter creditorem & pupillum cōtrouersia fuerit: tantumq; deferente creditore, pupillum iurasse: intelligere debemus, actum inter eos, ut si iurasset dari non oportere, ab omni conditione discederetur. Atq; ita & solutā pecuniam repeti posse, & fideiussoribus exceptionem dari debere existimabimus.

Si

Si fideiussor iurauerit se dare oportere: exceptione iurisiurandi reus promittendi tutus est. At quin si, quasi omnino idem non fideiussisset, iurauerit: non debet hoc iuramentum reo promittendi prodesse. Sed & si actor deferente, defensor absentis uel presentis iurauit eum, quem defendit, dare non oportere: exceptio iurisiurandi ei, cuius nomine iuratum fuerit, dari debet. Eadem ratio est, & si fideiussoris defensor iurauerit. reo enim datur exceptio. Item si reus iurauerit, fideiussor tutus fit: quia & res iudicata secundum alterutrum eorum utriusque proficiet.

## DE IN LITEM IURANDO. Tit. III.



VLPIANVS lib. XXXVII. ad Sabinum.

Em in iudicio deductam non idcirco pluris esse opinamur, quia crescere poterit ex contumacia non restituentis, per iuramentum in litem. Non enim res pluris fit per hoc, \* sed contumacia aestimatur ultra rei precium.

\* alias licet.

II. PAVLVVS lib. XIII. ad Sabinum.

Sive nostrum quid petamus, sive ad exhibendam agatur. Interdum quod interfit agentis solum aestimatur: ueluti cum culpa puniatur non restituentis, uel non exhibentis. Cum uero dolus puniatur, aut contumacia non restituentis, uel non exhibentis: quanti in lite iurauerit actor.

III. VLPIANVS lib. XXX. ad edictum.

Nimis depositis, iudicem non oportet in litem iuramentum deferre, ut iuret quis quod sua interfuit, cum certa sit numerorum aestimatio: nisi forte de eo quis iuret, quod sua interfuisset numos sibi sua die redditos esse. Quid enim si sub poena pecuniam debuit, aut sub pignore, quod (quia deposita ei pecunia denegata est) distractum sit?

IIII. IDEM lib. XXXVI. ad edictum.

Videamus in tutelari causa quis iurare, & aduersus quem possit, & quidem ipse pupillus, si impubes est, non potest. hoc enim scriptissime rescriptum est. Sed nec tutorem cogendum, nec matrem pupilli admittendam, & si parata esset iurare, diui fratres rescripserunt. Grane enim uidebatur, & ignorantibus & inuitis tutoribus, sub alieni compendij emolumento, etiam perituriu anteceptis subire. Curatores quoque pupilli uel adolescentis non esse cogendos in litem iurare, rescriptis Imperatoris nostri & diui patris eius continetur. Si tamen affectionem tantam pupillo suo uel adolescenti tutores uel curatores praestare uolent: auctoritas iuris non refragabit, quin iudicio, quod inter ipsos acceptum est, finis eiusmodi possit adhiberi. Non enim ad suam utilitatem iurandi referenda aestimatio est, sed ad domini, cuius nomine tutelae ra-

tio postulatur. Adolefcens uero, si uelit, iurare potest. Deferre aut iusiurandum iudicem oportet. Cæterū si alius derulerit iusiurandum, uel eo non delato, iuratum sit: nulla erit religio, nec ullum iusiurandū. & ita cōstitutionib9 expressum est Imperatoris nostri & diui patris ei9.

Iurare autem in infinitum licet. Sed an iudex modū iuriurando statuere possit, ut intra certam quantitatem iuretur: ne arrepta occasiōe, in immensum iuretur, quæro? Et quidem in arbitrio esse iudicis, deferre iusiurandum, nec ne uelit, constat. An igitur is, qui possit iusiurandum non deferre, idem possit & taxationem iuriurando dicere, quæritur? Arbitrio sanè iudicis bonæ fidei & hoc congruit. Item uidendū, an possit iudex, qui derulit iusiurandum, non sequi id: sed uel prorsus absoluere, uel etiam minoris condemnare, quàm iuratum est. Et magis est, ut ex magna causa, & postea repertis probationib9, possit. Ex culpa autem non esse iusiurandum deferendum cōstat: sed æstimationem à iudice faciendam.

V. MARTIANVS lib. III. regularum.

**I**n actionibus in rem, & in ad exhibendum, & in bonæ fidei iudicijs, usq; iuretur. licuit enim ei à principio nec deferre. Item & si iuratum fuerit: licet iudici uel absoluere, uel minoris condēnare. Sed in his omnibus, ob dolum solum in litem iuratur, non etiam ob culpam. hæc enim iudex æstimat. Planè interdum & in actione stricti iudicij in litem iurandum est: ueluti si promissor Stichus moram fecerit, & Stichus decesserit: quia iudex æstimare sine delatione iurandi nō potest rem, quæ non exstat.

VI. PAVLVS lib. XXVIII. ad edictum.

**A**liās si ex stipulatu, uel ex testamento agatur, non solet in litem iurari.

VII. VLPPIANVS lib. VIII. ad edictum.

**V**lgo præsumitur, alium in litem nō debere iurare, quàm dominum litis. Deniq; \*Papinianus ait, alium nō posse iurare, quàm eum, qui litem suo nomine contestatus est.

VIII. MARCELLVS lib. XVIII. digestorum.

**T**utor rem adulti, quā possidet, restituere ei non uult. Quæro, utrū quanti res est, an quanti in litem iuratum fuerit, condemnari debeat? Respondi, nō æquum esse precio, id est quanti res est, litem æstimari: cum & contumacia punienda sit, & arbitrio potius domini rei precium statuendum sit, potestate petitori in litem iurandi concessa.

IX. IABOLENVS lib. XV. ex Cassio.

**C**um furti agitur, iurare ita oportet: tanti rem fuisse, cū furtū factū sit, nō adijci, EO PLVRIS VE: quia quæ res pluris est, utiq; rati est.

X. CALLISTRATVS lib. I. questionum.

**I**n instrumentis, quæ quis nõ exhibet actori: permittitur in litem iurare, quanti sua interest ea proferri, ut tanti condemnaretur reus: idemq; etiam diuus Commodus rescripsit.

XI. PAVLVS lib. III. *responsorum.*

**D**e periurio eius, qui ex necessitate iuris in litem iuravit, quæri facile non solere.

DE CONDICTIONE CAVSSA DATA,  
caussa non secuta. Tit. IIII.

VLP IANVS lib. XXVI. *ad edictum.*



**S**i ob rem non inhonestam data sit pecunia: puta ut filius emanciparetur, uel seruus manumitteretur, uel à lite discederetur: causa secuta, repetitio cessat. Si parendi conditioni causa tibi decem dederò, & mox repudiauero hæreditatem, uel legatum: possum condicere.

II. HERMOGENIANVS lib. V. *iuris ueroptoy.*

**S**ed & si falsum testamentum sine scelere eius, qui decem dedit, uel si officiosum pronuncietur: ueluti causa nõ secuta, decem repetetur.

III. VLP IANVS lib. XXVI. *ad edictum.*

**D**edi tibi pecuniam meam, ne ad iudicem iretur, qua quasi decidi. an possim condicere, si mihi non caueatur, ad iudicem non iri: & est uerum, multum interesse: utrum ob hoc solum dedi, ne eatur: an ut & mihi repromittatur non iri. si ob hoc, ut repromittatur: condici poterit, si non repromittatur. si ut non eatur: conditio cessat, quamdiu nõ itur. Idem est, & si tibi dederò, ut Stichum manumittas. Nam secundum distinctionem supra dictam, aut admittenda erit repetitio, aut inhiibenda. Planè si tibi dederò, ut Stichum manumittas: si non facis, aut si me pœniteat, condicere possum. Quid si ita dedi, ut intra certum tempus manumittas: si nondum tempus præterijt, inhiibenda erit repetitio, nisi me pœniteat. quod si præterijt: condici poterit. sed si Stichus decesserit: an repeti, quod datum est, possit? Proculus ait, si post id temporis decesserit, quo manumitti potuit: repetitione esse. si minus: cessare. quin imò & si nihil tibi dedi, ut manumitteres, placuerat tamè, ut darem: uult tibi competere actionem, quæ ex hoc contractu nascitur, id est conditione, defuncto quoq; eo. Si liber homo, qui bona fide seruebat, mihi pecuniam dederit, ut eum manumittam, & fecero: postea liber probatus, an mihi condicere possit, quæritur? & Iulianus libro decimo digestorum scribit, competere manumisso repetitionem. Neratius etiã <sup>\*als: Pa-</sup> thono-  
libris membranarum refert, Paridem <sup>\*pantomimum à Domicia Nero-</sup> nis mium.

nis filia decem, quæ ei pro libertate dederat, repetisse per iudicem: nec fuisse quæsitum, an Domicia sciens liberum, accepisset. Si quis quasi statuliber mihi decem dederit, cum dare iussus non esset: condicere eum decem, Celsus scribit. Sed & si seruus, qui testamento hæredi iussus erat decem dare, & liber esse, codicillis pure libertatem acceperit: & id ignorans, dederit hæredi decem: an repetere possit? & refert patrem suum Celsum existimasse, repetere eum non posse. sed ipse Celsus naturali æquitate motus, putat repeti posse. quæ sententia uerior est. quam constet ( ut & ipse ait ) eum, qui dedit ea spe, quod se ab eo, qui accepit, remunerari existimaret, uel amiciorẽ eum sibi esse futurum: repetere nõ posse, opinione falsa deceptum. Subtilius quoque illud tractat, an ille, qui se statuliberum putauit: nec fecerit numos accipientis, quoniã hæredi dedit, quasi ipsius hæredis numos daturus, non quasi suos: qui utique ipsius fuerunt, adquisiti scilicet post libertatem ei ex testamento competentem. & puto, si hoc animo dedit, non fieri ipsius. Nam & cum tibi numos meos, quasi tuos do, non facio tuos. Quid ergo si hic non hæredi, sed alij dedit, cui putabat se iussum dare: siquidem peculiare dedit, nec fecit accipientis. Si autem alius pro eo dedit, aut ipse dedit iam liber factus: facit accipientis. Quamquam permissum est statulibero, etiam de peculio dare implendæ conditionis causa: si tamen uult hæres numos saluos facere, potest etiam uetare dare. sic enim fiet, ut statuliber perueniat ad libertatem, quasi impleta conditione, cui parere prohibitus est: & numi non peribunt. sed is, quem testator accipere uoluit, aduersus hæredem in factum actione agere potest, ut testatori pareatur.

IIII. IDEM lib. XXXVIII. ad edictum.

SI quis accepto tulerit debitori suo, cum conueniret, ut ex promissis rem daret, nec ille der: potest dici condici posse ei, qui accepto sit liberatus.

V. IDEM lib. II. disputationum.

SI pecuniã ideo acceperis, ut Capuam eas: deinde parato tibi ad proficiscendum, conditio temporis uel ualitudinis impedimento fuerit, quo minus proficisceris: an condici possit, uidendum. & cum per te non steterit: potest dici, repetitionem cessare. Sed cum liceat penitere ei, qui dedit: procul dubio repetetur id, quod datum est: nisi forte tua habeat, ut licet nondum profectus sis, ita tamen rem composueris, ut necesse habeas proficisci: uel sumptus, qui necessarii sunt ad profectionem, iam fecisti, ut manifestum sit plus forte, quod acceperis, te erogasse: conditio cessabit. Sed si minus erogatum sit: conditio locum habebit: ita tamen, ut indemnitas tibi præstetur eius, quod expendisti. Si seruum quis tradiderit alicui ita, ut ab eo intra certum tempus manumittere

mitteretur: si pœnituerit eum, qui tradidit, & super hoc eum certiorauerit, & fuerit manumissus post pœnitentiam: attamen actio propter pœnitentiã competit ei, qui dedit. planè si non manumisit: constitutio succedit, facitq; eum liberum, si nondũ pœniteat eũ, qui in hoc dedit.

Itẽ si quis dederit Titio decẽ, ut seruũ emat, & manumittat, deinde pœniteat: siquidẽ nondũ emprus est: pœnitentia dabit conditionem, si hoc ei manifestũ fecerit: ne si postea emat, damno adficiatur. Si uero iam emprus sit: pœnitentia non facit iniuriam ei, qui redemit: sed pro decem, quæ accepit, ipsum seruũ, quem emit, restituet. aut si ante decessisse proponatur: nihil præstabit, si modo per eum factum non est. Quod si fugit, nec culpa eius contingit, qui redemit: nihil præstabit. Planè repromittere eum oportet, si in potestatem suam peruenerit, restitutum. Sed si acceperit pecuniam, ut seruũ manumittat, isq; fugerit prius, quàm manumittatur: uidendum, an condici possit, quod accepit. Et si quidem distracturus erat hunc seruũ, & propter hoc nõ distraxit, quod acceperat, ut manumittatur: nõ oportet ei condici. Planè cauebit, ut si in potestatẽ suam peruenerit seruus, restituat id, quod accepit: \* & eo minus, quo uilior seruus factus est propter fugã. Planè si <sup>ais\*</sup> aut. adhuc eum manumitti uelit is, qui dedit, ille uero manumittere nolit propter fugam offensus: totum, quod accepit, restituere eum oportet. Sed si ligat is, qui decem dedit, ipsum seruũ consequi: necesse est, aut ipsum ei dari, aut quod dedit, restitui. Quod si distracturus nõ erat eũ: oportet id, quod accepit, restitui: nisi forte diligentius eum habiturus esset, si non accepisset, ut manumitteret. tunc enim non est æquũ, eum & seruo & toto precio carere. Sed si ubi accepit, ut manumitteret, deinde seruus decesserit: siquidẽ moram fecit manumissioni: consequens est, ut dicamus eum refundere, quod accepit. Quod si moram non fecit, sed eum profectus esset ad præsidem, uel apud quem manumittere posset, seruus in itinere decessit: uerũ est, siue distracturus erat, siue eo quoq; ipse usurus: oportere dici, nihil eum refundere debere. Enim uero si nihil eorum facturus erat: ipsi adhuc seruũ obijisse. decederet enim, & si non accepisset, ut manumitteret: nisi forte profectio manumissionis gratia mortis causam præbuit: ut si uel à latronibus interceptus sit, uel à ruina in stabulo oppressus, uel uehiculo obtritus, uel alio quo modo: quo nõ perisset, nisi manumissionis causa proficisceretur.

VI. IDEM li b. III. *disputationum.*

**S**traneus pro muliere dotem dedisset, & pactus esset, ut quoquo modo finitum esset matrimonium, dos ei redderetur: nec fuerint nuptiæ secutæ: quia de his casibus solummodo fuit conuentũ, qui matrimonium sequuntur, nuptiæ autem secutæ non sunt: quarendũ

M erit.

erit, utrum mulieri condictio, an ei, qui dotem dedit, competat? & uerisimile est, in hunc quoque casum eum, qui dat, sibi prospicere. nam quasi causa non secuta, habere potest conditionem, qui ob matrimonium dedit, matrimonio non copulato: nisi forte euidentissimis probationibus mulier ostenderit, hoc eum ideo secisse, ut ipsi mulieri magis, quam sibi prospiceret. Sed & si pater pro filia det, & ita conuenit: (nisi euidenter aliud actum sit) conditionem patri competere, Marcellus ait.

## VII. IULIANVS lib. XVI. digestorum.

**Q**ui se debere pecuniam mulieri putabat, iussu eius dotis nomine promisit sponso, & soluit. nuptiæ deinde non intercesserunt. quæ situm est, utrum ipse possit repetere, qui pecuniam dedisset, an mulier? Nerua & Atilicinus responderunt: quoniam putasset quidem debere pecuniam, sed exceptione doli mali tueri se potuisset: ipsum repetiturum. Sed si cum sciret se nihil mulieri debere, promississet: mulieris esse actionem, quoniam pecunia ad eam pertineret. Sin autem uere debitor fuisset, & ante nuptias soluisset, & nuptiæ secutæ non fuissent: ipsum posse condicere, causa debiti integra mulieri ad hoc solū manente, ut nihil aliud debitor compellatur, nisi ut cedat ei condictionis actione. Fundus dotis nomine traditus, si nuptiæ secutæ non fuerint, conditione repeti potest. fructus quoque poterunt. idem iuris est de ancilla & partu eius.

## VIII. NERATIVS lib. II. membransarum.

**Q**uod Seruius in libro de dotibus scripsit: si inter eas personas, quarum altera nondum iustam ætatē habeat, nuptiæ factæ sint, quod dotis nomine interim datum sit, repeti posse: sic intelligendum est, ut si diuortium intercesserit prius, quam utraq; persona iustam ætatē habeat: sit eius pecuniæ repetitio. donec autem in eodem habitu matrimonij permaneant: non magis id repeti possit, quam quod sponsa sponso dotis nomine dederit, donec maneat inter eos adfinitas. quod enim ex ea causa nondum coito matrimonio datur: cum sic detur, tanquam in dotem peruenturū: quamdiu peruenire potest, repetitio eius non est.

## IX. PAVLVS lib. XVII. ad Plautium.

**S**i donaturus mulieri, iussu eius sponso numerauit, nec nuptiæ secutæ sunt: id mulier condicet. Sed si ego contraxi cum sponso, & pecuniam in hoc dedi, ut si nuptiæ secutæ essent, mulieri dos acquireretur: si non essent secutæ, mihi redderetur: quasi ob rem datum, & re non secuta, ego à sponso condicam. Si quis indebitam pecuniam per errorem iussu mulieris sponso eius promississet, & nuptiæ secutæ fuissent: exceptione doli mali uti non potest. maritus enim suū negocium gerit, & nihil dolo facit, nec decipiendus est. quod sit, si cogatur indotatam uxorem habere. itaque aduersus mulierem competit ei condictio: ut autem

reperat

reperat ab ea, quod marito dedit: aut ut liberetur, si nondum soluerit. Sed si soluto matrimonio maritus peteret: in eo dūtaxat exceptionem ob stare debere, quod mulier receptura esset.

X. IABOLENVS lib. I. ex Plautio.

**S**I mulier ei, cui nuptura erat, cum dotē dare uellet, pecuniam, quae sibi debebatur, acceptam fecit, neque nuptiae secuta sunt: recte ab eo pecunia condicetur. quia nihil interest, utrum ex numeratione pecunia ad eum sine causa, an per acceptilationem peruenerit.

XI. IULIANVS lib. X. digestorum.

**S**I haeres arbitrato liberti certa summa monumentum iussus facere, dederit liberto pecuniam, & is accepta pecunia monumentum non faciat: conditione tenetur.

XII. PAVLVS lib. VI. ad L. Iuliam & Papiam.

**C**Vi quis mortis causa donationem fecerat, cum conualuit donator, condicit. fructus quoque, & partus donatarum rerū, & quod ad alias accessit. \*ac-  
cessit.

XIII. MARTIANVS lib. III. regularum.

**S**I filius contulerit fratri, quasi agnitus bonorum possessionem, & non agnouerit: repetere eum posse, Marcellus libro quinto digestorum scribit.

XIIII. PAVLVS lib. III. ad Sabinum.

**S**I procuratori falso indebitum solutum sit: ita demum à procuratore repeti non potest, si dominus ratū habuerit: sed ipse dominus tenetur. sed & Iulianus scribit, quod si dominus ratum non habuisset (etiam si debita pecunia soluta fuisset) ab ipso procuratore repetetur: non tamen quasi indebitum datum, sed quasi ob rem datum, nec res secuta sit, rati habitatione non intercedente. uel quod furtim faceret pecuniae falsus procurator: cū eo non tantum furti agi, sed etiā condici ei posse.

XV. POMPONIVS lib. XXII. ad Sabinum.

**C**Um seruus tuus in suspicionem furti Attio uenisset, dedisti eum in quaestionem sub ea causa, ut si id repertum in eo non esset, tibi redderetur. is eum tradidit praefecto uigilum, quasi in facinore deprehensum. praefectus uigilum eum summo supplicio adfecit. ages cum Attio, dare eum tibi oportere: quia & ante mortem dare eum tibi oportuerat. Labeo ait, posse & ad exhibendum agi: quoniam dolo fecisset, quo minus exhiberet. sed Proculus dari oportere ita ait, si fecisses eius hominem. quo casu ad exhibendum agere non posses. sed si tuus mansisset: etiam furti te acturum cum eo, qui re aliena ita sit usus, cū sciret se inuito domino uti, aut dominum (si sciret) prohibitorium esse.

XVI. CELSVS lib. III. digestorum.

**D**Edi tibi pecuniam, ut mibi Stichum dares, utrum id contractus M ij  
genus

genus proportionē emptionis & uēditionis est: an & hic nulla alia obligatio est, quā ob rem dati, re non secuta? in quo procliuior sum. & ideo si mortuus est Stichus, repetere possum: quod ideo tibi dedi, ut mihi Stichum dares. finge alienum esse Stichum, sed te tamen eum tradidisse. repetere à te pecuniam potero: quia hominem accipientis non feceris. & rursus si tuus est Stichus, & pro euictione eius promittere non tuis: non liberatis, quo minus à te pecuniam repetere possim.

DE CONDICTIONE OB TURPEM, VEL  
iniustam causam. Tit. V.

PAVLVS lib. XX. ad Sabinum.



**Q**MNE, quod datur, aut ob rem datur, aut ob causam. & ob rem, aut turpem, aut honestam. turpem autem, aut ut dantis sit turpitudine, non accipientis: aut accipientis dum taxat, non etiam dantis: aut utriusque. Ob rem igitur honestum datum ita repeti potest: si res, propter quam datum est, secuta non est. quod si turpis causa accipientis fuerit: etiam si res secuta fuerit, repeti potest.

II. VLPPIANVS lib. XXVI. ad edictum.

**V**T puta dedi tibi, ne sacrilegium facias, neu furtum: ne uē hominē occidas. in qua specie Iulianus scribit, si tibi dedero, ne hominem occidas, condici posse. Idem si tibi dedero, ut mihi rem apud te depositam reddas, uel ut instrumentum. Sed si dedi, ut secundum me in bona causa iudex pronunciaret: est quidem relatum, conditioni locum esse: sed hic quoque crimen contrahit. Iudicem enim corrumpere uidetur, & non ita pridem Imperator noster constituit, litem eum perdere.

III. PAVLVS lib. XX. ad Sabinum.

**V**Bi autem & dantis & accipientis turpitudine uersatur: non posse repeti dicimus. ueluti si pecunia detur, ut male iudicetur.

IIII. VLPPIANVS lib. XXVI. ad edictum.

**I**dem si ob stuprum datum sit, uel si quis in adulterio deprehensus redemit se. cessat enim repetitio. itaque Sabinus & Pegasus responderunt. Item si dederit fur, ne proderetur: quoniam utriusque turpitudine uersatur, cessat repetitio. Quoties autem solius accipientis turpitudine uersatur: Celsus ait, repeti posse. ueluti si tibi dedero, ne mihi iniuriam facias. Sed & quod meretrici datur, repeti non potest, ut Labeo & Marcellus scribunt: sed noua ratione, non eò, quod utriusque turpitudine uersatur, sed solius dantis. illam enim turpiter facere, quod sit meretrix: sed non turpiter accipere, cum sit meretrix. Si tibi indicium dero

aliās\* u.  
trubiq.

dero, ut fugituum meum indices, uel furem rerum mearum: non potest repeti, quod datum est. nec enim turpiter accepisti. Quod si à fugituo meo acceperis, ne eum indicares: condicere tibi hoc possum quasi furi. sed si ipse fur indicium à me accepit, uel furis, uel fugitui socius: puto condictionem locum habere.

V. IULIANVS *lib. III. ad Urseium Ferocem.*

SI à seruo meo pecuniam quis accepisset, ne furtum ab eo factum indicaret: siue indicasset, siue non, repetitionem fore eius pecuniae, Proculus respondit.

VI. VLPPIANVS *lib. X. ad Sabinum.*

PERPETUO Sabinus probauit ueterum opinionem, existimantium id, quod ex iniusta causa apud aliquem sit, posse condici. in qua sententia etiam Celsus est.

VII. POMPONIVS *lib. XI. ad Sabinum.*

EX ea stipulatione, quæ per uim extorta est, si exacta esset pecunia, repetitionem esse constat.

VIII. PAVLVS *lib. III. questionum.*

SI ob turpem causam promiseris Titio: quamuis si petat, exceptio sine doli mali, uel in factum submouere eum possis: tamen si solueris, non posse repetere: quoniam sublata proxima causa stipulationis, quæ propter exceptionem inanis esset, pristina causa, id est, turpitudinis superesset. Porro aut si & dantis & accipientis turpis causa sit: possessorem potiorè esse, & ideo repetitione cessare, tametsi ex stipulatione solutum sit.

IX. IDEM *lib. V. ad Plautium.*

SI uestimenta tibi utenda commodauero, deinde precium, ut recipere, dedissem: condictione me recte acturum, responsum est. quamuis enim propter rem datum sit, & causa secuta sit: tamen turpiter datum esse. Si ob rem locatam tibi, uel uenditam à te, uel mandatam, ut redderes, pecuniam acceperis: habebis tecum ex locato, uel uendito, uel mandati actionem. quod si ut id, quod ex testamento, uel ex stipulatu debebas, redderes mihi, pecuniam tibi dederim: conditio duntaxat pecuniae datæ eo nomine erit. idemque & Pomponius scribit.

## DE CONDICTIONE INDEBITI. Tit. VI.

VLPPIANVS *lib. XXV. ad Sabinum.*

**N**unc uidendum de indebito soluto. & quidem si quis indebitum ignorans soluit: per hanc actionem condicere poterit. Sed si sciens se non debere, soluerit: cessat repetitio.

II. IDEM *lib. VI. ad Sabinum.*

M iij Si

**S**I quis sic soluerit, ut si apparuisset esse indebitum, uel Falcidia emer-  
serit, reddatur: repetitio locum habebit. negocium enim contractū  
est inter eos. Si quid ex testamento solutum sit, quod postea falsum, uel  
inofficiosum, uel irritum, uel ruptū apparuerit: repetetur. sed & si post  
multum tempus emerferit æs alienum, uel codicilli diu cælati prolati  
sunt, qui ademptionem continent legatorum solutorum, uel deminu-  
tionem per hoc, quia alijs quoq; legata relicta sunt. Nam diuus Hadria-  
nus circa inofficiosum & falsum testamentū rescripsit, actionem dan-  
dam ei, secundum quem de hæreditate iudicatum esset.

III. P A P I N I A N V S lib. XIII. *questionum.*

**I**dem est, & si solutis legatis noua & inopinata causa hæreditatē ab-  
stulit: ueluti nato postumo, quem hæres in utero fuisse ignorabat:  
uel etiam ab hostibus reuerso filio, quem pater obijisse falso præsum-  
pserat. Nam utiles actiones postumo uel filio, qui hæreditatem euice-  
rit, dari oportere in eos, qui legatum perceperunt, Imperator Titus  
Antoninus rescripsit: scilicet quod bonæ fidei possessor, in quantum  
locupletior factus est, teneatur. nec periculum huiusmodi nominum  
ad eum, qui sine culpa soluit, pertinebit.

IIII. P A V L V S lib. VII. *ad Sabinum.*

**I**dem diuus Hadrianus rescripsit, et si aliud testamentū proferatur.

V. V L P I A N V S lib. V. *ad Sabinum.*

**N**ec nouum est, ut quod alius soluit, alius reperat. Nam & cum  
minor uiginti quinq; annis inconsulte adita hæreditate, solutis  
legatis, in integrum restituitur: non ipsi repetitionem competere, sed

\* alijs ei, ad quem bona pertinent ab \* Arriano Titiano rescriptum est.  
Arrio.

VI. P A V L V S lib. IX. *ad Sabinum.*

**S**I procurator tuus indebitum soluerit, & id tu ratum non habeas:  
posse repeti, Labeo libris posteriorum scripsit. quod si debitum fu-  
isset: non posse repeti, Celsus. ideo, quia cum quis procuratorem rerum  
suarum constituit: id quoq; mandare uideatur, ut soluat creditori: neq;

\* In quibus postea expectandū sit, ut ratum habeat. Idem Labeo ait: si procura-  
dam exem- tori indebitū solutum sit, & dominus ratum non habeat, posse repeti. \*  
plarib. ad- Celsus ait eum, qui procuratori debitum soluit, continuo liberari,  
ditur hæc. neq; ratihabitionem considerari. quod si indebitum acceperit: ideo exi-  
ab ipso p- gi ratihabitionem, quoniam nihil de hoc nomine exigendo mandasse  
aratore. uideatur. & ideo si ratum non habeatur: repetendum à procuratore.

sed si ipse Iulianus ait, neq; tutorem, neq; procuratorem soluentes repetere  
ratū habe- posse: neq; interesse suam pecuniam, an pupilli, uel domini soluant,  
at: ab eo re- peti.

VII. P O M P O N I V S lib. III. *ad Sabinum.*

**Q**uod indebitū per errorem soluit, aut ipsum, aut tantundem repetit.  
Paulus

VIII. PAVLVVS lib. VI. ad Sabinum.

**Q**uod nomine mariti, qui soluendo non est, alius mulieri soluit: repetere non potest, ideo quia debitum est mulieri.

IX. VLP IANVS lib. L. ad edictum.

**N**am & maritus si, cū facere nihil possit, dotem soluerit: in ea causa est, ut repetere non possit.

X. PAVLVVS lib. VI. ad Sabinum.

**I**n diem debitor adeo debitor est, ut ante diē solutū repetere nō possit.

XI. VLP IANVS lib. VII. ad Sabinum.

**S**is, cum quo de peculio actum est, per imprudentiam plus, quā in speculio esset, soluerit: repetere non potest.

XII. PAVLVVS lib. VI. ad Sabinum.

**S**i fundi mei usum fructū tibi dederō, falsō existimans me eū tibi debere: & ante, quā reperam, decesserim: conditio eius ad heredem quoq; meum transibit.

XIII. IDEM lib. X. ad Sabinum.

**N**aturaliter etiā seruus obligatur. & ideo si quis nomine eius soluat, uel ipse manumissus, uel (ut Pomponius scribit) ex peculio eo, cuius liberam administrationem habebat: repeti non poterit. & ob id & fideiussor pro seruo acceptus, & pignus pro eo datum tenebitur. & si seruus, qui peculij administrationem habet, rem pignori in id, quod debebat, dederit: utilis pignoratitia reddenda est. Item quod pupillus sine tutoris autoritate mutuū accepit, & locupletior factus est: si pubes factus soluat, non repetit.

XIIII. POMPONIVS lib. XXI. ad Sabinum.

**N**am hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiores.

XV. PAVLVVS lib. X. ad Sabinum.

**I**ndebiti soluti conditio naturalis est. & ideo etiā, quod rei solutæ accessit, uenit in conditionē. ut puta partus, qui ex ancilla nati sunt: uel quod alluione accessit. imō & fructus, quos is, cui solutum est, bona fide perceperit, in conditionem ueniēt. Sed & si numi alieni dati sunt: conditio competit, ut uel possessio eorum reddatur: quemadmodum & si falsō existimans possessionem me tibi debere alicuius rei, tibi tradidissē: condicerem. Sed & si possessionem tuam fecissē, et ita tibi per longi temporis præscriptionem auocari non possit: etiā sic recte tecum per indebiti conditionem agerem. Sed & si ususfructus in re soluta alienus sit: deducto usufructu, à te condicam.

XVI. POMPONIVS lib. XXI. ad Sabinum.

**S**ub conditione debitum, per errorem solutum, pendente quidē conditione

ditione repetitur: conditione autem existente, repeti non potest. Quod etiam sub incerto die debetur, die existente, non repetitur.

XVII. VLPPIANVS lib. XIII. ad edictum.

**N**AM & si CVM MORIAR dare promisero, & antea solua: repetere me non posse, Celsus ait. quæ sententia uera est.

XVIII. IDEM lib. VI. ad Sabinum.

**Q**UOD si ea conditione detur, quæ omni modo extatura sit: solum repeti non potest: licet sub alia conditione, quæ an impleatur incertum est, si ante soluat, repeti possit.

XIX. POMPONIVS lib. II. ad Sabinum.

**S**I pœnæ causa eius, cui debetur, debitor liberatus sit: naturalis obligatio manet. & ideo solutum repeti non potest. Quamuis debitum si bi quis recipiat: tamen si is, qui dat, non debitum dat: repetitio cõpetit. ueluti si is, qui hæredem se, uel bonorum possessorem falso existimans, creditori hæreditario soluerit. hic enim neq̃ uerus hæres liberatus erit, & is quod dedit, repetere poterit. Si falso existimans debere, tibi nunc soluero, qui pro parte alieni, pro parte mei fuerint: eius summæ partem dimidiam, non corporum condicam. Si putem me Stichum aut Pamphilum debere, cum Stichum debeam, & Pamphilum solua: repetam quasi indebitum solutum. nec enim pro eo, quod debeo, uideor id soluisse. Si duo rei, qui decē debebant, uiginti pariter

\* aliàs ad soluerint: Celsus ait, singulos quina repetituros. \*

XX. IULIANVS lib. X. Digestorum.

**S**I reus & fideiussor pariter soluerint: in hac causa non differunt à duobus reis promittendi. quare omnia, quæ de his dicta sunt, & ad hos trãferre licebit.

XXI. PAVLVVS lib. III. questionum.

**P**Lanè si duos reos non eiusdem pecuniæ, sed alterius obligationis constitueris (ut puta Stichi aut Pamphili) & pariter duos datos, aut togam uel denarios mille: non idem dici poterit in repetitione, ut partes repetant: quia nec soluere ab initio sic poterant. Igitur hoc casu electio est creditoris, cui uelit soluere: ut alterius repetitio impediatur.

XXII. POMPONIVS lib. X. ad Sabinum.

**S**ED & si me putem tibi aut Titio promississe: cum aut neutrum factum sit, aut Titij persona in stipulatione compræhensa non sit, & Titio soluero: repetere à Titio poterò. Cum iter excipere deberè, sum dum liberum per errorem tradidi. incerti condicam, ut iter mihi concedatur.

XXIII. VLPPIANVS lib. III. ad Sabinum.

**E**legantè Pomponius quærit: si quis suspicetur transactionem factam ab eo, cui hæres est, uel ab eo, cuius procurator est: & quasi ex transactione dederit, quæ facta non est: an locus sit repetitioni: & ait re-

peti

peti posse. ex falsa enim causâ datum esse. Idem puto dicendum, & si transactio secuta non fuerit, propter quam datum est: sed etiam si resoluta sit transactio, idem erit dicendum. Si post rem iudicatam quis transegerit, & soluerit: repetere poterit idcirco, quia placuit transactionem nullius momenti esse. hoc enim imperator Antoninus cum diuo patre suo rescripsit. retineri tamen atq; compensari in causam iudicati, quod ob talem transactionem solutum est, potest. quid ergo, si appellatum sit: uel hoc ipsum incertum sit, an iudicatum sit, uel an sententia ualeat? magis est, ut transactio uires habeat. tunc enim rescriptis locum esse credendum est, cum de sententia indubitata, quæ nullo remedio attentari potest, transigitur. Item si ob transactionem alimentorum testamentò relictorum datum sit: apparet posse repeti, quod datum est: quia transactio senatusconsulto infirmatur. Si quis post transactionem nihilominus condemnatus fuerit: dolo quidem id fit, sed tamen sententia ualet. potuit aut is ( siquidem ante litem contestatam transegerit ) uolenti litem contestari, opponere doli exceptionem. sed & si post litem contestatam transactum est: nihilominus poterit doli exceptione uti post secuti. dolo enim facit, qui contra transactionem expertus, amplius petit. & ideo cõdemnatus, repetere potest, quod ex causâ transactionis dedit. sanè quid si ob causam dedit: neq; repeti solet, qd ob causam datû est, causâ secuta. sed hic nõ uidetur causâ secuta, cû transactioni nõ steretur. Cum ergo repetitio eius oritur: transactionis exceptio locum non habet. neq; enim utrunq; debet locum habere, & repetitio, & exceptio. Si qua lex ab initio dupli, uel quadrupli statuit actionem: dicendum est, solutum ex falsa eius causâ, repeti posse.

XXIII. IDEM lib. XLVII. ad Sabinum.

SI is, qui perpetua exceptione tueri se poterat, cû sciret sibi exceptionem profuturam, promiserit aliquid, ut liberaretur: condicere non potest.

XXV. IDEM lib. XLVII. ad edictum.

CVm duo pro reo fideiussissent in decem, deinde reus tria soluisset, & postea fideiussores quina: placuit eum, qui posterior soluisset, repetere tria posse. hoc merito: quia tribus à reo solutis, septem solâ debita supererant: quibus persolutis, tria indebitò soluta sunt.

XXVI. IDEM lib. VI. ad edictum.

SI non sortem quis, sed usuras indebitas soluit: repetere non poterit, si forti debitas soluit. Sed si supra legitimum modum soluit: diuus Seuerus rescripsit ( quo iure utimur ) repeti quidem non posse, sed forti imputandum: & si postea sortem soluit, sortem quasi indebitam repeti posse. Proinde et si fors ante soluta fuerit: usuræ supra legitimû modû solutæ, quasi fors indebita repetuntur. quod si simul soluerit: po-

N terit

terit dici, & tunc repetitionem locū habere. Supra duplum autem usura, & usurarū usura, nec in stipulatū deduci, nec exigi possunt. sed & soluta repetuntur, quemadmodum futurarum usurarum usura. Si quis falso se sortem debere credens, usuras soluerit: potest condicere. nec tunc detur sciens indebitum soluisse. Indebitum aut solutum accipimus, non solum si omnino nō debeatur, sed & si per aliquam exceptionem perpetuam peti non poterat. quare hoc quoque peti poterit: nisi sciens se tutum exceptione, soluit. Si centum debens, quasi ducenta debentem, fundum ducentorum solui: competere repetitionem, Marcellus libro uicesimo digestorum scribit, & in centū manere stipulationē. licet enim placuit, rem pro pecunia solutam parere liberationē: tamen si ex falsa debiti quantitate maioris precij res soluta est: non fit confusio partis rei cum pecunia. nemo enim inuitus compellitur ad communicationem. Sed & conditio integræ rei manet, & obligatio incorrupta. ager autem retinebitur, donec debita pecunia soluatur. Idem Marcellus ait, si pecuniam debens, oleum dederit pluris precij, quasi plus debens: uel cum oleum deberet, oleum dederit, quasi maiorem modum debens: superfluum olei esse repetendum, non totum: & ob hoc peremptam esse obligationem. Idem Marcellus dicit, si cū fundi pars mihi deberetur, quasi totus deberetur, æstimatione facta, solutio pecuniarum solidi precij fundi facta sit: repeti posse non totum precium, sed partis indebitæ. Adeo aut perpetua exceptio parit conditionem, ut Iulianus libro decimo scripserit: si emptor fundi damnauerit hæredem suū, ut uenditorē à nexu uenditi liberaret: mox uenditor ignorans, rem tradiderit: posse eum fundum cōdicere. idemque et si debitorem hæredem suū damnauerit liberare, & ignorans soluerit. Qui filiofamilias soluit, cum esset eius peculiaris debitor: si quidem ignorauit ademptum ei peculium, liberatur. si scit, & soluit: conditionem non habet, quia sciens indebitum soluit. Si filiofamilias contra Macedonianum mutatus soluerit, & patri suo hæres effectus uelit uindicare numos: exceptione submouebitur à uindicatione numerorum. Si quis quasi ex compromisso condemnatus, falso soluerit: repetere potest. Hæredi, uel bonorum possessori (si quidem defendat hæreditatem) indebitum solutum condici poterit. si uero is non defendat: etiam debitum solutum repeti potest. Libertus cum se putaret operas patrono debere, soluit. condicere eum non posse, quamuis putans se obligatum, soluit, Iulianus libro decimo digestorum scribit. natura enim operas patrono libertus debet. Sed et si non operæ patrono sunt solutæ: sed cū officium ab eo desideraretur, cum patrono deciderit pecunia, & soluit: repetere non potest. Sed si operas patrono exhibuit, non officiales, sed factiles

briles (ueluti pictorias, uel alias) dum putat se debere: uidendum est, an possit condicere. & Celsus libro decimo digestorum putat, eam esse causam operatum, ut non sint eadē, neq; eiuidem hominis, neq; eadē aliās ei dem exhibeantur. Nam plerunq; robur hominis, ætas, tempus, opportunitasq; naturalis causam operatum mutant. & ideo nec uolēs quis, reddere potest. sed hæ quidē operæ recipiunt æstimationē. Et interdū licet aliud præstemus (inquit) aliud condicimus. ut puta fundū indebitū de di, & fructus condico: uel hominē indebitū, & hunc sine fraude modico distraxisti. nempe hoc solum refundere debes, quod ex precio habes: uel si meis sumptibus preciosiorem hominem feci, non æstimari hæc debent. sic & in proposito ait posse condici, quanti operas esset con ducturus. Sed si delegatus sit aliq; a patrono in officiales opas: apud Marcellū libro uicesimo digestorū quæritur: & dicit Marcellus, non teneri eū, nisi forte in artificio sint. hæ em̄, iubente patrono, & aliq; edendæ sunt. sed si soluerit officiales delegatus: non potest condicere neq; ei, cui soluit, creditori, cui alterius contemplatione solutum est, quicq; suum recepit: neq; patrono, quia natura ei debetur. Si decem aut Stichum stipulatus, soluiam quinq; quæritur, an possim condicere? quæstio ex hoc descendit, an liberer in quinq; nam si liberor, cessat cōdictio. si non liberor: cōdictio erit. Placuit autē (ut Celsus libro sexto, & Marcellus li bro uicesimo digestorum scripsit) non periri partem dimidiam obli gationis. Ideoq; eum, qui quinq; soluit, in pendenti habendum, an libe retur: petiq; ab eo posse reliqua quinq; aut Stichum. & si præstiterit re sidua quinq; uideri eum & priora debita soluisse. sin aut Stichum præ stitisset: quinq; eum posse condicere, quasi indebita. sic posterior solu tio comprobatur, priora quinq; utrum debita, an indebita soluerentur. Sed & si post soluta quinq; & Stichus soluiatur, & malim ego habere quinq; & Stichū reddere: an sim audiendus, quærit Celsus? & putat na tam in quinq; conditionem: quamuis utroq; simul soluto, mihi reti nendi, quod uellem, arbitrium daretur. Idem ait, & si duo hæredes sint stipulatoris: non sic posse, alteri quinq; solutis, alteri partem Stichi solui. Idem, & si duo sint promissoris hæredes. secundum quæ liberatio nō cōtingit: nisi aut utriq; quina, aut utriq; partes Stichi fuerint solutæ.

XXVII. PAVLVS lib. XXVII. ad edictum.

**Q**ui loco certo debere existimans, indebitum soluit: quolibet loco reperet. non enim existimationem soluentis eadem species repetitionis sequitur.

XXVIII. IDEM lib. VI. ad edictum.

**I**udex si male absoluerit, & absolutus sua spē soluerit: repetere nō potest.

XXIX. VLPPIANVS lib. II. disputationum.

N ij Inter-

**I**nterdum persona locum facit repetitioni: ut puta si pupillus sine tutoris autoritate, uel furiosus, uel is, cui bonis interdictum est, soluerit. Nam in ijs personis generaliter repetitioni locum esse, non ambigitur. Et si quidem exstant numi, uindicabuntur: pro consumptis uero conditio locum habebit.

XXX. IDEM lib. IX. *disputationum.*

**Q**ui inuicē creditor, idemq; debitor est, in casibus, in quibus compensatio locum non habet, si soluit: non habet condictionem, ueluti indebiti soluti, sed sui crediti repetitionem.

XXXI. IDEM lib. I. *opinionum.*

**I**s, qui plus, quam hæreditaria portio efficit, per errorem creditori cauerit: indebiti promissi habet condictionem.

XXXII. IULIANVS lib. X. *digestorum.*

**C**um is, qui Pamphilum aut Stichum debet, simul utrunq; soluerit: si postea, quam utrunq; soluit, aut uterq;, aut alter ex his deserit in rerū natura esse: nihil repetet. id enim remanebit in soluto, quod superest. Fideiussor cum paciscitur, ne ab eo pecunia petatur, & per imprudentiam soluerit: condicere stipulatori poterit. idq; eò, quia reus quidem manet obligatus, ipse aut sua exceptione tutus est. nihil autem interest, fideiussor, an hæres eius soluerit. quod si huic fideiussori reus hæres extiterit, & soluerit: nec repetet, sed liberabitur. Si in ea opinione sit mulier, ut credat se pro dote obligatam: quidquid dotis nomine dederit, non repetit. sublata enim falsa opinione, relinquitur pietatis causa, ex qua solutum repeti non poterit. Qui hominem in genere promissit, similis est ei, qui hominem aut decem debet. adeoq; si cum existimaret se Stichum promississe, eum dederit: condicet, alium autem quemlibet dando liberari poterit.

XXXIII. IDEM lib. XI. *digestorum.*

**S**i in area tua ædificassem, & tu ædes possideres: conditio locum non habebit: quia nullum negotium inter nos cōtraheretur. nam is, qui non debitam pecuniam soluit, hoc ipso aliquid negocij gessit. cum aut ædificiū in area sua ab alio positū, dominus occupat: nullū negotium contrahit. Sed si is, qui in aliena area ædificasset, ipse possessionem tradidisset: condictionem non habebit: quia nihil accipientis faceret, sed suam rem dominus habere inciperet. & ideo constat, si quis cum existimaret se hæredem esse, in sulam hæreditariam fulisset: nullo alio modo, q̄ per retentionem, impensas seruare posse.

XXXIII. IDEM lib. XI. *digestorum.*

**I**s, cui hæreditas tota per fidei commissum relicta est, & præterea fundus, si decē dedisset hæredi: si hæres suspectam hæreditatem dixerit, & eam

& eam ex Trebelliano restituerit: caussam dandæ pecuniæ non habet.  
& ideo quod eo noie, quasi implendæ conditionis gratia, dederit: cõdi-  
tione repeter. **XXXV. IDEM lib. IX. digestorum.**

**Q** Vi ob rem non defensam soluerit (quamuis postea defendere pa-  
ratus est) non repeter, quod soluit.

**XXXVI. PAVLVVS lib. V.  $\omega\delta\tau\omicron\mu\omega\upsilon\pi$  Alfeni digestorum.**

**S**eruus cuiusdam insciente domino magidem commodauit. is, cui  
commodauerat, pignori eam posuit, & fugit. qui accepit, non ali-  
ter se redditurum aiebat, quàm si pecuniam accepisset. Accepit à ser-  
uulo, & reddidit magidem. quæsitum est, an pecunia ab eo repeti  
possit: respondit. si is, qui pignori accepisset, magidem alienam scisset  
apud se pignori deponi: furti eum se obligasse. Ideoq; si pecuniã à seruulo  
accepisset, redimendi furti caussa: posse repeti. Sed si nescisset alienam  
rem apud se deponi: non esse furẽ. Itẽ si pecunia eius nomine, à quo pi-  
gnus acceperat, à seruo ex soluta esset: non posse ab eo repeti.

**XXXVII. IVLIANVS lib. III. ad Vrseium Feroam.**

**S**eruum meum insciens à te emi, pecuniamq; tibi solui. eam me à  
te repetiturum, & eo nomine conditionem mihi esse, omnimodo  
puto: siue scisses meum esse, siue ignorasses.

**XXXVIII. AFRICANVS lib. IX. questionum.**

**F**rater à fratre, cum in eiusdem potestate esset, pecuniã mutuatus,  
post mortẽ patris ei soluit. quæsitũ est, an repeterere possit: respon-  
dit. utiq; quidem pro ea parte, qua ipse hæres patri exstitisset, repetitu-  
rum. pro ea uero, qua frater hæres exstitisset: ita repetiturum, si non mi-  
nus ex peculio suo ad fratrem peruenisset. naturalem enim obligatio-  
nem, quæ fuisse, hoc ipso sublata uideri, quod peculij partem frater sit  
consecutus: adeo, ut si prælegatum filio eidemq; debitori fuisse, dedu-  
ctio huius debiti à fratre ex eo fieret. Idq; maxime consequens esse ei  
sententiæ, quam Iulianus probaret. si extraneo quid debuisset, & ab eo  
post mortem patris exactum esset: tantum iudicio eum familiæ er-  
ciscundæ recuperaturum à cohæredibus fuisse, quantum ab ijs credi-  
tor actione de peculio consequi potuisset. igitur si re integra fami-  
liæ erciscundæ agatur: ita peculium diuidi æquum esse, ut ad quanti-  
tatẽ eius indemnis à cohæredibus præstetur. porro eum, quẽ aduersus ex-  
traneum defendi oporteret: longe magis in eo, qd fratri debuisset, indẽnẽ  
præstandum. **Quæsitũ est, si pater filio crediderit, isq; emancipatus  
soluat: an repeterere possit: respondit. si nihil ex peculio apud patrem re-  
manserit, non repetiturũ. nam manere naturalem obligationem, argu-  
mento esse, qd extraneo agente intra annũ de peculio, deduceret pater,  
quod sibi filius debuisset. Contra si pater, quod filio debuisset, eidem**

emancipato soluerit: non repetet. Nam hic quoq; manere naturalē obligationem, eodem argumēto probatur: quod si extraneus intra annū de peculio agat, etiam quod pater ei debuisset, computetur. eademq; erunt, & si extraneus hæres ex hæredato filio soluerit id, quod ei pater debuisset. LEGATI satis accepi: & cum fideiussor mihi soluisset, ap paruit indebitum fuisse legatum. posse eum repetere existimauit.

XXXIX. MARTIANVS lib. VIII. institutionum.

**S**iquis cum à fideicommissario sibi cauere poterat, nō cauerit: quasi indebitum eum plus debito solutum repetere posse, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

XL. IDEM lib. III. regularum.

**Q**ui exceptionem perpetuam habet, solutum per errorem repetere potest. sed hoc nō est perpetuū. nam si quidem eius causa exceptio datur, cū quo agitur: solutum repetere potest, ut accidit in Senatusconsulto de intercessionibus. ubi uero in odium eius, cui debetur, exceptio datur, perperam solutum non repetitur. ueluti si filius familias contra Macedonianum mutuam pecuniam acceperit, & pater familias factus soluerit: non repetit. Si pars domus, quæ in diem per fideicommissum relicta est, arserit ante diem fideicommissio cedentem, & eandem hæres sua impensa refecerit: deducendam esse impensam ex fideicommissio constat. et si sine deductione domū tradiderit: posse incerti condici, quasi plus debito dederit. Si pactus fuerit patronus cum liberto, ne operæ ab eo petantur: quidquid postea solutum fuerit à liberto, repeti potest.

XLI. NERATIVVS lib. VI. membranarum.

**Q**uod pupillus sine tutoris auctoritate stipulati promiserit, & soluerit: eius repetitio est, quia nec natura debet.

XLII. VLPIANVS lib. III. ad edictum.

**P**oenæ non solent repeti, cum depensæ sunt.

XLIII. PAVLVS lib. III. ad Plautium.

\* aliās  
conditio  
ne. **S**iquis iurarit, se dare non oportere, ab omni \* contentione discedere. atq; ita solutam pecuniam repeti posse, dicendum est.

LXIII. IDEM lib. V. ad Plautium.

**R**eputitio nulla est ab eo, qui suum recepit: tamen si ab alio, quam à uero debitore, solutum est.

XLV. IABOLENVS lib. XIII. ad Plautium.

**S**is, qui hæreditatem uendidit, & emprori tradidit, id quod sibi mortuus debuerat, non retinuit: repetere poterit, quia plus debito solutum per conditionem recte recipitur.

XLVI. IDEM lib. III. ex Plautio.

Qui

**Q**ui hæredis noie legata non \*debita ex numis ipsius hæredis soluerit: ipse quidem repetere non potest. sed si ignorante hærede numos eius tradiderit: dominus eos recte uindocabit. eadem caussa rerum corporalium est. ahâs \*re-  
licta.

XLVII. CELSVS lib. VI. digestorum.

**I**ndebitam pecuniam per errorem promissisti. eam, qui pro te fidei iusserat, soluit. ego existimo, si nomine tuo soluerit fideiussor: te fideiussori, stipulatoremque tibi obligatum fore. nec expectandum esse, ut ratum habeas: quoniam potest uideri id ipsum te mandasse, ut tuo nomine solueretur. Sin autem fideiussor suo nomine soluerit, quo non debebat: ipsum à stipulatore repetere posse, quoniam indebitam iure gentium pecuniam soluit. quod minus autem consequi poterit ab eo, cui soluit, à te mandati iudicio consecuturum: si modo per ignorantiam, petentem exceptione non submouerit.

XLVIII. IDEM lib. VII. digestorum.

**Q**ui promisit, si aliquid à se factum sit, uel cum aliquid factum sit, dare se decem: si prius, quam id factum fuerit, quod promisit, dederit: non uidebitur fecisse, quod promisit, atque ideo repetere potest.

XLIX. MODESTINVS lib. II. regularum.

**I**s solis pecunia condicitur, quibus quoquo modo soluta est, non quibus proficit.

L. POMPONIVS lib. V. ad Q. Mutium.

**Q**uod quis sciens indebitum dedit hac mente, ut postea repeteret, repetere non potest.

LI. IDEM lib. VI. ad Q. Mutium.

**E**x quibus causis retentionem quidem habemus, petitionem autem non habemus: ea, si soluerimus, repetere non possumus.

LII. IDEM lib. III. ad Q. Mutium.

**D**amus aut ob causam, aut ob rem. ob causam & eam præteritam: ueluti cum ideo do, quod aliquid à te consecutus sim, uel quia aliquid à te factum est: ut etiam si falsa causa sit, repetitio eius pecunia non fit. ob rem uero datur, ut aliquid sequatur: quo non sequente, repetitio cõpetit.

LIII. PROCVLVS lib. VI. ἐπιστολῶν.

**D**ominus testamento seruo suo libertatem dedit, si decem mihi det. seruo ignorante id testamentum non ualere, data sunt mihi decem. quaritur, quis repetere potest? Proculus respondit. Si ipse seruus peculiares numos dedit, cum ei à domino id permissum non esset: manent numi domini, eosque non conditione, sed in rem uindicatione petere debet. Sin autem alius rogatu serui suos numos dedit: facti sunt eius, eosque dominus serui, cuius nomine dati sunt, per conditionem petere

petere potest. sed tam benignius, quàm utilius est: uia recta ipsum, qui numos dederit, suum recipere.

LIIII. P APINIANVS lib. II. *questionum.*

**E**X his omnibus causis, quæ iure non ualuerunt, uel non habuerunt effectum: secuta per errorem solutione, conditioni locus erit.

L V. I D E M lib. VI. *questionum.*

**S**I urbana prædia locauerit prædo: quod mercedis nomine accepit, ab eo, qui soluit, non repetet: sed domino erit obligatus. Idemque iuris erit in uesturis nauium, quas ipse locauerit, aut exercuerit. Item in mercedibus seruorum, quorum operæ per ipsum fuerint locatæ. nam si seruus non locatus ab ipso, mercedem ut domino prædoni retulit: non fiet accipientis pecunia. sed & si uesturas nauium, quas dominus locauerat, item pensiones insularum acceperit: ob indebitum ei tenebitur, qui non est soluendo liberatus. quod ergo dici solet, prædoni fructus posse condici: tunc locum habet, cum domini fructus fuerint.

L VI. I D E M lib. VIII. *questionum.*

**S**ufficit ad causam indebiti, incertum esse, temporaria sit, an perpetua exceptio. Nam si quis ne conueniatur, donec Titius consul fiat, paciscatur: quia potest Titio decedente, perpetua fieri exceptio, quæ ad tempus est: Titio consulatum ineunte, summa ratione dicetur, quod interim soluitur, repeti. ut enim pactum, quod in tempus certum collatum est, non magis inducit conditionem, quàm si debitor ex ea die soluisse: ita prorsus defensio iuris, quæ causam incertam habet, conditionis instar obtinet.

L VII. I D E M lib. III. *responsorum.*

**C**um indebitum impuberis nomine tutor numerauit: impuberis conditio est. Creditor, ut procuratori suo debitum redderetur, mandauit. maiore pecunia soluta, procurator indebiti causa conuenietur. quod si nominatim, ut maior pecunia solueretur, delegauit: indebiti cum eo, qui delegauit, erit actio. quæ non uidetur adempta, si frustra cum procuratore lis fuerit instituta.

L VIII. I D E M lib. IX. *responsorum.*

**S**eruo manumisso fideicommissum ita reliquit, si ad libertatem ex testamento peruenerit. is post acceptam sine iudice pecuniam, in genus pronunciatum est. indebiti fideicommissi repetitio erit.

L IX. I D E M lib. II. *definitionum.*

**S**i fideiussor iure liberatus, soluerit errore pecuniam: repetenti non soberit. Si uero reus promittendi per errorem & ipse postea pecuniam soluerit, non repetet: cum prior solutio, quæ fuit irrita, nec naturale uinculum dissoluit, nec ciuile, si reus promittendi tenebatur.

Paulus

LX. PAVLVS lib. III. *questionum.*

**I**ulianus uerum debitorem post litem contestatam, manente adhuc iudicio, negabat soluentē repetere posse: quia nec absolutus, nec condemnatus repetere posset. licet enim absolutus sit, natura tamen debitorem manere: similemque esse ei dicit, qui ita promisit, siue nauis ex Asia uenerit, siue nō uenerit: quia ex una causa alterius solutionis origo proficiscitur. Vbi autem quis, quod pure debet, sub conditione nouandi animo promisit: plerique putant, pendente nouatiōe solutum repeti posse: quia ex qua obligatione soluat, adhuc incertū sit. idemque esse, ac si diuersas personas ponas eandem pecuniam pure, & sub conditione nouandi animo promisisse. Sed hic dissimile est. in stipulatiōe enim pura & condicionali eundem debiturum certum est.

LXI. SCAEVOLA lib. V. *responsorum.*

**T**utores pupilli quibusdam creditoribus patris ex patrimonio paterno soluerunt: sed postea non sufficientibus bonis, pupillum abstinuerunt. quæritur, an quod amplius creditoribus per tutores pupilli solutum est: uel totum, quod acceperunt, restituere debeant? Respondi, si nihil dolo tutoris factum esset, tutori quidem uel pupillo non deberi: creditoribus autem alijs in id, quod amplius sui debiti solutū est, teneri.

LXII. MAETIANVS lib. III. *fidei commissorum.*

**F**ideicommissum in stipulatione deductum, tam et si non debitū fuisset: quia tamen à sciente fidei explendæ causa pmissum esset, debetur.

LXIII. CAIVS lib. *singulari de casibus.*

**N**eratius casum refert, ubi si quis id, quod soluerit, repetere non possit, quasi debitū dederit, nec tamē liberetur: ueluti si is, qui cū certum hominem deberet, statuliberū dederit. nam ideo eum nō liberari, quia non in plenum stipulatoris hominem fecerit: nec tamen repetere eum posse, quod debitum dederit.

LXIII. TRIPHONINVS lib. VIII. *disputationum.*

**S**i quod dominus seruo debuit, manumisso soluit: quamuis existimaret ei se aliqua actione teneri, tamen reperere non poterit: quia naturale debitum agnouit. Vt enim libertas naturali iure continetur, & dominatio ex gentium iure introducta est: ita debiti uel non debiti ratio in conditione naturaliter intelligenda est.

LXV. PAVLVS lib. VIII. *ad Plautium.*

**I**n summa (ut generaliter de repetitione tractemus) sciendum est dari, aut ob transactionem, aut ob causam, aut ppter conditionem, aut ob rem, aut indebitum. in quibus omnibus quæritur de repetitione. Et quidem quod transactiōis nomine datur: licet res nulla media fuerit, non repetitur. nam si lis fuerit: hoc ipsum, quod à lite disceditur, ○ causa

caussa uidetur esse. Sin autem euidentis calumnia deregitur: & transactio imperfecta est, & repetitio dabitur. Id quoq; quod ob causam datur, puta quod negocia mea adiuta ab eo putauit, licet non sit factum: quia donare uolui (quamuis falso mihi persuaserim) repeti non potest. Sed & agere per conditionem propter conditionem legati, uel hæreditatis (siue non sit mihi legatum, siue ademptum sit legatum) possum, ut repetam, quod dedi: quoniam non contrahendi animo dederim: quia causa, propter quam dedi, non est secuta. Idem & si hæreditatem adire nolui, uel non potui, non idem potest dici, si seruus meus sub conditione hæres institutus sit, & ego dederò, deinde manumissus adierit, nam hoc casu secuta est res. Quod ob rem datur, ex bono & æquo habet repetitionem: ueluti si dem tibi, ut aliquid facias, nec feceris. Ei, qui indebitum repetit, & fructus, & partus restitui debent, deducta impensa. In frumento indebitum soluto, & bonitas est repetenda: & si consumpsit frumentum, precium repetit. sic & habitatione data, pecuniam condicam: non quidem quanti locare potui, sed quantum conducturus fuisses. Si seruum indebitum tibi dedi, eumq; manumissisti: si sciens hoc fecisti, teneberis ad precium eius. si nesciens: non reneberis, nisi propter operas eius liberti, & ut hæreditatem eius restituas.

aliàs \*hominini.

Indebitum est non tantum, quod omnino non debetur: sed & quod alij debetur, si alij soluitur: aut si id, quod alius debebat, alius quasi ipse debeat, soluat. LXVI. PAPIANVS lib. VII. *questionum.*

**H**Aec conditio ex bono & æquo introducta, quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, reuocare consuevit.

LXVII. SCAEVOLA lib. V. *digestorum.*

**S**Tichus testamento eius, quem dominum suum arbitrabatur, liberate accepta, si decem annis ex die mortis annuos decem hæredibus præstitisset: per octo annos præfinitam quantitatem, ut iustus erat, dedit. postmodum, quam se ingenuum comperit, nec reliquorum annorum dedit, & pronunciatus est ingenuus. quæsitum est, an pecuniam, quam hæredibus dedit, ut indebitam datam repetere, & qua actione possit? Respõdi, si eam pecuniam dedit, quæ neq; ex operis suis, neq; ex re eius, cui bona fide seruiebat, quæ sita sit: posse repeti. Tutor creditori pupilli sui plus, quam debebatur, exsoluit: & tutelæ iudicio pupillo non imputauit. quæro, an repetitionem aduersus creditorem haberet? Respõdi, habere. Titius, cum multos creditores haberet, in quibus & Seio: bona sua priuatim uenditione facta Mænio concessit, ut satis creditoribus faceret. Sed Mænius soluit pecuniã Seio tanq; debitam, quæ iam à Titio fuerat soluta. quæsitum est, cum postea reperiantur apud Titium debitorem partim solutæ pecuniæ: cui magis repetitio pecu-

pecuniæ indebitæ solutæ cõpetit: Titio debitori, an Mæuio, qui in rem suam procurator factus est: Respondi secundum ea, quæ pponeretur: ei, qui postea soluisse. Item quæsitum est, an pactum, quod in paria tionibus adscribi solet in hunc modum, **EX HOC CONTRACTU NULLAM IN SE CONTROVERSIAM AMPLIUS ESSE**, im pediat repetitionem: respondi, nihil proponi, cur impediret. Lucius Titius Caio Seio minori annis uiginti quinq; pecuniâ certam credidit, & ab eo aliquantulum usurarum nomine accepit Caij Seij minoris hæ res aduersus Publium Mæuium à præside prouinciæ in integrum resti tutus est, ne debitû hæreditarium solueret: & nec quidquam de usuris eiusdem fortis, quas Seius minor annis uiginti quinq; exsoluerat, repe tendis tractatum apud præsidem, aut ab eo pronunciatum est. quæro, an usuras, quas Caius Seius minor annis uiginti quinq; quoad uiueret, creditori exsoluerat, hæres eius repetere possit: respondi secundum ea, quæ proponerentur, condici id, quod usurarum nomine defunctus sol uisset, non posse. Item quæro, si existimes repeti non posse, an ex alio debito hæres eas retinere possit: respondi, ne hoc quidem.

**DE CONDICTIONE SINE CAUSSA. Tit. VII.**

*VLPIANVS lib. VI. ad Sabinum.*



**L**ST & hæc species conditionis, si quis sine causa promi serit, uel soluerit quid indebitum. qui autem promisit si ne causa, condicere quantitatem non potest, quam non dedit, sed ipsam obligationẽ. Sed & si ob causam promi sit, causa tamen secuta non est: dicendum est, conditio nem locum habere. Siue autem ab initio sine causa promissum est, siue fuit causa promittendi, quæ finita est, uel secuta nõ est: dicendum est, conditioni locum fore. Constat id demû posse condici alicui, quod uel non ex iusta causa ad eũ peruenit, uel redit ad nõ iustam causam.

*II. IDEM lib. VIII. ad edictum.*

**S**I fullo uestimenta lauanda conduxerit, deinde amissis eis, domino sprecium ex locato conuentus præstiterit, posteaq; dominus inue nerit uestimenta: qua actione debeat consequi precium, quod dedit: & ait Cassius, eum non solum ex conducto agere, uerum & condicere do mino posse. ego puto ex conducto omnimodo eum habere actionem. an autem & condicere possit, quæsitum est, quia non indebitum dedit: nisi forte, quasi sine causa ei datum sit, putamus condici posse. Etenim uestimentis inuentis, quasi sine causa datum uidetur.

*III. IULIANVS lib. VIII. Digestorum.*

O ñ Qui

**Q**ui sine causa obligantur, incerti conditione consequi possunt, ut liberentur. nec refert, omnem quis obligationem sine causa suscipiat, an maiore, quam suscipere eum oporteat. nisi quod alias conditione id agitur, ut omni obligatione liberetur: alias, ut exoneretur, ueluti qui decem promisit. nam si quidem nullam causam promittendi habuit: incerti conditione consequitur, ut tota stipulatio accepto fiat. at si cum quibus promittere deberet, decem promisit: incerti conditione consequitur, ut in quibus liberetur. *III. AFRICANVS lib. VIII. questionum.*

**N**ihil refert, utrum ne ab initio sine causa quid datum sit, an causa, propter quam quid datum est, secuta non sit.

*V PAPIANVS lib. XI. questionum.*

**A** vinculo nuptura pecuniam in dotem dedit, neque nupsit. an eadem repetere possit, quaesitum est: dixi, cum ob turpe causam dantis & accipientis pecunia numeretur, cessare conditionem: & in delicto pari potiore esse causam possessoris. quam ratione fortassis aliquem secutum respondere, non habitura mulierem conditionem. Sed recte defendi, non tam turpe causam in proposito, quam nullam fuisse: cum pecunia, quae daretur, in dotem conuertere nequiret. non enim stupri, sed matrimonij gratia dante tam esse. Nouerca priuigno, nurus socero pecuniam dotis nomine dedit, neque nupsit. cessare conditio prima facie uidetur, quoniam inter gentium incestum committitur. atquin magis in ea specie nulla causa dotis dandae fuit. conditio igitur competit.

## DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER XIII.

### DE CONDICTIONE FVRTIVA. Tit. I.

*VLPIANVS lib. XX. ad Sabinum.*



**N**RE furtiua soli domino conditio competit.

*II. POMPONIVS lib. XVI. ad Sabinum.*

**C**onditione ex causa furtiua & furiosi & infantes obligantur, cum haeredes necessarii existiterunt: quamuis cum eis agi non possit.

*III. PAVLVS lib. XVIII. ad Sabinum.*

**S**i condicatur seruus ex causa furtiua, id venire in conditione certum est, quod intersit ageris: ueluti si haeres sit institutus, & periculum subeat dominus hereditatis pendendae, quod Iulianus scribit. Item si mortuum hominem condicat: consecuturum ait precium hereditatis.

*Vlpianus*

III. VLP IANVS lib. XX. ad Sabinum.

**S**I seruus uel filiusfamilias furtū commiserit:condicendū est domi-  
no id, qđ ad eum peruenit. In residuum aut̄ noxæ seruū dominus de-  
dere potest. V. PAVLVVS lib. XVIII. ad Sabinum.

**E**X furtiua caussa filiofamilias condici potest. Nunquam enim ea  
condictione alius, quā qui fecit, tenetur, aut hæres eius.

VI. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

**P**roinde & si ope & consilio alicuius furtum factū sit: condictione  
non tenebitur, & si furti teneatur.

VII. IDEM lib. XLII. ad Sabinum.

**S**I pro furto damnū decisum sit, condictionem non impediri, certissi-  
mum est. Decisione em̄ furti quidē actio, non aut̄ condictio tollitur.

Furti actio pœnam petit legitimam, cōdictio rem ipsam. ea res facit,  
ut neq; furti actio per cōditionē, neq; condictio per furti actionē cōsum-  
matur. is itaq; cui furtū factum est, habet actionē furti, & condictionē, &  
uindicationē. habet & ad exhibendum actionē. Condictio rei furti-  
uæ, quia rei habet persecutionē, hæredē quoq; furis obligat: nec tantum  
si uiuat seruus furtiuus, sed etiā si decesserit. sed & si apud furis hæredem  
diem suū obiit seruus furtiuus, uel non apud ipsum, post mortē tamen  
furis: dicendum est, condictionem aduersus hæredem durare. Quæ in  
hæredem diximus, eadem erunt & in cæteris successoribus.

VIII. IDEM lib. XXVIII. ad edictum.

**I**n re furtiua cōdictio ipsorum corporum competit. sed utrum tam  
diu, q̄ diu existat: an uero & si desierint esse in rebus humanis? & si  
quidem obtulit fur: sine dubio nulla erit condictio. si non obtulit: durat  
condictio æstimationis eius. corpus enim ipsum præstari non potest.

Si ex caussa furtiua res condicatur, cuius tēporis æstimatio fiat, qua-  
ritur: placet tamen id tempus spectandum, quo res unq; plurimi fuit:  
maxime cum deteriolem rem factam fur dando non liberatur. Sem-  
per enim moram facere fur uidetur. Nouissime sciendum, etiam  
fructus in hanc actionem uenire.

IX. IDEM lib. X. ad edictum.

**I**n condictione ex caussa furtiua non pro parte, quæ peruenit, sed in  
solidum tenemur: dum soli hæredes sumus. pro parte autem hæres,  
pro ea parte, pro qua hæres est, tenetur.

X. IDEM lib. XX. ad edictum.

**S**ive manifestus fur, siue nec manifestus sit, poterit condici. Ita demū  
Saut̄ manifestus fur condictione tenebitur, si depræhensa non fuerit  
a domino possessio eius. cæterum nemo furum condictione tenetur,  
postquam dominus adpræhenderit. & ideo Iulianus ( ut procedit in  
O ij fure

fure manifesto tractare) de conditione ita proponit: furem deprehensum aut occidisse, aut fregisse, aut effudisse id, quod interceperat. Ei quoque qui ui bonorum raptorum tenetur, condici posse, Iulianus libro uigesimo secundo digestorum significat. Tamdiu autem condictioni locus erit, donec domini facto dominium eius rei ab eo reddat. & ideo si eam rem alienauerit, condicere non poterit. Vnde Celsus libro duodecimo digestorum scribit: si rem furtiuam dominus pure legauerit furi: hæredem eius condicere non posse. Sed & si non ipsi furi, sed alij: item dicendum est, cessare conditionem: quia dominium facto restatoris, id est domini, discessit.

XI. PAVLVVS lib. XX. ad edictum.

**S**ed nec legatarius condicere potest. ei enim competit conditio, cui res subrepta est, uel hæredi eius. sed uindicare rem legatam ab eo potest.

XII. VLP IANVS lib. XX. ad edictum.

**E**T ideo eleganter Marcellus definit libro septimo. ait enim. si res mihi subrepta, tua remaneat: condices. Sed & si dominium non factum tuo amiseris: æque condices. In communi igitur re eleganter ait interestesse, utrum tu prouocasti communi diuidendo iudicio, an prouocatus es: ut si tu prouocasti communi diuidendo iudicio, amiseris conditionem. si prouocatus es, retineas. Neratius libris Membranarum Aristonem existimasse refert: eum, cui pignori res data est, incerti condictione acturum, si ea subrepta sit.

XIII. PAVLVVS lib. XX. ad edictum.

**E**X argento subrepto pocula facta condici posse, Fulcinius ait. ergo in conditione poculorum etiam cælaturæ æstimatio fit. quæ in pensâ furis facta est: quemadmodum si infans subreptus adoleuerit, æstimatio fit adolescentis: quamuis cura & sumptibus eius furis creuerit.

XIIII. VLP IANVS lib. XXII. ad edictum.

**S**I seruus furtiuus sub conditione legatus fuerit: pendente ea, hæres conditionem habebit. & si lite contestata conditio extiterit: absolutio sequi debet perinde, ac si idem seruus sub conditione liber esse iussus fuisset. & lite contestata conditio extitisset. nam nec petitoris iam interest hominem recipere. & hæc, si res sine dolo malo furis eius esse desit. Quod si pendente conditione iudicetur: iudex æstimare debet, quanti emptorem inuenerit. Cauere autem ex hac actione petitor ei, cum quo agitur, non debet. Boue subrepto & occiso, conditio & bouis, & cornu, & carnis domino competit: scilicet si & corium, & caro contestata fuerint. cornua quoque condicentur. Sed si dominus conditione bouis precium consecutus fuerit, & postea aliquid eorum, de quibus supra dictum est, condicet: omnimodo exceptione submouebitur.

Contra

Contra si corium condixerit, & precium eius consecutus, bouem condicet: offerente fure precium bouis, detracto precio corij, doli mali exceptione submouebitur. Idem iuris est uuis subreptis. nam & mustum & uinacia condici iure possunt.

XV. CELSVS lib. XII. digestorum.

**Q**uod ab alio seruus subripuit, eius nomine liber factus furti tenetur: condici autem ei non potest, nisi liber contrectauerit.

XVI. POMPONIVS lib. XX. ad Q. Mutium.

**Q**ui furtum committit, uel re commodata, uel deposita utendo: conditione quoque ex furtiua causa obstringitur. quæ differt ab actione commodati in hoc: quod etiam si sine dolo malo & culpa eius interierit res, conditione tamen tenetur: cum in commodati actione non facile ultra culpam, & in depositi ultra dolum malum teneatur is, cum quo agetur.

XVII. PAPINIANSVS lib. XIII. questionum.

**P**arui refert ad tollendam conditionem, offeratur seruus furtiuus, an in aliud nomen, aliumque statum obligationis transferatur. Nec me mouet, præfens homo fuerit, necne: cum mora, quæ ueniebat ex furto, ueluti quadam delegatione finiatur.

\* alias obligatio.

XVIII. SCAEVOLA lib. III. questionum.

**Q**uoniam furtum fit, cum quis indebitos numos sciens acceperit: uidentum est, si procurator suos numos soluat, an ipsi furtum fiat. & Pomponius libro septimo epistolarum, ipsum condicere ait ex causa furtiua. sed & me condicere, si ratum habeam, quod indebitum datum sit. sed altera conditione alteram tolli.

XIX. PAVLVS lib. III. ad Neratium.

**I**ulianus ex persona filiae, quæ res amouit, dandam in patrem conditionem in peculium, respondit.

XX. TRIPHONINVS lib. V. disputationum.

**L**icet fur paratus fuerit excipere conditionem, & per nie steterit, dum in rebus humanis res fuit, condicere eam, postea autem perempta est: tamen durare conditionem ueteres uoluerunt: quia uidetur, qui primo inuito domino rem contrectasset, semper in restituenda ea, quam nec debuit auferre, moram facere.

## DE CONDICTIONE EX LEGE. Tit. II.

I. PAVLVS lib. II. ad Plautium.



**S**i obligatio nona lege introducta sit, nec cautum sit, eadem lege, quo genere actionis experiamur: ex lege agendum est.

De

\* aliâs  
Triticiana. DE CONDICTIONE \* TRITICIARIA. Tit. III.

VLPIANVS lib. VIII. ad edictum.



Vi certam pecuniam numeratam petit, ille actione utitur, si certum petatur. qui autem alias res: per triticianam conditionem petet. & generaliter dicendum est: oēs res per hanc conditionem peti, quæ sunt, præter pecuniam numeratam: siue pondere, siue mensura consent, siue mobiles sint, siue soli. quare fundū quoq; per hanc actionē petimus, & si uestigialis sit: siue etiam ius stipulatus quis sit, ueluti usumfructum, nel seruitutem utrorumq; prædiorum. Rem autem suam per hanc actionem nemo petet, nisi ex causis, quibus potest: ueluti ex causa furtiua, uel mobili re ui abrepta.

II. IDEM lib. IX. ad Sabinum.

Sed & ei, qui ui aliquem de fundo deiecit, posse fundum condici, Sabinus scribit. & ita etiam Celsus. sed ita, si dominus sit, qui deiecit condicat. Cæterum si non sit: possessionem eum condicere, Celsus ait.

III. IDEM lib. XI. ad edictum.

IN hac actione si quærat: res, quæ petita est, cuius temporis æstimationem recipiat: uerius est, quod Seruius ait, condemnationis tempus spectandum. si uero defierit esse in rebus humanis: mortis tempus, sed ἐν πλάτει secundum Celsum erit spectandum. non enim debet nouissimum uitæ tempus æstimari: ne ad exiguum precium æstimatione redigatur, in seruo forte mortifere uulnerato. in utroq; autem, si post mortem deterior res facta sit, Marcellus scribit libro uicesimo, habendam æstimationem, quanti deterior res facta sit. & ideo si quis post mortem seruum eluscatum dederit, nec liberari eum. quare ad tempus mortis in his erit reducenda æstimatione.

IIII. CAIUS lib. VIII. ad edictum provinciale.

SI merx aliqua, quæ certo die dari debebat, petita sit: (ueluti uinum, Soleum, frumentum) tanti litem æstimandam, Cassius ait, quanti fuisset eo die, quo dari debuit. si de die nihil conuenit: quanti tunc, cū iudicium acciperetur. Idemq; iuris in loco esse: ut primū æstimatione sumatur eius loci, quo debuit dari. si de loco nihil conuenit: is locus spectatur, quo peteretur. quod & de cæteris rebus iuris est.

DE EO QVOD CERTO LOCO DARI oportet. Tit. IIII.

Caius

CAIVS lib. VIII. ad edictum provinciale.



Alio loco, quàm in quem sibi dari quisq; stipulatus esset, nec uidebatur agendi facultatē competere: sed quia ini-  
quum erat, si promissor ad eum locum, in quem datu-  
rum se promississet, nunquam accederet (quod uel data  
opera faceret, uel quia alijs locis necessariò dstringere-  
tur) non posse stipulatorem ad suum peruenire: ideo uisum est, utilem  
actionem in eam rem comparare.

II. VLP IANVS lib. XXV. ad edictum.

Arbitraria actio utriusq; utilitatem continet, tam actoris, quàm  
rei. quod si rei interest: minoris sit pecuniæ condemnatio, quàm  
intentatum est. at si actoris: maioris. Hæc autem actio ex illa sti-  
pulatione uenit, ubi stipulatus sum à te, Ephesi decem dari. Si quis  
Ephesi decem, aut Capuæ hominem dari stipulatus, experiatur: non de-  
bet detractio altero loco expiri, ne auferat loci utilitatē reo. Scauola  
libro decimoquinto quæstionum ait, non utiq; ea, quæ tacite insunt  
stipulationibus, semper in rei esse potestate: sed quid debeat esse in  
eius arbitrio, an debeat non esse, & ideo nec locū esse. Qui Strichum  
aut Pamphilum promittit: eligere posse, quod soluat, quàm diu ambo  
uiuunt. cæterum ubi alter decessit: extingui eius electionem, ne sit in  
arbitrio eius, an debeat: dum non uult uiuum præstare, quem solum de-  
bet. Quare & in proposito eum, qui promissit Ephesi aut Capuæ, si fue-  
rit in eius arbitrio, ubi ab eo petatur, conueniri non potuisse. semper  
enim alium locum electurum. sic euenire, ut sit in ipsius arbitrio, an de-  
beat. quare putat, posse ab eo peti altero loco & sine loci adiectione. da-  
mus igitur actori electionem petitionis. Et generaliter definit Scauo-  
la petitorē electionem habere, ubi petat: reū, ubi soluat: sed ante petiti-  
onem. Proinde mixta (inquit) rerum alternatio locorum alternatio-  
ni, ex necessitate facit actoris electionem & in re propter locum. ali-  
oquin tollis ei actionem, dum uis reseruare reo optionem. Si quis  
ita stipuletur, Ephesi & Capuæ: hoc agit, ut Ephesi partem, & Capuæ  
partem petat. Si quis insulam fieri stipuletur, & locum non adijci-  
at: non ualet stipulatio. Qui ita stipulatur, Ephesi decem dari: si an-  
te diem, quàm Ephesum peruenire possit, agat: perperam ante diem  
agit. quia & Iulianus putat, diē tacite huic stipulationi inesse. quare ue-  
rum puto, quod Iulianus ait: eum, qui Romæ stipulatur, hodie Car-  
thagini dari: non utiliter stipulari. Idem Iulianus tractat: an is, qui  
Ephesi sibi aut Titio dari stipulatus est, si alibi Titio soluatur, nihilomi-  
nus possit intendere, sibi dari oportere. & scribit, liberationem non con-  
tigisse: atq; ideo peti posse, quod interest. Marcellus aut & aliàs tractat,  
P & apud

& apud Iulianū notat posse dici, & si mihi alibi soluat, liberationem contigisse, quamuis inuitus accipere non cogar. planē si non contingat liberatio: dicendum ait, superesse petitionem integræ summæ: quemadmodum si quis insulam alibi fecisset, quam ubi promiserat, in nihilum liberareretur. sed mihi uidetur summæ solutio distare à fabrica insulæ: & ideo quod interest solum petendum. Nunc de officio iudicis huius actionis loquendum est: utrum quantitati cōtractus debeat seruire, an uel excedere, uel minuere quantitatem debeat: ut si interfuisset rei, Ephesi potius soluere, quam eo loco, quo cōueniebatur, ratio eius habeatur. Iulianus Labeonis opinionem secutus, etiam actoris habuit rationem: cuius interdum potuit interesse, Ephesi recipere. itaque utilitas quoque actoris ueniet. quid enim si traiecticiam pecuniam dederat, Ephesi recepturus, ubi sub pœna debebat pecuniam, uel sub pignoribus: & distracta pignora sunt, uel pœna cōmissa mora tua? uel aliquid fisco debebatur, & res stipulatoris uilissimo distracta est? In hanc arbitrariam quod interfuit ueniet, & quidem ultra legitimum modum usurarum. quid si merces solebat comparare, an & lucri ratio habeatur, nō solius damni: puto & lucri habendam rationem.

III. CAIVS lib. X. ad edictum provinciale.

**I**deo in arbitrium iudicis refertur hæc actio, quia scimus, quam uaria sint precia rerū per singulas ciuitates regionesque: maxime uini, olei, frumenti. pecuniarū quoque licet uideatur una & eadem potestas ubique esse: tamen alijs locis facilius & leuibus usuris inueniuntur, alijs difficultius & grauibus usuris.

III. VLP IANVS lib. XXV. ad edictum.

**Q**uod si Ephesi petes: ipsa sola summa petetur, nec amplius quid: nisi si quid stipulatus est, uel si tēporis utilitas interuenit. Interdū iudex, qui ex hac actione cognoscet (cū sit arbitraria) absoluere reū debet: cautione ab eo exacta, de pecunia ibi soluenda, ubi promissa est. quid enim si ibi uel oblata pecunia actori dicatur, uel deposita, uel ex facili soluenda: nonne debet interdum absoluere? in summa requiritur: nonne ante oculos habere debet iudex, qui huic actioni \* additus est.

\* alias. ad dictus. abs. in hæc actionem adit.

V. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

**S**i hæres à testatore iussus sit certo loco quid dare, arbitraria actio cōpetit.

VI. POMPONIVS lib. III. ad Sabinum.

**E**t si mutua pecunia data fuerit, ut certo loco reddatur.

VII. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

**I**n bonæ fidei iudicijs, etiam si in contrahendo conuenit, ut certo loco quid præstetur: ex empto, uel uendito, uel depositi actio cōpetit, non arbitraria. si tamen certo loco condicturum se quis stipulatus sit: hæc actione utendū erit.

Afri

VIII. AFRICANVS lib. III. *quæstionum.*

**C**entum Capuæ dari stipularis, fideiussorem accepisti. ea pecunia ab eo similiter, ut ab ipso promissore, peti debet: id est, ut si alibi, quàm Capuæ petantur, arbitraria agi debeat: licetque tanti æstimerur, quanti eius uel actoris interfuit eam summam Capuæ potius, quàm alibi solui. nec oportebit (quod forte per reum steterit, quo minus tota centum Capuæ soluerentur) obligationem fideiussoris augeri. neque enim hæc caussa recte comparabitur obligationi usurarum. ibi enim duæ stipulationes sunt, hic tantum una pecuniæ creditæ: circa cuius executionem æstimationis ratio arbitrio iudicis committitur. eiusque differentia manifestissimum argumentum esse puto: quod si post moram factam pars pecuniæ soluta sit, & reliquum petatur: officium iudicis tale esse debeat, ut æstimet, quanti actoris interfuit, eam duxat summam, quæ peteretur, Capuæ solutam esse.

IX. VLP IANVS lib. I. *ad Sabinum.*

**I**s qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quàm in quo promissus sit, soluere inuito stipulatore potest.

X. PAVLVS lib. V. *ad Sabinum.*

**S**i post moram factam, quo minus Capuæ solueretur, cum arbitraria uellet agere, fideiussor acceptus sit eius actionis nomine: uideamus, ne ea pecunia, quæ ex sententia iudicis accedere potest, non debeat, nec sit in obligatione: adeo, ut nunc quoque sorte soluta, uelut si Capuæ petatur, arbitrium iudicis cesset. nisi quis dicat, si iudex centum & uingenti condemnare debuerit: centum solutis ex uniuersitate, tam ex sorte, quàm ex poena solutum uideri: ut supersit petitio eius, quod excedit sortem, & accedat poena pro eadem quantitate. quod non puto admittendum: tanto magis, quod creditor accipiendo pecuniam, etiam remisisse poenam uideatur.

## DE CONSTITUTA PECVNIA. Tit. V.

VLP IANVS lib. LV. *ad edictum.*

**H**oc edicto prætor fauet naturali æquitati, qui constituta ex consensu facta custodit, quoniam graue est fidem fallere. Ait prætor. **QVI PECVNIAM DEBITAM CONSTITUIT. QVI** sic accipiendum est, **QVAE VE-** nam & mulieres de constituta tenentur, si non intercesserint. De pupillo & si nihil sit expressum edicto: attamen sine tutoris auctoritate constituendo non obligatur. Sed si filius familias constituerit, an teneatur, quaeritur. sed puto uerum, & ipsum constituentem  
P ij teneri

teneri, & patrem de peculio. Eum, qui inutiliter stipulatus est, cum stipulari uoluerit, non constitui sibi: dicendum est, de constituta expectari non posse: quoniam non animo constituentis, sed promittentis factum sit. An possit aliud constitui, quam quod debetur, quaesitum est: sed cum iam placet, rem pro re solui posse: nihil prohibet, & aliud pro debito constitui. denique si quis centum debens, frumentum eiusdem precij constituat: puto ualere constitutum. Debitum autem ex quacumque causa potest constitui: id est, ex quocumque contractu, siue certi, siue incerti: & si ex causa emptionis quis precium debeat, uel ex causa dotis, uel ex causa tutelae, uel ex quocumque alio contractu. Debitum autem uel natura sufficit: sed & is, qui honoraria actione, non iure civili obligatus est, constituendo tenetur. uidetur enim debitum, & quod iure honorario debetur. ideo & pater & dominus de peculio obstricti, si constituerint, tenebuntur usque ad eam quantitatem, quae tunc fuit in peculio, cum constituebatur. caeterum si plus suo nomine constituent: non tenentur in id, quod plus est.

## II. IULIANVS lib. II. digestorum.

**Q**uod si filij nomine constituerit se decem soluturum: quamuis in peculio quinque fuerint, de constituta in decem tenebitur.

## III. VLPPIANVS lib. LV. ad edictum.

**Q**uod si maritus plus constituit ex dote, quam facere poterat: quia debitum constituit, in solidum quidem tenetur, sed mulieri in quantum facere potest condemnatur. Si quis autem constituerit, quod iure civili debebat, iure praetorio non debebat (\*id est per exceptionem) an constituendo teneatur, quaeritur: & est uerum (ut Pomponius scribit) eum non teneri: quia debita iuribus non est pecunia, quae constituta est. Si is, qui iure civili & praetorio debebat, in diem sit obligatus: an constituendo teneatur: & Labeo ait teneri quam sententiam & Pedius probat. & adhaec Labeo: uel propter has potissimum pecunias, quae nondum peti possunt, constituta inducta, quam sententiam non inuitis probam. habet enim utilitatem: ut ex die obligatus, constituendo se eadem die soluturum, teneatur.

## III. PAULVS lib. V. ad edictum.

**S**ed & si ceteriore die constituat se soluturum, similiter tenetur.

## V. VLPPIANVS lib. LV. ad edictum.

**E**um, qui Ephesi promisit se soluturum: si constituat alio loco se soluturum, teneri constat. Iulianus legatum Romae constituentem, quod in prouincia acceperat, putat conueniri debere. quod & uerum est. sed si cum non Romae esset, sed in prouincia, adhuc constituit se Romae soluturum: denegatur in eum actio de constituta. Quod exigimus, ut

ut sit debitum, quod constituitur: in rem exactum est, nō utiq; ut is, cui constituitur, creditor sit. nam & quod ego debeo, tu constituendo, teneberis: & quod tibi debetur, si mihi cōstituatur, debetur. Iulianus q̄q; libro undecimo scribit. Titius epistolā ad me talem emisit. Scripsi secundum mandatum Seij, si quid tibi debitum adprobatum fuerit, me tibi cauturum, & soluturum sine controuersia. tenetur Titius de constituta pecunia. Sed & si quis constituerit, alium pro se soluturum, non se pro alio: non tenetur. & ita Pomponius libro octauo scribit. Item si mihi constituas te soluturū: teneberis. quod si mihi constitueris, Sempronio te soluturum: non teneberis. Iulianus libro undecimo digestorum scribit, procuratori constitui posse. quod Pomponius ita interpretatur: ut ipsi procuratori constituas te soluturum, non domino.

Item tutori pupilli constitui potest, & actori municipum, & curatorī furiosi. sed & ipsi constituentes tenebuntur. Si actori municipū, uel tutori pupilli, uel curatorī furiosi, uel adolescentis ita constituatur: municipibus solui, uel pupillo, uel furioso, uel adolescenti: utilitatis gratia puto dandā municipibus, uel pupillo, uel furioso, uel adolescenti utilem actionē. Seruo quoq; constitui posse constat: etsi seruo constituatur, domino solui, uel ipsi seruo: qualē qualem domino seruū obligationē acquirere.

VI. PAVLVVS lib. II. *sententiarum.*

**I**dem est, & si ei, qui bona fide mihi seruit, constitutum fuerit.

VII. VLPPIANVS lib. LV. *ad edictum.*

**S**ed & si filiofamilias constituatur: ualet constitutum. Si mihi aut Titio stipuler: Titio constitui suo nomine non posse, Iulianus ait: quia non habet petitionem, tamen si solui ei possit.

VIII. PAVLVVS lib. XV. *ad edictum.*

**S**i uero mihi aut Titio constitueris te soluturum: mihi cōpetit actio. Quod si postea, quā soli mihi te soluturum cōstituiisti, solueris Titio: nihilominus mihi teneberis.

IX. PAPINIANVS lib. VIII. *questionum.*

**T**itius tamen indebiti conditione tenebitur: ut quod ei perperā solutum est, ei, qui soluit, reddatur.

X. PAVLVVS lib. XV. *ad edictum.*

**I**dē est, & si ex duobus reis stipulandi post alteri constitutū, alteri postea solutū est: quia loco eius, cui iam solutū est, haberi debet is, cui constituitur.

XI. VLPPIANVS lib. IX. *ad edictum.*

**H**actenus igit cōstitutū ualebit: si, quod cōstituitur, debitū sit: etiā si nullus appareat, q̄ interim debeat. ut puta si ante aditā hēreditatē debitoris, uel capto eo ab hostibus, cōstituat quis se soluturū. nā & Pomponius scribit, ualere cōstitutū: quia debita ea pecunia cōstituta est.

P ij Si

Si quis centum aureos debens, ducentos cōstituat: in centum tantū modo tenetur, quia ea pecunia debita est. ergo & is qui sortē & usuras, quæ non debebantur, constituit: tenebitur in sortem duntaxat.

XII. PAVLVVS lib. X. ad edictum.

**S**ed & si decem debeantur, & decem, & Stichū constituat: potest dici, decem tantummodo nomine teneri.

XIII. IDEM lib. XX. ad edictum.

**S**ed si quis uiginti debens, decem constituit se soluturum: tenebitur.

XIIII. VLP IANVS lib. IX. ad edictum.

**Q**ui autem constituit se soluturum, tenetur: siue adiecerit certam quantitatem, siue non. Si quis constituerit se pignus daturum: cum utilitas pignorum irrepserit, debet etiam hoc constitutū admitti.

Sed & si quis certam personam fideiussuram pro se constituerit: nihilominus tenetur, ut Pomponius scribit. Quid tamē si ea persona nolit fideiubere? puto teneri eum, qui constituit: nisi aliud actū est. Quid si ante decesserit? si mora interueniente: æquū est teneri eum, qui constituit, uel in id quod interest, uel ut aliam personam nō minus idoneam fideiubentem præstet. Si nulla mora interueniente: magis puto nō teneri. Constituere autem & præsentem & absentem possumus, sicut pacisci & per nuncium, & per nos metipsos, & quibuscunq; uerbis.

XV. PAVLVVS lib. X. ad edictum.

**E**t licet libera persona sit, per quam tibi constituit: non erit impedimentum, quod per liberam personam adquirimus: quia ministerium tantummodo hoc casu præstare uidetur.

XVI. VLP IANVS lib. XX. ad edictum.

**S**i duo quasi duo rei constituerimus: uel cum altero agi poterit in solidū. Sed & certo loco & tempore cōstituere quis potest: nec solū eo loco petere, ubi ei constitutum est, sed exemplo arbitrariæ actionis ubiq; potest. Ait prætor. SI APPAREAT EVM, QUI CONSTITUIT, NEQVE SOLVISSE, NEQVE FECISSE, NEQVE PER ACTOREM STETISSE, QVO MINVS FIERET, QVOD CONSTITVTVM EST. Ergo si non steterit per actorem: tenet actio, etiam si per rerum naturam stetit. sed magis dicendum est, subueniri reo debere. Hæc autē uerba prætoris, NEQVE FECISSE, utrum ad tempus cōstituti pertineant, an uero usq; ad litem contestationem trahamus, dubitari potest. & puto ad tempus constituti.

XVII. PAVLVVS lib. XX. ad edictum.

**S**ed & si alia die offerat, nec actor accipere uoluit, nec ulla iusta causa fuit non accipiendi: æquum est, succurri reo, aut exceptione, aut iusta interpretatione: ut factum actoris usq; ad tempus iudicij ipsi noceat: ut illa

ut illa uerba *NEQVE FECISSE* hoc significant, ut neq; in diem, in quem constituit, fecerit, neq; postea.

XVIII. *VLPIANVS.*

**I**te illa uerba prætoris, *NEQVE PER ACTOREM STETISSE*, eandem recipiunt dubitationem. & Pomponius dubitat: si forte ad diem constituti per actorem non stetit, an ante steterit, uel postea? & puto, & hæc ad diem constituti referenda. proinde si ualitudine impeditus, aut ui, aut tēpestare petitor non uenit: ipsi nocere Pomponius scribit. Quod adijcitur, *EAMQVE PECUNIAM, CVM CONSTITVEBATVR, DEBITAM FUISSE*: interpretationem pleniorē exigit. Nam primū illud efficit, ut si quid tunc debitum fuit, cum constitueretur, nunc non sit: nihilominus teneat constitutum, quia retrorsum se actio refert. proinde & temporali actione obligatum, constituendo Celsus & Iulianus scribūt teneri debere: licet post constitutum dies temporalis actionis exierit. quare etsi post tempus obligationis se soluturum constituerit, adhuc idem Iulianus putat: quoniam eo tempore constituerit, quo erat obligatus, licet in id tempus, quo non tenebitur. E re autem est hic subiungere, utrum pœnam contineat hæc actio, an rei persecutionem? & magis est (ut etiam Marcellus putat) ut rei persecutionē. Vetus fuit dubitatio, an qui hac actione egit, fortis obligationem consumat. & tutius est dicere: solutione potius ex hac actione facta liberationem contingere, nō litis contestatione: quoniam solutio ad utranq; obligationem proficit.

XIX. *PAVLVS lib. VI. ad edictum.*

**I**d quod sub conditione debetur (siue pure, siue certo die constituat) eadem conditione suspenditur: ut existente conditione, teneatur: deficiente, utraq; actio depereat. sed is, qui pure debet, si sub conditione constituat: inquit Pomponius, in hunc utilem actionē esse. Si pater uel dominus constituerit se soluturum, quod fuit in peculio: nō minuetur peculium, ex quo ex ea causa obstrictus esse cœperit. & licet interierit peculium, non tamen liberatur.

XX. *IDEM lib. III. ad Plautium.*

**N**ec enim quod crescit aut decrescit peculium, pertinet ad constitutoriam actionē.

XXI. *IDEM lib. XX. ad edictum.*

**P**romissor Stichi post moram ab eo factam, mortuo Sticho, si constituerit se precium eius soluturum: tenetur. Si sine die constituas: potest quidem dici te non teneri, licet uerba edicti late pateant. alioquin & confestim agi tecum poterit, si statim, ut constituisti, non soluas. sed modicum tempus statuendum est (non minus decem dierum) ut exactio celebretur. Constituto satis non facit, qui soluturum se constituit

constituit, scilicet si offerat satisfactionem. Si quis autem constituat se satisfacturum, & fideiussorem, uel pignora det: non tenetur: quia nihil interest, quemadmodum satisfaciat.

XXII. IDEM lib. VII. breuis edicti.

SI post constitutam tibi pecuniam, hæreditatem ex senatusconsulto Trebelliano restitueris: quoniam sortis petitionem transfulisti ad alium, deneganda est tibi pecuniæ constitutæ actio. idem est in hæreditatis possessore post euictam hæreditatem. sed magis est, ut fideicommissario, uel ei, qui euicit, decernenda sit actio.

XXIII. IULIANVS lib. XI. digestorum.

PROMissor hominis homine mortuo, cum per eum stare, quo minus traderetur: & si hominem daturum se constituerit, de constituta pecunia tenebitur, ut precium eius soluat.

XXIII. MARCELLVS lib. singulari responsorum.

TITius Scio epistolam emisit in hæc uerba. Remanserunt apud me quinquaginta ex credito tuo, ex contractu pupillorum meorum, quos tibi reddere debebo idibus Maij probos. quod si tibi ad diem supra scriptum nõ dederõ: tunc dare debebo usuras tot. Quæro, an Lucius Titius in locum pupillorum ad cautionem reus successerit? Marcellus respondit. si intercesserit stipulatio, successisse. Item quæro, an si nõ successisset, de constituta teneatur? Marcellus respondit, in sortem teneri. est enim humanior & utilior ista interpretatio.

XXV. PAPINIANVS lib. VIII. questionum.

ILLud aut illud debuit, & cõstituit alterum. an uel alterum, quod non constituit, soluere possit: quæsitum est? dixi non esse audiendum, si uelit hodie fidem constitutæ rei frangere. Si iureiurando delato, deberi tibi iuraueris: cum habeas eo nomine actionem, recte de constituta agis. sed & si non ultro detulero iusiurandum, sed referendi necessitate compulsus, id fecero: quia nemo dubitat modestius facere, qui referat, quàm qui ipse iuret: nulla distinctio adhibetur, tamen si ob tuam facilitatem ac meam uerecundiam subsecuta sit referendi necessitas.

XXVI. SCAEVOLA lib. I. responsorum.

QVIDam ad creditorem literas eiusmodi fecit. Decem, quæ Lucius Titius ex arca tua mutua acceperat (salua ratione usurarum) domine penes me habes. Respondi secundum ea, quæ proponerentur, actione de constituta pecunia eum teneri.

XXVII. VLPIANVS lib. III. ad edictum.

VTrum præsentem debitorem, an absentem cõstituat quis, parui refert. hoc amplius etiam inuito eo constituere quem posse, Pomponius libro tricésimo quarto scribit. unde falsam putat opinionem Labeonis ex

nis existimantis: si postea, quàm quis cōstituit pro alio, dominus ei denunciet, ne soluat: in factum exceptionem dandam. nec immerito id Pomponius. nam cum semel sit obligatus, qui constituit: factum debitoris non debet eum excusare.

XXVIII. CAIVS lib. V. ad edictum provinciale.

**V**bi quis pro alio constituit se soluturum: adhuc is, pro quo constituit, obligatus manet.

XXIX. PAVLVS lib. XX. ad edictum.

**Q**ui iniuriarum, uel furti, uel ui bonorum raptorum actione tenetur: & constituendo tenetur.

XXX. IDEM lib. II. sententiarum.

**S**i quis duobus pecuniam constituerit tibi aut Titio: & si stricto iure propria actione constituta pecuniæ manet obligatus, si Titio soluerit: tamen per exceptionem adiuuatur.

ais\* pro-  
priatio-  
ne.

XXXI. SCAEVOLA lib. V. digestorum.

**L**ucius Titius Seiorum debitor decessit. hi persuaserunt pupillo Mauiuo, quod hæreditas ad eum pertineret: & fecerunt, ut epistolam in eos exponeret, debitorem se esse, quasi hæredem patru sui confitentem. qui & addidit epistolæ suæ, quod in rationes suas eadem pecunia peruenisset. quæsitum est, cum ad Publium Mauium ex hæreditate Lucij Titij nihil peruenerit: an ex scriptura proposita de constituta pecunia conueniri possit: & an doli exceptione uti possit: respondi. nec ciuilem eo nomine actionem cõpetere: sed nec de cõstituta eum teneri, secundum ea, quæ proponerentur. idem quæsiit, usurarum nomine, quod ex causa supra scripta datum sit, an repeti possit: respondi secundum ea, quæ proponerentur, posse.

COMMODATI, VEL CONTRA. Tit. VI.

VLPPIANVS lib. XXVIII. ad edictum.



**A**It prætor. QVOD QVIS COMMODASSE DICETVR, DE EO IVDICIUM DABO. huius edicti interpretatio non est difficilis. unum solummodo notandum: quod qui edictum cõcepit, commodati fecit mentionem, cū Pacunnius utendi fecerit mentionem. Inter commodatum autem & utendum datum, Labeo quidem ait, tantum interesse, quatum inter genus & speciem. commodari enim rem mobilem, non etiam soli: utendam dari etiam soli. sed (ut apparet) proprie commodata res dicitur, & quæ soli est, idque Cassius existimat. Viuianus etiam habitationem cõmodari posse ait. Impuberes com-

Q modati

modati actione non tenentur, quoniam nec consistit commodatum in pupilli personam sine tutoris autoritate: usq; adeo, ut etiam si pupillus factus dolum aut culpam admiserit, hac actione non teneatur, quia ab initio non constitit.

II. PAVLVS lib. VII. ad edictum.

**N**ec in furiosum commodati actio danda est: sed ad exhibendum aduersus eos dabitur, ut res exhibita uindictetur.

III. VLP IANVS lib. XXVIII. ad edictum.

**S**ed mihi uidetur, si locupletior pupillus factus sit, dandam utilem commodati actionem secundum diui Pij rescriptum. Si reddita quidem sit res commodata, sed deterior reddita: non uidetur reddita, nisi quod interest, praestetur. proprie enim dicitur res non reddita, quae deterior redditur. In hac actione, sicut in ceteris bonae fidei iudicijs, similiter in litem iurabitur, ut rei iudicandae tempus, quanti res sit, obseruetur: quamuis in stricti iuris, litis contestatae tempus spectetur. Haeres eius, qui commodatum accepit, pro ea parte, qua haeres est, conuenitur: nisi forte habeat facultatem totius rei restituendae, nec faciat. tunc enim condemnatur in solidum, quasi hoc boni iudicis arbitrio conueniat. Si filiofamilias seruouue commodatum sit, duntaxat de peculio agendum erit: cum ipso autem filiofamilias etiam directio quis poterit. Sed & si ancillae uel filiaefamilias commodauerit, duntaxat de peculio agendum. Sed non tantum ex causa doli earum personarum pater uel dominus condemnatur: sed & ipsius quoque domini uel patris fraus duntaxat uenit, ut Iulianus libro undecimo circa pignoratitiam actionem distinguit. Non potest commodari id, quod usu consumitur: nisi forte ad pompam, uel ostentationem quis accipiat.

III. CAIUS lib. I. de uerborum obligationibus.

*\* alias. Sa* **S**\* Aepe enim ad hoc commodantur pecuniae, ut *pe etiam.* *et rursum.* *iudicis* *grat. &c.* *als etiam.* *grat. &c.* *terc. &c.* rationis loco intercedant.

V. VLP IANVS lib. XXVIII. ad edictum.

**S**i ut certo loco uel tempore reddatur commodatum, conuenit: officio iudicis inest, ut rationem loci uel temporis habeat. Si quis hac actione egerit, & oblatam litis aestimationem susceperit: rem offe- dictis grauentis facit. Nunc uidendum est, quid ueniat in commodati actione: utrum dolum, an & culpa, an uero & omne periculum? & quidem in in contractibus interdum solum dolum, interdum & culpam praestamus. dolum in deposito. nam quia nulla utilitas eius uersatur, apud quem deponitur, merito dolum solum praestatur: nisi forte & merces accessit. tunc enim ( ut est constitutum ) & culpa exhibetur. aut si hoc ab initio conuenit, ut & culpam & periculum praestet is, penes quem deponitur. Sed

Sed ubi utriusq; utilitas uertit: ut in empto, in locato, in dote, in pignore, in societate: & dolus & culpa præstatur. Commodatum aut plerumq; solam utilitatem continet eius, cui commodatur. & ideo uerior est Quinti sententia existimantis, & culpam præstandam & diligentiam: & si forte res æstimata data sit, omne periculū præstandum ab eo, qui æstimationem se præstaturū recepit. Quod uero senectute contingit, uel morbo, uel uilatronum ereptum est, aut si quid simile accidit: dicendum est, nihil eorum esse imputandum ei, qui commodatum accepit: nisi aliqua culpa interueniat. proinde & si incendio, uel ruina aliquid contingit, uel aliquod damnum fatale: non tenebitur, nisi forte, cum possit res commodatas saluas facere, suas prætulit. Custodiam planè commodatæ rei etiam diligentem debet præstare. Sed an etiam hominis commodati custodia præstetur, apud ueteres dubitatum est. nam interdum & hominis custodia præstanda est: si uinctus commodatus est, uel etiam eius ætatis, ut custodia indigeret. certe si hoc actum est, ut & custodiam is, qui rogauit, præstet: dicendū erit præstare. Sed interdum & mortis damnum ad eum, qui commodatum rogauit, pertinet. nam si tibi equum commodauero, ut ad uillam adduceres, tu ad bellum duxeris: commodati teneberis. idem erit & in homine. Planè si sic commodauit, ut ad bellum duceres: meum erit periculum. nam & si seruū tibi tectorem commodauero, & de machina ceciderit: periculum meum esse, Viuianus ait. Sed ego ita hoc uerum puto, si tibi commodauit, ut in machina operaretur. cæterum si ut de plano opus faceret, tu eum imposuisti machinæ: aut si machinæ culpa factum est, minus diligenter non ab ipso ligatæ, uel funium perticarumq; uetustate: dico periculum, quod culpa contingit rogantis commodatum, ipsum præstare debere. nam & Mela scripsit, si seruus lapidario cōmodatus, sub machina perierit: teneri fabrum commodati, qui negligentius machinam colligarit. Quinimò & qui aliter re cōmodata utitur: non solum commodati, uerum furti quoq; tenetur, ut Iulianus libro undecimo digestorū scribit. Idemq; ait: si tibi codicem cōmodauero, & in eo chirographarium debitorem tuum cauere feceris, egoq; interleuero: si quidem ad hoc tibi commodauero, ut caueretur tibi in eo: teneri me tibi cōtrario iudicio. si minus, neq; me certiorasti, chirographum ibi esse scriptum: etiam teneris mihi (inquit) commodati. imò (ait) etiam furti, quoniā aliter re cōmodata usus es: quemadmodū qui equo (inquit) uel uestimento aliter, quàm commodatum est, utitur: furti tenetur.

Usq; adeo aut in re commodata diligentia præstanda est, ut etiam in ea, quæ sequitur rem commodatam, præstari debeat. puta equam tibi commodauit, quam pullus comitabatur. etiam pulli custodiam præ-

stari debere, ueteres responderunt. Interdum planè dolum solum  
 in re commodata, qui rogauit, præstabit: utputa si ita conuenit, uel si  
 sua duntaxat causa commodauit (sponsæ forte suæ, uel uxori, quo ho-  
 nestius culta ad se deduceretur) uel si quis ludos edens prætor scenicis  
 commodauit, uel prætori quis \*ultra commodauit. Nunc uidendū,  
 in quibus speciebus commodati actio locum habeat. & est apud uete-  
 res de huiusmodi speciebus dubitatum. Rem tibi dedi, ut creditori tuo  
 pignori dares. dedisti. non repignoras, ut mihi reddas. Labeo ait, com-  
 modati actionem locum habere. Quod ego puto uerum esse, nisi mer-  
 ces interuenit. tunc enim uel in factum, uel ex locato & conducto agen-  
 dum erit. Planè si ego pro te rem pignori dederò tua uoluntate: man-  
 dati erit actio. Idem Labeo recte dicit: si à me culpa absit repignorandi,  
 creditor autem nolit reddere pignus: competere tibi ad hoc duntaxat  
 commodati, ut tibi actionem aduersus eum præstem. Abesse autem  
 culpa à me uidetur: siue iam solui pecuniam, siue soluere sum paratus.  
 Sumptum planè litis, cæterâq; æquum est eum agnoscere, qui com-  
 modatum accepit. Si me rogaueris, ut seruum tibi cum lance com-  
 modarem, & seruus lancem perdiderit: periculum ad te respicere. nam  
 & lancem uideri commodatam. quare eam quoq; præstandam. planè  
 si seruus cum ea fugerit: eum, qui commodatum accepit, non teneri:  
 nisi fugæ præstitit culpam. Si de me petisses, ut triclinium tibi sterne-  
 rem, & argentum ad ministerium præberem, & fecero: deinde petisses,  
 ut idem sequenti die facerem, & cum commode argentum domum re-  
 ferre non possem, ibi hoc reliquero, & perierit: qua actione agi posset,  
 & cuius esset periculum? Labeo de periculo scripsit: multum interesse,  
 custodem posui, an non. si posui: ad me periculum spectare. si minus:  
 ad eum, penes quem relictum est. ego puto commodati quidem agen-  
 dum: uerū custodiâ eum præstare debere, penes quem res relictæ sunt:  
 nisi aliud nominatim conuenit. Si duobus uehiculum commoda-  
 tum sit, uel locatum simul: Celsus filius scribit libro sexto digestorum,  
 quæri posse, utrum unusquisq; eorum in solidum, an pro parte tenea-  
 tur: & ait. duorum quidem in solidum dominium uel possessione esse  
 non posse: nec quenquam partis corporis dominum esse, sed totius cor-  
 poris pro indiuiso pro parte dominium habere. usum autem balinei  
 quidem, uel porticus, uel campi unius cuiusq; in solidum esse (neq; em  
 minus me uti, quod & alius uteretur) uerum in uehiculo commutato  
 uel locato pro parte quidem effectum me usum habere, quia non omnia  
 loca uehicularum teneam: sed esse uerius ait, & dolum, & culpam, & diligen-  
 tiam, & custodiam in totum me præstare debere. quare duo quodam  
 modo rei habebuntur. Et si alter conuentus præstitit, liberabit alte-  
 rum

rum: & ambobus competet furti actio.

**E**T alterutro agente, alterius actio contra furem tolletur.

VI. POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.

VII. VLP IANVS lib. XXVIII. ad edictum.

**V**Nde quæritur, si alter furti egerit, an ipse solus debeat commo-  
dati conveniri: & ait Celsus: si alter conveniat, qui furti non egerit,  
& paratus sit periculo suo \*conveniri alterum, qui furti agendo lucrum  
sensit ex re commodata: debere eum audiri, & absolui. Sed & si legis  
Aquilæ aduersus socium eius habuit commodator actionem: uiden-  
dum erit, ne cedere debeat: si forte damnum dederit alter, quod hic, qui  
conuenitur, commodati actione sarcire compellitur. nam etsi aduersus  
eum habuit Aquilæ actionem commodator: æquissimum est, ut com-  
modati agendo, remittat actionem. nisi forte quis dixerit: agendo eum  
ex lege Aquilia hoc minus consecuturum, quam ex causa commoda-  
ti consecutus est. quod uidetur habere rationem.

als\* con-  
uenire.

**R**Ei commodatæ & proprietatem & possessionem retinemus:

VIII. POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.

**N**emo enim commodando rem facit eius, cui commodat.

IX. VLP IANVS lib. II. ad edictum.

X. IDEM lib. XXIX. ad Sabinum.

**E**VM, qui rem comodatam accepit, si in eam rem usus est, in quam  
accepit: nihil præstare, si eam in nulla parte culpa sua deteriorem  
fecit, uerum est. nam si culpa fecit deteriorem: tenebitur. Si rem in-  
spectori dedi: an similis sit ei, cui commodata res est, quæritur: & si qui-  
dem mea causa dedi, dum uolo precium exquirere: dolum mihi præ-  
stabit tantum. si sua: etiam custodiam. & ideo furti habebit actionem.  
Sed & si, dum refertur, perijt: siquidem ego mandaueram, per quem re-  
mitteret: periculum meum erit. Si uero ipse, cui uoluit, comisit: æque  
mihi culpam præstabit, si sua causa accepit.

**Q**ui nō tam idoneum hominē elegit, ut recte id perferri posset.

XI. PAULVS lib. VI. ad Sabinum.

XII. VLP IANVS lib. XXIX. ad Sabinum.

**S**I mea causa: dolum tantum. Comodatam rem missus qui repe-  
steret, cum recepisset, aufugit. si dominus ei dari iusserat: domino pe-  
nit. Si commoendi causa miserat, ut referretur res commodata: ei,  
cui commodata est.

XIII. POMPONIVS lib. XI. ad Sabinum.

**S**I is, qui comodatū accepit, non apparētis rei nomine comodati con-  
dēnetur: cauendū est ei, ut repertā dominus ei præstet. Si quæ quæ  
stū fecerit is, qui experiendū quid accepit: ueluti si iurēta fuerint, ea qz

Q iij loca

locata sint: id ipsum præstabit ei, qui experitundam dedit. neq; em̄ ante eam rem quæstui cuiq; esse oportet, q̄ periculo eius sit. Si libero homini, qui mihi bona fide seruiebat, quasi seruo rem commodauero: uideamus, an habeam commodati actionem. nam & Celsus filius aiebat: si iussissem, ut aliquid faceret: uel mandati cum eo, uel præscriptis uerbis experiri me posse. idem & in commodato erit dicendū. nec obstat, quod nō hac mente cum eo, qui liber bona fide nobis seruiret, contraheremus, quasi eum obligatum habituri. plerūq; enim accidit, ut extra id, quod agitur, tacita obligatio nascatur: ueluti cum per errorem indubitum soluendi causa datur.

XIIII. VLPPIANVS lib. XLVIII. ad Sabinum.

**S**i seruus meus rem meam tibi, scienti nolle me tibi comodari, commodauerit: & commodati, & furti nascitur actio, & præterea conditio ex causa furtiua,

XV. PAVLVS lib. XXXIX. ad edictum.

**C**ommodare possumus etiam alienam rem, quam possidemus: tametsi scientes alienam possideamus.

XVI. MARCELLVS lib. V. digistorum.

**I**ta ut uel fur, uel prædo, si commodauerit, habeat commodati actionem.

XVII. PAVLVS lib. XXXIX. ad edictum.

**I**n commodato pactio, ne dolus præstetur, rata non est. Contraria commodati actio etiam sine principali moueri potest: sicut & ceteræ, quæ dicuntur contrariæ. Si ex facto hæredis agatur commodati: in solidum condemnatur, licet ex parte hæres est. Sicut autem uoluntatis & officij magis, quam necessitatis est commodare: ita modum commodati finemq; præscribere, eius est, qui beneficium tribuit. cum autem id fecit, id est, postquam commodauit: tunc finem præscribere, & retro agere, atq; intempestiue usum commodatæ rei auferre: nō officium tantum impedit, sed & suscepta inter dandū accipiendumq; obligatio. geritur enim negociū inuicem. & ideo inuicem propositæ sunt actiones: ut adpareat, quod in principio beneficij ac nuda uoluntatis fuerat, conuerti in mutuas præstationes, actionesq; civiles: ut accidit in eo, qui absentis negocia gerere incohauit, neq; impune peritura deserit. suscepisset enim fortassis alius, si is non cõpisset. uoluntatis est enim suscipere mandatum, necessitatis est consummare. Igitur si pugillares mihi commodasti, ut debitor mihi caueret: nō recte facies, importune reperedo. nam si negasses: uel emissem uel testes adhibuissem. idemq; & si ad fulciendam insulam tigna commodasti, deinde subtraxisti, aut etiam sciens uiciofa commodasti. adiuuari quippe nos, non decipi beneficio oportet. ex quibus causis etiam contrarium iudicium utile erit

erit dicendum. Duabus rebus commodatis, recte de altera commodati agi posse, Viuianus scripsit. quod ita uideri uerum, si separatae sint, Pomponius scripsit. nam eum, qui carucham puta, uel \*lepticam \* aliàs comodauit: non recte acturum de singulis partibus. Rem comodatam perdidit, & pro eo precium dedi. deinde res in potestatem tuam uenit. Labeo ait contrario iudicio, aut rem mihi praestare te debere, aut quod à me accepisti, reddere.

## XVIII. CAIVS lib. IX. ad edictum prouinciale.

**I**n rebus commodatis talis diligentia praestanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet: ita ut tamen eos casus non praestet, quibus resisti non possit: ueluti mortis seruorum, quae sine dolo & culpa eius accidunt, latronum hostiumue incurfus, piratarum insidias, naufragium, incendiū, fugas seruorum, qui custodiri non solent. quod autem de latronibus, & piratis, & naufragio diximus: ita scilicet accipiemus, si in hoc comodata sit alicui res, ut eam rem peregre secum ferat. alioquin si cui ideo argentum commodauerim, quod is amicos ad cenam inuitaturum se diceret, & id peregre secum portauerit: sine ulla dubitatione etiam piratarum, & latronum, & naufragij casum praestare debet. haec ita, si duntaxat accipientis gratia comodata sit res. at si utriusque: ueluti si communem amicum ad cenam inuitauerimus, tuque eius rei curam suscepisses, & ego tibi argentum comodaui: scriptum quidem apud quosdam inuenio, quasi dolum tantum praestare debeas. Sed uidendum est, ne & culpa praestanda sit: ut ita culpa fiat aestimatio, sicut in rebus pignori datis, & dotalibus aestimari solet. Siue autem pignus, siue comodata res, siue deposita deterior ab eo, qui acceperit, facta sit: non solum istae sunt actiones, de quibus loquimur, uerum etiam legis Aquiliae. sed si qua earum actum fuerit, aliae tolluntur. Possunt iustae causae interuenire, ex quibus cum eo, qui comodasset, agi deberet: ueluti de impensis in ualetudinem serui factis, quae post fugam requirendi, reducendique eius causa factae essent. nam cibariorum impensae naturali etiam ratione ad eum pertinent, qui utendum accepisset. Sed id, quod de impensis ualetudinis aut fugae diximus: ad maiores impensas pertinere debet. modica enim impendia uerius est, ut sicuti cibariorum, ad eundem pertineant. Item qui sciens uasa uiciofa comodauit: si infusum ibi uinum, uel oleum corruptum, effusumque est: condemnandus eo nomine est. Et si quod contrario iudicio consequi quisque potest, id etiam recto iudicio, quod cum eo agit, potest saluum habere iure pensationis: sed quia fieri potest, sit amplius sit, quod inuicem aliquem consequi oporteat, aut iudex pensationis rationem non habeat, aut ideo de restituenda re cum eo non agatur,

agatur, quia ea res casu intercidit, aut sine iudice restituta est: dicemus necessariam esse contrariam actionem.

XIX. IULIANVS lib. LI. *Digestorum.*

**A**D eos, qui seruandum aliquid conducunt, aut utendum accipiunt: damnum iniuria ab alio datum nõ pertinere, procul dubio est. qua enim cura aut diligentia consequi possumus, ne quis damnum nobis iniuria det?

XX. IDEM lib. III. *ad Vrseium Feroam.*

**A**Rgentum commodatum, si tam idoneo seruo meo tradidissẽm ad te perferendum, ut non debuerit quis existimare futurum, ut à quibusdam malis hominibus deciperetur: tuum, non meũ detrimentum erit, si id mali homines intercepissent.

XXI. AFRICANVS lib. IX. *questionum.*

**R**em mihi commodasti. eandem subripuisti. deinde cum commo-  
dati ageres, nec à te scirem esse subreptam: iudex me condemna-  
uit, & solui. postea comperi à te esse subreptam. quaeritur, quæ mi-  
hi tecum actio sit: respondi, furti quidem non esse, sed commodati con-  
trarium iudicium utile mihi fore. In exercitu contubernalibus uasa  
utenda communi periculo dedi, ac deinde meus seruus subreptis his  
ad hostes fugit, & postea sine uasis receptus est. habiturũ me commo-  
dati actionem cum contubernalibus constat pro cuiusq; parte. sed & il-  
li mecum furti nomine serui agere possunt, quando & noxa caput se-  
quitur. Et si tibi rem periculo tuo utendam commodauero, eaq; à ser-  
uo meo subripiatur: agere mecum furti posses serui nomine.

XXII. PAVLVS lib. XXII. *ad edictum.*

**S**I seruus, quem tibi commodauerim, furtum fecit: utrum sufficiat  
contraria commodati actio, quemadmodum competit, si quid in  
curationem serui impendisti: an furti agendum sit, quaeritur: & furti  
quidem noxalem habere eum, qui commodatum rogauit, proculdu-  
bio est: contraria autem commodati tunc eum teneri, cum sciens ta-  
lem esse seruum, ignorantia commodauit.

XXIII. POMPONIVS lib. XXX. *ad Sabinum.*

**S**I comodauero tibi equum, quõ uteris usq; ad certum locum: si  
nulla tua culpa interueniente, in ipso itinere deterior equus factus  
sit: nõ teneris commodati. nam ego in culpa ero, qui in tam longum  
iter equum commodarim, qui eum laborem sustinere non potuit.

### DE PIGNORATICA ACTIONE, VEL

contra. Tit. VII.

Vlpia

VLP IANVS lib. XXX. ad Sabinum.

**P**ignus contrahitur non solum traditione, sed etiam nuda conuentione, & si traditum non est. si igitur contractum sit pignus nuda conuentione: uideamus, si quis aurum ostenderit, quasi pignori daturus, & æs dederit: an obligauit aurum pignori. & consequens est, ut aurum obligetur, non autem æs: quia in hoc non consenserunt. Si quis tamen cum æs pignori daret, adfirmauit hoc aurum esse, & ita pignori dedit: uindendum erit, an æs pignori obligauit: & nunquid, quia in corpore consensum est, pignori esse uideatur. quod magis est. tenebitur tamen & pignoratitia contraria actione, qui dedit: præter stellationatū, quem fecit.

II. POMPONIVS lib. VI. ad Sabinum.

**S**i rem pignori datam uendidit & tradidit: tuq; ei numos credidisti, quos ille soluit ei creditori, cui pignus dederat: tibiq; cum eo conuenit, ut ea res, quam iam uendiderat, pignori tibi esset: nihil te egisse constat, qui rem alienam pignori acceperis. ea enim ratione emptorem pignus liberatum habere coepisse. neq; ad rem pertinuisse, quod tua pecunia pignus sit liberatum.

III. IDEM lib. XIX. ad edictum.

**S**i quasi recepturus à debitore tuo cominus pecuniam, reddidisti ei pignus: isq; per fenestram demisit, excepturo eo, quem de industria ad id posuerat: Labeo ait, furti te agere cum debitore posse, & ad exhibendum. & si agente pignoratitia contraria, excipiat debitor de pignore sibi reddito: replicabitur de dolo & fraude, per quam nec redditum, sed per fallaciam ablatum id intelligitur.

III. VLP IANVS lib. XLI. ad Sabinum.

**S**i conuenerit de distrahendo pignore (siue ab initio, siue postea) nõ tantum uenditio ualet, uerum incipit emptor dominium rei habere. sed & si non conuenerit de distrahendo pignore: hoc tamen iure utimur, ut liceat distrahere: si modo non conuenit, ne liceat. ubi uero conuenit, ne distraheretur: creditor, si distraxerit, furti obligatur: nisi ei ter fuerit denunciatum, ut soluat, & cessauerit.

V. POMPONIVS lib. XIX. ad Sabinum.

**I**dq; iuris est: siue omnino fuerint pacti, ne ueneat: siue in summa, aut conditione, aut loco contra passionem factum sit.

VI. IDEM lib. XXXV. ad Sabinum.

**Q**uamuis conuenerit, ut fundum pignoratitium uendere tibi liceret: tamen nihil magis cogendus es uendere, licet soluendo non sit is, qui pignus dedit: quia tua causa id caueatur. Sed Atilicinus ex causa cogendum creditorem esse ad uendendum dicit. quid enim si mul-

\* aliàs. lice  
ret, et soluere  
do nõ sit is, q  
pignus dedit:  
nõ tamẽ uen  
dere cogeris  
quia. C. t.

R to mi

to minus sit, quod debeatur: & hodie pluri uenire possit pignus, quam postea: melius autem est dici, eum, qui dedit, pignus posse uendere: & accepta pecunia soluere id, quod debeatur. ita tamē, ut creditor necessitatem habeat, ostendere rem pignoratā, si mobilis sit: prius idonea cautela à debitore pro indemnitate ei præstanda. inuitū enim creditorem cogi uedere satis inhumanū est. Si creditor pluri fundum pignoratū uēdiderit, & id fœneret: usuras eius pecuniæ præstare debet ei, qui dedit pignus. Sed & si ipse usus sit ea pecuniā: usuras præstare oportet, quod si eam depositam habuerit: usuras non debet.

## VII. PAVLVS lib. II. sententiarum.

SI autem tardius superfluum restituat creditor, quod apud eum depositum est: ex mora usuras debitori hoc nomine præstare cogendus est.

## VIII. POMPONIVS lib. XXXV. ad Sabinum.

SI necessarias impensas fecerim in seruum, aut in fundum, quem pignoris causa acceperam: non tantum retentionem, sed etiam contrariam pignoratitiam actionem habebō. finge enim medicis, cū egrotaret seruus, dedisse me pecuniam, & eum decessisse. Item insulam tulcisse uel refecisse, & postea deustā esse: nec habere, quod possem retinere. Si pignori plura mancipia data sint, & quædam certo precio ita uendiderit creditor, ut euictionem eorū præstaret, & creditum suū habeat: & reliqua mancipia potest retinere, donec ei caueatur, quod euictionis nomine promiserit, indemnē eum futurum. Si unus ex hæreditibus debitoris portionem suam soluerit: tamen tota res pignori data uenire poterit, quemadmodum si ipse debitor portionem soluisset.

\*aliās,  
quæq;

Si annua, bima, trima die stipulatus, acceperim pignus: pactusq; sum, ut nisi sua quæq; die pecunia soluta esset, uendere eam mihi rem liceret: placet ante, quā omnium pensionum dies ueniat, non posse me pignus uendere: quia eis uerbis omnes pensiones demonstrantur. nec uerum est, sua quæq; die non solutam pecuniam, ante quā omnes diluta non sit, pignus potest uenire. sed si ita scriptum sit, SI QVA PECUNIA SVA DIE SOLUTA NON ERIT: statim competit ei pacti cōuentio. De uendendo pignore in rem pactio concipienda est, ut omnes contineantur. Sed & si creditoris duntaxat persona fuerit comprehensa: etiam hæres eius iure uendet, si nihil in contrarium actum sit. Cum pignus ex pactione uenire potest: non solum ob sortem non solutam uenire poterit, sed ob cætera quoq; ueluti usuras, & quæ in id impensa sunt.

## IX. ULPIANVS lib. XXVIII. ad edictum.

SI rem alienam mihi debitor pignori dederit, aut maliciose in pignore uer

re uersatus sit: dicendum est, locum habere contrarium iudicium. Non tantum autem ob pecuniam, sed & ob aliam causam pignus dari potest: ueluti si quis pignus alicui dederit, ut pro se fide iubeat. Proprie pignus dicimus, quod ad creditorem transit. hypothecam, cum non transit, nec possessio ad creditorem. Omnis pecunia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum, ut nascatur pignoratitia actio. satisfactum autem accipimus, quemadmodum uoluit creditor, licet non sit solutum. siue enim alijs pignoribus sibi cauere uoluit, ut ab hoc recedat, siue fideiussoribus, siue reo dato, siue precio aliquo, uel nuda conuentione, nascitur pignoratitia actio. Et generaliter dicendum erit, quoties recedere uoluit creditor a pignore: uideri ei satisfactum, si is, ut ipse uoluit, sibi cauet: licet in hoc deceptus sit. Is quoque, qui rem alienam pignori dedit, soluta pecunia solet pignoratitia expiri. Qui ante solutionem egit pignoratitia: licet non recte agit: tamen si offerat in iudicio pecuniam, debet rem pignoratam, & quod sua interest, consequi.

X. CAIUS lib. VIII. ad edictum prouinciale.

**Q**uod si non soluere, sed alia ratione satisfacere paratus est, forte si expromissorem dare uult: nihil ei prodest.

XI. VLP IANVS lib. XXXVIII. ad edictum.

**S**olutum non uidetur, si lis contestata cum debitore sit de ipso debito, uel si fideiussor conuentus sit. nouata autem debiti obligatio pignus perimit: nisi conuenit, ut pignus repetatur. Si quasi daturus tibi pecuniam, pignus accepero, nec dederò: pignoratitia actione tenebor, & nulla solutione facta. idemque & si accepto lata sit pecunia, uel conditio defecerit, ob quam pignus contractum est: uel si pactum, cui standum est, de pecunia non petenda factum est. Si in sortem duntaxat, uel in usuras obstrictum est pignus: eo soluto, propter quod obligatum est, locum habet pignoratitia. Siue autem usurae in stipulatum deductae sunt, siue non: si tamen pignus & in eas obligatum fuerit: quam diu quid ex his debetur, pignoratitia cessabit. alia causa est earum, quas quis supra licitum modum promisit. nam haec penitus illicitae sunt. Si creditori plures haeredes exstiterint, & uni ex his pars eius soluat: non debent caeteri haeredes creditoris iniuria adfici: sed possunt totum fundum uendere, oblato debitori eo, quod cohæredi eorum soluit. quae sententia non est sine ratione. Solutam pecuniam accipiendum, non solum si ipsi, cui obligata res est: sed & si alij sit soluta uoluntate eius, (\* uel ei, cui haeres exstiterit) uel procuratori eius, uel seruo pecunijs exigendis praeposito. Vnde si domum conduxeris, & eius partem mihi locaueris, egoque locatori tuo pensionem soluero: pignoratitia aduersus te poterit experiri. nam Iulianus scribit, solui ei posse. & si partem tibi, partem

(\* Hec in  
nonnullis de  
sunt)

R ij ei sol

ei soluero: tantumdem erit dicendū. planè in eam dimittat summam inuecta in ea & illata tenebuntur, in quā cœnaculū conduxī. non enim credibile est hoc conuenisse, ut ad uniuersam pensionem insulæ friuola mea teneantur. uidetur autem tacite & cum domino ædiū hoc conuenisse: ut non pactio cœnacularij proficiat domino, sed sua propria.

Per liberam aut personam pignoris obligatio nobis nō acquiritur: adeo, ut nec per procuratorem plerumq; nec tutore acquiratur. & ideo ipsi actione pignoratitia cōuenientur. sed nec mutat, quod cōstitutum est ab Imperatore nostro, posse per liberam personam possessionē adquiri. nam hoc eō pertinebit, ut possimus quidem pignoris nobis obligati possessionem per procuratorem, uel tutorem adprehendere: ipsam aut obligationem libera persona nobis nō semper adquiret. Sed si procurator meus, uel tutor rem pignori dedit: ipse agere pignoratitia poterit. quod in procuratore ita procedit, si mandatum fuit, ut pignori daret.

XII. CAIVS lib. XI. ad edictum prouinciale.

**V**el uniuersorum bonorū administratio ei permīssa est ab eo, qui sub pignoribus solebat mutuas pecunias accipere.

XIII. VLPPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

**S**i cum uenderet creditor pignus, conuenit inter ipsum & emptorē, ut si solueret debitor pecuniā precij emptori, liceret ei recipere rem suam: scripsit Iulianus, & est rescriptū, ob hanc cōventionem pignoratitijs actionibus teneri creditorem, ut debitori mandet ex uendito actionem aduersus emptorem. sed & ipse debitor, aut uindicare rem poterit, aut in factum actione aduersus emptorem agere. Venit autem in hanc actionem & dolus & culpa, ut in commodato. uenit & custodia. uis maior non uenit.

XIII. PAVLVS lib. XXIX. ad Sabinum.

**E**A igitur, quæ diligens paterfamilias in suis rebus præstare solet, à creditore exiguntur.

XV. VLPPIANVS lib. XXVIII. ad edictum.

**C**reditor cum pignus reddit, de dolo debet debitori repromittere: et si prædium pignoratitum est, etiam de iure eius repromittendū: ne forte seruitutes, cessante uti creditore, amissæ sint.

XVI. PAVLVS lib. XXIX. ad edictum.

**T**utor, lege non refragante, si dedit rem pupilli pignori: tuendū erit, scilicet si in rem pupilli pecuniam accipiat. idem in curatore adolescentis, uel furiosi. Contrariam creditori pignoratitiam actionem competere, certum est. proinde si rem alienam, uel alij pignoratitiam, uel in publicum obligatam dedit: tenebitur, quamuis & stellionatus crimen committat. Sed utrum ita demum, si scit: an et si ignorat: & quantum

tum ad crimen pertinet, excusat ignorantia quantum ad contrarium iudicium, ignorantia non excusat, ut Marcellus libro sexto digestorum scribit. sed si sciens creditor accipiat uel alienum, uel obligatum, uel mortuos: contrarium ei non competit. Etiam uestigale praedium pignori dari potest. Sed & superficies: quia hodie utiles actiones superficies datur.

XVII. MARTIANVS lib. singulari ad formulam hypothecariam.

**S**ane diui Severus & Antoninus rescripserunt, ut sine deminutione mercedis soli obligaretur.

XVIII. PAVLVVS lib. XXIX. ad edictum.

**S**i conuenerit, ut nomen debitoris mei pignori tibi sit: tuenda est a praetore haec conuentio: ut & te in exigenda pecunia, & debitore aduersus me (si cum eo experiar) tueatur. ergo si id nomen pecuniarium fuerit: exactam pecuniam tecum pensabit. si uero corporis alicuius: id quod acceperis, erit tibi pignoris loco. Si nuda proprietas pignori data sit: usufructus, qui post ea adcreuit, pignori cedit. eadem causa est alluionis. Si fundus pignorus uenerit, manere causam pignoris constitit: quia cum sua causa fundus trahatur, sicut in partu ancillae, qui post uentionem natus sit. Si quis cauerit, ut sylua sibi pignori esset: nauem ex ea materia factam non esse pignori, Cassius ait: quia aliud sit materia, aliud nauis. & ideo nominatim in dando pignore adijciendum esse ait, *QVAE EX SYLVA FACTA NATA SINT*. Seruus rem peculiam si pignori dederit: tuendum est, si liberam peculij administrationem habuit. nam & alienare eas res potuit.

XIX. MARTIANVS lib. singulari ad hypothecariam formulam.

**E**adem & de filiofamilias dicta intelligimus.

XX. PAVLVVS lib. XXIX. ad edictum.

**A**liena res pignori dari uoluntate domini potest. Sed & si ignorante eo data sit, & ratum habuerit: pignus ualebit. Si pluribus res simul pignori detur, aequalis omnium causa est. Si per creditorem sit, quo minus ei soluatur: recte agitur pignoraticia. Interdum & si soluta sit pecunia, tamen pignoraticia actio inhienda est: ueluti si creditor pignus suum emerit a debitore.

XXI. IDEM lib. VI. breuis edicti.

**D**omo pignori data, & area eius tenebitur. est enim pars eius. & contra, ius soli sequitur aedificium.

XXII. VLPPIANVS lib. XXVIII. ad edictum.

**S**i pignore subrepto furti egerit creditor: totum, quod cepit, debito imputari Papinianus confitetur, & est uerum: etiam si culpa creditoris furtum sit factum. multo magis hoc erit dicendum in eo, quod ex conditione consecutus est. Sed quod ipse debitor furti actione praestitit creditori, uel

R ij con-

condictione: an debito sit imputandū, uideamus. & quidē non oportere  
 \*aliās. restitui id ei, quod ipse ex furti actione præstitit, \*peræque relatum est,  
 aperte. & traditum. & ita Papinianus libro octauo quæstionum ait. Idem etsi  
 metus causa seruū pignorum debitori tradiderit, quem bona fide  
 pignori acceperat. nam si egerit, quod metus causa factum est, & qua-  
 druplum sit consecutus: neq; restituet ex eo, quod consecutus est, nec  
 debito imputabit. Si prædo rem pignori dederit: competit ei & de  
 fructibus pignoratitia actio, quamuis ipse fructus suos non facit. à præ-  
 done enim fructus & uindicari exstantes possunt, & consumpti cōdici.  
 proderit igit ei, quod creditor bona fide possessor fuit. Si post distra-  
 ctum pignus debitor, qui precario rogauit, uel conduxit, \*pignoris pos-  
 sessionem nō restituat: contrario iudicio tenetur. Si creditor, cū uen-  
 deret pignus, duplam promisit: (nam usu hoc euenerit) conuentus ob  
 euictionem & condemnationis, an habeat regressum pignoratitiæ cōtra-  
 riæ actionis? & potest dici, esse regressum: si modo sine dolo & culpa  
 sic uendidit, & ut paterfamilias diligens id gessit. si uero nullum emo-  
 lumentum talis \*uenditio attulit, sed tanti uendidit, quanti uendere po-  
 tuit: etiam si hæc non promisit, regressum non habere.

XXIII. TRIPHONINVS lib. VIII. *disputationum.*

**N**ec enim amplius à debitore, quàm debiti summa est, conse-  
 qui poterit. Sed si stipulatus usuras fuerat, & post quinquenium  
 forte, quàm precium ex re obligata consecutus est, uictus eam empro-  
 ri restituat: etiam mediij temporis usuras à debitore petere potest: quia  
 nihil ei solutum esse pro euictione, ut auferri non possit, palàm factum  
 est. sed si simplū præstitit: doli exceptione repellendus erit ab usurarij  
 petitione: quia habuit usum pecuniæ precij, qd' ab emptore acceperat.

XXIII. VLPPIANVS lib. XXVIII. *ad edictum.*

**E**leganter apud me quæsitum est, si impetrasset creditor à Cæsare,  
 ut pignus possideret, idq; euidum esset: an habeat pignoratitiam  
 contrariam? & uideatur finita esse pignoris obligatio, & à cōtractu recess-  
 sum. imò utilis ex empto accommodanda est, quemadmodū si pro so-  
 luto ei res data fuerit: ut in quantitatē debiti ei satisfiat, uel in quantū  
 eius interfit. sed & compensationem habere potest creditor, si forte pi-  
 gnoratitia, uel ex alia causa cum eo agetur. Qui reprobos numos  
 soluit creditori, an habeat pignoratitiā actionē, quasi soluta pecunia,  
 quæritur? & cōstat, neq; pignoratitia eum agere, neq; liberari eum pos-  
 se: quia reproba pecunia non liberat soluentem, reprobis uidelicet nu-  
 mis \*reddendis. Si uendiderit quidem creditor pignus pluris, quàm  
 debitum erat, nondum autem precij ab emptore exegerit: an pigno-  
 raticio iudicio conueniri possit ad superfluum reddendum: an uero uel  
 expecta

\*aliās. pi-  
gnus in  
possessio-  
nem.

aliās \*cō-  
ditio,

aliās \*re-  
soluēdis

expectare debeat, quoad emptor soluat, uel suscipere actiones aduersus emptorem: & arbitror non esse urgendum ad solutionem creditorem: sed aut expectare debitorem debere, aut si nō expectet, mandandas ei actiones aduersus emptorem, periculo tamen uenditoris. quod si accepit iam pecuniam, nec superfluum reddit: in pignoraticio iudicio uenit, quemadmodū & si res pignori datas male tractauit creditor, uel seruos debilitauit: quanquam si pro maleficijs suis coërcuit, uel uinxit, uel obrulit praefecturæ, uel praefidi, dicendum est pignoraticia creditorem non teneri. quare si prostituit ancillam, uel aliud improbatū facere coëgit: ilico pignus ancillæ soluitur.

XXV. IDEM lib. XXX. ad edictum.

SI seruos pignoratos artificijs instruxit creditor: siquidem iam imbutos, uel uoluntate debitoris: erit contraria actio. si uero nihil horum intercesserit: siquidem artificijs necessarijs: erit actio contraria, non tamen sic, ut cogatur seruis carere pro quantitate sumptuum debitor. si enim negligere creditorem dolus & culpa, quam praestat, non patitur: ita nec talem efficere rem pignoratam, ut grauis sit debitori ad recipiendum. puta saltum grandem pignori datum ab homine, qui uix luere potest, nedum excolere. tu acceptū pignori excoluisti sic, ut magnum precij faceres. alioqui non est æquum, aut quærere me alios creditores, aut cogi distrahere, quod uelim receptum, aut penuria coactum derelinquere me tibi. igitur hæc à iudice erunt dispicienda: ut neque onerosus creditor audiatur, neque delicatus debitor.

XXVI. IDEM lib. V. dissertationum.

NON est mirum, si ex quacunque causa magistratus in possessionem aliquem miserit, pignus constitui: cum testamento quoque pignus constitui posse, Imperator noster cum patre sapissime rescripserit. Sciendum tamen, ubi iussu magistratus pignus constituitur: non alias constitui, nisi uentum fuerit in possessionem.

XXVII. IDEM lib. VI. opinionum.

PETENTI mutuam pecuniam creditori, cum præ manu debitor non haberet, species auri dedit, ut pignori apud alium creditorem poneret. si iam solutione liberatas, receprasque eas is, qui susceperat, tenet: exhibere iubendus est. quod si etiam nunc apud creditorem creditoris sunt: uoluntate domini nexæ uidentur. Sed ut liberatæ tradantur: domino earum propria actio aduersus suum creditorem competit.

XXVIII. IULIANVS lib. XI. digestarum.

SI creditor, qui rem pignori acceperat, amissa eius possessione, & Seruijana actione petierit, & litis æstimationem consecutus sit: postea debitor eandem rem petens, exceptione submouetur: nisi offerat ei debitor

bitor, quod pro eo solutum est. Si seruus peculiari nomine pignus acceperit: actio pignoratitia aduersus dominum debitori competit.

XXIX. IDEM lib. XIII. digestorum.

SI rem alienam bona fide emeris, & mihi pignori dederis, ac precario rogaueris, deinde me dominus heredem instituerit: desinet pignus esse, & sola precarii rogatio supererit. idcirco usucapio tua interpellabitur.

XXX. PAVLVS lib. V. responsorum.

QUI ratiario crediderat, cum ad diem pecunia non solueretur, ratem in flumine sua auctoritate detinuit. postea flumen creuit, & inde ratem abstulit. si inuito ratiario retinisset: eius periculo ratem suam esse, respondi. Sed si debitor sua uoluntate concessisset, ut retineretur: culpam duntaxat ei praestandam, non uim maiorem.

XXXI. AFRICANVS lib. VII. quaestionum.

SI seruus pignori datus creditori furtum faciat: liberum est debitori, seruum pro noxa dedito relinquere. quod si sciens furem, mihi pignori dedit: & si paratus fuerit pro noxa dedito apud me relinquere, nihilominus habiturum me pignoratitia actionem, ut indemnem me praestet. eadem seruanda esse, Iulianus ait, etiam cum depositus, uel commodatus seruus furtum facit.

XXXII. MARCELLVS lib. III. digestorum.

CUM debitor, qui alienam rem pignori dedit, potest creditor contraria pignoratitia agere, & si soluendo debitor sit.

XXXIII. MARTIANVS lib. singulari ad formulam hypothecariam.

SI pecuniam debitor soluerit: potest pignoratitia actione uti ad recuperandam <sup>aut iugurip.</sup> nam cum pignus sit: hoc uerbo poterit uti.

XXXIII. MARCELLVS lib. singulari responsorum.

TIUS cum credidisset pecuniam Sempronio, & ob eam pignus accepisset, futurumque esset, ut distraheret id creditor, quia pecunia non solueretur: petijt a creditore, ut fundum certo precio emprum haberet: & cum impetrasset, epistolam, qua se uendidisse fundum creditori significaret, emisit. quaero, an hanc uenditionem debitor reuocare possit, offerendo sortem & usuras, quae debentur: Marcellus respondit, secundum ea, quae proposita essent, reuocare non posse.

XXXV. FLORENTINVS lib. VIII. institutionum.

CUM & sortis nomine & usurarum aliquid debetur ab eo, qui sub pignoribus pecuniam debet: quidquid ex uenditione pignorum recipietur, primum usuris, quas iam tunc deberi constat: deinde, si quid superest, sorti accepto ferendum est. nec audiendus est debitor, si cum parum idoneum se esse sciat: eligat, quo nomine exonerari pignus suum malit. Pignus, manente proprietate debitoris, solam possessionem

nem transfert ad creditorem. potest tamen & precario, & pro conducto debitor re sua uti.

XXXVI. VLP IANVS lib. XI. ad Sabinum.

**S**I quis in pignore dando pro auro æs subiecisset creditori, qualiter steneatur, quæsitum est: in qua specie rectissime Sabinus scribit: si quidæ auro dato, æs subiecisset: furti teneri. quod si in dando æs subiecisset: turpiter fecisse, non furem esse. Sed hic puto pignoratitium iudicium locū habere, & ita Pomponius scribit. Sed & extra ordinem stellionatus nomine plectetur, ut est sæpissime rescriptum. Sed etsi quis rem alienam mihi pignori dedit sciens prudensq; aut alij obligatam mihi obligavit, nec me de hoc certioravit: eodem crimine plectetur. Planè si ea res ampla est, & ad modicum æris fuerit pignolata: dici debet, cessare non solum stellionatus crimen, sed etiam pignoratitiam, & de dolo malo actione: quasi in nullo captus sit, qui pignori secundo loco accepit. XXXVII. PAVLVS lib. V. ad edictum.

**S**I pignus mihi traditum locassem domino: per locationem retineo possessionem: quia ante, q̄ conduceret debitor, non fuerit eius possessio: cum & animus mihi retinendi sit, & conducenti non sit animus possessionem adipiscendi.

XXXVIII. MODESTINVS lib. I. differentiarum.

**P**Vpillo capienti pignus, propter metum pignoratitiæ actionis, necessaria est tutoris autoritas.

XXXIX. IDEM lib. III. responsorum.

**C**Aius Seius ob mutuam pecuniam fundum suum Lucio Titio pignori dedit. postea pactū inter eos factum est, ut creditor pignus suum in pensationem pecuniæ suæ certo tempore possideret. verum ante expletum tempus creditor, cum suprema sua ordinaret, testamentum cavuit, ut alter ex filijs suis haberet eum fundum: & addidit, QVEM DE LVCIO ATTIOEMI, cum non emisset. hoc testamentum inter cæteros signavit & Caius Seius, qui fuit debitor. quæro, an ex hoc, quod signavit, præiudicium aliquod sibi fecerit: cum nullum instrumentum uenditionis proferatur, sed solum pactum, ut creditor certi temporis fructus caperet: Herēnius Modestinus respondit, contractui pignoris non obesse, quod debitor testamentum creditoris, in quo se emisse pignus expressit, signasse proponitur.

XL. PAPINIANVS lib. III. responsorum.

**D**Ebitor à creditore pignus, quod dedit, frustra emit: cum rei suæ nulla emptio sit. nec si minoris emerit, & pignus petat, aut dominium iudicet: ei non totum debitum offerenti, creditor possessionem pignoris restituere cogitur. Debitoris filius, qui manet in patris po-

S testate

restate, frustra pignus à creditore patris peculiaribus numis comparatur & ideo si patronus debitoris contra tabulas eius possessionem accepisset: dominij partem obtinebit, nam pecunia, quam filius in precium dedit, pignus liberatur. Soluta pecunia, creditor possessionem pignoris, quæ corporalis apud eum fuit, restituere debet, nec quidquam amplius præstare cogitur. itaq; si medio tempore pignus creditor pignori dederit: domino solvente pecuniam, quam debuit, secundi pignoris neq; persecutio dabitur, neq; retentio relinquatur.

XLII. IDEM lib. VIII. *quæstionum.*

**R**em alienam pignori dedisti, deinde dominus rei eius esse coepisti: datur utilis actio pignoratitia creditori, non est idem dicendum, si ego Titio, qui rem meam obligauerat sine mea uoluntate, hæres exheredo. hoc enim modo pignoris persecutio concedenda non est creditori, neq; utiq; sufficiet ad competendam utilem pignoratitiam actionem, eundem esse dominum, qui etiam pecuniam debet. Sed si conuenisset de pignore, ut ex suo mendacio arguatur: improbe resistit, quominus utilis actio moueatur.

XLIII. IDEM lib. III. *responsorum.*

**C**reditor iudicio, quod de pignore dato proponitur, ut superfluum præcipue cum usutis restituat, iure cogitur, nec audiendus erit, si uelit emptorem delegare: cum in uenditione, quæ rite est facta, suum creditor negocium gerat.

XLIII. SCAEVOLA lib. VIII. *digestorum.*

**P**ignori creditori locum purum obligauit, etq; instrumentum emptionis tradidit: & cum eum locum inædificare uellet, mota sibi controuersia à uicino de latitudine (quod aliàs probare non poterat) petijt à creditore, ut instrumentum auctoris à se traditum exhiberet: quo non exhibente, minorem locum ædificauit, atq; damnum passus est. quæsitum est, an si creditor pecuniam petat, uel pignus uindiceret: docti exceptione posita, iudex huius damni rationem habere debeat? respondit, si operam non dedisset, ut instrumenti facultate subducta, debitor caperetur: posse debitorem, si pecuniam soluat, pignoratitia agere, opera autem in eo data: tunc & ante pecuniam solutam in id, quod inter est, cum creditore agi. Titius pecuniam mutuam accepit à Caio Seio sub pignore culleorum, istos culleos cum Seius in horreo haberet, missus ex officio annonæ centurio, culleos ad annonam sustulit, postea instantia Caij Seij creditoris recuperati sunt. quæro: interterrituram, quæ ex operis facta est, utrum Titius debitor, an Seius creditor agnoscere debeat? respondit, secundum ea, quæ proponerentur, ob id, quod eo nomine in terrimenti accidisset, non tenetur.

# DIGESTORVM

## SEV PANDECTARVM LIBER XIII.

### DE EXERCITORIA ACTIONE. Tit. I.

VLPIANVS lib. XXIX. ad edictum.



Tilitatem huius edicti patere, nemo est, qui ignoret. nam cum interdum ignari, cuius sint conditionis, uel quales, cum magistris propter nauigandi necessitatem contrahamus: æquum fuit eum, qui magistrum naui imposuit, teneri: ut tenetur, qui institorem tabernæ, uel negocio præposuit: cum sit maior necessitas contrahendi cum magistro, quam institore. quippe res patitur, ut de conditione quis institoris dispiciat, & sic contrahat: in naui magistro non ita. nam interdum locus, tempus non patitur plenius deliberandi consiliū. Magistrum naui accipere debemus, cui totius naui cura mandata est. Si cum quolibet nautarum sit contractum, non datur actio in exercitorem: quanc̄ ex delicto cuiusuis eorū, qui naui nauigandæ causā in naue sunt, detur actio in exercitorem. alia est enim cōtrahendi causā, alia delinquendi. siquidem qui magistrum præponit, contrahi cum eo permittit: qui nautas adhibet, non contrahi cum eis permittit, sed culpa & dolo carere eos curare debet. Magistri autem imponuntur, uel locandis nauibus, uel mercibus, aut uectoribus conducendis, armamentis uel emendis. sed & si mercibus emendis uel uendendis fuerit præpositus: etiam hoc nomine obligat exercitorem. Cuius autem conditionis sit magister iste, nihil interest: utrum liber, an seruus: & utrū exercitoris, an alienus. sed nec cuius ætatis sit intererit: sibi imputaturo, qui præposuit. Magistrum autem accipimus non solum, quem exercitor præposuit: sed & eum, quem magister. & hoc cōsultus Iulianus in ignorante exercitore respondit. ceterū si scit, & passus eū est in naue magisterio fungi: ipse eū imposuisse uidetur. quæ sententia mihi uidetur pbabilis. omnia enim facta magistri debet præstare, qui eum præposuit. alioquin contrahentes decipientur. & facilius hoc in magistro, quam institore admittendum ppter utilitatem. quid tamen, si sic magistrum præposuit, ne aliū ei liceret præponere: an adhuc Iuliani sententiā admittamus, uidentum est. finge enim & nominatim eum prohibuisse, ne Titio magistroutaris. dicendum tamen erit, eo usq; producendā utilitatem nauigantium. Naue accipere debemus, siue marinā, siue in aliquo stagno

S ij nauiget

nauiget, siue schedia sit. Non autem ex omni causa prætor dat in  
 exercitorem actionem: sed eius rei nomine, cuius ibi præpositus fuit, id  
 est, in eam rem, cui præpositus fuit. ut puta si onus uehendum locatum  
 sit, aut aliquas res emerit utiles nauiganti: uel si quid reficiendæ nauis  
 causa contractum, uel impensum est: uel si quid nauæ operarum no-  
 mine petent. Quid si mutuatam pecuniam sumpserit: an eius rei no-  
 mine uideatur gestum? & Pegasus existimat: si ad usum eius rei, in  
 quam præpositus est, fuerit mutuatus: dandam actionem. quam sen-  
 tentiam puto ueram. quid em si ad armandam, siue instruendam na-  
 uem, uel nauas exhibendos mutuatus est? Vnde quærit Ofilius, si ad  
 reficiendam nauem mutuatus, numos in suos usus cōuertit: an in exer-  
 citorem detur actio? & ait. si hac lege accepit, quasi in nauem impensu-  
 rus, mox mutauit uoluntatem: teneri exercitorem, imputaturum sibi,  
 cur talem præposuerit: quod si ab initio consilium ceperit fraudandi  
 creditoris, & hoc specialiter non expresserit, quod ad nauis causam ac-  
 cipiatur: contra esse. quam distinctionem Peditus probat. Sed & si in præ-  
 cipiis rerum emptarum fefellit magister: exercitoris erit damnum, non  
 creditoris. Sed & si ab alio mutuatus, liberauit eum, qui in nauis refe-  
 ctionem crediderat: puto etiam huic dandam actionem, quasi in na-  
 uem crediderit. Igitur præpositio certam legem dat contrahenti-  
 bus. quare si eum præposuit naui ad hoc solum, ut uesturas exigat, non  
 ut locet, quod forte ipse locauerat: non tenebitur exercitor, si magister  
 locauit. uel si ad locandum tantum, non ad exigendum: idem erit di-  
 cendum. aut si ad hoc, ut uestoribus locet, non ut mercibus nauem præ-  
 stet, uel contra: modum egressus, non obligauit exercitorem. Sed & si,  
 ut certis mercedibus eam locet, præpositus est (puta legumini, canna-  
 bi) iile marmoribus, uel alijs locauit materiæ: dicendum erit, exercito-  
 rem non teneri. quædam enim naues onerariæ, quædam (ut ipsi dicunt)  
 alijs\* ut. τριβάδες sunt. & plerisque mandare scio, \* ne uestores recipiant, & sic  
 ut certa regione & certo mari negocietur: ut ecce sunt naues, quæ Brun-  
 dusium à Cassopa, uel à Dyrthachio uestores traiciunt, ad onera inha-  
 biles. Item quædam capaces fluminum ad mare non sufficientes. Si  
 plures sint magistri, non diuisis officijs: quodcumque cum uno gestum erit,  
 obligabit exercitorem. si diuisis: ut alter locando, alter exigendo: pro  
 cuiusque officio obligabitur exercitor. Sed si sic præposuit, (ut plerumque  
 faciunt) ne alter sine altero quid gerat: qui contraxit cum uno, sibi im-  
 putabit. Exercitorem autem eum dicimus, ad quem obuentiones  
 & reditus omnes perueniunt: siue is dominus nauis sit, siue à domino  
 nauem per auersionem conduxit, uel ad tempus, uel in perpetuum.  
 Parui autem refert, qui exercet, masculus sit, an mulier: paterfamilias,  
 an

an filiusfamilias, uel seruus. pupillus autem si nauem exerceat, exigemus tutoris auctoritatem. Est autem nobis electio, utrum exercitorem, an magistrum conuenire uelimus. sed ex contrario exercenti nauem aduersus eos, qui cum magistro contraxerunt, actio non pollicetur: quod non eodem auxilio indigebat. Sed aut ex locato cum magistro, si mercede operam ei exhibet: aut si gratuitam, mandati agere potest. solent tamen præfeti propter ministerium annonæ, item in prouincijs præfides prouinciarum, extra ordinem eos iuuare ex contractu magistrorum. Si is, qui nauem exercuit, in aliena potestate erit, eiusque uoluntate nauem exercuerit: quod cum eius magistro gestum erit, in eum, cuius in potestate is erit, qui nauem exercuit, iudicium datur. Licet autem datur actio in eum, cuius in potestate est, qui nauem exercet: tamen ita demum datur, si uoluntate eius exerceat. Ideo autem ex uoluntate in solidum tenetur, qui habet in potestate exercitorem: quia ad summam reipublicæ nauium exercitio pertinet. At insectorum non idem usus est. ea propter in tributum duntaxat uocantur, qui contraxerunt cum eo, qui in merce peculiari sciente domino negociatur. Sed si sciente duntaxat, non etiam uolente domino, cum magistro contractum sit: utrum quasi in uolentem dabimus actionem in solidum, an uero exemplo tributoria? In re igitur dubia melius est uerbis edicti seruire: & neque scientiam solam & nudam patris domini in nauibus onerare, neque in peculiaribus mercibus uoluntatem extendere ad solidam obligationem. & ita uidetur etiam Pomponius significare: si sit in aliena potestate, si quidem uoluntate gerat: in solidum eum obligari. si minus: in peculium. In potestate autem accipiemus utriusque sexus filios uel filias, seruos uel seruas. si tamen seruus peculiaris uolente filiofamilias, in cuius peculio erat: uel seruo, uicarius eius nauem exercuit: pater dominus, qui uoluntatem non accommodauit, duntaxat de peculio tenebitur: sed filius ipse in solidum. plane si uoluntate domini uel patris exercuit: in solidum tenebitur. & præterea filius, si & ipse uoluntate accommodauerit, in solidum erit obligatus. Quanquam autem, si cum magistro eius gestum sit, duntaxat pollicetur prætor actionem: tamen (ut Iulianus quoque scripsit) etiam si cum ipso exercitore sit contractum, pater dominus in solidum tenebitur. Hæc actio ex persona magistri in exercitorem dabitur. & ideo si cum alterutro eorum actum est: cum altero agi non potest. sed si quid solutum sit: siquidem à magistro: ipso iure minuitur obligatio. sed & si ab exercitore: siue suo nomine, id est, propter honorariam obligationem, siue magistri nomine soluetur: minuetur obligatio, quoniam & alius pro me soluendo me liberat. Si plures nauem exerceant, cum quolibet eorum in solidum agi potest.

**N**E in plures aduersarios distringatur, qui cū uno contraxerit.

II. CAIVS lib. VIII. ad edictum provinciale.

III. PAVLVS lib. XXIX. ad edictum.

**N**Ec quidquam facere, quotam quisq; portionem in naue habeat: eumq; qui præstiterit, societatis iudicio à cæteris consecuturū.

IIII. VLPIANVS lib. XXIX. ad edictum.

**S**I tamen plures per se nauem exercent: pro portionibus exerciti-  
onis conueniuntur. neq; enim inuicem sui magistrū uidebūtur: sed si  
plures exercent, unum autem de numero suo magistrum fecerint: hu-  
ius nomine in solidum poterunt cōueniri. Sed & si seruus pluriū na-  
uem exercent uoluntate eorum: idem placuit, quod in pluribus exerci-  
toribus. planè si uni ex omnium uoluntate exercuit: in solidum ille te-  
nebitur. & ideo \*puto in isto & in superiore casu in solidum omnes te-  
neri. Si seruus sit, qui nauem exercuit uoluntate domini, & alienatus  
fuerit: nihilominus is, qui eum alienauit, tenebitur. proinde & si decesserit  
seruus, tenebitur. nam & magistro defuncto tenebitur. Hæ actio-  
nes perpetuo, & hæredibus, & in hæredes datur. proinde & si seruus, qui  
uoluntate domini exercuit, decessit: etiam post annum hæc actio dabi-  
tur, quamuis de peculio ultra annum non detur.

V. PAVLVS lib. XXIX. ad edictum.

**S**I eum, qui in mea potestate sit, magistrū nauis habeas: mihi quoq;  
sin te competit actio, si quid cum eo contraxero. idem, si commu-  
nis seruus nobis erit. ex locato tamen mecum ages, quod operas serui  
mei conduxeris: quia & si cum alio contraxisset, ageres mecum, ut acti-  
ones, quas eo nomine habui, tibi præstarem: quemadmodū cum libe-  
ro, \* (siquidem cōduxeris) experireris. quod si gratuita operæ fuerint:  
cōtraxisset. mandati ages. Item si seruus meus nauem exercent, & cum magi-  
stro eius cōtraxero: nihil obstabit, quo minus aduersus magistrum ex-  
periar actione, quæ mihi iure, uel ciuili, uel honorario competit. nam  
& cuius alij non obstat hoc edictum, quo minus cum magistro agere  
possit. hoc enim edicto non transfertur actio, sed adijcitur. Si unus \*ex  
aliis \*ex  
his. multis exercitoribus cum magistro nauis contraxerit: agere cum alijs  
exercitoribus poterit.

VI. IDEM lib. VIII. breuis edicti.

**S**I seruus non ex uoluntate domini nauem exercuerit: si sciente eo,  
quasi tributoria: si ignorante, de peculio actio dabitur. Si com-  
munis seruus uoluntate dominorum exercent nauem: in singulos dari  
debet in solidum actio.

VII. AFRICANVS lib. VIII. questionum.

**L**ucius Titius Stichum magistrum nauis præposuit. is pecuniam  
me-

mutuatus, cauise in refectionem nauis eam accepisse. quæ situm est, an non aliter Lucius Titius exercitoria teneretur, quàm si creditor probaret pecuniam in refectionem nauis esse consumptam? respondit, creditore utiliter acturum, si cū pecunia crederetur, nauis in ea causa fuisset, ut refici deberet. etenim nõ oportere creditorem ad hoc adstringi, ut ipse reficiendæ nauis curâ suscipiat, & negociū domini gerat. quod certe futurum sit, si necesse habeat probare, pecuniam in refectione erogatam esse. Itaq; & illud exigendū, ut sciat in hoc se credere, cui rei magister quīs sit præpositus. quod certe aliter fieri nõ possit, quàm si illud quoq; scierit, necessariam refectioni pecuniam esse. quare & si in ea causa fuerit nauis, ut refici deberet: multo tamen maior pecunia credita fuerit, quàm ad eam rem esset necessaria: nõ debere in solidum aduersus dominum nauis actionem dari. Interdum etiam illud æstimadum: an in eo loco pecunia credita sit, in quo id, propter quod credebatur, comparari potuerit. quid enim (inquit) si ad uelum emendum in eiusmodi insula pecuniam quis crediderit, in qua omnino uelum comparari nõ potuerit: & in summa: aliquā diligentia in eā rem creditorem debere præstare. Eadem ferè dicenda ait, & si de institoria actione quaeratur. nã tunc quoq; creditorem scire debere: necessariam esse mercis comparationem, cui emendæ seruus sit præpositus. & sufficere, si in hoc crediderit: non etiam illud exigendū, ut ipse curam suscipiat, an in hac rem pecunia erogata sit.

\*AD LEGEM RHODIAM, DE IACTV. Tit. II.

aliàs \*De lege Rhodia.



PAVLVS lib. II. sententiarum.

Legem Rhodia cauetur, ut si leuadæ nauis gratia iactus mercium factus sit, omnium contributione sarciantur, quod pro omnibus \* factum est.

als \*da mnu da

II. IDEM lib. XXV. ad Sabinum.

Si laborante nauē iactus factus est: amissarum mercium domini, si merces uehendas locauerat, ex locato cum magistro nauis agere debet, magister deinde cum reliquis, quorum merces saluæ sunt: ex cōducto, ut detrimentum pro portione cōmunicetur, agere potest. Seruius quidem respondit, ex locato agere cum magistro nauis debere, ut cæterorum uectorum merces retineat, donec portione damni præsent. imò & si \* nõ retineat merces magister: ultro ex locato habiturus est actione cum uectoribus, quid enim si uectores sint, qui nullas sarcinas habeant: planè commodius est, si sint: retinere eas, at si non: & totam nauē conduxerit: ex conducto aget, sicut uectores, qui loca in nauē conduxerunt.

\*als deest negatio,

æquilli.

æquissimum enim est, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum consecuti sunt, ut merces suas saluas haberent.

Si conseruatis mercibus deterior facta sit nauis, aut aliquid ex arma nerit: nulla faciēda est collatio: quia dissimilis earum rerum caussa est, quæ nauis gratia parantur, & earum, pro quibus mercedem aliquis accepit. nam etsi faber incidem aut malleum fregerit: non imputatur ei, qui locauit opus. sed si uoluntate uestorum, uel propter aliquem merū id detrimentum factum sit: hoc ipsum sarciri oportet. Cum in eadem naue uaria mercū genera complures mercatores coëgissent, prætereāq; multi uestores serui liberiq; in eadem nauigarent: tempestate graui orta, necessario iactura facta erat. quæ sita deinde sunt hæc. an oēs iacturam præstare oporteat? & quid si tales merces imposuissent, quibus nauis non oneraretur: ueluti gemmas, margaritas? & quæ portio præstanda esset? & an etiam pro liberis capitibus dari oporteat? & qua actione ea res expediri possit? Placuit omnes, quorum quid interfuisset iacturam fieri, conferre oportere: quia id tributum ob seruatas res deberent. itaq; dominum etiam nauis pro portione obligatum esse. Iacturæ summam pro rerum precio distribui oportere. corporū liberorum æstimationem nullam fieri posse. ex cōducto dominos rerum amissarum cū naua, id est, cum magistro asturos. Itidem agitarum est, an etiam uestimentorum cuiusq;, & anulorum æstimationem fieri oporteat: & omnium uisum est: nisi si qua consumendi caussa imposita foret, quo in numero essent cibaria. eō magis, quod si quando ea deficerent in nauigationem: quid quisq; haberet, in commune conferret. Sinauis à piratis redempta sit: Seruius, Ofilius, Labeo omnes conferre debere aiūt. quod uero prædones abstulerint: eum perdere, cuius fuerit: nec conferendum ei, qui suas merces redemerit. Portio autem pro æstimatione rerum, quæ saluæ sunt, & earum, quæ amissæ sunt, præstari solet. nec ad rem pertinet, si hæc, quæ amissæ sunt, pluris uenire poterant: quoniam detrimenti, non lucri fit præstatio. sed in his rebus, quarum nomine conferendum est, æstimatio. debet haberi: non quanti emptæ sunt, sed quanti uenire possunt. Seruorum quoq;, qui in mari perierunt, nō magis æstimatio faciēda est, quàm si agri in naue decesserint, aut alioqui sese præcipitauerint. Si quis ex uestoribus soluendo non sit: hoc detrimentum magistri nauis non erit. nec enim fortunas cuiusq; naua excutere debet. Si res, quæ iactæ sunt, apparuerint: exoneratur collatio. quod si iam cōtributio facta sit: tunc hi, qui soluerunt, agēt ex locato cum magistro: ut is ex cōducto experiatur, & quod exegerit, reddat. Res autem iacta domini manet, nec fit ad præhēdentis: quia pro derelicto non habetur.

III. PAPINIANVS lib. IX. *responsorum.*

**C**um arbor aut aliud nauis instrumentum, remouendi commu-  
nis periculi causa, deiectum est: contributio debetur.

IIII. CALLISTRATVS lib. II. *questionum.*

**N**auis onusta leuandæ causa (quia intrare portum, uel flumen  
non potuerit cum onere) si quædam merces in scapham traie-  
ctæ sunt, ne aut extra flumen periclitetur, aut in ipso hostio uel portu,  
easq; scapha submersa est: ratio haberi debet inter eos, qui in naue mer-  
ces saluas habent, cum ijs, qui in scapha perdiderunt, perinde tanquam  
si iactura facta esset: idc; Sabinus libro secundo *responsorum* probat.  
contra si scapha cum parte mercium salua est, nauis periit: ratio haberi  
non debet eorum, qui in naue perdiderunt: quia iactus in tributum riu-  
ae salua uenit. Sed si nauis, quæ in tempestate iactu mercium unius  
mercatoris leuata est, in alio loco submersa est, & aliquorum mercato-  
rum merces per urinatores extractæ sunt, data mercede: rationem ha-  
beri debere eius, cuius merces in nauigatione leuandæ nauis causa ia-  
ctæ sunt, ab his, qui postea suas per urinatores seruauerunt, Sabinus  
æque respondit. eorum uero, qui ita seruauerunt, inuicem rationem ha-  
beri nõ debere ab eo, qui in nauigatione iactum fecit: si quædam ex his  
mercibus per urinatores extractæ sunt. eorũ enim merces nõ possunt aliàs nõ  
uideri seruandæ nauis causa iactæ esse, quæ periit. Cum autem ia-  
ctus de nauis factus est, & alicuius res, quæ in nauis remanserunt, deterio-  
res factæ sunt: uidendum, an conferre cogendus sit: quia non debet du-  
plici dño onerari, & collationis, & quod res deteriores factæ sunt. Sed  
defendendum est, hunc conferre debere, precio rerum præsentis: itaq;  
(uerbi gratia) si uicenum merces duorum fuerint, & alterius adspergi-  
ne decem esse cœperint: ille, cuius res integræ sunt, pro uicenis confe-  
ret, hic pro decem. Potest tamen dici etiam illa sententia, distinguenti-  
bus nobis, deteriores ex qua causa factæ sunt: id est, utrum propter ia-  
ctum nudatis rebus damnum secutum est, an uero alia ex causa: ueluti  
quod alicubi iacebant merces aliquo in angulo, & unda penetrauit. tunc  
enim conferre debebit. Sed an ex priore causa, collationis onus pati  
non debet: quia iactus etiam hunc læsit: ad hæc nunquid & si adspergi-  
ne ppter iactum deteriores factæ sunt: sed distinctio subtilior adhiben-  
da est. quid si plus sit in collatiõ, quàm in damno: (uerbi gratia) hæc res  
uicena fuerunt: & collatio quidem facit decem, damnum autem duo:  
deducto hoc, quod damnum passus est, reliquum cõferre debeat: quid  
ergo, si plus in damno erit, quàm in collatione? utputa decẽ aureis res  
deteriores factæ sunt, duo autem collationis sunt? indubitate utrunq;  
onus pati non debet. sed hic uideamus, num & ipsi conferri oporteat.

T quid

quid enim interest, iactatas res meas amiserim, an nudatas deteriores habere cœperim? nam sicut ei, qui perdidit, subuenitur: ita & ei subueniri oportet, qui deteriores propter iacturam res habere cœpit. hoc ita Papyrius Fronto respondit.

V. HERMOGENIANVS lib. III. *iuris ὠδιντομῶν.*

**A** Missæ nauis damnum collationis consortio nō sarcitur per eos, qui merces suas ex naufragio liberarunt. nam huius modi æquitatem tunc admitti placuit, cum iactus remedio cæteris in cōmuni periculo salua naue consultum est. Arbore cæsa, ut nauis cum mercibus liberari possit, æquitas contributionis locum habebit.

VI. IULIANVS lib. LXXXVI. *Digestorum.*

**N**auis aduersa tēpestate depressa, ictu fulminis deustis armamentis, & arbore, & antenna, Hipponem delata est: ibi cœtum multuaris armamentis ad præsens comparatis, Hostiam nauigauit, & onus integrum pertulit. quæsitum est, an hi, quorū onus fuit, nauæ pro damno conferre debeant? respondi, non debere. hūc enim sumptū instruendæ nauis magis, quàm conseruandarum mercium gratia factū esse.

VII. PAVLVS lib. III. *ὠδιντομῶν Alferi digestorum.*

**C**um depressa nauis, aut deiecta esset: id quod quisq; ex eo suum seruasset, sibi seruare respondit, tanquam ex incendio.

VIII. IULIANVS lib. II. *ex Minutio.*

**Q**ui leuadæ nauis gratia res aliquas piſciunt: nō hanc mentē habere, ut eas pro derelicto habeant: q̄ppe, si inuenerint eas, ablatturos: & si suspicati fuerint, in quem locum eiectæ sint, requisituros: ut perire de sit, ac si quis onere pressus unam rem abiecerit, mox cum alijs reuerſurus, ut eandem auferret.

\*aliās. in  
uia.

IX. VOLVSIVS MAETIANVS ad L. Rhodiam.

**A** *ἕως ἐν δ' αἰμον Νίκομδ' ὡς πρὸς Ἀντωνίου βασιλῆα. κύριε βασιλεῦ Ἀντωνίνε. ναυάγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, δίνετ' ἀρχήμεν ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς κυκλάδας νήσους ὁμοιωτῶν. Ἀντωνίνε εἶπερ. Ἐγὼ μὲν τῶ κόσμῳ κύριε, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. τῶ νόμῳ τῶν πόδ' ἰσῶν κερνέσω τῶ ναυτικῶ, ἐν δὲ μάλιστα τῶν ἡμετέρων αὐτῶ νόμῳ ἐναντιῶται. τὸ το δὲ αὐτό καὶ ὁ θεότατος Ἄγγελος ἐκερτεμ.*

X. LABEO lib. I. *πρὸς Θεωνῶν ἄ Paulo in epitomen redactorum.*

**S**i uehenda mācipia conduxisti: pro eo mācipio, quod in naue mox actum est, uectura tibi non debetur. PAVLVS. imō quæritur, quid actum est: utrum pro his, qui impositi: an pro his, qui deportati essent, merces daretur? quod si hoc apparere non poterit: fatis erit pro naua, si probauerit impositum esse mācipium. Si ea conditione nauem conduxisti, ut ea merces tuæ portarentur: easq; merces naua, nulla ne cessitate

cessitate coactus, in nauem deteriore(m) (cum id sciret te fieri nolle) trās tulit, & merces tuæ cum ea nauē perierūt, in qua nouissime uestæ sunt: habes ex conducto cum priore nauita actionem. PAVLVVS. imò contra. si modo ea nauigatione utraq; nauis perijt: cum id sine dolo & culpa nautarum factum esset. Idem iuris erit, si prior nauita publice retentus, nauigare cū tuis mercibus prohibitus fuerit. Idem iuris erit, si cum ea conditione à te conduxisset, ut certā pœnam tibi præstaret, nisi ante constitutum diem merces tuas eo loci exposuisset, in quem uehendas eas merces locaffes: nec per eū staret, quo minus remissa sibi pœna spectaret. idem iuris in eodem genere cognitionis obseruabimus, si probatum fuerit, nautam morbo impeditum nauigare nō potuisse. idem dicemus, si nauis eius uicium fecerit, sine dolo & culpa eius. Si conduxisti nauem amphorarum duorū milium, & ibi amphoras portasti: pro duobus milibus amphorarum precium debes. PAVLVVS. imò si auersione nauis conducta est: pro duobus milibus merces debetur. si pro numero impositarum amphorarum merces constituta est: contra se habet. nam pro tot amphoris precium debes, quot portasti.

DE INSTITORIA ACTIONE. Tit. III.

VLP IANVS. lib. XXIX. ad edictum.



Equum prætori uisum est, sicut commoda sentimus ex contractu institorum, ita etiam obligari nos ex contractibus ipsorum, & conueniri. Sed non idem facit circa eū, qui institorē præposuit, ut experiri possit. sed siquidem seruum proprium institorē habuit: potest esse securus, adquisitis sibi actionibus. si autem uel alienum seruum, uel etiam hominem liberum: actio deficiet. ipsum tamen institorem, uel dominum eius conuenire poterit, uel mandati, uel negotiorum gestorum. Marcellus etiam ait, debere dari actionem ei, qui institorem præposuit, in eos, qui cum eo contraxerunt.

**E**o nomine, quo institor contraxit: si modo à liter rem suā seruare nō potest. II. CALVS lib. VIII. ad edictum prouinciale.

**I**nstitor appellatus est ex eo, quod negotio gerēdo insitat. nec multum facit, tabernæ sit præpositus, an cuilibet alij negociationi. III. VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.

IIII PAVLVVS lib. XXX. ad Sabinum.

**C**um interdum etiam ad homines honestos adferāt merces, & ibi uendant. nec mutat causam actionis locus emendi uendendiue: cum utroq; modo uerum sit, institorem emisse, aut uendidisse.

Ulpianus lib. XXIX. ad edictum.

**Q**uicūq; igitur negotio præpositus est, institor recte appellabitur. Nam & Seruius libro primo ad Brutum ait: si quid cum infulario gestum sit, uel cum eo, quem quis ædificio præposuit, uel frumeto cœmendo: in solidum eum teneri. Labeo quoq; scribit: si quis pecunijs faciendis, agris colendis, mercaturis, redempturisq; faciendis præposuerit: in solidum eum teneri. sed & si mensæ habuerit quis seruum præpositum, nomine eius tenebitur. Sed etiam eos institores dicendos placuit, quibus uestiarij uel lintearij dant uestem circūferendam & distrahendam, quos uulgo circuitores appellamus. sed etiam muliones quis proprie institores appellet. Item fullonum & sarcinatorum præpositus, sed & stabularij quoq; loco institorum habendi sunt. Sed & stabernarius seruum suum peregre mitteret ad merces comparandas, & sibi mittendas: loco institoris habendum, Labeo scribit. Idem ait:

\*quidā hic  
reponunt  
ταφάα.

silibitiniarius, quem Græci κτεριστῶ uocant, seruum pollinctorem habuerit, isq; mortuum spoliauerit: dandam in eum quasi institoriam actionem, quamuis & furti, & iniuriarum actio competeret. Idem Labeo ait. si quis pistor seruum suum solutus sit in certum locum mittere ad panem uendendum: deinde is pecunia accepta præsentem, ut per dies singulos cui panem præstaret, conturbauerit: dubitari non oportere, quin si permisit ei ita dari summas, teneri debeat. Sed & cum

fullo peregre proficiscens rogasset quem, ut discipulis suis, quibus tabernam instructam tradiderat, imperaret: post cuius professionem uestimenta discipulus accepisset, & fugisset: fullonē non teneri, si quasi procurator fuerit relictus. sin uero quasi institor: teneri eum. planē si adfirmarit mihi, recte me credere operarijs suis: nō institoria, sed ex locato tenebitur. Non tamen omne, quod cum institore geritur, obligat eum, qui præposuit: sed ita, si eius rei gratia, cui propositus fuerat, contractum est: proinde si præposui ad mercium distractionem: tenebor nomine eius ex empto actione. Item si forte ad emendum præposuero: tenebor duntaxat ex uendito. Sed neq; si ad emendum, & ille uendiderit: neq; si ad uendendum, & ille emerit: debebo teneri. Idemq; Cassius scribit. Sed & si pecuniam quis crediderit institori ad emendas merces præposito, locus est institoria: idemq; si ad pensionem pro taberna exsoluendā. quod ita uerum puto: nisi prohibitus fuit mutuari.

Si ei, quem ad uendendum emendumq; oleum præposui, oleū mutuum datum sit: dicendū erit institoriam locū habere. Itē si institor, cū oleum uendidisset, anulū arræ nomine accepit, neq; eū reddat: dominū institoria teneri. nā eius rei causa, in quā præpositus est, contractum est: nisi forte mandatū ei fuit, præsentem pecunia uendere. quare & si forte

si forte pigritus institor ob precium acceperit, institoriae locus erit. Item fideiussori quoque, qui pro institore interuenerit, institoria competet. eius enim rei sequela est. Si institor sit praepositus, is tamen decesserit, qui praeposuit: & haeres ei exstiterit, qui eodem institore utatur: sine dubio teneri eum oportebit. nec non si ante aditam haereditatem cum eo contractum est: aequum est uel ignorati dari institoriam actionem. Sed & si procurator meus, tutor, curatorue institorem praeposuerit: dicendum erit, ueluti à me praeposito, dandam institoriam actionem.

**S**ed & in ipsam procuratorē (si omnium rerum procurator est) dari debet institoria. VI. PAVLVS lib. XXX. ad Sabinum.

**S**ed & si quis meam rem gerens praeposuerit, & ratum habuero: idem erit dicendum. Parui autem refert, quis sit institor: masculus, an femina: liber, an seruus: proprius, uel alienus. Item quisquis praeposuit. nam & si mulier praeposuit, competet institoria actio, exemplo exercitoriae actionis. & si mulier sit praeposita, tenebitur etiam ipsa. Sed & si filia familias sit, uel ancilla praeposita: competit institoria actio. pupillus etiam institor obligat eum, qui eum praeposuit, institoria actione: quoniam am sibi imputare debet, qui eum praeposuerit. VII. VLPPIANVS lib. XXIX. ad edictum.

**N**am plerique & pueros puellasque tabernis praeposunt. VIII. CAIUS lib. VIII. ad edictum provinciale.

**V**erum si ipse pupillus praeposuerit: siquidem tutoris auctoritate obligabitur. si minus: non. IX. VLPPIANVS lib. XXIX. ad edictum.

**E**atenus tamen dabitur in eum actio, quatenus ex ea re locupletior est. X. CAIUS lib. VIII. ad edictum provinciale.

**S**ed & si pupillus haeres exstiterit ei, qui proposuerat: aequissimum erit, pupillum teneri, quamdiu praepositus manet. remouendus enim fuit à tutoribus, si nolent uti opera eius. Sed & si minor uiginti quinque annis erit, qui praeposuit: auxilio aetatis utetur, nec sine causa cognitione. De quo palam proscriptum fuerit, ne cum eo contractatur: is praepositi loco non habebitur. non enim permittendum erit cum eo, quasi cum institore, contrahere. sed si quis nolit contrahi, prohibeat. Caeterum qui praeposuit, tenebitur ipsa praepositione. Proscribere palam sic accipimus, claris literis, ut de plano recte legi possint: ante tabernam scilicet, uel ante eum locum, in quo negotiatio exercet: nec in loco remoto, sed in euidenti. Literis, utrum Graecis, an Latinis: puto secundum loci conditionem: ne quis causari possit ignorantiam literarum. Certe si quis dicat, ignorasse se literas, uel non obseruasse,

T iij quod

quod propositum erat, cum multi legerent, cūq; palam esset propositum: non audietur. proscriptum autem perpetuo esse oportet. ceterum si id temporis, quo propositum non erat, uel obscurata proscriptione, contractum sit: institoria locum habebit. proinde si dominus quidem mercis proscripsisset, alius autē sustulisset, aut uetustate, uel pluuia, uel quo simili contigisset, ne proscriptum esset, uel non pareret: dicendum est eum, qui propositum, teneri. Sed si ipse institor decipiendi mei causa detraxit: dolus ipsius proponenti nocere debet: nisi particeps doli fuerit, qui contraxit. Conditio autem propositiois seruanda est, quid enim si certa lege, uel interuentu cuiusdam personae, uel sub pignore uoluit cum eo contrahi, uel ad certam rem: aequissimum erit id obseruari, in quo propositus est. Item si cum plures habuit institores, uel cum omnibus simul contrahi uoluit, uel cum uno solo: sed & si denūciauit cui, ne cum eo contraheret: non debet institoria teneri. nam & certam personam possumus prohibere contrahere, uel certū genus hominum uel negociatorū: & certis hominibus permittere. sed si aliās cū alio contrahi uetuit, continua uariatione: danda est omnibus aduersus eum actio. neq; enim decipi debent contrahentes. Sed si in totum prohibuit: cū eo contrahi, propositi loco non habet: cū magis hic custodis sit loco, quā institoris. ergo nec uendere mercē hic poterit, nec modicum qd ex taberna. Si institoria recte actū est, tributoria ipso iure locū nō habet. neq; enim potest habere locū tributoria in merce dominica. qd si non fuerit institor dominicæ mercis: tributoria superest actio. Si a seruo tuo operas uicarij eius cōduxero, & eū merci meæ institorē fecero, isq; tibi mercē uendiderit: emptio est. nā cū dominus a seruo emit: est emptio, licet dominus non sit obligatus iure ciuili: usq; adeo, ut etiam pro emptore & possidere, & usucapere dominus possit.

XII. IULIANVS lib. XI. digestorum. *inquo dicitur*  
**E**T ideo utilis institoria actio aduersus me tibi competet: mihi uel pro aduersus te, uel de peculio dispensatoris, si ex cōducto agere uelim: uel de peculio uicarij, qd ei mercem uendendam mandauerim. precium quoq; quo emisti, in rem tuam uersum uideri poterit, eō quod debitor serui tui factus es.

XIII. IULIANVS lib. XXIX. ad edictum. *commodum*  
**H**abeat quis seruum merci oleariæ propositū Arelati: eundemq; & mutuis pecunijs accipiendis. acceperat mutuam pecuniam. putans creditor ad merces eum accepisse, egit proposita actione. probare non potuit, mercis gratia eum accepisse. licet consumpta est actio, nec amplius agere poterit, quasi pecunijs quoq; mutuis accipiendis esset propositus: tamen Iulianus utilē ei actionem competere ait. *Memi nisse*

nisse autem oportebit, institoria dominum ita demum teneri: si non nouauerit quis eam obligationem, uel ab institore, uel ab alio nouandi animo stipulando. Si duo pluresque tabernam exercent, & seruum, quem ex disparibus habebat partibus, institorem proposuerint: utrum pro dominicis partibus teneant, an pro æqualibus: an pro portione mercis, an uero in solidum, Iulianus querit: & uerius esse ait, exemplo exercitorum, & de peculio actionis in solidum unumquemque conueniri posse: & quidquid is præstiterit, qui conuentus est, societatis iudicio, uel communi diuidendo consequi. quam sententiam & supra probauimus. **XIIII. PAVLVVS lib. III. ad Plautium.**

**I**dem erit, & si alienus seruus communi merci præpositus sit. nam aduersus utrumque actio in solidum dari debet: & quod quisque præstiterit, eius partem societatis, uel communi diuidendo iudicio consequetur. certe ubicunque actio societatis uel communi diuidendo cessat: quæque pro parte sua condemnari oportere constat: ueluti si is, cuius seruo creditum est, duobus hæredibus institutis, ei seruo libertatem dederit. nam hæredum quisque pro sua parte conueniendus est: quia cessat inter eos communi diuidendo iudicium.

**XV. VLPIANVS lib. XXIX. ad edictum.**

**N**ouissime sciendum est, has actiones perpetuo dari, & in hæredem, & hæredibus.

**XVI. PAVLVVS lib. XXIX. ad edictum.**

**S**icum uillico alicuius contractum sit: non dabitur in dominum actio: quia uillicus propter fructus percipiendos, non propter questum præponitur. si tamen uillicum distrahendis quoque mercibus præpositum habuerit: non erit iniquum, exemplo institoria, actionem in me competere.

**XVII. IDEM lib. III. ad edictum.**

**S**i quis mancipijs, uel iumentis, pecoribusue emendis, uendendisue præpositus sit: non solum institoria competit aduersus eum, qui præposuit: sed etiam redhibitoria, uel ex stipulatu duplae simplaue in solidum actio danda est. Si seruum Titij institorem habueris: uel tecum ex hoc edicto, uel cum Titio ex inferioribus edictis agere poteris. Sed si tu cum eo contrahi uetuisti: cum Titio duntaxat agi poterit. Si impubes patri habenti institores, hæres extiterit, deinde cum his contractum fuerit: dicendum est, in pupillum dari actionem, propter utilitatem promiscui usus: quemadmodum ubi post mortem tutoris, cuius auctoritate institor præpositus est, cum eo contrahatur. Certe eius contractus nomine, qui ante aditam hæreditatem intercessit: et si furiosus hæres extiterit, danda actionem, etiam Pomponius scripsit. non enim imputandum ei est, qui sciens dominum decessisse, cum instito-

re exercente mercem contrahat. Proculus ait: si denunciauero tibi, ne seruo à me præposito crederes: exceptionem dandam, SI ILLE ILLI NON DENVNCAVERIT, NE ILLI SERVO CREDERET. sed si ex eo contractu peculium habeam, aut in rem meam uertum sit: nec uelim, quo locupletior sim, soluere: replicari de dolo oportet. nam uideri me dolum facere, qui ex aliena iactura lucrum quarā.

Ex hac causa etiam condici posse, uerum est: *lib. XVIII. IDEM lib. singulari de uarijs lectionibus.*

**I**nsitor is est, qui tabernæ loco uel ad emendum uendendum præponitur, qui uel sine loco ad eundem actum præponitur.

**XIX. PAPIANVS lib. III. responsorum.**  
**I**neum, qui mutuis accipiendis pecunijs procuratorem præpositum erit, & si procurator soluendo sit, qui stipulanti pecuniam promissit. Si dominus, qui seruum institorem apud mensam pecunijs accipiendis habuit, post libertatem quoque datam idem per libertum negocium exercuit: uarietate status non mutabitur periculi causa.

Tabernæ præpositus à patre filius, mercium causa mutuum pecuniam accepit. pro eo pater fideiussit. etiam institoria ab eo petetur, cum acceptæ pecuniæ speciem fideiubendo tabernæ negotio miscuerit.

Seruus pecunijs tantum foenerandis præpositus, per intercessionem æs alienum suscipiens, ut institor, dominum in solidum iure prætorio non adstringit. quod autem pro eo, qui pecuniam foenerauit, alij per delegationem promissit: à domino recte petetur, cui pecuniæ creditæ contra eum, qui delegauit, actio quaerita est.

**XX. SCAEVOLA lib. V. digestorum.**  
**L**ucius Titius mensæ numulariæ, quæ exercebat, habuit libertum præpositum. is Caio Seio cauit in hæc uerba. Octavius Terminalis, rem agens Octauij Felici, Domicio Felici salutem. Habes penes mensam patroni mei denarios mille, quos denarios uobis numerare debebo pridie calendas Maias. quaesitum est, Lucio Titio defuncto sine hærede, bonis eius uenditis, an ex hac epistola iure conueniri Terminalis possit: respondi, nec iure his uerbis obligatum, nec æquitatem conueniendi eum superesse: cum id ex institoris officio ad fidem mensæ præstandam scripsisset.

**DE TRIBVTORIA ACTIONE. Tit. III.**

**ULPIANVS lib. XXIX. ad edictum.** Huius



**H**uius quoque edicti non minima utilitas est: ut dominus, qui alioquin in serui contractibus privilegium habet (quippe cum de peculio duntaxat teneatur; cuius peculij aestimatio deducto eo, quod domino debetur, fit) tamen si scierit seruum in peculiari merce negociari: uelut extraneus creditor, ex hoc edicto in tributum uocetur. Licet mercis appellatio angustior sit, quam ut ad seruos fullones, uel sarcinatores, uel textores, uel uenaliarios pertineat: tamen Pedius libro decimoquinto scribit, ad omnes negotiationes porrigendum edictum. Peculiarem autem mercem, non sicuti peculium accipimus: quippe peculium deducto, quod domino debetur, accipitur: merx peculiaris, etiam si nihil sit in peculio, dominum tributoria obligat: ita demum, si sciente eo negociabitur. Scientiam hic eam accipimus, quae habet & uoluntatem, sed (ut ego puto) non uoluntatem, sed patientiam, non enim uelle debet dominus, sed non nolle, si igitur scit, & non protestatur, ac contradicit: tenebitur actione tributoria. Potestatis uerbum ad omnem sexum, item ad omnes, qui sunt alieno iuri subiecti, porrigendum erit. Non solum ad seruos pertinebit tributoria actio, uerum ad eos quoque, qui nobis bona fide seruiunt: siue liberi, siue serui alieni sunt, uel in quibus usumfructum habemus.

II. PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.

**V**T tamen merx, qua peculiariter negocietur, ad nos pertineat.

III. VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.

**S**ed & si seruus communis sit, & ambo sciant domini: in utrumlibet sex illis dabitur actio, quod si alter sciuit, alter ignorauit: in eum, qui sciuit, dabitur actio: deducetur tamen in solidum, quod ei, qui ignorauit, debetur. At si ipsum quis ignorantem conuenerit: quoniam de peculio conuenitur, deducetur etiam id, quod scienti debetur, & quidem in solidum. Nam & si ipse de peculio conuentus esset: in solidum, quod ei deberetur, deduceretur, ut Iulianus libro duodecimo digestorum scripsit. Si seruus pupilli uel furiosi, sciente tutore uel curatore, merce peculiari negocietur: dolum quidem tutoris uel curatoris nocere pupillo uel furioso non debere puto, nec tamen lucrosam esse debere. & ideo haecenus eum ex dolo tutoris tributoria teneri, si quid ad eum peruenit. idem & in furioso puto: quamuis Pomponius libro octauo epistolarum, si soluendo tutor sit, ex dolo eius pupillum teneri scripserit. & sane haecenus tenebitur, ut actionem, quam contra tutorem habet, praestet. Sed & si ipse pupilli dolo factum sit (si eius aetatis sit, ut doli capax sit) efficeat, ut teneatur: quamuis scientia eius non sufficit ad negotiationem. quid ergo? scientia quidem tutoris & curatoris debet facere locum huic actioni: dolo autem, quatenus noceat, ostendi.

V Paulus

III. PAVLVS lib. XXX. ad edictum.

**S** I pupillus, cuius tutor scierit, pubes factus, uel furiosus sanæ mentis, dolū admittant: tenentur ex hoc edicto.

V. VLPIANVS lib. XXIX. ad edictum.

**P**ROCURATORIS autem scientiam & dolū nocere debere domino, neq̄ negocietur, siquidē me sciente: tributoria tenebor. si me ignorante, ordinario sciente: de peculio eius actionem dandam, Pomponius libro sexagesimo scripsit: nec deducendum ex uicarij peculio, quod ordinario debetur: cum id, quod mihi debetur, deducatur. Sed si uterq̄ scierit: & tributariam, & de peculio actionem competere ait: tributariam, uicarij nomine: de peculio uero, ordinarij. eligere tamen debere agentem, qua potius actione experiatur: sic tamen, ut utrunq̄ tribuatur, & quod mihi, & quod seruo debebitur: cū si seruus ordinarius ignorasset, integrum deduceretur, quod ei à uicario deberetur. Sed & si ancilla negociabitur, admittendam tributariam dicimus. Item parui refert, cum ipso seruo contrahatur, an cum institore eius. **MERCIS NOMINE** merito adiicitur: ne omnis negociatio cum eo facta tributariam inducat. Per hanc actionem tribui iubetur, quod ex ea merce, & quod eo nomine receptum est. In tributum autem uocantur, qui in potestate seruos habēt, à creditoribus mercis. Sed est quæsitum: utrū dominus ita demum partietur ex merce, si quid ei mercis nomine debeatur: an uero & si ex alia causa? & Labeo ait, ex quacunq̄ causa ei debeatur: paruiq̄ referre, ante mercē, an postea debere ei quid seruus ceperit. sufficere enim, quod priuilegium deductionis perdidit. quid tamen si qui contrahebant, ipsam mercē pignori acceperint? puro debere dici, præferendos domino iure pignoris. Siue autem domino, siue his, qui in potestate eius sunt, debeatur: utiq̄ erit tribuendum. Sed & si duo pluresq̄ domini sunt: utiq̄ omnibus tribuetur pro rata sui debiti. Non autem totum peculium uenit in tributum, sed id duntaxat, quod ex ea merce est: siue merces manent, siue precium earum receptum cōuersumq̄ est in peculium. Sed & si adhuc debeatur mercis nomine à quibusdam, quibus solebat seruus distrahere: hoc quoq̄ tribuetur, pro ut fuerit receptum. Si propter mercem seruus iste in taberna habet instrumētum: an hoc quoq̄ tribuatur? & Labeo ait, etiam hoc tribui. & est æquissimum. plerūq̄ enim hic apparatus ex merce est, imò semper. cætera tamen, quæ extra hæc in peculium habuit, non tribuentur (utputa argentum habuit uel aurum) nisi si hæc ex merce comparauit. Itē si mancipia in negotiatione habuit ex merce parata: etiam hæc tribuentur. Si plures habuit seruus creditores, sed quosdam in mer-

mercibus certis: an omnes in idem confundendi erunt, & omnes in tributum uocandi: ut puta duas negociationes exercebat (puta sagariam & lineariam) & separatos habuit creditores. puto separatim eos in tributum uocari. unusquisq; enim eorum merci magis, quam ipsi credit. Sed & si duas tabernas eiusdem negociationis exercuit, & ego fui taberna (uerbi gratia) quã ad Bucinum habuit, ratorator: alius eius, quam trans Tyberim: æquissimum puto, separatim tributionem faciendam: ne ex alterius re merceie, alij indemnes fiant, alij damnum sentiant. Planè si in eadem taberna merces eadem deferebantur: licet hæ, quæ exstent, ex unius creditoris pecunia sint comparatæ: dicendum erit, omnes in tributum uenire, nisi fuerint creditori pignoratæ. Sed & si dedi mercem meam uendendam, & exstat: uideamus, ne iniquum sit in tributum me uocari. & si quidem in creditum abij: tributio locum habebit. enim uero si nõ abij: quia res uenditæ nõ aliàs desinent esse meæ (quamuis uendidero) nisi ære soluto, uel fideiussore dato, uel alijs satisfacto: dicendum erit, uindicare me posse. Tributio autem fit pro rata eius, quod cuiq; debetur. & ideo si unus creditor ueniat, desiderans tribui sibi integram portionem: consequitur. sed quoniam fieri potest, ut alius quoq; uel alij existere possint mercis peculiaris creditores: cauere debet creditor iste, pro rata se refusurum, si forte alij emergerint creditores.

## VI. PAULVS lib. XXX. ad edictum.

**N**on enim hæc actio, sicut de peculio, occupatis meliorem causam facit: sed æqualem conditionem quandocunq; agentium.

## VII. VLPPIANVS lib. XXIX. ad edictum.

**I**llud quoq; cauere debet: si quidem aliud domini debitum emertere, refusurum se ei pro rata, finge enim conditionale debitum imminere, uel in occulto esse. hoc quoq; admittendum est. nam iniuriam dominus pati non debet, licet in tributum uocatur. quid tamen, si dominus tribuere nolit, nec hanc molestiam suscipere: sed peculio, uel mercibus cedere paratus sit? Pedius refert, audiendum eum. quæ sententia habet æquitatem: & plerunq; arbitrum in hanc rem prætor debet dare, cuius interuentu tribuant merces peculiares. Si cuius dolo malo factum est, quo minus ita tribueretur: in eum tributoria datur, ut quanto minus tributum sit, quam debuit, præstet. quæ actio dolum malum coercet domini. Minus autem tribuere dominus uidetur, etiam si nihil tributum est. Si tamen ignorans in merce seruum habere, minus tribuit: non uidetur minus dolo tribuisse. sed re comperta, si non tribuat, dolo non caret proinde si ex ea merce sibi solui fecit: utiq; dolo uidetur minus tribuisse. Sed si mercem perire passus est, aut eam euerit, aut u-

lius data opera distrahit, uel ab emptoribus precium non exegit: dicendum erit, teneri eum tributoria, si dolus interuenit. Sed etsi negauerit dominus cuius debet: uidendum erit, an tributoria locus sit. & est uerior Labeonis sententia, tributoriam locum habere, alioquin expediret domino negare. Hæc actio & perpetuo, & in hæredem datur, de eo duntaxat, quod ad eum peruenit,

VIII. IULIANVS lib. XV. *digestorum.*

**Q**uia non de dolo est, sed rei persecutionem continet. quare etiam dominus mortuo seruo, item hæres eius, perpetuo teneri debet, propter factum defuncti: quauis non aliter, quam dolo interueniente, cõperat.

IX. VLP IANVS lib. XXIX. *ad edictum.*

**Q**uod in hæredem dicimus, idem erit & in cæteris successoribus. Eligere quis debet, qua actione experiatur: utrum de peculio, an tributoria: cum scit sibi regressum ad aliam non futurum. plane si quis uelit ex alia causa tributoria agere, ex alia causa de peculio: audiendus erit. Si seruo in testamento manumisso peculiũ legatum sit: non debere hæredem tributoria teneri, quasi neque ad eum peruenit, neque dolo fecerit, Labeo ait. sed Põponius libro sexagesimo scripsit: hæredem, nisi cõrauerit: cauere sibi à seruo, uel deduxerit de peculio, quod tribuendum erat: teneri tributoria. quæ sententia non est sine ratione. ipse enim author doli est, qui egit, ne tribueret. toties enim in hæredem damus de eo, quod ad eum peruenit: quoties ex dolo defuncti conuenitur, non quoties ex suo.

\*aliàs.  
actor.

X. PAVLVS lib. XXX. *ad edictum.*

**D**e peculio actione etiã cum emptore serui agi potest: tributoria non potest.

XI. CALVS lib. VIII. *ad edictum prouinciale.*

**A**liquando etiam agentibus expedit potius de peculio agere, quam tributoria. nam in hac actione, de qua loquimur, hoc solum in diuisione uenit, quod in mercibus est, quibus negociatur, quodque eo nomine receptum est: at in actione de peculio totius peculij quantitas spectatur, in quo & merces continentur. & fieri potest, ut dimidia forte parte peculij, aut tertia, uel etiã minore negocietur. fieri præterea potest, ut patri domino nihil debeat.

XII. IULIANVS lib. XXII. *digestorum.*

**A**lius duntaxat de peculio, alius tributoria serui nomine cum domino agitur. quaesitum est, an deducere dominus de peculio debeat, quod tributoria agenti præstaturus sit? respondi. tributoria actione tunc demum agi potest, cum dominus in distribuendo precium mercis edicto prætoris non satisfecit: id est, cum maiorem partem debiti sui deduxit, quam creditoribus tribuit. ueluti si cum in merce triginta fuissent, in quam ipse quidem quindecim crediderat, duo autem extranei tri-

ginta

ginta: tota quindecim deduxerit, & creditoribus reliqua quindecim dederit: cū deberet sola decem deducere, extraneis dena tribuere. cum igitur hoc fecit: nec intelligendus est, seruū à se liberasse, eo quod quinq; adhuc nomine eius tributoria actione præstaturus sit. quare si agi de peculio cœperit (cum forte extra mercem peculium est) quinq; tanq; adhuc creditor serui, deducere debet.

**QVOD CVM EO, QVI IN ALIENA POTESTATE EST, GESTUM ESSE DICETUR.** Tit. V.

*CAIVS lib. VIII. ad edictum provinciale.*



**Q**uoniam pconful agit, ut qui contraxit cū eo, qui in aliena potestate fuit: etiā si deficient superiores actiones, id est, exercitoria, institoria, tributoria: nihilominus tamē, in quantum ex bono & æquo res patit, suū consequatur. siue enim iussu eius, cuius in potestate est, negociū gestū fuerit: in solidum eo nomine iudicium pollicetur. siue non iussu, sed tamen in re eius uersum fuerit: eatenus introduxit actionē, quatenus in rem eius uersum fuerit. siue neutrum eorū sit: de peculio actionem constituit.

*II. VLP. IANVS lib. XXVIII. ad edictum.*

**A**lterator. **I**N EVM, QVI EMANCIPATVS AVT EXHAEREDATVS ERIT, QVI VE ABSTINVERIT HAEREDITATE EIVS, CVIVS IN POTESTATE, CVM MORIRETVR, FVERIT: EIVS REI NOMINE, QVAE CVM EO CONTRACTA ERIT, CVM IN POTESTATE ESSET: SIVE SVA VOLVNTATE, SIVE IVSSV EIVS, IN CVIVS POTESTATE ERIT, CONTRAXERIT: SIVE IN PECVLIVM IPSIVS, SIVE IN PATRIMONIVM EIVS, CVIVS IN POTESTATE FVERIT, EA RES REDACTA FVERIT: ACTIONEM CAVSSA COGNITA DABO IN ID, QVOD FACERE POTEST. Sed & si citra emancipationem sui iuris factus sit, uel in adoptionem datus, deinde pater naturalis decesserit: item si quis ex minima parte sit institutus: æquissimum est, causa cognita etiam in huic dari actionem in id, quod facere potest.

*III. IDEM lib. III. disputationum.*

**S**ed an hic detrahi debeat, quod alijs debetur, tractari potest. & si quidem sint creditores, qui cū esset alienæ potestatis, cum eo contractauerunt: recte dicetur, occupantis meliorem esse conditionem, nisi si quis privilegiarius ueniat: huius enim non sine ratione prius ratio habebitur. quod si qui sunt, qui postea, quàm sui iuris factus est, cum eo contractauerunt: puto horum rationem habendam.

*III. IDEM lib. XXVIII. ad edictum.*

V ij Sed

**S**ed & si ex parte non modica sit hæres scriptus filius: in arbitrio est creditoris, utrū pro portione hæreditaria, an in solidum eum conueniat: Sed & hic iudex æstimare debet, ne forte in id, quod facere potest, debeat cōueniri. Interdū autem & si exhæredatus filius, uel emancipatus sit, in solidum actio aduersus eum dabitur: ut puta si patrem familias se mentitus est, cum contraheretur cū eo. nam libro secundo digestorum Marcellus scripsit: etiam si facere non possit, conueniendum propter mendacium. Quancūq; autem ex contractu in id, quod facere potest, actio in eum datur: tamen ex delictis in solidum cōuenietur.

Soli autem filio succurritur, non etiam hæredi eius. & Papinianus libro nono quæstionum scribit, in hæredem filij in solidū dandam actionē. Sed an etiā temporis ratio haberi debeat: ut siquidē ex cōtinenti cum filio agat, detur actio in id, quod facere potest: si uero post multos annos, non debeat indulgeri: & mihi uidetur, rationem habendam esse. in hoc enim causæ cognitio uertit. Is, qui de peculio egit, cum posset **QVOD IVS SV**: in ea causa est, ne possit **QVOD IVS SV** post ea agere: & ita Proculus existimat. & si errore deceptus, de peculio egit, putat Celsus succurrendum ei. quæ sententia habet rationem.

V. PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.

**S**i filius familias uiuo patre conuentus, & condemnatus sit: in emancipatum, uel exhæredatum postea, iudicati actio in id, quod facere potest, danda est. Si filio exhæredato ex senatusconsulto Trebelliano hæreditas patris restituta sit: nõ debet in quantum facere potest, sed in solidū condemnari effectu enim quodāmodo hæres est. Sed si coactus immiserit se, ut restituat hæreditatem: perinde obseruandum, ac si se abstinuisset.

VI. VLPPIANVS lib. I. disputationum.

**E**um, qui se patrem familias simulauit, & mandante aliquo stipulatus est: mandari teneri, Marcellus scribit, quamuis rem præstare non possit. & sanè uerum est, teneri eum debere: quia dolo fecit. hoc & in omnibus bonæ fidei iudicijs dicendum erit.

VII. SCAEVOVA lib. I. responsorum.

**P**ater filio permittit mutuam pecuniam accipere, & per epistolam creditori mādauit, ut ei crederet. filius ex minima parte patri hæres extitit. respondi. esse in potestate creditoris, utrū filium, cui credidisset, in solidū: an hæredes, pro qua parte quisq; successisset, mallet conuenire. sed filius condemnatur, in quantum facere potest.

VIII. PAVLVVS lib. I. decretorum.

**T**itianus Primus præposuerat seruum mutuis pecunijs dandis, & pignoribus accipiendis. sed seruus etiam negotiatoribus hordei sole-

solebat pro emptore suscipere debitum, & soluere. cū fugisset seruus, & is, cui obligatus fuerat dare precium hordei, conueniret dominū nomine institoris: negabat eo se nomine conueniri posse, quia nō in eam rem præpositus fuisset. cum autem & alia quædā gessisset, & horrea conduxisset, & multis soluisset, idē seruus pbaretur: præfectus annonæ contra dominū dederat sententiam. dicebamus, quasi fideiussionē esse uideri, cum pro alio solueret debitum. nō solere autem ex ea caussa in dominum dari actionem: nec uideri hoc dominum mandasse. Sed quia uidebatur, in omnibus eum suo nomine substituisse: sententiam confirmauit imperator.

aliās\* de  
legatus.

DE SENATVSCONSVLTO MA-

cedoniano. Tit. VI.

VLPIANVS lib. XXXVIII. ad edictum.



Erba senatusconsulti Macedoniani hæc sunt. CVM INTER CAETERAS SCELERIS CAUSSAS MACEDO, QVAS ILLI NATVRA ADMINISTRABAT, ETIAM AES ALIENVM ADHIBVISSET: ET SAEPE MATERIAM PECCANDI MALIS MORIBVS PRAESTARET, QVVM PECUNIAM (NE QUID AMPLIVS DICATVR) INCERTIS NOMINIBVS CREDERET: PLACERE, NE CUI, QVI FILIOFAMILIAS MUTVAM PECUNIAM DEDISSET, ETIAM POST MORTEM PARENTIS EIVS, CUIVS IN POTESTATE FVISSET, ACTIO PETITIO QVE DARETVR: VT SCIRENT, QVI PESSIMO EXEMPLO FOENERARENT, NVLLIVS POSSE FILIOFAMILIAS BONVM NOMEN, EXPECTATA PATRIS MORTE, FIERI. Si pendeat, an sit in potestate filius (utputa quoniam patrem apud hostes habet) in pendentem est, an in senatusconsultū sit commissum. nam si reciderit in potestate: senatusconsulto locus est. si minus: cessat. interim igitur deneganda est actio. Certe & si adrogatus mutuam pecuniam acceperit, deinde sit restitutus, ut emanciparetur: senatusconsultum locum habebit. fuit enim filiusfamilias. In filiofamilias nihil dignitas facit, quo minus senatusconsultum Macedonianum locum habeat. nam & si consul sit, uel cuius uis dignitatis, senatusconsulto locus est: nisi forte castrense peculium habeat. tunc enim senatusconsultum cessabit.

II. IDEM lib. XXX. ad edictum.

Vsq; ad quātitatem castrensis peculij: cum filij familiarū in castrensi peculio uice patrum familiarum futigantur.

III. IDEM lib. XXVIII. ad edictum.

Si

**S**I quis patrem familias esse crediderit, non uana simplicitate deceat, nec iuris ignorantia: sed quia publice pater familias plerisque uidebatur, sic agebat, sic contrahebat, sic muneribusungebatur: cessat senatusconsultum, unde Iulianus libro duodecimo digestorum, in eo, qui uestigalia conducta habebat, scribit, & est saepe constitutum, cessare senatusconsultum, proinde & in eo, qui scire non potuit, an filius familias sit: Iulianus libro duodecimo digestorum, cessare senatusconsultum ait, ut puta in pupillo, uel minore uiginti quinq; annis, sed in minore causa cognita, & a praetore succurrendum, in pupillo autem, etiam alia ratione debuit dicere, cessare senatusconsultum: quod in mutua pecunia non sit, quam sine tutoris autoritate pupillus dat: quemadmodum ipse Iulianus libro duodecimo digestorum dicit, si filius familias crediderit, cessare senatusconsultum, quod mutua pecunia non sit, quamuis liberam peculij administrationem habuit, non enim perdere ei peculium patre concedere, cum peculij administrationem permittit, & ideo uindictionem numerum patri superesse ait. Is autem solus senatusconsultum offendit, qui mutua pecuniam filio familias dedit, non qui alias contraxit: puta uendit, locauit, uel alio modo contraxit, nam pecuniae datio perniciosa parentibus eorum uisa est, ideo & si in creditu abij filio familias, uel ex causa emprionis, uel alio contractu, in quo pecunia non numerata, & stipulatus sum: licet coeperit esse mutua pecunia: tamen quia pecuniae numeratio non cooccurrit, cessat senatusconsultum, quod ita demum erit dicendum, si non fraus senatusconsulto sit cogitata: ut qui credere non potuit, magis ei uenderet, ut ille rei precium haberet in mutui uicem. Si a filio familias stipulatus sum, & patre familias factio crediderim: siue capite minutus sit; siue morte patris, uel alias sui iuris sine capitis deminutione fuerit effectus: debet dici, cessare senatusconsultum: quia mutua pecunia iam patre familias data est.

III. SCAEVOLA lib. II. qu. 1. questionum.

**Q**uia quod uulgo dicitur, filio familias credi non licere: non ad uerba, sed ad numerationem referendum est.

IV. PAVLVS lib. II. qu. 1. questionum.

**E**rgo hic & in solidum damnabitur, non in id, quod facere potest.

VI. SCAEVOLA lib. II. qu. 1. questionum.

**C**ontra etiam recte dicitur, si a patre familias stipulatus, credam potestea filio familias factio, senatusconsulti potestatem exercendam: quia expleta est numeratione substantia obligationis.

VII. VLP IANVS lib. XXVIII. ad edictum.

**I**tem si filius familias fidei iusserit: Neratius libro primo & secundo responsorum, cessare senatusconsultum ait. Idem & Celsus libro quarto:

to. Sed Iulianus adijcit. si color quæsitus sit, ut filiusfamilias, qui mutuum acceperat, fideiuberet alio reo dato: fraudem senatusconsulto factam nocere, & dandam exceptionem tam filiofamilias, quæ reo: quoniam & fideiussori filij subueniatur. Idem ait. si duos reos acceperat, filiumfamilias & Titium, cum ad filiumfamilias esset peruentura pecunia: ideo autem reum Titium acceperim, ne quasi fideiussor auxilio senatusconsulti uteretur: utilem esse exceptionem aduersus fraudem dandam. Sed si filiusfamilias patre suo relegato, uel longo tempore absente, dorem pro filia promiserit, & rem patris pignori dederit: senatusconsultum quidem cessabit, patris tamen res non tenebitur. plane si patri hæres extiterit filius, & pignus persequatur: exceptione doli submouebitur. Mutui datione non solum numerata pecuniæ, uerum omnium, quæ mutuo dari possunt, an accipere debeamus, uidentur. sed uerba uidentur mihi ad numeratam pecuniam referri. ait enim senatus, **MUTUAM PECUNIAM DEDISSET.** sed si fraus sit senatusconsulto adhibita: puta frumeto, uel uino, uel oleo mutuo dato, ut his distractis fructibus, uteretur pecunia: subueniendum est filiofamilias. Si filiusfamilias in alterius erat potestate, cum mutua daretur, nunc item in alterius: mens senatusconsulti non cessat. dabitur ei itaque exceptio. Sed etsi patris eius non mors, sed alia causa inciderit, quo minus sit in ciuitate: dicendum, senatusconsulto locum esse. Non solum ei, qui mutuum dedisset, sed & successoribus eius deneganda est actio. proinde et si alius pecuniam mutuum dedit, alius stipulatus est: dabitur aduersus eum exceptio, licet hic non dederit. Sed etsi alteruter eorum ignorauit in patris esse potestate se: uerius dicendum est, utriusque alterius scientiam nocere. idem est in duobus reis stipulandi. Item si duos filiosfamilias acceperat reos, sed alterum putauit patremfamilias: intererit ad quem peruenerit pecunia: ut si eum sciui filiumfamilias, ad quem peruenerit pecunia: exceptione submouear. si ad eum, quem ignorem: non submouear. Siue autem sub usuris mutua sit data, siue sine usuris: ad senatusconsultum spectat. Quamquam autem non declaret senatus, cui exceptionem det: tamen sciendum est, & hæredem filij, si paterfamilias decesserit: & patrem eius, si filiusfamilias decesserit, exceptione uti posse. Interdum tamen etsi senatusconsulto locus sit, tamen in alium datur actio: ut puta si filiusfamilias institutor mutuum acceperit. scribit enim Iulianus libro duodecimo, ipsum quidem institutorem exceptione senatusconsulti usurum, si conueniatur: sed institutoriam actionem aduersus eum, qui præposuit, competere. quamquam (inquit) si ipse pater eum præposuisset merci suæ, uel mercem peculiarem exerce re passus esset, cessaret senatusconsultum: quoniam patris uoluntate

contractum uideretur. nam si scit eum negociari: etiam hoc permisisse uideretur, si non nominatim prohibuit mutuum accipere. proinde si accepit pecuniam, & in rem patris uertit: cessat senatusconsultum. patri enim, non sibi accepit. Sed etsi ab initio non sic accepit, uerum postea in rem patris uertit: cessare senatusconsultum, libro duodecimo digestorum Iulianus ait: intelligendumque esse, ab initio sic accepisse, ut in rem patris uerteret. non tamen uertisse uidebitur, si mutuam pecuniam acceptam patri in debitum proprium soluit. & ideo si pater ignorauit: adhuc senatusconsulto locus erit. Quod dicitur in eo, qui studiorum causa absens mutuum acceperat, cessare senatusconsultum: ita locum habet, si probabilem modum in mutuando non excefferit: nempe eam quantitatem, quam pater solebat subministrare. Si filius familias acceperit mutuam pecuniam, ut eum liberaret, qui si peteret, exceptione non submoueretur: senatusconsulti cessabit exceptio: hoc amplius cessabit senatusconsultum, si pater soluere cepit, quod filius familias mutuum sumpserat, quasi ratum habuerit. Si pater familias factus partem soluerit debiti, cessabit senatusconsultum: nec solutum repetere potest.

**C** VIII. PAVLVS lib. XXX. ad edictum.  
 VM tamen à curatore per ignorantiam solutum sit, repetere potest:

IX. VLPPIANVS lib. XXVIII. ad edictum.

**S** Ed si pater familias factus, rem pignori dederit: dicendum erit, senatusconsulti exceptionem ei denegandam usque ad pignoris quantitatem. Si ab alio donatam sibi pecuniam filius creditori soluerit: an pater uindicare, uel repetere possit: & ait Iulianus, siquidem hac conditione ei donata sit pecunia, ut creditori soluat: uideri à donatore profectam protinus ad creditorem, & fieri numos accipientis. si uero simpliciter ei donauit: alienationem eorum filium non habuisse. & ideo si soluerit, conditionem patri ex omni euentu competere. Hoc senatusconsultum ad filias quoque familiarum pertinet. nec ad rem pertinet, si adfirmetur, ornamenta ex ea pecunia comparasse. nam si ei quoque qui filio familias credidit, decreto amplissimi ordinis actio denegatur: nec interest, consumpti sint numi, an existent in peculio: multo igitur magis seueritate senatusconsulti eius contractus improbatum, qui filio familias mutuum dedit. Non solum filio familias & patri eius succurritur, uerum fideiussori quoque, & mandatori eius: quia & ipsi mandati habent regressum: nisi forte animo donandi intercesserint. tunc enim cum nullum regressum habeant, senatusconsultum locum non habebit. Sed si non donandi animo, patris tamen uoluntate intercesserunt: totus contractus à patre uidebitur comprobatus. & tamen

men hi, qui pro filiofamilias, sine uoluntate patris eius intercesserunt, soluendo non repetent. hoc enim & diuus Hadrianus constituit, & potest dici non repetituros. atqum pperua exceptione tuti sunt. sed & ipse filiusfamilias: & tamen non repetit: quia hi demum solutum non repetunt, qui ob poenam creditorum actione liberantur, non quoniam exonerare eos lex uoluit. Quamquam aut soluendo non repetunt:

**Q**uia naturalis obligatio manet:  
X. PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.

XI. VLP IANVS lib. XXVIII. ad edictum.

**T**amen etsi opposita exceptione condemnati sunt: utentur senatusconsulti exceptione. & ita Iulianus scribit in ipso filiofamilias, exemplo mulieris intercedentis.

XII. PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.

**S**i tamen sciente patre creditum sit filio: dicendum est, cessare senatusconsultum. Sed etsi iusserit pater filio credi, deinde ignorante creditore mutauerit uoluntatem: locus senatusconsulto non erit, quoniam initium contractus spectandum est.

XIII. CAIVS lib. XXIII. ad edictum provinciale.

**S**i quod alij mutuam dedimus, a filiofamilias nouandi causa stipulemur: non esse impedimento senatusconsultu, Iulianus scripsit.

XIIII. IVL IANVS lib. XII. Digestorum.

**F**ilium habeo, & ex eo nepotem. nepoti meo creditum est inssu patris eius. quaesitum est, an contra senatusconsultum fieret: dixi. et si uerbis senatusconsulti filij continerentur, tamen & in persona nepotis idem seruari debere. iussum autem huius patris non efficere, quominus contra senatusconsultum creditum existimaretur: cum ipse in ea causa esset, ut pecuniam mutuam inuito patre suo accipere non posset.

XV. MARTIANVS lib. XIII. institutionum.

**N**ihil in interest, quis filiofamilias crediderit: utrum priuatus, an ciuitas. nam in ciuitate quoq; senatusconsultum locum habere, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

XVI. PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.

**S**i filiusfamilias absente patre, cum quasi mandatu eius pecuniam acciperet, cauit: & ad patrem literas emisit, ut eam pecunia in provincia solueret: debet pater, si actum improbat, continuo testationem interponere contrariae uoluntatis.

XVII. IDEM lib. II. sententiarum.

**S**i filiusfamilias in id acceperit mutuam pecuniam, ut eam pro sorore sua in dotem daret: pater eius de in re uerso actione tenebitur. ipsi enim, mortua in matrimonio puella, repetitio dotis datur.

X ij Venus

XVIII. VENVLEIVS lib. II. stipulationum.

**C**reditorum filijfamilias, mortuo eo, fideiussorem accipere non posse, Iulianus scribit: quia nulla obligatio aut civilis, aut naturalis supersit, cui fideiussor accedat. planè à patre, eius actionis nomine, quæ de peculio aduersus eum competit, fideiussorem recte accipi.

XIX. POMPONIVS lib. V. ex uarijs lectionibus.

**I**ulianus scribit, exceptionem senatuscòsulti Macedoniani nulli obstat, nisi ei, qui sciret: aut scire potuisset, filiumfamilias eum esse, cui crederet.

XX. IDEM lib. III. senatusconsultorum.

**S**i is, cui dum in potestate patris esset, mutua pecunia data fuerat: postquam in potestate patris factus, per ignorantiam facti, nouatione facta eam pecuniam expromiserit: si petatur ex ea stipulatione, in factum excipiendum erit.

# DIGESTORVM

## SEV PANDECTARVM LIBER DE-

cimusquintus.

DE PECVLIO.

Tit. I.

VLPIANVS lib. XXIX. ad edictum.



**R**edinarium pretor arbitratus est, prius eos contractus exponere eorum, qui alienæ potestati subiecti sunt, qui in solidum tribuunt actionem: sic deinde ad hoc puenire, ubi de peculio datur actio. Est autem triplex hoc edictum. aut enim de peculio, aut de in rem uerso, aut quod iussu hinc oritur actio. Verba aut edicti talia sunt. **QVOD CVM EO, QVI IN ALTERIVS POTESTATE ESSET, NEGOCI- VM GESTVM ERIT.** De eo loquitur, non de ea: sed tamè & ob eam, quæ est foeminini sexus, dabitur ex hoc edicto actio. Si cum impube- re filiofamilias, uel seruo contractum sit: ita datur in dominum uel patrem de peculio actio, si locupletius eorum peculiũ factum sit. Potestatis uerbum cõmuniter accipiendum est, tam in filio, quam in seruo: nec magis dominium seruorum spectandum, quam facultas habendi eos. non enim solum seruorum propriorum nomine conuenimur, item communium: uerum eorum quoq;, qui bona fide nobis seruiunt, sine liberi, siue serui alieni.

II. POMPONIVS lib. III. ad Sabinum.

**E**x ea causa, ex qua soleret seruus fructuarius uel usuarius acquire-  
re:

re: in eum, cuius ususfructus, uel usus sit, actio duntaxat de peculio, cæteræq; honorariæ dantur: ex reliquis in dominum proprietatis.

III. VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.

**L**icet tantum prætor, si cum eo, qui in potestate sit, negotium gestum erit, polliceatur actionē: tamen sciendum est, etsi in nullius sit potestate, dari de peculio actionem: ut puta si cum seruo hæreditario contractum sit ante aditam hæreditatem. Vnde Labeo scribit. etsi secundo tertioque gradu substitutus sit seruus, & deliberantibus primis hæredibus cum eo contractum sit, mox repudiantibus eis ipse liber hæresq; existit: posse dici, de peculio eum conueniri, & de in rem uerso. Parui autem refert, seruus quis masculi, an mulieris fuerit. nam de peculio & mulier conuenietur. Pedius etiam impuberes dominas de peculio obligari ait. non enim cum ipsis impuberibus contrahitur, ut tutoris auctoritatem spectemus. Idem adijcit, pupillum non posse seruo peculium cõstituere, nec tutoris auctoritate. In furiosi quoq; curatorem dicimus dandam de peculio actionem, nam & huius seruus peculium habere potest: non si fuerit concessum, ut habeat: sed si non fuerit prohibitum, ne habeat. Si filiusfamilias uel seruus pro aliquo fideiusserint, uel aliàs interuenerint, uel mandauerint: tractatum est, an sit de peculio actio. & est uerius, in seruo causam fideiubendi, uel mandandi spectandam, quam sententiam & Celsus libro sexto pbat in seruo fideiussore. si igitur quasi intercessor seruus interuenerit, non rem peculiarem agens: non obligabitur dominus de peculio. Iulianus quoq; libro duodecimo digestorū scribit, si seruus mādauerit, ut creditori solueretur: referre ait, quā causam mādandi habuerit. si pro creditore suo solui mandarit: obligatū esse dominū de peculio. q̄ si intercessoris officio functus sit: non obligari dominū de peculio. Cui congruit, qđ idē Iulianus scribit, si à filio meo fideiussorē accepo: quidqđ à fideiussore accepero, id me non de in rem uerso, sed de peculio actione mandati præstaturū. idem accipias & in serui fideiussore. idemq; si alius mihi pro filio meo debitore soluisset. quod si filius meus debitor nō fuisset: exceptione doli fideiussorem usurum: et si soluisset, condicturū scribit.

Si seruus, cum se pro libero gereret, compromisit: quæritur, an de peculio actio ex pœna compromissi, quasi ex negotio gesto danda sit, sicuti traiecitia pecuniæ datur. Sed hoc & Neruæ filio, & mihi uidetur uerius, ex compromisso serui non dandam de peculio actionem: quia nec si iudicio condemnetur seruus, datur in eum actio. Sed si filius fideiussor, uel quasi interuentor acceptus sit: an de peculio patrem obliget, quæritur? & est uera Sabini & Cassij sententia existimantium, semper obligari patrem de peculio, & distare in hoc à seruo. quare & ex

compromisso pater tenebitur: & ita Papinianus quoque libro nono quaestionum scribit. nec interest ait, ex qua causa compromiserit: utrum ex ea causa, ex qua potuit cum patre de peculio agi: an uero ex ea, ex qua non potuit, cum ex stipulatu pater conueniatur. Idem scribit, iudicati quoque patrem de peculio actione teneri. quod Marcellus putat etiam eius actionis nomine, ex qua non potuit pater de peculio actionem pati. nam sicut stipulatione contrahatur cum filio, ita iudicio contrahi. proinde non originem iudicij spectandam, sed ipsam iudicati ueluti obligationem. quare & si quasi defensor condemnatus sit: idem putat. Ex furtiua causa à filio quidem familias condici posse constat. an uero in patrem uel in dominum de peculio danda sit, quaeritur: & est uerius, in quantum locupletior dominus factus est, ex furto facto actionem de peculio dandam. idem Labeo probat. quia iniquissimum est, ex furto serui dominum locupletari impune. nam & circa rerum amotarum actionem familiae nomine in id, quod ad patrem peruenit, competit actio de peculio. Si filius familias duumuir pupillo rem saluam fore cauere non curauit: Papinianus libro nono quaestionum de peculio actionem competere ait. nec quidquam mutare arbitror, an uoluntate patris decurio factus sit: quoniam rem publicam saluam fore pater obstrictus est.

III. POMPONIVS lib. IX. ad Sabinum.

**P**eculij est non id, cuius seruus seorsum à domino rationem habuit: sed quod dominus ipse separauit in substantiam seruo, suum à serui ratione discernens. nam cum serui peculium totum adimere, uel auferre, uel minuere dominus possit: animaduertendum est, non quid seruus, sed quid dominus constituendi seruilis peculij gratia fecerit. Sed hoc ita uerum puto, si debito seruum liberare uoluit dominus: ut etiam si nuda uoluntate remiserit dominus, quod debuit, desinat seruus debitor esse. si uero nomina ita fecerit dominus, ut quasi debitor se seruo faceret, cum debitor non esset: contra puto. re enim, non uerbis peculium augendum est. Ex his apparet, non quod seruus ignorante domino habuit, peculium esse: sed quod uolente. alioquin & quod subripuit seruus domino, fiet peculij, quod non est uerum. Sed saepe fit, ut ignorante domino, incipiat minui serui peculium: ueluti cum dampnum domino dat seruus, aut furtum facit. Si opem ferente seruo meo, furtum feceris mihi: id de peculio deducendum est, quod minus ob rem subrepta consequi possim. Si aere alieno dominico exhauriatur peculium serui: res tamen in causa peculiari manet. nam etsi aut seruo donasset debitum dominus, aut nomine serui alius domino intulisset; peculium suppletur, nec esset noua concessione domini opus. Non solum id in peculium uiciorum ponendum est, cuius rei à domino, sed etiam id, cuius

ius ab eo, cuius in peculio sunt, seorsum rationem habent.

V. VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.

**D**Epositi nomine pater uel dominus duntaxat de peculio conueniuntur, & si quis dolo malo eorū captus sit. Sed & si precario res filiofamilias uel seruo data sit: duntaxat de peculio pater dominus uel obligatur. Si filiusfamilias iusiurandum detulerit, & iuratum sit: de peculio danda est actio, quasi contractum sit. sed in seruo diuersum est.

Peculium dictum est, quasi pusilla pecunia, siue pusillum patrimonium. Peculium autem, Tubero quidem sic definiuit (ut Celsus libro sexto digestorū refert) quod seruus domini permissu separatū à rationibus dominicis habet, deducto inde, si quid domino debetur.

VI. CELSVS lib. VI. digestorum.

**D**efinitionē peculij, quam Tubero exposuit, Labeo ait, ad uicariorū peculia non pertinere. quod falsum est. nam eo ipso, qd dominus seruo peculium cōstituit, etiā uicarijs cōstituisse existimandus est.

VII. VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.

**Q**uam Tuberonis sententiā & ipse Celsus probat: & adijcit, pupillum uel furiosum cōstituere quidem peculium seruo non posse: uerum ante constitutū, id est uel ante furorē uel à patre pupilli, non adimi ex his causis, quæ sententia uera est, & congruit cum eo, quod Marcellus apud Iulianum notans adijcit: posse fieri, ut apud alterum ex dominis seruus peculium habeat, apud alterum nō: ut puta si alter ex dominis furiosus sit, uel pupillus.

\*Sunt quidam (inquit) qui putant, peculium seruum habere non posse, nisi concedente domino: ego autem \*als. Si, ut quidā (inquit) p. pec. seruus h. n. potest. puto, non esse opus cōcedi à domino, peculium seruum habere, sed non adimi, ut habeat. Alia causa est peculij liberæ administrationis. nā specialiter concedenda est. Scire autē non utiq; singulas res debet ex necessitate, sed παχυμετέσσορ. & in hanc sententiam Pomponius inclinatur. Tam autē pupillum filium, quā seruū peculium habere posse, Pedius libro decimoquinto scribit: cum hoc (inquit) totum ex domini constitutione pendeat. Ergo & si furere cōeperit seruus uel filius, retinebunt peculium. In peculio autē res esse possunt omnes, & mobiles, & soli uicarios quoq; in peculium potest habere, & uicariorū peculium, hoc amplius & nomina debitorū. Sed & si quid furti actione seruo debet, uel alia actione: in peculium computabit. hæreditas quoq; & legata, ut Labeo ait. sed & id, quod dñs debet, sibi in peculium habebit: si forte in domini rationes impendit, & dominus ei debitor manere uoluit: aut si debitorē eius dominus cōuenit. quare si forte ex serui emptione emptionis nomine duplum dominus exegit: in peculium serui erit conuersum: nisi forte dominus eo proposito fuit, ut nollet hoc esse in peculium

lium serui. Sed & si quid ei conseruus debet, erit peculij: si modo ille habet peculium, uel habebit.

VIII. PAVLVS lib. XVII. ad Sabinum.

**N**on statim quod dominus uoluit ex re sua peculij esse, peculium fecit: sed si tradidit, aut cum apud eum esset, pro tradito habuit. desiderat enim res naturalem \* dationem. Contra autem, simul atq; a/s \* tradi tionem. noluit peculium serui: definit peculium esse.

IX. VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.

**S**ed si damnum seruo dominus dederit in peculio: hoc non computabitur, non magis, q̄ si subripuerit. Planè si conseruus dederit damnum, uel subripuerit: in peculium uidetur haberi. & ita Pomponius libro uicesimo secundo scribit. nam & si quid dominus ab eo, qui rem peculiarem subripuit: uel consecutus est, uel cōsequi potuit: in peculium esse computandum, Neratius libro secundo responsorum scribit. Peculium autem deducto, quod domino debetur, computandum est: quia præuenisse dominus, & cum seruo suo egisse creditur.

Huic definitioni Seruius adiecit, ET SI QUID HIS DEBEATUR, QUI SVNT IN EIVS POTESTATE: quoniam hoc quoque domino deberi, nemo ambigit. Præterea id etiã deducetur, quod his personis debetur, quæ sunt in tutela, uel in cura domini, uel patris, uel quorum negocia administrant: dum modo dolo careant: quoniam etsi per dolum peculium uel ademerint, uel minuerint, tenentur. nã si semper præuenire dominus & agere uidetur: cur non dicatur etiam hoc nomine eum secum egisse, quo uel tutelæ, uel negotiorum gestorum, uel utili actione tenebitur. nam ( ut eleganter Pedius ait ) ideo hoc minus in peculio est, quod domino uel patri debetur: quoniam non est uerisimile, dominum id concedere seruo in peculium habere, quod sibi debetur. sanè cum ex cæteris causis ipsum à semetipso exegisse dicimus, qui negocia uel tutelam gerit: cur non etiam in specie peculiari exegerit, quod exigi debuit: defendendum igitur erit, quasi sibi eum soluere, cum quis agere de peculio conabitur. Sed & creditor serui, qui hæres exstitit domino eius, deducit de peculio, quod sibi debetur: siue libertatem seruus acceperit, siue non. idemq; etsi pure legatus sit seruus: nam quasi præuenierit, & ipse cū seruo egerit: sic deducet, quod sibi debetur, si conueniatur: licet nullo momento dominium in manumisso, uel legato pure habuerit. & ita Iulianus libro duodecimo scribit. certe si sub conditione seruus libertatem acceperit, minus dubitatur. & Iulianus eodem loco scribit, hæredem deducere. dominus enim factus est. ad defensionem sententiæ suæ Iulianus etiam illud adfert: quod si ei, qui post mortem serui, uel filij intra annũ potuit conueniri de peculio, hæres

hæres exstiterim: proculdubio deducā, quod mihi debetur. Siue autem ex contractu quid domino debeat, siue ex rationum reliquis: deducet dominus. Sed etsi ex delicto ei debeat: ut puta ob furtum, quod fecit: æque deducetur. Sed est quæstionis, utrum ipsa furti æstimatione, id est solū, quod domino abest: an uero tantum, quantum si alienus seruus commississet, id est cū furti pœnis: sed prior sententia uerior est, ut ipsa furti æstimatione sola deducatur. Si ipse seruus sese uulnerauerit: non debet hoc damnū deducere: non magis, quàm si se occiderit, uel præcipitauerit. licet enim seruis naturaliter in suum corpus sæuire. sed si à se uulneratum seruum dominus curauerit: sumptuū nomine debitorem eum domino puto effectum: quanquā si ægrum eum curasset, rē suam potius egisset. Item deducetur de peculio, si quid dominus serui nomine obligatus est, aut præstitit obligatus. ita & si quid ei creditum est iussu domini. nam hoc deducendū Iulianus libro duodecimo digestorum scribit. Sed hoc ita demum uerum puto, si nō in rem domini uel patris, quod acceptum est, peruenit. alioquin secum debeat cōpensare. Sed etsi pro seruo fidei iusserit: deducendum Iulianus libro duodecimo digestorum scribit. Marcellus autem in utroque, si nondum quidquid domino abest: melius esse ait, præstare creditori, ut caueat refusus se, si quid præstiterit dominus hoc nomine conuentus: quàm ab initio deduci, ut mediij temporis interusurium magis creditor consequatur. Sed si de peculio conuentus dominus, & condemnatus est: debet in sequente actione de peculio deduci. *(sed si a liq de peculio egit, & uicit, oportet deduci)* *\*cepit enim dominus uel pater iudicati teneri. nā & si quid serui nomine nō condemnatus præstitisset: creditori etiā hoc deduceret.*

*\*hec i ple-  
risq; anti.  
cod. desūt.*

X. CAIVS lib. VIII. ad edictum. prouinciale.

SI uero adhuc in suspenso est, prius iudicium de peculio, & ex posteriore iudicio res iudicatur: nullo modo debet prioris iudicij ratio haberi in posteriore condemnatione: quia in actione de peculio occupantis melior est cōditio. occupare autem uidetur, non qui prior litem contestatus est, sed qui prior ad sententiam iudicis peruenit.

XI. IDEM lib. IX. ad edictum.

SI noxali iudicio conuentus dominus litis æstimationem obtulerit: de peculio deducendum est. quod si noxæ dediderit: nihil est deducendum. Sed etsi quid dominus soluturum se serui nomine repromiserit: deduci oportebit, quemadmodū si quid domino seruus pro debitor expromiserit. Idem est, & si pro libertate quid domino expromiserit, quasi debitor domino sit effectus: sed ita demum, si manumisso eo agatur. sed si à debitore dominico seruus exegerit: an domino debitorem se fecerit, quæritur? & Iulianus libro duodecimo digestorum non

X alirex

aliter dominum deducturum ait, quam si ratum habuisset, quod exactum est. eadem & in filiofamilias dicenda sunt. & puto ueram Iuliani sententiam. naturalia enim debita spectamus in peculij deductione. est autem natura æquum, liberari filium uel seruum obligatione, eò quod uideatur indebitum exegisse. Est etiam quaestionis, an id quod dominus semel deduxit, cum conueniretur: rursus, si cõueniatur, de peculio eximere debeat: an uero ueluti solutum ei uideatur, semel facta deductione: & Neratius & Nerva putant. Item Iulianus libro duodecimo digestorum scribit: siquidem abstulit hoc de peculio, non debere deduci: si uero eandem positionem peculij reliquit: debere eum deducere. Denique scribit. si seruus uicarium quinq; ualentem in peculium habuisset, & domino quinq; deberet, pro quibus uicarium dominus deduxisset: & postea, uicario mortuo, alium eiusdem precij seruus comparasset: non desinere domini esse debitorem, quasi uicarius ille domino decesserit: nisi forte, cum eum seruo ademisset, & sibi soluisset, tunc decesserit. Idem recte ait. si cum uicarius ualeret decem, dominus conuentus de peculio, quinq; pro eo seruo praestitisset, quoniam quinq; ipsi debebantur: mox hic uicarius decessisset: aduersus alium agentem de peculio, decem dominum deducturum: quia in eo, quod iam pro eo soluit, debitorem sibi seruum fecerit, quæ sententia uera est: nisi seruo ademit uicarium, ut sibi solueret. Quod autem deduci debere diximus id, quod debetur ei, qui de peculio conuenitur: ita accipiendum est, si non hoc aliunde consequi potuit. denique Iulianus scribit, uenditorem, qui seruum cum peculio uendidit, si de peculio conueniatur, non debere deducere, quod sibi debetur. potuit enim hoc ex ratione peculij detrahere, & nunc condicere, quasi indebitum: quoniam non est in peculio, quod domino debetur. potest etiam (inquit) ex uendito agere. quod ita erit probandum, si tantum fuit in peculio, cum uenderet, ut satisfacere debito dominus posset. cæterum si postea quid accessit, conditionibus debiti existentibus, quod dominus non distraxerat: contra erit dicendum. idem scribit: si quis seruum, cuius nomine de peculio habebat actionem, comparasset: an possit deducere, quod sibi debeat, quoniam aduersus uenditorem habet actionem de peculio: & recte ait posse. nam & quiuis alius potest eligere, utrum cum emptore, an cum uenditore agere uelit. hunc igitur eligere posse pro actione deductionem. nec uideo quid habeant creditores, quod querantur: cum possint ipsi uenditorem conuenire, si quid forte putant esse in peculio. Non solum autem quod ei debetur, qui conuenitur, deducendum est: uerum etiam si socio eius, quid debetur. & ita Iulianus libro duodecimo digestorum scribit. nam qua ratione in solidum alteruter conuenitur: pari ratione deducere:

cum

eum oportet, quod alteri debetur. quæ sententia recepta est.

**Q** XII. IULIANVS lib. XII. *digestorum.*  
Via hoc casu etiã cum eo agi potest, penes quem peculium nõ est.

XIII. VLPPIANVS lib. XXIX. *ad edictum.*

**S**ed in emptore & uenditore uera non est. item in fructuario & proprietario, & cæteris, qui non sunt socij. sed & in domino, & bonæ fidei emptore. nam & Iulianus libro duodecimo digestorum scribit, neutrum eorum deducere id, quod alteri debetur.

XIII. IULIANVS lib. XII. *digestorum.*

**I**tem cum testamento præsentis die seruus liber esse iussus est: cum omnibus hæredibus de peculio agendum est: nec quisquam eorum amplius deducet, quàm id, quod ipsi debetur. Item cum seruus uiuo domino mortuus est; deinde dominus intra annum plures hæredes reliquit: & de peculio actio, & deductionis ius scinditur.

XV. VLPPIANVS lib. XXIX. *ad edictum.*

**S**ed & si duo sint bonæ fidei possessores: adhuc dicendum erit, neutrum plus deducturum, quàm quod sibi debetur. idemq; etsi duo sint fructuarij: quia nullam inter se habent societatem. idem dicitur interdum & in socijs: si forte separata apud se peculia habeant: ut alter alterius peculij nomine non conueniatur. cæterum si commune sit peculium: & in solidum conuenientur, & deducetur, quod utriq; debetur.

XVI. IULIANVS lib. XII. *digestorum.*

**Q**uis ergo casus est, quo peculium serui communis ad alterum ex dominis solũ pertineat: in primis si quis serui partem dimidiam uendiderit, nec peculium ei concesserit. deinde si quis seruo communi pecuniam, uel res aliquas ea mente dederit: ut proprietatem earum retineret, administrationem autem seruo concederet. MARCELLVS NOTAT. est etiam ille casus, si alter ademerit: uel si omni quidem modo concesserit dominus, sed in nominibus erit concessio

XVII. VLPPIANVS lib. XXIX. *ad edictum.*

**S**i seruus meus ordinarius uicarios habeat: id quod uicarij mihi debent, an deducam ex peculio serui ordinarij? & prima illa quæstio est, an hæc peculia in peculio serui ordinarij computentur? & Proculus & Atilicinus existimant: sicut ipsi uicarij sunt in peculio, ita etiã peculia eorum. & id quidem, quod mihi dominus eorum, id est, ordinarius seruus debet, etiam de peculio eorum detrahetur: id uero, quod ipsi uicarij debent, duntaxat ex ipsorum peculio. Sed & si quid non mihi, sed ordinario seruo debent: deducetur de peculio eorum, quasi conseruo debitum. id uero, quod ipsis debet ordinarius seruus, non deducetur de peculio ordinarij serui: quia peculium eorum in peculio ipsius est.

Y ij us est.

us est. & ita Seruius respondit. sed peculium eorum augebitur ( ut opinor ) quemadmodum si dominus seruo suo debeat.

XVIII. PAVLVVS lib. III. *questionum.*

**C** Vi cōsequens est, ut si Stichus peculium suum legatum sit, isq; ex testamento agat: non aliter cogatur id, quod uicarius eius testatori debet, relinquere: nisi is uicarius peculium habeat.

XIX. VLP IANVS lib. XXIX. *ad edictum.*

**H** Inc quæritur: si ordinarij serui nomine actū sit de peculio, an agi possit & uiciorum? & puto nō posse: licet si actum sit de peculio uicarij, agi poterit & de peculio ordinarij. Potest esse apud me duplicis iuris peculium: ut puta si seruus dotalis est, potest habere peculium, quod ad me respiciat: potest & quod ad mulierē. nam quod ex re mariti quasi sit, uel ex operis suis: id ad maritū pertinet. & ideo si respectu mariti hæres sit institutus, uel ei legatum datum: id eum non debere restituere, Pomponius scribit. igitur si mecum agatur ex eo contractu, qui ad me respicit: utrum omne deducam, quidquid mihi debetur (siue ex mea causa, siue ex ea, quæ ad uxorē respicit) an uero separamus causas, quasi in duobus peculij, ut & causa debiti, quod petitur, spectetur: ut si quidem ex eo peculio agatur, quod ad mulierem spectat, id deducam, quod ex eo contractu debeat: si ex eo contractu, qui ad me respicit, meum deducam: quæ quæstio dilucidius est in fructuario tractata. utrum ex eo contractu demum potest de peculio conueniri, quod ad se pertinet, an ex omni? & Marcellus etiam fructuarium teneri scribit, ex omni contractu. eum enim, qui contrahit, totum serui peculium, uel ut patrimonium, intuitum. certe illud admittendum omnimodo dicit: ut priore conuenio, ad quem res respicit, in superfluum is, cui quæsitū non est, conueniatur. quæ sententia probabilior est, & à Papiniano probatur. quod & in duobus bonæ fidei emptoribus erit dicendum. Sed in marito melius est dicere, simpliciter de peculio eum teneri. Sin autem maritus huiusmodi serui nomine aliquid præstiterit: an aduersus mulierem agentē, dotis nomine deducere id possit? & ait. si id, quod creditori præstitum est, ad utriusq; generis peculium pertinebit: pro rata utriusq; peculio decedere debere. ex quo intelligi potest, si ad alterū peculium contractus pertinebit: modo soli uxori detrahi: modo non detrahi, si ad id peculium pertinuit contractus, quod apud maritū refedit. In rerdum & ipsi fructuario aduersus dominum datur actio de peculio: ut puta si apud eum habeat peculium, apud ipsum uero aut nihil, aut minus, quam fructuario debetur. idem etiam contra eueniet: quamuis in duobus dominis sufficiat pro socio, uel communi diuidendo actio.

XX. PAVLVVS lib. XXX. *ad edictum.*

Nam

**N**am inter se agere socij de peculio non possunt.

XXI. VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.

**S**omma cum ratione etiã hoc peculio prætor imputabit, quod dolo malo domini factum est, quo minus in peculio esset. Sed dolum malum accipere debemus, si ei ademit peculium. sed etsi eum intricare peculium in necem creditorum passus est, Mela scribit dolo malo eius factum. Sed etsi quis, cum suspicatur alium secum acturum, aliò peculium auertat: dolo non caret. sed si alij soluerit: nõ dubito de hoc, quin non teneatur: quoniam creditori soluit, & licet creditori uigilare ad suum consequendum. Si dolo tutoris, uel curatoris furiosi, uel procuratoris factum sit: an pupillus, uel furiosus, uel dominus de peculio conueniatur, uidendum est, & puto, si soluendo tutor non sit, præstare pupillum ex dolo eius: maxime si quid ad eum peruenit. ita & Pomponius libro octauo epistolarũ scribit. idem in curatore & procuratore erit dicendum. Emptor autem ex dolo uenditoris nõ tenebitur, nec hæres, uel alius successor: nisi in id, quod ad eũ peruenit. Siue autẽ post iudiciũ acceptum, siue ante, dolo factũ sit: cõtinetur officio iudicis. Si dominus uel pater recuset de peculio actionem: non est audiendus, sed cogendus, quasi aliam quamuis personalem actionem suscipere.

XXII. POMPONIVS lib. VIII. ad Sabinum.

**S**i damni infecti ædium peculiariũ nomine promisit dominus: ratio seip̃s haberi debet. & ideo ab eo, qui de peculio agit, dño cauendũ est.

XXIII. IDEM lib. IX. ad Sabinum.

**A**edium autem peculiarium nomine in solidũ damni infecti præmitti debet, sicut uicarij nomine noxale iudicium in solidũ patitur: quia pro pignore \* eas, si non defendantur, actor possidet.

XXIII. VLP IANVS lib. XXVII. ad Sabinum.

**C**urator furiosi administrationem peculij & dare, & denegare potest, tam furiosi seruo, quàm filio.

XXV. POMPONIVS lib. XXX. ad Sabinum.

**I**d uestimentũ peculij esse incipit, quod ita dedit dominus, ut eo uel statu seruum perpetuò uti uellet: eòq; nomine ei tradidit, ne quis alius eo uteretur, idq; ab eo eius usus gratia custodiretur. sed quod uestimentũ seruo dñs ita dedit utendũ, ut non semper, sed ad certũ usum, certisq; tẽporibus eo uteretur: ueluti cum sequeretur eũ, siue cõnanti ministraret: id uestimentum non est peculij.

XXVI. PA VLVS lib. XXX. ad edictum.

**S**i semel ex ea causa, quod dolo fecerit, dominus præstitit de peculio conuentus: cæteris ex eadem causa nihil præstabit. sed & si tandem seruus ei debeat, quantũ dolo minuit: non erit condẽnandus.

Y iij his

\* al. ea, si non def. actor abducit, uel possid.

his consequens erit, ut manumisso quoq; uel alienato seruo, ex causa doli intra annum teneatur.

XXVII. CAIVS lib. IX. ad edictum prouinciale.

**E**T ancillarum & filiarum familiarum nomine de peculio actio datur: maxime si qua sarcinatrix, aut textrix erit, aut aliud artificia um uulgare exercent. datur propter eas actio depositi quoq; & commo dati actionem dandam earum nomine, Iulianus ait. Sed & tributoriani actione, si peculiari merce sciente patre dominoe negociant, dandam esse, longe magis non dubitatur. etsi in rem uersum est, quidue iussu patris dominiue contractum. Constat heredem domini id quoq; deducere debere, quod seruus, cuius nomine cum eo de peculio ageretur, ante aditam hereditatem ex bonis hereditarijs amouisset, consumpsisset, corrupisset. Si seruus alienatus sit: quamuis in eum, qui alienauit, intra annum praetor de peculio actionem pollicetur: tamen nihilominus & in nouum dominum actio datur. & nihil interest, aliud apud eum adquisierit peculiũ, an quod pariter cum eũ emit, uel ex donatione accepit, eidem concesserit. Illud quoq; placuit, (quod & Iulianus probat) omnimodo permittendum creditoribus, uel in partes cum singulis agere, uel cum uno in solidum. Sed ipsi, qui uendidit seruum, non putat Iulianus de eo, quod ante uenditionem credidit, cum emptore de peculio agere permittendũ. Sed etsi alieno credidero, eũq; redemero, deinde aliena uero: aequè non putat mihi in emptorem debere dari. In uenditorem autem duntaxat intra annũ, post redemptione numeradum, de eo quod adhuc alieno crediderim, dandã esse mihi actionem existimat: deducto scilicet eo, quod apud me peculiũ seruus habebat. Sicut autem de eo, quod ipse crediderim seruo meo, non putat Iulianus in emptorem, alienato eo, actionem mihi dari debere: ita & de eo, quod seruus meus seruo meo crediderit (si is, cui creditum fuerit, alienatus sit) negat permitti mihi debere cum emptore experiri. Si quis cum seruo duorum pluriumue contraxerit: permittendũ est ei, cum quo uelit dominorum, in solidũ experiri. est enim iniquum in plures aduersarios distringi eum, qui cum uno contraxit. nec huius duntaxat peculiũ ratio haberi debet, quod apud eum, cum quo agitur, is seruus habet: sed etiam eius, quod apud alterũ. nec enim res damnosa futura est ei, qui condemnatus est: cum possit rursus ipse iudicio societas, uel communi diuidendo, quod amplius sua portione soluit, a socio socijsue suis cõsequi. quod Iulianus ita locum habere ait, si apud alterum quoq; fuit peculium: quia eo casu soluendo quisq; sociũ etiam aere alieno liberare uidetur. at si nullum sit apud alterũ peculium, contra esse: quia nec liberare ullo modo aere alieno eum intelligitur.

Iulia

XXVIII. IVLIANVS lib. XII. digestorum.

**Q**Vare et si socio neq; hæres, neq; bonorum possessor existisset: eatenus damnari debet is, cum quo actum fuerit, quatenus peculium apud eum erit, & quantum ex bonis consequi potest.

XXIX. CAIVS lib. IX. ad edictum provinciale.

**S**I quis seruum testamento liberum esse iusserit, relictis hæredibus his, qui cum seruo contraxerunt: possunt inter se cohæredes uel de peculio agere: quia de eo quisq; peculio, quod apud eum est, quolibet alio agente tenetur. Etiam si prohibuit cum seruo contrahi dominus, erit in eum de peculio actio.

XXX. VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.

**Q**uestum est, an teneat actio de peculio, etiam si nihil sit in peculio, cum ageretur: si modo sit rei iudicatæ tempore? Proculus & Pegasus nihilominus teneri aiunt. intendi enim recte, etiam si nihil sit in peculio. idem & circa ad exhibendum & in rem actione placuit. quæ sententia & à nobis probanda est. Si cum ex parte hærede domini uel patris agatur: duntaxat de peculio condemnandum, quod apud eum hæredem sit, qui conuenitur. idem & de in rem uerso pro parte: nisi si quid in ipsius hæredis rem uertisset. nec quasi unum ex socijs esse hunc hæredem conueniendum, sed pro parte duntaxat. Sed & si ipse seruus sit hæres ex parte institutus: æque cum eo agendum erit. Si uero filius sit: quamuis ex parte institutus: nihilominus in solidum actionem patietur. sed si uelit pro parte nomen cohæredis redimere: audiendus est. quid enim, si in rem patris uersum sit: cur non consequatur filius à cohærede, quod in patris re est? idem et si peculium locuples sit. Is qui semel de peculio egit: rursus aucto peculio, de residuo debiti agere potest. Si annua exceptione repulsus sit à uenditore creditor: subueniri ei aduersus emptorem debet. sed si alia exceptione: hætenus, ut deducta ea quantitate, quam à uenditore consequi potuisset, ab emptore residuum consequatur. In dolo obijciendo temporis ratio habetur. fortassis enim post tempus de dolo actionis nõ patietur dolum malum obijci prætor: quoniã nec de dolo actio post statutum tempus datur. in hæredem aut doli clausula in id, quod ad eum peruenit, fieri debet: ultra nõ.

XXXI. PAULVS lib. XXX. ad edictum.

**S**ed si ipse hæres dolo fecerit, solidum præstat.

XXXII. VLP IANVS lib. II. disputationum.

**S**I ex duobus uel pluribus hæredibus eius, qui manumisso seruo, uel slibero esse iusso, uel alienato, uel mortuo, intra annum conueniri poterat, unus fuerit conuentus: omnes hæredes liberabuntur: quamuis non in maiore quantitate, quam eius peculij, quod penes se habet, qui

con.

conuenitur, cōdemnetur. idēq; ita Iulianus scripsit: idēq; est, etsi in alterius rem fuerit uersum. Sed etsi plures sint fructuarij, uel bonæ fidei possessores: unus conuentus, ceteros liberat: quamuis non maioris peculij quantitate, quàm penes se est, cōdemnari debeat. Sed licet hoc iure contingat: tamen æquitas dicit, iudicium in eos dari, qui occasione iuris liberantur: ut magis eos perceptio, quàm intentio liberet. nam qui cum seruo contrahit: uniuersum peculium eius, quod ubicunq; est, ueluti patrimonium, intuetur. In hoc autem iudicio licet restauratur \*aliās. re \*recedens: tamē & augmenti, & decessionis rationem haberi oportet. petens. ideo siue hodie nihil sit in peculio, siue accesserit aliquid: præsens status peculij spectandus est. quare circa uenditorem quoq; & emptorem hoc nobis uidetur uerius: quod accessit peculio, posse nos ab emptore consequi: nec retrorsum, uelut in uno iudicio, ad id tempus cōventionem reducere emptoris, quo uenditor conuentus sit. Venditor serui si cū peculio seruum uendiderit, & tradiderit peculium: ne intra annum quidem de peculio conuenietur. neq; enim hoc precium serui peculium est, ut Neratius scripsit.

XXXIII. IABOLENVS lib. XII. ex Cassio.

**S**ed si quis seruum ita uendiderit, ut precium pro peculio acciperet: spenes eum uidetur esse peculium, ad quem precium peculij peruenit.

XXXIII. POMPONIVS lib. XII. ex uarijs lectionibus.

**N**on penes quem res peculiaris sit.

XXXV. IABOLENVS lib. XII. ex Cassio.

**A**t cum hæres iussus est peculium dare, accepta certa summa: nō uidetur penes hæredem esse peculium.

XXXVI. VLPPIANVS lib. II. disputationum.

**I**n bonæ fidei contractibus quæstionis est, de peculio, an in solidum pater uel dominus teneatur: ut est in actione de dote agitatum, si filio familias dos data sit: an pater duntaxat de peculio conueniatur: ego autem arbitror non solum de peculio: sed & si quid præterea dolo malo patris capta fraudataq; est mulier, competere actionem. nam si habeat res, nec restituere sit paratus: æquū est eum, quanti ea res est, condénari. nam quod in seruo, cui res pignori data est, expressum est: hoc & in cæteris bonæ fidei iudicijs accipiendum esse, Pomponius scribit. nāq; etsi seruo res pignori data sit: non solum de peculio, & in rem uersa \*adie- so competit actio: uerum hanc quoq; habet \*actionem, ET SI QUID ctionē. DOLO MALO DOMINI CAPTVS FRAVDATVS QVE EST ACTOR. uidetur autem dolo facere dominus, qui cum habet restituendi facultatem, non uult restituere.

XXXVII. IULIANVS lib. XII. digestorum.

Si cre

**S**I creditor filij tui hæredem te instituerit, & tu hæreditatem eius uen-  
 dideris: illa parte stipulationis, quanta pecunia ex hæreditate ad te  
 peruenerit, teneberis de peculio. Si seruo tuo permiseris uicarium  
 emere aureis octo, ille decem emerit, & tibi scripserit se emisse octo, tuq;  
 ei permiseris eos octo ex tua pecunia soluere, & is decem soluit: hoc no-  
 mine duos aureos tantum uindicabis. sed hi uenditori præstabuntur  
 duntaxat de peculio serui. Seruum, quem communem cum Titio,  
 aut cum Sempronio habui: uendidi Titio ante, quam eius nomine age-  
 retur mecum de peculio. quæsitum est, si de peculio cum Titio, aut cū  
 Sempronio ageretur: an eius peculij, quod apud me esset, ratio haberi  
 debeat: dixi. si cum Sempronio ageretur, nunquam rationem eius pe-  
 culij, quod apud me esset, haberi debere: quia is nullā aduersus me acti-  
 onem haberet, per quam id, quod præstitisset, consequi posset. Sed etsi  
 cum Titio post annum, quam uendidissem, ageretur: similiter non esse  
 computandum peculium, quod apud me esset: quia iam mecū agi de  
 peculio non posset. Sin autem intra annum ageretur: tunc quoq; haben-  
 dam huius peculij rationem: postquam placuit, alienato homine, per-  
 mittendum creditori, & cum uenditore, & cum emptore agere. Si  
 actum sit de peculio cum eo, qui usumfructum in seruo habeat, & mi-  
 nus consecutus sit creditor: non est iniquum, ut ex uniuerso eius pecu-  
 lio (siue apud fructuarium, siue apud proprietarium erit) rem conse-  
 quatur. Nihil interest, operas suas conduxerit seruus à fructuario,  
 an pecuniam mutuam ab eo acceperit. dari itaq; debebit actio ei aduer-  
 sus dominum proprietatis, deducto eo, quod seruus peculij nomine  
 apud fructuarium habet.

XXXVIII. AFRICANVS lib. IX. *questionum.*

**D**Eposui apud filium familias decem, & ago depositi de peculio.  
 quamuis nihil patri filius debeat, & hæc decem teneat: nibilo ma-  
 gis tamen patrem damnandum existimauit, si nullum præterea peculi-  
 um sit. hanc enim pecuniam, cum mea maneat, non esse peculij. de-  
 niq; quolibet alio agente de peculio, minime dubitandum ait, compu-  
 tari non oportere. itaq; ad exhibendum agere me, & exhibitam uindi-  
 care debere. Si nuptura filio familias dotis nomine certā pecuniam  
 promiserit, & diuortio facto agat de dote cum patre: utrū ne tota pro-  
 missione, an deducto eo, quod patri filius debeat, liberari eam oporteat:  
 respōdit. tota promissione eam liberandam esse: cum certe etsi ex  
 pmissione cum eo ageretur, exceptione doli mali tueri se posset. Sti-  
 chus habebat in peculio Pamphilū, qui est decem. idem Pamphilus de-  
 bet domino quinq;. si ageret de peculio Stichi nomine: placebat æsti-  
 mari debere precium Pamphili, & quidem totum: non deducto eo,  
 Z quod

quod dño Pamphilus deberet. neminem enim posse intelligi, ipsum in suo peculio esse. hoc ergo casu damnū dominū passurū, ut pateretur, si cuiuslibet alij seruorū suorum peculium non habenti credidisset. idēq; ita se habere, euidentius appariturum ait, si Sticho peculium legatum esse pponatur: qui certe, si ex testamento agat, cogendus non est, eius, quod uicarius seruus suus debet, aliter, quā ex peculio ipsius deductionem pati. alioquin futurum, ut si tantundem uicarius domino debeat: ipse nihil in peculio habere intelligatur. quod certe absurdum est. Seruo, quem tibi uendideram, pecuniam credidi. quæsitum est, an ita mihi in te actio de peculio dari debeat, ut deducatur id, quod apud me ex eo remanserit: quod quidem minime uerum est. nec intererit intra annum, quā uendiderim, an postea, experiar. nam nec cæteris quidem, qui tunc cum eo contraxerunt, in me actio datur. in cōtrarium quoq; agentibus mecum his, qui antea cum eo seruo contraxissent: non deducā id, quod postea mihi debere cœperit. ex quo apparebit, onus eius peculij, quod apud me remansit, ad posterioris temporis contractus pertinere non debere.

## XXXIX. FLORENTINVS lib. X. institutionum.

**P**eculium & ex eo consistit, quod parsimonia sua quis parauit, uel officio meruit à quolibet sibi donari: idēq; uelut proprium patrimonium, seruum suum habere quis uoluit.

## XL. MARTIANVS lib. V. regularum.

**P**eculium nascitur, crescit, decrescit, & moritur. & ideo eleganter Papyrius Fronto dicebat, peculium homini simile esse. Quomodo autem peculium nascatur, quæsitū est. & ita ueteres distinguunt. si id adquisiuit seruus, quod dominus necesse nō habet præstare: id esse peculium. si uero tunicas, aut aliquid simile, quod ei dominus necesse habet præstare: non esse peculium. ita igitur nascitur peculium. crescit, cum auctum fuit. decrescit, cum serui uicarij moriuntur, res interciunt. moritur, cum ademptum est.

## XLI. VLPPIANVS lib. XLIII. ad Sabinum.

**N**ec seruus quidquam debere potest, nec seruo potest deberi. Sed & cum eo uerbo abutimur: factum magis demonstramus, quā ad ius ciuile referimus obligationem. itaq; qd seruo debetur, ab extraneis dominus recte petet. quod seruus ipse debet: eo nomine in peculium, & si quid inde in rem domini uersum est, in dominum actio datur.

## XLII. IDEM lib. XII. ad edictum.

**I**n adrogatorem de peculio actionem dandam, quidam recte putant: quamuis Sabinus & Cassius ex ante gesto de peculio actionem non esse dandam existimant.

Paulus

XLIII. PAVLVS lib. XXX. ad edictum.

**S**I postea, quàm tecum de peculio egi, ante rem iudicatam seruum uendideris: Labeo ait, etiam eius peculij nomine, quod apud emptorem quaesierit, damnari te debere: nec succurrendum tibi. culpa enim tua accidisse, quod seruum uendidisses.

XLIIII. VLP IANVS lib. LXIII. ad edictum.

**S**I quis cum filio familias contraxerit, duos habet debitores: filium sin solidum, & patrem duntaxat de peculio.

XLV. PAVLVS lib. LX. ad edictum.

**I**deoq; si pater filio peculium ademerit: nihilominus creditores cū filio agere possunt.

XLVI. IDEM lib. LXI. ad edictum.

**Q**ui peculij administrationem concedit: uidetur permittere generaliter, quod & specialiter permitturus esset.

XLVII. IDEM lib. III. ad Plautium.

**Q**uoties in taberna scriptum fuisse, CVM IANUARIO SERVO MEO GERI NEGOCIUM VETO: hoc solum consecutum esse dominum constat, ne institoria teneat, non etiam ne de peculio. Sabinus respondit, non aliàs dandam de peculio actionem in dominum, cum seruus fideiussisset: nisi in rem domini, aut ob rem peculiarem fideiussisset. Si semel actum sit de peculio: quamuis minus inueniatur rei iudicandæ tempore in peculio, quàm debet: tamen cautionibus locum esse non placuit de futuro incremento peculij. hoc em̄ in pro socio actione locum habet, quia socius uniuersum debet. Si creditor serui ab emptore esset partem consecutus: competere in reliquum in uenditorem utile iudicium, Proculus ait. Sed re integra, non esse permittendum auctori, diuidere actionem: ut simul cum emptore, & cum ueditore experiatur. satis enim esse, hoc solū ei tribui, ut rescisso superiore iudicio, in alterum detur exactio: cum electo \* reo minus esset consecutus. & hoc iure utimur. Non tantum autem quiuis creditor cum uenditore ex ante gesto agere potest, sed & ipse emptor, idq; & Iuliano uidetur: quamuis & deducere ipse potest aduersus aliu agentem: dum tamen id, quod apud se habet, computet. Si seruus deducto peculio uenditus sit: procedit, ut uenditor, & deductione uti possit. sed si post uenditionem cœperit aliquid uenditori seruus debere: non minuit peculia, quia non domino debet. Quæ diximus in emptore & uenditore: eadem sunt, & si alio quouis genere dominium mutatum sit (ut legato, dotis datione) quia quasi patrimonium liberi hominis, peculium serui intelligitur, ubicunq; est.

XLVIII. IDEM lib. XVI. ad Plautium.

Z ij

Libera

**L**ibera peculij administratio non permanet, neq; in fugitiuo, neq; in subrepto: sed neq; in eo, de quo nesciat quis, uiuat, an mortuus sit. Cui peculij administratio data est: delegare debitorem suū potest.

XLIX. POMPONIVS lib. IIII. ad Q. Mutum.

**N**on solum id peculium est, quod dominus seruo cōcessit: uerum id quoq; quod ignorante quidem eo adquisitum sit: ramen si rescisset, passurus erat esse in peculio. Si ignorante me seruus meus negocia mea administrauerit: tantidem debitor mihi intelligitur, quanti teneretur, si liber negocia mea administrasset. Ut debitor, uel seruus domino, uel dominus seruo intelligatur: ex caussa ciuili computandum est. ideoq; si dominus in rationes suas referat, se debere seruo suo: cum omnino neq; mutuum acceperit, neq; ulla caussa præcesserit debendi: nuda ratio non facit eum debitorem.

L. PAPINIANVS lib. VII. *questionum.*

**E**o tempore, quo in peculio nihil est, pater latitat. in bonorum possessionem eius rei seruandæ caussa mitti non possum, qui de peculio cum eo acturus sum: quia non fraudationis caussa latitat, qui si iudiciū acciperet, absolui deberet. nec ad rem pertinet, quod fieri potest, ut damnatio sequatur. nam et si in diem, uel sub cōditione debeat: fraudationis caussa non uidetur latitare: tam etsi potest iudicis iniuria condēnari. Sed fideiussorem datū eo tēpore, quo nihil in peculio est, teneri putat Iulianus: quoniā fideiussor futuræ q; obligationis accipi potest: si tamen sic acceptus sit. Si creditor patrem, qui de peculio tenebatur, hæredē instituerit: quia mortis tēpus in Falcidiæ ratione spectatur, illius temporis peculii considerabitur. Etiam postq; dominus de peculio conuentus est, fideiussor pro seruo accipi potest. & ideo quæ ratione, si post actionē dictatam seruus pecuniā exsoluit, non magis repetere potest, q; si iudiciū dictatum non fuisset: eadem ratione fideiussor quoq; utiliter acceptus uidebitur: quia naturalis obligatio, quæ etiā seruus suscipere uidetur, in litem translata non est. Seruus alienus, cū bona fide mihi seruiret, numos à Titio mutuatus, mihi dedit, ut eū manumitterē, & manumisi. creditor quærebat, quæ de peculio cōueniret: dixi. quanq; creditor electionē aliās haberet, tamen in pposito dominū esse conueniendū: & eum ad exhibendum mecum acturū pecuniæ nomine, quæ ipsi esset adquisita, nec in eam caussam alienata, quæ pro capite serui data proponeret. neq; enim admittendū esse distinctionē existimantium: si non manumittam, domini pecuniā esse: manumissione uero secuta, uideri pecuniam ex re mea quæsitam mihi: quoniam magis propter rem meam, quam ex re mea pecunia mihi daretur.

LI. SCAEVOLA lib. II. *questionum.*

Quod

**Q**uod debetur seruo ab extraneis, agēti de peculio nō omnimodo dominus ad quantitātē debiti condēnandus est: cum & sumptus in petendo, & euentus exsecutionis possit esse incertus: & cogitāda sit mora temporis, quod datur iudicatis, aut uenditionis bonorū, si id magis faciendū sit. ergo si paratus sit actionē mandare, absoluetur. Qd enī dicit, si cū uno ex socijs agatur, uniuersum peculiū cōputandum, quia sit cum socio actio: in idem redibit, si actiones paratus sit præstare. & in oībus, quos idcirco teneri dicimus, quia habēt actionē: delegatio pro iusta præstatione est. *LII. PAVLVVS lib. III. questionum.*

aliās \*impendēdi

**E**x facto quæritur, qui tutelā quasi liber administrabat, seruus pronunciatus est. an si conueniatur eius dominus à pupillo (culus quidem potiorē causam, q̄ creditorū cæterorū serui habendam, rescriptū est) uel id deducatur ex peculio, quod domino debetur: & si putaueris posse deduci: an intersit, utrū cum adhuc in libertatem ageret, debitor domini factus est, an postea: & an de peculio impuberi cōpetat: respondi. nullum priuilegium præponi patri uel domino potest, cum ex persona filij uel serui de peculio conueniuntur. planē in cæteris creditoribus habenda est ratio priuilegiorum. quid enim si filius dotem accepit: tutelam administrauit: merito ergo & in seruo, qui pro tutore egit, id rescriptum est: & quia occupantis melior solet esse conditio, q̄ cæterorum: inhibebitur actio. Planē si ex re pupilli nomina fecit, uel pecuniā in arcam deposuit: datur ei uindicatio numorum, & aduersus debitores utilis actio: scilicet si numos cōsumpserunt. hic enim alienare eos non potuit. quod & in quouis tutore dicendum est. nec tamē interesse puto, quādo domino debere cœperit: utrū cum in libertatis possessione esset, an postea. nam & si Titij seruo credidero, eiusq̄ dominus esse cœpero: deducam, quod prius credidi, si cōueniri de peculio cœpero. quid ergo est: quia de peculio actio deficit, utilis actio in dominum quasi tutelæ erit: ut quod ille pro patrimonio habuit, peculiū esse intelligatur.

Si dos filiofamilias sit data, uel tutelā administrauerit: habēda erit ratio priuilegiorū in actione de peculio, dilata interim cæterorū creditorū actione: uel interposita cautione, si priores agant, qui priuilegiū non habēt: restitutori, quod acceperūt, si inferatur postea cū patre actio priuilegiorū. *LIII. IDEM lib. XII. questionum.*

**S**i Sticho peculiū, cum manumitteret, ademptū non est: uidetur concessum. debitores autē conuenire, nisi mandatis sibi actionibus, non potest. *LIII. SCAEVOLA lib. I. responforum.*

**F**iliofamilias uni ex heredibus prædia prælegauit, ut instructa erāt. \* Aliās totum hoc casu cū seruis. hi serui dñi debitores fuerūt. quæsitū est, an cæteris heredibus aduersus eū actio de peculio cōpetat: respondi, non competere. *put deest.*

LV. NERATIVS *lib. I. responforum.*

**I**S, cum quo de peculio agebam, à te mi exemptus est. quod tūc, cum ui eximeres, in eo peculio fuerit, spectari.

LVI. PAVLVS *lib. II. ad Neratium.*

**Q**uod seruus meus pro debitore meo mihi expromisit, ex peculio deduci debet, & à debitore nihilominus debetur. Sed uideamus, ne credendum sit peculiare fieri nomē eius, pro quo expromissum est: PAVLVS. utiq; si de peculio agente aliquo, deducere uelit: illud nomen peculiare facit.

LVII. TRIPHONINVS *lib. VIII. disputationum.*

**S**i filius uel seruus, cuius nomine duntaxat de peculio actum est, ante finitam iudicium decesserit: id peculium inspicietur, quod aliquis eorum, cum moriebatur, habuit. Sed eum, qui seruū testamento liberum esse iubet, & ei peculium legat: eius temporis peculii legare intelligi, Iulianus scribit, quo libertas cōpetit. ideoq; omnia incrementa peculij, quoquo modo ante aditam hæreditatem acquisita, ad manumissum pertinere. at si quis extraneo peculii serui legauerit, in coniectura uoluntatis testatoris quæstionē esse: & uerisimilius esse, id legatū, quod mortis tempore in peculio fuerit: ita, ut quæ ex rebus peculiaribus ante aditam hæreditatē accesserint, debeantur: ueluti partus ancillarum, & fœtus pecudum, quæ autem seruo donata fuerint, siue ex operis suis adquisierit: ad legatarium non pertinere.

LVIII. SCAEVOLA *lib. V. digestorum.*

**V**ni ex hæredibus prædia prælegauit, ut instructa erant, cū seruis, & cæteris rebus, & quidquid ibi esset. hi serui domini debitores fuerant, tam ex alijs causis, quàm ex ratione calendarij. quæsitū est, an cæteris hæredibus aduersus eum pecuniæ ab his debitæ actio de peculio competat? respondi non competere.

### QUANDO ACTIO DE PECVLIO

annalis sit.

Tit. II.

VLPIANVS *lib. XXIX. ad edictum.*

**P**ætor ait. POST MORTEM EIVS, QVI IN ALTERIVS POTESTATE FVERIT: POSTEA VE, QVAM IS EMANCIPIATVS, MANVMISSVS, ALIENATVS VE FVERIT: DVNTAXAT DE PECVLIO, ET SI QVID DOLO MALO EIVS, IN CUIVS POTESTATE EST, FACTVM FVERIT, QVO MINVS PECVLII ESSET; IN ANNO, QVO PRIMVM DE HA RE EXPERIVNDI POTESTAS ERIT, IVDICIVM DABO. *Qua-  
dam*

diu seruus uel filius in potestate est, de peculio actio perpetua est: post mortem autē eius, uel postq̄ emancipatus, manumissus, alienatusue fuerit: tēporaria esse incipit, id est annalis. Annus autem utilis computabitur. & ideo si conditionalis sit obligatio: Iulianus scripsit, ex eo computandum annū, non ex quo emancipatus est, sed ex quo peti potuit conditione existente. Merito autem tēporariā in hoc casu fecit prātor actionem. nam cum morte uel alienatione exstinguatur peculii: sufficiebat usq; ad annum produci obligationē. Alienatio autem & manumissio ad seruos pertinet, non ad filios: mors autem tam ad seruos, quā ad filios refertur: emancipatio uero ad solū filium. Sed & si alio modo sine emācipatione desierit esse in potestate: annalis erit actio. Sed & si morte patris, uel deportatione, sui iuris fuerit effectus filius: de peculio intra annum hāeres patris, uel fiscus tenebuntur. In alienatione accipitur utiq; uenditor, qui actione de peculio intra annum tenetur. Sed & si donauit seruum, uel permutauit, uel in dotē dedit: in eadem causa est. Item hāeres eius, qui seruū legauit, non cum peculio. nam si cum peculio, uel legauit, uel liberum esse iussit: quāstionis fuit. & mihi uerius uidetur, non dandā, neq; in manumissum, neq; in eum, cui legatum sit peculii, de peculio actionē. an ergo teneat hāeres? & ait Caelius teneri: quia peculii penes eū sit, qui tradendo id, à legatario se liberauit. Pegasus autem caueri hāeredi debere ait ab eo, cui peculium legatum sit: quia ad eum ueniunt creditores. ergo si tradiderit sine cautione, erit conueniendus. Si prācepto seruo & peculio, rogatus sit hāeres restituere hāereditatem: si de peculio conueniatur, Trebelliani exceptione non utetur, ut Marcellus tractans admittit. is enim, cui restituta est hāereditas, nō tenetur (ut Scāuola ait.) cū peculii non habeat, nec dolo fecerit, quo minus haberet. Usufructu quoq; extincto, intra annū actionem dandā in usufructuarium, Pomponius libro undecimo scripsit. Quāsitum est apud Labeonem. si cū filius uiueret, tu credens eum mortuum, annali actione egeris: & quia annus prāterierat, exceptione sis repulsus: an rursus experiri tibi, comperto errore, permittendum sit? & ait, permitti debere duntaxat de peculio, non etiā de in rem uerso. nā priore iudicio de in rem uerso recte actum esse: quia annua exceptio ad peculii, non ad in rem uersum pertineret.

II. PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.

**C**VM post mortem filij familias annua aduersus patrem actio est, quēadmodum aduersus eum esset perpetua, uiuo filio: ideo si ex causa redhibitionis erat de peculio actio, sex mensium erit post mortem filij, idem dicendū erit in omnibus tēporalibus actionibus. Si seruus, cui creditū est, apud hostes sit: de peculio actio in dominū non  
anno

anno finienda est: quia postliminio reuerti potest.

III. POMPONIVS lib. III. ad Q. Mutium.

**D**efinitione peculij interdum utendū est, etiam si seruus in rerum natura esse desijt, & actionem prætor de peculio intra annū datam & tunc accessiones & decessiones quasi peculij recipiendas, quāquā desijt morte serui, uel manumissione esse peculium: ut possit & accedere peculio, ueluti fructibus, pecorum fœtu, ancillarumq; partibus: & decedere, ueluti si mortuum sit animal, uel alio quolibet modo perierit.

DE IN REM VERSO. Tit. III.

VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.



al's\* pro-  
missa.

**S**ibi, qui in potestate sunt aliena, nihil in peculio habeat: in solidum tamen tenentur, qui eos habent in potestate, si in rem eorum, quod acceptum est, conuersum sit: quāsi cum ipsis potius contractum esse uideatur. nec uidetur frustra de in rem uerso actio\* permissa, quasi sufficeret de peculio. rectissime enim Labeo dicit, fieri posse, ut & in rem uersum sit: etiam si cesset de peculio actio. quid enim si dominus peculium ademit sine dolo malo? quid si morte serui extinctum est peculium, & annus utilis præterijt? de in rem uerso namq; actio perpetua est: & locū habet, siue ademit sine dolo malo, siue actio de peculio anno finita est. Itē si plures agant de peculio: proficere hoc ei, cuius pecunia in rem uersa est, debet, ut ipse uberiorem actionem habeat. certe si præuentū sit ab aliquo, & actum de peculio: de in rem uerso actio, an cesset, uidendum. & refert Pomponius Iulianū existimare, de peculio actione perimi de in rem uerso actionem: quia in peculium conuersum esset, quod in rem domini uersum erat: & pro seruo solutū esset, quemadmodū si ipsi seruo à domino fuisset solutum. Sed ita demum: si præstiterit ex actione de peculio dominus, quod seruus in rem eius uerterat. cæterum si non præstiterit: manet actio de in rem uerso.

II. IABOLENVS lib. XI. ex Casio.

**Q**ui numis acceptis seruum manumisit, agi cum eo de in rem uerso non potest: quia dando libertatē locupletior ex numis non fit.

III. VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.

**Q**uod si seruus domino quantitatem dederit, ut manumittatur, quam à me mutuam accepit: in peculium quidem hanc quantitatem non computari: in rem autem uideri uersum, si quid plus sit in eo, quod seruus dedit, quàm est in serui precio. In rem autē uersum uidetur: siue id ipsum, quod seruus accepit, in rem domini conuerterit: ueluti

ueluti si triticum accepit, & id ipsum in familiã domini cibariorum nomine consumpsit: aut si pecuniam à creditore acceptã dominico creditori soluerit. Sed et si errauit in soluendo, & putauit creditorem eũ, qui non erat: æque in rem uersum esse, Põponius libro undecimo ait, quatenus indebiti repetitionem dominus haberet: siue cũ seruus dominici negocij gerẽdi administrãdiñe caussa quid gessit: ueluti si mutuatus est pecuniã, ut frumentũ compararet ad familiã alendã, uel uestimẽta, ad uestiendam: siue peculiariter mutuatus, postea in rem domini uertit. hoc enim iure utimur, ut etiam si prius in peculium uertit pecuniam, mox in rem dñi: de in rẽ uerso esse actio possit. Et regulariter discimus, toties de in rem uerso actionem esse: quibus casibus procurator mandati, uel qui negocium gessit, negociorum gestorum haberet actionem: quoriesq; aliquid ita consumpsit seruus, ut aut rem meliorem dominus haberet, aut nõ deteriore. Proinde si seruus sumpsit pecuniam, ut se aleret, & uestiret secundum consuetudinem domini, id est, usq; ad eum modũ, quẽ dominus ei præstare consueuerat: in rem domini uideri uertisse, Labeo scribit. ergo idem erit & in filio. Sed si mutua pecunia accepta, domum dominicã exornauit testorijs, & quibusdam alijs, quæ magis ad uoluptatem pertinent, quã ad utilitatẽ: non uidetur uersum, quia nec procurator hoc imputat: nisi forte mandatum domini, aut uoluntatem habuerit. nec debet ex eo onerari dominus, quod ipse facturus non esset. quid ergo? pati debet dominus creditorem hoc auferre, sine domus suæ uidelicet iniuria: ne cogendus sit dominus uendere domum, ut quanti preciosior facta est, id præstet.

Itẽ Labeo ait. si seruus mutuatus numos à me, alij eos crediderit: de in rẽ uerso dominũ teneri, quod nomẽ ei adquisitũ sit. quã sententiam ita Pomponius probat, si non peculiale nomen fecit, sed quasi dominicæ rationis. ex qua caussa hætenus erit dominus obligatus: ut si non putat sibi expedire, nomẽ debitoris habere: cedat creditori actionibus, procuratoremq; eum faciat. Nec nõ illud quoq; in rem domini uersum, Labeo ait, quod mutuatus seruus, domino emit uolenti ad luxuriæ materiã ( unguenta forte ) uel quod ad delicias, uel ad turpes sumptus subministravit. neq; enim spectamus, an bono domini accesserit, quod cõsumptum est: sed an in negocium domini. Vnde recte dicitur: etsi frumentum comparauit seruus ad alendam domini familiam, & in horreo dominico reposuit, & hoc periit, uel corruptum est, uel arsit: uideri in rem uersum. Sed etsi seruum domino necessariũ emisset, isq; decessisset: uel insulã fulcisset, eaq; ruiisset: dicerẽ esse actionem de in rem uerso. Sed si accepit, quasi in rẽ domini uertret, nec uertit, & decepti creditorem: nõ uidetur uersum, nec tenetur dominus: ne cre-

dulitas creditoris domino obesset, uel calliditas serui noceret: quid tamen, si is fuit seruus, qui solitus erat accipiens uertere: adhuc non puto nocere domino, si alia mente seruus accepit: aut si cum hac mente accepisset, post ea aliò uertit. curiosus igitur debet esse creditor, quo uertatur. Sed si mutuatus sit pecuniam seruus ad uestem comparandam, & numi perierint: quis de in rem uerso agere possit, utrum creditor, an uenditor: puto autem, si quidem precium numeratum sit: creditorem de in rem uerso acturum, & si uestis perierit. Si aut non fuit precium solutum, ad hoc tamè data pecunia, ut uestis emeretur, & pecunia perijt, uestis tamen familiae diuisa est: utriq; creditorem de in rem uerso actionem habere. num & uenditor habeat actionem: quia res eius perueniunt in rem domini: ratio hoc facit, ut teneatur. unde incipiet dominus teneri ex una caussa duobus. proinde et si tam pecunia, quam uestis perijt: dicendum erit, utriq; dominum teneri. quoniam ambo in rem domini uertere uoluerunt.

IIII. CAIUS lib. IX. ad edictum prouinciale.

**S**ed dicendum est, occupantis meliorem conditionem esse debere. Nam utriq; condemnari dominum de in rem uerso, iniquum est.

V. VLPPIANVS lib. XXIX. ad edictum.

**S**i res domino non necessarias emerit seruus, quasi domino necessarias, ueluti seruos: hactenus uideri in rem eius uersum, Pomponius libro quinto scribit, quatenus seruorum uerū precium faciat: cū si necessarias emisset, in solidum quanto uenissent, teneretur. Idem ait, siue ratum habeat serui contractum dominus, siue non: de in rem uerso esse actionem. Quod seruus domino emit, siquidè uoluntate eius emit, potest quod iussu agi. si uero non ex uoluntate: siquidè dominus ratum habuerit, uel alioquin rem necessariā, uel utilem domino emerit: de in rem uerso actio erit. si uero nihil eorū est: de peculio erit actio.

Placet non solum eam pecuniam in rem uerti, quæ statim à creditore ad dominum peruenerit: sed & quæ prius fuerit in peculio. hoc autem toties uerum est, quoties seruus rem domini gerens, locupletiores eum facit numis peculiaribus. alioquin si seruo peculium dominus adimat, uel uēdat eum cum peculio, uel rem eius peculiarem, & precium exigat: non uidebitur in rem uersum.

VI. TRIPHONIVS lib. I. dissertationum.

**N**am si hoc uerum esset: etiam ante, quam uenderet rem peculiarē rem, de in rem uerso teneretur: quia hoc ipso, quod seruus rem in peculio haberet, locupletior fieret. quod aperte falsum est.

VII. VLPPIANVS lib. XXIX. ad edictum.

**E**t ideo & si donauit seruus domino rem peculiarē, actio de in rem uerso

uerso cessabit. & sunt ista uera. Planè si mutuū seruus accepit, & donandi animo soluit, dum non uult eum debitorem facere peculiarem; de in rem uerso actio est. Illud uerum non est, quod Mela scribit: si seruo meo argentum dederis, ut pocula tibi faceret ex quolibet argento, & factis mox poculis seruus decesserit: esse tibi aduersus me de in re uerso actionem: quoniam possum pocula uindicare. Illud planè uerum est, quod Labeo scribit: si odores & unguenta seruus emerit, & ad funus erogauerit, quod ad dominum suum pertinebat: uideri in rem domini uersum. Idem ait, etsi hæreditatem à seruo tuo emerit, quæ ad te pertinebat, & creditoribus pecuniã soluero: deinde hæreditatem mihi abstuleris: ex empto actione me id ipsum consecuturum. uideri em̄ in rem tuam uersum. nam etsi hæreditatem à seruo emerit, ut quod mihi ab ipso seruo debebatur, compensarè: licet nihil solui, tamen consequi me ex empto, quod ad dominum peruenit. ego aut̄ non puto de in rem uerso esse actionem emptori: nisi hoc animo gesserit seruus, ut in rem domini uerteret. Si filiusfamilias pecuniam mutuatus, pro filia sua dotè dederit: in rem patris uidetur uersum, quatenus auus pro nepte daturus fuit. quæ sententia ita demum mihi uera uidetur, si hoc animo dedit, ut patris negocium gerens.

VIII. PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.

**E**T nihil interesse, Pomponius ait: filiæ suæ nomine, an sororis, uel neptis ex altero filio natæ dederit. idem ergo dicemus, & si seruus mutuatus fuerit, & domini sui filiæ nomine in dotem dederit.

IX. IABOLENVS lib. XII. ex Casio.

**S**I uero pater dotem daturus nõ fuit: in rem patris uersum esse non uidetur.

X. VLPIANVS lib. XXIX. ad edictum.

**S**I pro patre filius fideiusserit, & creditori soluerit: in rem patris uidetur uersum, quia patrè liberauit. cui simile est, quod Papinianus libro nono quæstionum scribit. si filius quasi defensor patris iudicium suscepit, & sit condemnatus: de in rem uerso teneri patrem. namq; filius eum iudicio suscepto liberauit. Idem tractat Papinianus, & si quod patrem dare oporteret, à filio sim stipulatus: & ita conuenerim filium. nam & hic de in rem uerso fore actionem: nisi si donare patri filius uoluit, dum se obligat. quare potest dici: etsi de peculio actione, quæ si defensor patris, suscepit: teneri patrem de in rem uerso, usq; ad peculij quantitatem. cuius sententiæ id erit emolumentum: ut si finita sit actio de peculio, de in rem uerso conueniatur. ego & ante condemnationem, post iudiciū patris nomine acceptum, de in rem uerso patrem teneri puto. In rem uersum autè uidetur, prout aliquid uersum est. proinde si pars uersa est, de parte erit actio. Sed utrū in sortem dūtaxat

AA ij tene-

tenebitur dominus, an & in usuras: & siquidem promisit usuras: Marc-  
cellus libro quinto digestorum scribit, dominū præstaturum. Sed si nō  
sint promissæ: utiq; non debebuntur: quia in stipulatum deductæ non  
sunt. planè si contemplatione domini pecuniam dedi, non gerenti ser-  
uo negocia domini, sed ipse gerens: negotiorū gestorum actione pote-  
ro etiam de usuris experiri. Versum autem sic accipimus, ut duret  
uersum: & ita demū de in rem uerso competit actio, si nō sit à domino  
seruo uel filio solutū. Si tamen in necem creditoris, id est, perdituro ser-  
uo, uel filio solutū sit: definit quidem uersum, æquissimum autem est,  
de dolo malo aduersus patrē uel dominū competere actionem. nam &  
peculiaris debitor, si fraudulenter seruo soluerit, quod ei debebat, non  
liberatur. Si domini debitor sit seruus, & ab alio mutuatus, ei solue-  
rit: hætenus non uertit, quatenus domino debet: quod excedit, uertit.  
proinde si cum domino deberet triginta, mutuatus quadraginta, credi-  
tori eius soluerit, uel familiam exhibuerit: dicendū erit, de in rem uerso  
in decem competere actionem. at si tantundē debeat: nihil uidetur uer-  
sum. nam (ut Pomponius scribit) aduersus lucrū domini uidetur sub-  
uentum. & ideo siue debitor fuit domino, cum in rem uerteret: nihil ui-  
deri uersum. siue postea debitor esse domini cœpit: definire uersum:  
idemq; & si soluerit ei. Plus dicit, etsi tantundem ei donauit dominus,  
quantum creditori soluit pro se: siquidem remunerandi animo: nō ui-  
deri uersum. si uero aliàs donauit: durare uersum. Idē quærit, si decē  
in rem domini uerterit, & postea tantandem summā à domino mutua-  
tus sit, habeat præterea & peculiū decem: utrum desijt esse uersum: an  
uero, quoniam est peculiū, unde detrahatur debitum, de in rem uerso  
nō tollimus actionē: an potius ex utroq; pro rata detrahimus: ego au-  
tem puto sublatam de in rem uerso actionem, cum debitor domini sit  
cōstitutus. Item quærit, si in rem tuā uertit, & debitor tuus factus sit:  
mox creditor eiusdem summæ, quam tibi debuit: an renascatur de in  
rem uerso actio, an uero ex post facto non conualescat: quod uerū est.

Idem tractat, an ex euentu possit in rem patris filius uertere: ueluti si  
duo rei pater & filius fuerint, & filius mutuatus suo nomine soluat: uel  
si filio iussu patris credideris, & filius creditum tibi soluerit. mihi uide-  
tur, siquidem pecunia ad patrem peruenerat: uideri in rem uersum.  
quod si non fuit, & suum negocium gerens filius soluit: non esse de  
in rem uerso actionem.

XI. PAVLVS lib. XXX. ad edictum.

**Q**uod si seruus in hoc mutuatus fuerit, ut creditori suo solueret:  
non erit in rem uersum, quamuis actione de peculio liberatus sit  
dominus.

XII. CAIUS lib. IX. ad edictum prouinciale.

Si

**S**I fundum patri domino uel emit seruus uel filius familias : uersum  
Quidē esse uideatur: ita tamen, ut siue minoris sit, quā est emptus:  
tantum uideatur in rem uersum, quanti dignus sit. siue pluris sit: non  
plus uideatur in rem uersum, quā est emptus.

XIII. VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.

**S**I in rem alterius ex dominis uersum sit: utrum is solū, in cuius rem  
uersum est, an & socius possit conueniri, quæritur? & Iulianus scri-  
bit, eam solum conueniri, in cuius rem uersum est, sicuti cum solus  
iussit. quam sententiam libro duodecimo digestorum Iuliani MAR-  
CELLVS NOTAT. interdū & propter hoc, quod in rem alterius socij  
uersum est, de in rem uerso cum altero agi potest: qui conuentus, à so-  
cio petere potest id, in quo damnatus fuit. quid enim dicemus, si peculi-  
um seruo ab altero ademptum fuerit?

XIII. PA VLVS lib. XXX. ad edictum.

**E**Rgo hæc quæstio ita procedit, si de peculio agi non potest.

XV. VLP IANVS lib. II. disputationum.

**S**I filius familias constituerit, quod pater debuit: uiderendum est, an de  
in rem uerso actio dari debeat: at qui nō liberauit patrem, nam qui  
constituit, se quidem obligat, patrem uero non liberat. planē si post sol-  
uit constitutum: licet pro se uideatur soluisse, hoc est ob id, quod consti-  
tuit: in rem tamen patris uertisse merito dicitur.

XVI. ALF ENVS lib. II. digestorum.

**Q**uidam fundum colendum seruo suo locauerat, & boues ei dede-  
rat. cum hi boues non essent idonei: iusserat eos uenire, & his nu-  
mis, qui recepti essent, alios reparari. seruus boues uendiderat. alios re-  
demerat. numos uenditori non soluerat. postea conturbauerat. qui bo-  
ues uendiderat, utrum numos à domino petat actione de peculio, an  
quod in rem domini uersum est: cum boues, pro quibus pecunia pete-  
retur, penes dominum essent? respondit, non uideri peculij quidquam  
esse: nisi si quid deducto eo, quod seruus domino debuisset, reliquum  
fieret. illud sibi uideri: boues quidē in rem domini uersos esse, sed pro  
ea re soluisse tantum, quanti priores boues uenissent. si quid amplioris  
pecuniæ posteriores boues essent: eius oportere dominū condemnari.

XVII. AFR ICA NVS lib. VII. questionum.

**S**eruus si in rem domini pecuniam mutuatus, sine culpa eam perdi-  
dit: nihilominus posse cum domino de in rem uerso agi existimaui.  
nam etsi procurator meus in negocia mea impensurus, pecuniam mu-  
tuatus, sine culpa eam perdidit: recte eū hoc nomine mandati, uel ne-  
gociorum gestorū acturum. Cum Stichō uicario serui tui Pamphi-  
li contraxi. actio de peculio, & de in rem uerso dari debet: ut quod uel in  
AA in) tuam

tuam, uel ipsius rem, uel in peculium Pamphili uersum sit, cōprehendatur: scilicet etiā si mortuo, uel alienato Sticho agatur. quod si Pamphilo mortuo agam: magis est, ut quamuis Stichus uiuat: tamē de eo, quod in peculio Pamphili uersum est, non nisi intra annū, quā is decessit, actio dari debeat. etenim quodāmodo de peculio Pamphili tū ui debor experiri: sicuti & si quid iussu ei9 credidisset, experirer. nec nos mouere debet, quod Stichus, de cuius peculio agitur, uiuat: quando nō aliter ea res in peculio eius esse potest, quā si Pamphili peculium maneat. eadem ratio efficiet, ut id, quod in peculiu Pamphili uersum est, ita praestari debere dicamus: ut prius eius, quod tibi Pamphilus debuit, deductio fiat. quod uero in tuam rem uersum fuerit: praestetur, etiā nō deducto eo, quod Pamphilus tibi debebat.

## XVIII. NERATIUS lib. VI. membranarum.

**Q**uamuis in eam rem pro seruo meo fideiusseris, quæ ita cōtracta est, ut in rem meam uerteretur: ueluti si cum seruus frumētum emisset, quo familia aleretur, uenditori frumēti fideiusseris: propius est tamen, ut de peculio eo nomine, non de in rem uerso agere possis: ut *als\* ut uniduntaxat, cū quo cōtractū est.* unius duntaxat in quoquo contractu de in rem uerso actio sit, qui id ipsum credidit, quod in rem domini uersum est.

## XIX. PAVLVS lib. III. questionum.

**F**ilius familias togam emit. mortuo deinde eo, pater ignorans, & paterans suam esse, dedicauit eam in funus eius. Neratius libro secundo responsorum ait, in rem patris uersum uideri. in actione autē de peculio, quod in rerum natura nō esset, uno modo æstimari debere: si doctulo malo eius, cum quo ageretur, factū esset. \* atquin si filio pater togā emere debuit: in rem patris uersa est, nō nunc, cum funeratur, sed quotempore emit. funus enim filij æs alienum patris est. & Neratius quoque, qui de in rem uerso patrem teneri putauit: ostendit negotium hoc (id est sepulturā, & funus filij) patris esse æs alienum, non filij. Factus est ergo debitor peculiij, quamuis res non exstet, ut etiam de peculio possit conueniri. in quam actionem uenit, & quod in rem uersum est. quæ tamē adiectio tūc necessaria est, cū annus post mortē filij excessit.

## XX. SCAEVOLA lib. I. responsorum.

**P**ater pro filia dotem promisit: & conuenit, ut ipse filiam aleret. nō praestante patre, filia à uiro mutuam pecuniam accepit, & mortua est in matrimonio. respondi. si ad ea id, quod creditum est, erogatum esset, sine quibus aut se tueri, aut seruos paternos exhibere non potuisset: dandam de in rem uerso utilē actionem. Seruus absentis reipublicæ causa, pupilli seruis pecuniam credidit: subscribente tutore, stipulatione in personam tutoris transiata, quæ situm est, an aduersus pupillū *com*

competat actio? respondi. si cum in rem pupilli daretur, id in rem eius uersum est: & quo magis actus seruorum confirmaretur, tutor spondit: posse nihilominus dici, de in rem uerso cum pupillo actione fore.

XXI. IDEM lib. V. digestorum.

**F**iliam familias duxit quis uxorem, patre dotem promittente: & conuenit inter omnes personas, uti eam pater, aut ipsa se tueretur. maritus ei mutuos numos dedit: cum iuste putaret, patrem eius ministraturum tantum salarium, quantum dare filiae suae instituerat. eos numos illa in ufos necessarios sibi, & in seruos, quos secum habebat, consumpsit. aliquantum etiam, cum ei res familiaris credita esset, ex pecunia mariti in easdem causas conuertit. deinde prius, quam pater salarium expleret, moritur filia. pater impensam recusat. maritus res mulieris retinet. quaero, an de in rem uerso aduersus patrem actio competat? respondi. si ad ea id, quod creditum est, erogatum esset, sine quibus aut se tueri, aut seruos paternos exhibere non potuisset: dandam de in rem uerso utilem actionem.

QVOD IVSSV.

Tit. IIII.

Ulpianus lib. XXIX. ad edictum.

**M**

erito ex iussu domini uel patris, in solidum aduersus eum iudicium datur. nam quodammodo cum eo contrahitur, qui iubet. Iussum autem accipiendum est: siue testamento quis, siue per epistolam, siue uerbis, aut per hunciun, siue specialiter in unum contractum iusserit, siue generaliter. & ideo si sic contestatus sit, QVOD VOLES CVM STICHO SERVO MEO NEGOCIVM GERERE, PERICVLO MEO: uidetur ad omnia iussisse, nisi certa lex aliquid prohibeat. Sed ego quaero, an reuocare hic iussum ante, quam credatur, possit? & puto posse, quemadmodum si mandasset, & postea ante contractum contraria uoluntate. mandatum reuocasset, & me certiorasset. Sed & si mandauerit pater dominus uel, uidetur iussisse. Sed & si serui chirographo subscripserit dominus: tenetur quod iussu. Quid ergo, si fideiusserit pro seruo? ait Marcellus, non teneri quod iussu. quasi extraneus enim interuenit. neque hoc dicit ideo, quod non teneatur ex causa fideiussionis: sed quia aliud est fideiubere, aliud iubere. Denique idem scribit: & si inutiliter fideiusserit, tamen eum non obligari quasi iusserit. quae sententia uerior est. Si ratum habuerit quis, quod seruus eius gessit, uel filius: quod iussu actio in eum datur. Si pupillus dominus iusserit: utique non tenebitur, nisi tutore auctore iussit. Si iussu fructuarij erit cum seruo contractum, item est, cui

cui bona fide seruunt: Marcellus putat, quod iussu dandam in eos actionem. quam sententiam & ego probo. Si curatore adolescentis, uel furiosi, uel pdigi iubente, cum seruo cōtractum sit: putat Labeo, quod iussu dandam actionem in eos, quorum fuerit seruus. idem etiam in uero procuratore. sed si procurator uerus non sit: in ipsum potius dandam actionem, idem Labeo ait.

II. PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.

**S**I tutoris iussu seruo pupilli creditum sit: puto, si ex utilitate pupilli creditum sit: in pupillum esse dandam actionem, quod iussit tutor.

Si iussu domini ancillæ, uel iussu patris filiæ creditum sit: danda est in eos quod iussu actio. Si iussu meo cum alieno seruo contractum fuerit, eumq; postea redemero: quod iussu actione nō tenebor: ne actio, quæ ab initio inutilis fuerat, euentu confirmetur.

III. VLP IANVS lib. II. responsorum.

**D**ominum, qui iussit semissibus usuris seruo suo mutuam pecuniam credi: hactenus teneri, quatenus iussit: nec pignoris obligatio nem locū habere in his prædijs, quæ seruus nō ex uoluntate domini obligauit.

III. IDEM lib. X. ad edictum.

**S**I iussu eius, qui administrationi rerum ciuitatis præpositus est, cum seruo ciuitatis negociū contractū sit: Pōponius scribit, qd' iussu cū eo agi posse.

V. PAVLVVS lib. III. ad Plautium.

**S**I dominus uel pater pecuniam mutuam accepturus, iusserit seruo filioſe numerari: nulla quæstio est, quin ipsi condici possit. imō in hoc casu de iussu actio non competit. Si unus ex serui dominis iussit contrahi cum eo: is solus tenebitur. sed si duo iusserint: cum quouis in solidum agi potest: quia similes sunt duobus mandantibus.

# DIGESTORVM

SEV PANDECTARVM LIBER DECIMVS SEXTVS.

AD SENATVSCONSULTVM VELLEIANVM. Tit. I.



PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.

Elleiano senatusconsulto plenissime cōprehensum est, ne pro ullo scæminæ intercederent. nam sicut moribus ciuilia officia adempta sunt scæminis, & pleraq; ipso iure non ualent: ita multo magis adimendum eis fuit i d officium.

cium, in quo non sola opera, nudumq; ministerium earum uersaretur, \* sed etiam periculum rei familiaris \* æquum autem uisum est, ita \* Hæc ali-  
mulieri succurri: ut in ueterem debitorem, aut in eum, qui pro se con-  
stituiisset mulierem ream, actio daretur. magis enim ille, quàm credi-  
tor mulierem decepit.

## II. VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.

**E**T primo quidem temporibus diui Augusti, mox deinde Claudij,  
edictis eorum erat interdictum, ne scemina pro uiris interce-  
derent: postea factum est senatusconsultum, quo plenissime sceminis  
omnibus subuentum est. cuius senatusconsulti uerba hæc sunt. QVOD  
MARCVS SYLLANVS ET VELLEIVS \* TVTOR CONSVLES VERBA \* aliis, au-  
FECERVNT DE OBLIGATIONIBVS FOEMINARVM, QVAE PRO  
ALIIIS REAE FIERENT: QVID DE EA RE FIERI OPORTERET, DE  
EA RE ITA CONSVLVERVNT. QVOD AD FIDEIVSSIONES ET MV  
TVI DATIONES PRO ALIIS, PRO QVIBVS INTERCESSERVNT FOE  
MINAE, PERTINET: (TAMETSI ANTEA VIDETVR ITA IVS DICTVM  
ESSE, NE EO NOMINE AB HIS PETITIO FIAT, NE VE IN EAS A-  
CTIO DETVR) CVM EAS VIRILIBVS OFFICIIS FVNGI, ET EIVS GE-  
NERIS OBLIGATIONIBVS OBSTRINGI, NON SIT AEQVVM: ARBI-  
TRARI SENATVM, RECTE EOS ATQVE ORDINE FACTVROS, AD  
QVOS DE EA RE IN IVRE ADITVM ERIT: SI DEDERINT OPE-  
RAM, VT IN EA RE SENATVS VOLVNTAS SERVETVR. Verba  
itaq; senatusconsulti excutiamus, prius prouidentia amplissimi ordi-  
nis laudata: qua opem tulit mulieribus, propter sexus imbecillitatem  
multis huiuscemodi casibus suppositis, atq; obiectis. sed ita demum eis  
subuenit, si non callide sint uersatae. hoc enim diuus Pius & Seuerus  
rescripserunt. nam deceptis, non decipientibus iura opitulantur. & est  
egregium Seueri rescriptum. τὰς ἀπατάσας γυναικίς δὲ δόγμα τῆς συγ-  
κλίτης βουλῆς οὐ βοηθεῖ. Infirmitas enim sceminarum, non calliditas auxi-  
lium commeruit. Omnis omnino obligatio senatusconsulto Velle-  
leiano compræhenditur: siue uerbis, siue re, siue quocunq; alio contra-  
ctu intercesserint. Sed etsi mulier \* defensor alicuius extiterit: procul aliis \* de  
dubio intercedit. suscipit enim in se alienam obligationem: quippe cū  
ex hac re subeat condemnationem. proinde neq; maritum, neq; filium,  
neq; patrem permittitur mulieri defendere.

## III. PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.

**S**ed si eum defendat, qui damnatus regressum ad eam habeat: uel  
Sti cum uenditorē hæreditatis sibi uenditæ, uel fideiussorem suum  
defendat: intercedere non uidetur.

## III. VLP IANVS lib. XXIX. ad edictum.

BB Sed

**S**ed si ego cum muliere ab initio contraxerim, cum ignorarem, cui hoc factum uellet: non dubito senatusconsultū cessare, & ita diuus Pius & Imperator noster rescripserunt. proinde si dum uult Titio donatum, cepit à me mutuā pecuniam, & eam Titio donauit: senatusconsultum cessabit. Sed etsi tibi donatura, creditori tuo numos numerauit: non intercedit. senatus enim obligatæ mulieri succurrere uoluit, non donanti. hoc ideo: quia facilius se mulier obligat, quàm alicui donat.

V. CAIUS lib. IX. ad edictum provinciale.

**N**ec interest, pecuniam soluendi causa numeret, an quamlibet suam rem in solutum det. nam etsi uendiderit rem suam: siue precium acceptum pro alio soluit, siue emptorem delegauit creditori alieno: non puto senatusconsulto locum esse.

VI. VLPPIANVS lib. XXIX. ad edictum.

**S**i fideiussores pro defensore absentis filij mandatu matris eius intercesserint: quæritur, an etiam his senatusconsulto subueniatur? & ait Papinianus libro nono quæstionum, exceptione eos usuros. nec multum facere, quod pro defensore fideiusserunt: cum contemplatione mandati matris interuenerint. planè (inquit) si is, qui accepit eos fideiussores, matrem eis mandasse ignorauit: exceptionem senatusconsulti replicatione doli repellendam.

VII. PAPIANVS lib. IX. quæstionum.

**Q**uanquam igitur fideiussor doli replicatione opposita defensionem exceptionis amittit: nullam tamè replicationem aduersus mulierem habebit: quia non poterit facti ignorationem prætere. Sed non erit iniquum, dari negotiorum gestorum actionem in defensore: quia mandati causa per senatusconsultum constituitur irrita, & pecunia fideiussoris liberatur.

VIII. VLPPIANVS lib. XXIX. ad edictum.

**Q**uamuis pignoris datio intercessionem faciat: tamen Iulianus libro duodecimo digestorum scribit, redhibitionem pignoris (si creditrix mulier rem, quam pignori acceperat, debitori liberauerit) non esse intercessionem. Si mulier interuenerit apud tutores filij sui, ne prædia eius distraherent, & indemnitate eis repromiserit: Papinianus libro nono quæstionum, non putat eam intercessisse. nullam enim obligationem alienam recepisse, neque ueterem, neque nouam: sed ipsam fecisse hanc obligationem. Si mulier apud Primum pro Secundo interuenerit, mox pro Primo apud creditorem eius: duas intercessionem factas esse, Iulianus libro duodecimo digestorum scribit: unam pro Secundo apud Primum, aliam pro Primo apud creditorem eius. & ideo Primo restitui obligationem, & aduersus eum, Marcellus autem notat,

tat, esse aliquam differentiam: utrum hoc agatur, ut ab initio mulier in  
 alterius locum subdatur, & onus debitoris, a quo obligationē transfer-  
 te creditor uoluit, suscipiat: an uero quasi debitor delegetur: scilicet ut  
 cum quasi debitor est delegata, una sit intercessio. proinde secundum  
 hanc suam distinctionem, in Primi fideiussione, ubi quasi debitor dele-  
 gata est: exceptionem ei senatusconsulti Marcellus non daret. sed con-  
 demnata, uel ante condemnationem, condicere utiq; ei, a quo delegata  
 est, poterit: uel quod ei abest, uel si nondum abest, liberationem. In-  
 terdum intercedenti mulieri & condictio competit: ut puta si contra se-  
 natusconsultum obligata, debitorem suum delegauerit. nam hic ipsi  
 competit condictio: quemadmodū & si pecuniam soluisset, condiceret.  
 soluit enim & qui reū delegat. Sed si is, qui a muliere delegatus est,  
 debitor eius non fuerit: exceptione senatusconsulti poterit uti, quemad-  
 modum mulieris fideiussor. Planè si mulier intercessura debitorem  
 suum delegauit, senatusconsultum cessat: quia etsi pecuniam nume-  
 rasset, cessaret senatusconsultum. mulier enim per senatusconsultum  
 releuatur: non in his, quæ deminuit, restituitur. Sed si eū delegauerit,  
 qui debitor eius non fuit: fraus senatusconsulto facta uidebitur, & idcir-  
 co exceptio datur. Quoties pro debitore intercesserit mulier: datur  
 in eū pristina actio, etsi ille prius acceptilatione liberatus sit, quàm mu-  
 lier intercesserit. Si conuenerit cum debitore, ut expromissorem da-  
 ret, & acceptò ei latum sit: deinde is mulierem dederit, quæ auxilio sena-  
 tusconsulti munita est: potest ei condici, quasi non dedisset. quid enim  
 interest, non det, an talem det: nō erit igitur actio utilis necessaria, cum  
 condictio cōpetat. Marcellus quoq; scribit: si mulieri post intercessi-  
 onem accepto tulerit creditor: nihilominus restitutoriam actionem ei  
 dari debere. inanem enim obligationem ei dimissam. Si mulier post  
 intercessionem sic soluerit, ne repetere possit: iuste prior debitor, actio-  
 nem recusat. Sed cum releuatur reus, si mulier sic soluit, ut repetere nō  
 possit: & cum ei mulieri, quæ repetere non poterat, si soluisset, acceptò  
 tulerit creditor: similiter releuatur reus. Quanquam in omnes, qui  
 liberati sunt, restituitur actio: non tamen omnibus restituitur. ut puta  
 duo rei stipulandi fuerunt. apud alterum mulier intercessit. ei soli resti-  
 tuit obligatio, apud quē intercessit. Si mulieris hæres existit credi-  
 tor: uidendū, an restitutoria uti non possit. & ait Iulianus libro duodeci-  
 mo, restitutoria eum nihilominus usurum. nec immerito: cum nō ob-  
 ligatæ cum effectu successerit. deniq; in Falcidia hoc æs alienum nō im-  
 putabitur. Planè si mihi, pponas, mulierem ueteri debitori successisse:  
 dicendum erit, restitutoria eā cōueniri posse. sed & directa actione. nihil  
 enim eius interest, qua actione cōueniatur. Si cum essem tibi contractu

rus, mulier interuenierit, ut cum ipsa potius contraham: uidetur intercessisse. quo casu datur in te actio, quæ instituit magis, quæ restituit obligationem: ut perinde obligeris eodem genere obligationis, quo mulier obligata est. uerbi gratia. si per stipulationem mulier: & tu quasi ex stipulatu conueniaris. Illud uidendum est: si mulier pro eo interuenit, qui si cum ipso contractum esset, non obligaretur: an hac actione ille debeat teneri. ut puta si pro pupillo intercessit, qui sine tutoris autoritate non obligatur. & puto non obligari pupillum, nisi locupletior factus est ex hoc contractu. Item si minor uiginti quinque annis sit, pro quo mulier intercessit: in integrum restitutionem poterit implorare. uel cum si filius contra senatusconsultum contracturus esset.

IX. PAULVS lib. V. regularum.

**S**ed si pro alieno seruo intercedat, quemadmodum in patrem familias, *als\* prior re reum restit.* **S**\*prior ei restituitur actio: ita in dominum quoque restituenda erit.

X. VLPIANVS lib. XXIX. ad edictum.

**H**æ actiones, quæ in eos, pro quibus mulier intercessit, dantur: & hæredibus, & in hæredes, & perpetuo cõpetunt. habent enim rei persecutionem. cæteris quoque honorarijs successoribus dabuntur, & aduersus eos

XI. PAULVS lib. XXX. ad edictum.

**S**i mulier, tanquam in usus suos, pecuniam acceperit, alij creditura: non est locus senatusconsulto. alioquin nemo cum foeminis contrahet: quia ignorari potest, quid acturae sint.

XII. IDEM lib. VII. breuis edicti.

**I**mo tunc locus est senatusconsulto, cum scit creditor eam intercedere.

XIII. CAIVS lib. IX. ad edictum prouinciale.

**A**liquando, licet alienam obligationem suscipiat mulier, non adiuuatur hoc senatusconsulto. quod tum accidit, cum prima facie quidem alienam, re uera autem suam obligationem suscipit. ut ecce si ancilla ob pactionem libertatis expromissore dato, post manumissionem id ipsum suscipiat, quod expromissor debebat: aut si hæreditatem emerit, & æs alienum hæreditarium in se transcribat: aut si fideiussore suo intercedat. De pignoribus prioris debitoris non est creditori noua actio opus: cum quasi Seruiana, quæ hypothecaria uocatur, in his utilis sit: quia uerum est de pignoribus cõuenisse, nec solutam esse pecuniam. Si sub conditione, uel in diem mulier pro alio

*\* Alias de sunt hæc. alias, contra priorẽ.* intercesserit: etiam pendente conditione, uolenti creditori *\* cum prior re debitore experiri*, actio danda est restitutoria. quod enim bonum est, expectare conditionem, uel diem: cum in ea causa sit prior iste debitor, ut omnino ipse debeat suscipere actionem.

XIII. IULIANVS lib. XII. digestorum.

**S**I mulier contra senatusconsultum intercesserit: æquum est, non solum in ueterem debitorem, sed & in fideiussores eius actionem restituere. nam cum mulieris persona subtrahatur creditori propter senatusconsultum, integra causa pristina restituenda est.

XV. IDEM lib. L. *digestorum.*

**S**I mulieri soluero id, quod tibi debebam, & ab ea ratam rem te habiturum stipulatus fuero, & forte te ratum non habente agere ex stipulatu instituo: exceptio senatusconsulti, quod de intercessionibus foeminarum factum est, non proderit mulieri. non enim uideri potest, alienam obligationem recusare, cum maneat debito obligatus, & ipsa de lucro agat: ac potius reddere cogatur, quod non debitum acceperat, quam pro alio soluere.

XVI. IDEM lib. III. *ad Urseium Feroem.*

**S**I mulier contra senatusconsultum Velleianum pro me intercessisset Titio, egoque mulieri id soluissim, & ab ea Titius eam pecuniam peteret: exceptio senatusconsulti non est profutura mulieri. neque enim potuit periclitari, \*ut eam pecuniam perdat, cum iam eam habeat. \*als. ne.

Si ab ea muliere, quæ contra senatusconsultum intercessisset, fideiussorem accepissem: Caius Cassius respondit, ita demum fideiussori exceptionem dandam, si à muliere rogatus fuisset. ego autem puto, recte fideiussori exceptionem dandam, etiam si mandati actionem aduersus mulierem non habeat: quia totam obligationem senatus improbat, & à prætore restituitur prior debitor creditori.

XVII. AFRICANVS lib. III. *questionum.*

**V**ir uxori donationis causa rem uiliore precio addiderat, & in id precium creditori suo delegauerat. respondi, uenditionem nullius momenti esse: & si creditor pecuniam à muliere peteret, exceptionem utile fore: quamuis creditor existimauerit, mulierem debitricem mariti fuisse. nec id contrarium uideri debere ei, quod placeat: si quando in hoc mulier mutuata esset, ut marito cederet: non obstaturam exceptionem, si creditor ignorasset, in quam causam mulier mutuaretur: quandoquidem plurimum interfit, utrum cum muliere quis ab initio contrahat, an alienam obligationem in eam transferat. tunc enim diligentior esse debere. Si mulier dixisset sibi rem dotis nomine obligatam, & creditor curasset ei pecuniam dotis solui, quo idem pignus acciperet: & cum mulieri etiam pecunia credita deberetur, possessor creditor aduersus eam Seruiana agentem exciperet, **SI NON VOLUNTATE EIVS PIGNUS DATVM ESSET**: replicationem mulieri senatusconsulti non futuram, nisi creditor scisset, etiam aliam pecuniam ei deberi. Mulier & Titius, cum in rem communem mutuarentur, eiusdem

BB ij pecu

pecuniæ rei facti sunt. nõ omnimodo mulierem pro parte socij uideri intercessisse dicebam. nam si ob eã causam mutuati fuerint, ex qua si creditor pecuniam non dedisset, maius damnum mulier passura fuerat: ueluti quod communis insula fultra non esset, uel quod fundus communis in publicum committeretur: potius esse, ut senatusconsulto locus non sit. at si in aliquam emptionẽ mutua pecunia sit accepta: tunc pro parte intercessionem factam uideri. & ideo creditorem partẽ duntaxat pecuniæ à muliere petere posse. quod si totum petierit: exceptio ne pro parte submouebitur.

**I**dem est, si pro debitore meo Titius & mulier duo rei intercesserint.

XVIII. PAVLVS lib. XXX. ad edictum.

XIX. AFRICANVS lib. III. quæstionum.

**T**utor pupilli decesserat, hærede instituto Titio. cum de adeunda hereditate dubitaret, quoniam male gesta tutela existimaretur: persuadente matre pupilli, ut suo periculo adiret, adiit: stipulatusq; de ea causa est, indemnem se eo nomine præstari. si ex ea causa Titius pupillo aliquid præstitisset, isq; matrem conueniret: negauit exceptioni senatusconsulti locum esse: quando uix sit, ut aliqua apud eundẽ pro eo ipso intercessisse intelligi possit. nec dissimilẽ huic propositioni ex facto agitatam, cum quidam uir prætorius decessisset, duobus filijs successitibus, quorum alter impubes, alter legitimus fratri tutor esset: & cũ paterna hereditate se abstinere uellet, mādatu uxoris defuncti, quæ mater pupillo esset, abstento pupillo solũ se hereditati miscuisset. ubi si militer se respondisse ait, si ex causa agente pupillo damnum eo nomine passus esset: non impediri eum senatusconsulto, quo minus à muliere rem seruaret. In pposita specie et illud tractatum esse: an is, qui mandatu mulieris adierit, si damnum ob id patiat, quod debitores hereditarij soluendo nõ fuerint: senatusconsulto locus sit, quasi mulier quodammodo eorum obligationes susceperit. magis autem esse, ut ne ob hanc quidem causam senatusconsultũ locum habeat: quando non ea mente fuerit, ut pro his intercederet: sed ut tutoris aduersus pupillum, & cæteros forte creditores indemnẽ præstaret hæredẽ. Deinde, si proponas mulierem in emptione hereditatis eo nomine damnũ pati, qd debitores hereditarij soluendo nõ sint: nulla puto dubitatio erit, quin senatusconsulto locus non sit: etiam si maxime creditoribus aliquantum præstiterit. quid ergo si cum propterea de adeunda hereditate dubitaret Titius, quod parum idonea nomina debitorum uiderent: mulier hoc ipsum repromisit, ut quanto minus à quoquo eorũ seruari possit, ipsa præstaret: prope est, ut sit intercessio. Cum haberes Titium debitorem, & pro eo mulier intercedere uellet, nec tu mulieris nomẽ propter

pter senatusconsultum sequeris: petijt à me mulier mutua pecuni-  
am, solutura tibi: & stipulanti mihi promisit, ignoranti, in quam rem  
mutuaretur: atq; ita numerare me tibi iussit. deinde ego, quia ad manū  
numos non habebam, stipulanti tibi promisi. quæsitum est, si eam pe-  
cuniam à muliere petam: an exceptio senatusconsulti ei proffit? respō-  
dit. uidendum, ne non sine ratione dicatur: eius loco, qui pro muliere si  
deiuisset, haberi me debere: ut quemadmodum illi (quamuis ignora-  
uit mulierem intercedere) exceptio aduersus creditorē datur, ne in mu-  
lierem mandati actio competat: ita mihi quoq; aduersus te utilis exce-  
ptio detur, inq; mulierem actio denegetur: quando hæc obligatio peri-  
culo mulieris futura sit. & hæc paulo expeditius dicēda, si prius, quam  
ego tibi pecuniam soluerem, compererim eam intercessisse. cæterū si  
ante soluerim: uidendum, utrum ne nihilominus mulieri quidē exce-  
ptio aduersus me dari debeat, & ego tibi condicere pecuniam possim:  
an uero perinde habēdum sit, ac si ab initio ego pecuniā mulieri credi-  
dissem, ac rursus tu mihi increditum isses. quod quidem magis dicen-  
dum existimaui: ut sic senatusconsulto locus nō sit, sicuti & cum debi-  
torem suum mulier deleget, intercessioni locus non est. sed postea nō  
recte comparari ait: quando delegatione debitoris facta mulier non ob-  
ligetur, \* si (ut in proposito) alienam obligationem in se transfulerit: \* aliās, At  
quod certe senatus fieri noluit. in prop.

## XX. IDEM lib. VIII. questionum.

SI pro uno reo intercesserit mulier: aduersum utrūq; restituit credito-  
ri actio.

## XXI. CALLISTRATUS lib. III. questionum.

SI pro aliquo mulier intercesserit, & in rem eius, quod acceptū est,  
uertatur: exceptio senatusconsulti locū non habet: quia non fit pau-  
perior. Item si quid liberaliter fecerit: ueluti ne iudicatus pater eius,  
propter solutionem uexaretur: non erit tuta senatusconsulto Velleia-  
no. oneribus enim earum senatus succurrit.

## XXII. PAVLVS lib. II. responsorum.

SI mulieri dederim pecuniam, ut eam creditori meo soluat, uel ex-  
promittat: si ea expromiserit, locum nō esse senatusconsulto, Pom-  
ponius scribit: quia mādati actione obligata, in rem suā uidef obligari.

## XXIII. IDEM lib. sing. ad Senatus consul. Velleianū.

SI mulier in iure interrogata, respōderit se hæredem esse: si sciens se  
hæredem non esse, responderit: minime intercessisse uideri, quia de-  
cepit. quod si existimaui se hæredem, & eo nomine decepta respon-  
dit: in eam actionem quidem dari pleriq; existimauerunt, sed exceptio  
de senatusconsulti adiuuari.

## XXIII. IDEM lib. sing. de intercessionib. foeminarū.

De

**D**ebitorum mulier à creditore delegata, pro eo, cui delegata est, promisit. non utetur exceptione. Sed si pecuniam promisit, ne delegetur: intercessisse uidetur. Si senatusconsulti beneficium interuenit: utrum statim, cum mulier intercesserit, actio in priorem debitorem competit: an si mulier solutū condicat: puto statim, & non expectandam solutionem. Si pro eo, qui temporaria actione tenetur, mulier intercesserit: temporaria actio restituetur: sic tamē, ut ex præcedente causa continua tempora numerentur post restitutionem: quamuis statim, atq; intercessit mulier, competierit.

XXV. *MODESTINVS lib. singulari περί δὲ χρηματικῶν.*

**S**i domina seruo suo credi iusserit: actione honoraria tenebit. quod conuenta, aduersus creditore tueri se poterit: nisi pro suo negotio hoc fecerit.

XXVI. *VLPIANVS lib. XXIX. ad edictum.*

**S**i mulier intercedendi animo seruum alienum suum esse responderit: quasi intercesserit, auxilio senatusconsulti utetur. planē si pro bona fide sibi seruiente responderit: non uidetur intercessisse.

XXVII. *PAPINIANVS lib. II. responsum.*

**B**ona fide personam mulieris in contrahendo secutus ob ea, quæ inter uirum & uxorem, accepta pecunia, gesta sunt: exceptione senatusconsulti non submouetur. Cum serui ad negociationem præpositi, cum alio contrahentes, personam mulieris, ut idoneæ, sequuntur: exceptio senatusconsulti dominum submouet. nec uidetur deterior causa domini per seruum fieri, sed nihil esse domino quæsitum: nõ magis, quàm si litigiosum prædium seruus, aut liberum hominē emerit. Vxor debitoricem suam uiro delegauit, ut uir creditori eius pecuniam solueret: & si fidem suam pro ea, quam delegauit, apud uirum obligauerit: locum exceptio senatusconsulti non habebit, quia mulier suum negotium gessit.

XXVIII. *SCAEVOLA lib. I. responsum.*

**S**ei mancipia emit, & mutuam pecuniam accepit sub fideiussore marito, eamq; soluit uenditori. postea maritus decedens non soluens, in fraudem creditoris cauit testamento, se eam pecuniam uniuersam debere, quæritur, an intercessisse mulier uideatur: respondi, secundum ea, quæ proponerentur, non intercessisse. Fundum uxoris suæ maritus obligauit Sempronio ob cõductionem. mox mulier à Numerio sua fide mutuam pecuniam acceptam sub obligatione eiusdē fundi, soluit statim Sempronio pro marito suo. quæsitum est, an aduersus senatusconsultum obligata sit: respondi, si Numerius scisset eam intercedere: fore senatusconsulto, de quo quæritur, locum.

Paulus

XXIX. PAVLVS lib. XVI. *responforum.*

**Q**uidam uoluit hæredibus Lucij Titij mutuam pecuniam dare, & cum eis contrahere: sed quoniam facultates eorum suspectas habuit, magis uoluit uxori testatoris dare pecuniam, & ab ea pignus accipere. mulier eandem pecuniam dedit hæredibus, & ab eis pignus accepit. quæro, an intercessisse uideatur: & an pignora, quæ ipsa accepit, teneantur creditori? Paulus respondi. si creditor, cum contrahere uellet cum hæredibus Lucij Titij, euitatis ijs, magis mulierem ream elegit: & in ipsius persona senatusconsultum, quod de intercessionibus factum est, locum esse: & pignora data non teneri. eas autem res, quas mulier ab his, pro quibus intercedebat, pignori accepit: creditori mulieris obligatas non esse. sed non sine ratione prætorem facturum: si non tantum persona mulieris subducta, in principales debitores dederit actionem: sed etiã in res, quæ mulieri obligatæ sunt. Paulus respondi. ea, quæ in fraudem senatusconsulti, quod de intercessionibus foeminarum factum est, excogitata probari possunt: rata haberi non oportere.

XXX. IDEM lib. II. *sententiarum.*

**S**i decipiendi animo, uel cum sciret se non teneri, mulier pro aliquo intercesserit: exceptio ei senatuscõsulti non datur. actionem enim, quæ in dolũ mulieris competit, amplissimus ordo non excludit. Procurator si mandatu mulieris pro alio intercesserit: exceptione senatusconsulti Velleiani adiuuatur, nec aliàs actio intercidit.

XXXI. IDEM lib. I. *ad Neratium.*

**S**i mulier, quod ex intercessione soluit, nolit repetere, sed mandati sagere, & cauere uelit de indemnitate reo: audienda est.

XXXII. POMPONIVS lib. I. *senatusconsultorum.*

**S**i mulier hæreditatem alicuius adeat, ut æs alienum eius suscipiat: si uix est, ut succurri ei debeat, nisi si fraude creditorum conceptum id sit. nec em̃ loco minoris uigintiinq; annorũ circũscripti per omnia habenda est mulier. Si mulier rem à se pignori datam per intercessionem, recipere uelit: fructus etiam liberos recipit. & si res deterior facta fuerit eo nomine: magis est, ut æstimef. Sed si creditor, qui pignus per intercessionem accepit, hoc alij uendidit: uera est eorum opinio, qui petitionem dandam ei putant, etiam aduersus bonæ fidei emptorem: ne melioris conditionis emptor sit, quàm fuerit uenditor. Item si mulier creditori uiri fundum uendidit, ea cõditione, ut emptor acceptam pecuniam uiro referret, & hunc fundum uindicat: exceptio quidem opponit̃ ei de re empra & tradita, sed replicabitur à muliere, ac si ea uenditio contra senatusconsultũ facta sit. & hoc procedit: siue ipse creditor emerit, siue interposuerit alium, quo mulier ea ratione careat re sua.

Idem est, & si non pro uiro, sed pro alio debitore rem suã tradidit. Si mulier ne ipsa intercederet, alij mandarit, ut id faceret: an in huius persona locus huic senatusconsulto sit, qui rogatu mulieris id faceret? totus enim sermo senatusconsulti, ad petitionem nõ dandam aduersus ipsam mulierem, spectat. & puto rem ita esse distinguendam: ut siquidem creditor, cui me obligauit, mandante muliere, hoc in fraudem senatusconsulti egisset, ne ipsa interueniret contra senatusconsultum, daretur autem alium: excludendum eum exceptione fraudis factæ senatusconsulto. si uero is ignorasset, ego aut scissem: tunc mandati me agentem cum muliere, excludendum esse, me autem creditori teneri. Si mulier pro eo, pro quo intercessit, iudicium parata sit accipere, ut non in ueterem debitorem actio detur: quoniam senatus exceptionem opponere potest, cauere debet, exceptione se non usuram, & sic ad iudicem ire. Intercedere mulierem intelligendum est & pro eo, qui obligari non possit: ueluti si pro seruo alieno intercedat. Sed rescissa intercessione, in dominum restituenda est actio.

DE COMPENSATIONIBVS. Tit. II.



MODESTINVS lib. VI. *ᾠαυδ'επιτωρ.*  
Compensatio est, debiti & crediti inter se contributio.

II. IULIANVS lib. VIII. *digestorum.*

Vnusquisq; creditorem suum, eundemq; debitore petentem submouet, si paratus est compensare.

III. POMPONIVS lib. XXV. *ad Sabinum.*

Ideo compensatio necessaria est: quia interest nostra, potius non soluere, quam solutum repetere.

IIII. PAVLVS lib. III. *ad Sabinum.*

Verum est, quod & Neratio placebat, & Põponius ait: ipso iure eo minus fideiussorem ex omni cõtractu debere, quod ex compensatione reus retinere potest. Sicut enim cum totum peto à reo, male peto: ita & fideiussor non tenetur ipso iure in maiorem quantitatem, q̃ reus condemnari potest.

V. CAIVS lib. IX. *ad edictum prouinciale.*

SI quid à fideiussore petatur: æquissimum est, eligere fideiussorem: utrum quod ipsi, an quod reo debetur, compensare malit. Sed & si utrumq; compensare uelit, audiendus est.

VI. VLPIANVS lib. XXX. *ad Sabinum.*

QVod in diem debetur: non compensabitur, ante quam dies ueniat, quanquam dari oporteat. Si rationem compensationis iudex

iudex non habuit: salua manet petitio. nec enim rei iudicatae exceptio obijci potest. aliud dicam, si reprobabit pensationem, quasi nõ existente debito. tunc enim rei iudicatae mihi nocebit exceptio.

VII. IDEM lib. XX. ad edictum.

**E**tiam quod natura debetur, uenit in compensationem.

VIII. CAIVS lib. V. ad edictum prouinciale.

**I**n compensatione etiam id deducitur, quo nomine cum auctore lis contestata est: ne diligentior quisq; deterioris conditionis habeatur, si compensatio ei denegetur.

IX. PAVLVS lib. XXXI. ad edictum.

**S**i cum filiofamilias, aut cum seruo contracta sit societas, & agat dominus uel pater: solidum per compensationem seruamus: quamuis si ageremus, duntaxat de peculio praestaretur. Sed si cum filiofamilias agatur: an quae patri debentur, filius compensare possit, quaeritur: quod magis est admittendum, quia unus contractus est: sed cum conditione, ut caueat patrem suum ratum habiturum: id est, non exacturum, quod is compensarit.

X. VLPPIANVS lib. XXI. ad edictum.

**S**i ambo socij parem negligentiam societati adhibuimus: dicendum est, desinere nos inuicem esse obligatos, ipso iure compensatione negligentiae facta. Simili modo probatur, si alter ex re communi aliquid perceperit, alter tantam negligentiam adhibuerit, quae eadem quantitate existimatur: compensationem factam uideri, & ipso iure inuicem liberari. Si quis igitur compensare potens soluerit: condicere poterit, quasi indebito soluto. Quoties ex maleficio oritur actio (ut puta ex causa furtiua, caeterorumq; maleficiorum) si de ea re pecuniarie agatur: compensatio locum habet. idem est, & si condicatur ex causa furtiua. Sed & qui noxali iudicio conuenitur, compensationem opponere potest. In stipulationibus quoq; quae instar actionum habent, compensatio locum habet: & secundum Iulianum, tam in ipsa stipulatione, quam in ex stipulatu actione poterit obijci compensatio.

XI. IDEM lib. XXXIII. ad edictum.

**C**um alter alteri pecuniam sine usuris, alter usurariam debet: constitutum est à diuo Seuero, concurrentis apud utrunq; quantitatis usuras non esse praestandas.

XII. IDEM lib. LXIII. ad edictum.

**I**dem iuris est non solum in priuatis, uerum etiam in causa fisci constitutum. Sed etsi inuicem sit usuraria pecunia, diuersae tamen usurae: compensatio nihilominus locum habet eius, quod inuicem debetur.

XIII. IDEM lib. LXXVII. ad edictum.

**Q**uod Labeo ait, non est sine ratione: ut si cui petitioni specialiter destinata est compensatio, in cæteris non obijciatur.

XIIII. IABOLENVS lib. XI. ex Casio.

**Q**uæcumq; per exceptionē perimi possunt, in cōpensatione non ueniunt.

XV. IDEM lib. XXV. ἐπισολῶν.

**P**ecuniā certo loco à Titio dari stipulatus sum. is petit à me, quam ei debeo pecuniam. quæro, an hoc quoq; pensandum sit, quanti meā interfuit certo loco dari: respondi. si Titius petit: eam quoq; pecuniam, quā certo loco pmisit, in cōpensationem deduci oportere: sed cum sua causa, id est, ut ratio habeatur, quanti Titij interfuit eo loco, quo conuenerit, pecuniam \*non dari.

a's \*deest  
negatio.

XVI. PAPINIANVS lib. III. questionum.

**S**i cum militi castrensiū bonorū alius, cæterorum alius hæres exstitit: debitor alteri hæredum obligatus, uelit compensare, quod ab alio debetur: non audietur. Cum intra diem ad iudicati executionem datum, iudicatus Titio, agit cum eodem Titio, quod & ipse pridem illi iudicatus esset: cōpensatio admittetur. aliud est enim diem obligationis non uenisse, aliud humanitatis gratia tempus indulgeri solutionis.

XVII. IDEM lib. I. responsorum.

**I**deo condemnatus, q̄ arctiorem annonā ædilitatis tēpore præbuit: frumentariæ pecuniæ debitor non uidebit. & ideo cōpensationem habebit.

XVIII. IDEM lib. II. responsorum.

**I**n rem suam procurator datus, post litis contestationem si uice mutua conueniatur: æquitate cōpensationis utetur. Creditor compensare nō cogitur, quod aliq̄, quā debitori suo, debet: quamuis creditor eius pro eo, qui conuenitur, ob debitū pprium, uelit compensare.

XIX. IDEM lib. III. responsorum.

**D**ebitor si pecuniā publicā seruo publico citra uoluntatē eorum soluit, quibus debitū recte solui potuit: obligatio pristina manebit. sed dabitur ei cōpensatio peculij fini, qua seruus publicus habebit.

XX. IDEM lib. XII. responsorum.

**O**bnegociū copiarum, expeditionis tēpore mandatū, curatorem condemnatum, pecuniam iure compensationis retinere non placuit: quoniam ea non compensatur.

XXI. PAVLVS lib. I. questionum.

**P**osteaquā inter omnes placuit, id, quod inuicem debetur, ipso iure cōpensari: si procurator absentis conueniatur, nō debeat de rato cauere: quia nihil compensat, sed ab initio minus ab eo petitur.

XXII. SCAEVOLA lib. II. questionum.

**S**i debeas decē, aut hominem, utrum aduersarius uolet: ita cōpensatio

tio

tio huius debiti admittitur, si aduersarius palam dixisset, utrū uoluisset.

XXIII. PAVLVS lib. IX. *responforum.*

**I**D, quod pupillorum nomine debetur, si tutor petat: non posse compensationē obijci eius pecuniæ, quā ipse tutor suo nomine aduersario debet.

XXIII. IDEM lib. II. *ad edictum.*

**I**ussit Imperator audiri adprobantem, sibi à fisco deberi: \*quod & \*aliàs. cū ipse conueniatur.

DEPOSITI VEL CONTRA. Tit. III.

VLPIANVS lib. XXX. *ad edictum.*

**D**epositum est, quod custodiendum alicui datū est: dictum ex eo, quod ponitur. præpositio enim DE auget positū: ut ostendat totum fidei eius esse commissum, quod ad custodiam rei pertinet. Prætor ait. QVOD NEQVE TVMVLTVS, NEQVE INCENDII, NEQVE RVINAE, NEQVE NAVFRAGII CAVSSA DEPOSITVM SIT, IN SIMPLVM: EARVM AVTEM RERVM, QVAE SVpra COMPRAEHENSÆ SVNT, IN IPSVM IN DVPLVM: IN HAEREDem EIVS, QVOD DOLO MALO EIVS FACTVM ESSE DICETVR, QVI MORTVVS SIT, IN SIMPLVM: QVOD IPSIVS, IN DVPLVM IVDICIVM DABO. Merito has causas deponendi separauit prætor, quæ continent fortuitam causam depositionis, ex necessitate descendente, non ex uoluntate proficiscentē.

Eum tamen deponere tumultus, uel incendiij, uel cæterarum causarum gratia intelligendum est: qui nullā aliam causam deponendi habet, quā imminens ex causis superscriptis periculū. Hæc autem separatio causarum iustam rationem habet. quippe cum quis fidem eligit, nec depositum redditur: contentus esse debet simplo. cū uero existente necessitate deponat: crescit perfidiæ crimen, & publica \* utilitas \* aliàs. utilitate coërcendo uindicanda est. est enim inciuile in causis huiusmodi fidem *litate coërcendo uindicanda est* frangere. Quæ depositis rebus accedunt, non sunt deposita: ut puta *uindicanda est rei publicæ* si homo uestitus deponatur. uestis enim non est deposita. nec si equus *caussa.* cum capistro. nam solus equus depositus est. Si conueniat, ut in deposito & culpa præstetur: rata est conuentio. contractus enim legem ex conuentione accipiunt. Illud non est probandum, dolum non esse præstandum, si conuenit. nam hæc conuentio contra bonam fidem, contraq; bonos mores est: & ideo nec sequenda est. Si uestimenta seruanda balneatori data perierint: siquidem nullam mercedem seruandorum uestimentorum accepit: depositi eum teneri, & dolum duntaxat præstare debere puto. quod si accepit: ex conducto. Si

quis seruum custodiendum coniecerit forte in pistrinum: siquidem merces interuenit custodia: puto esse actionem aduersus pistrinari-um ex conducto, si uero mercedē accipiebam ego pro hoc seruo, quem in pistrinū recipiebat: ex locato me agere posse. quod si operæ eius ser- ui cum custodia pensabatur: quasi genus locati & conducti interuenit. sed quia pecunia non dabatur: præscriptis uerbis datur actio. si uero ni- hil aliud, quàm cibaria præstabat, nec de operis quidquid conuenit: depo- siti actio est. In conducto & locato, & in negotio, ex quo diximus præ- scriptis uerbis dandam actionem: & dolum & culpam præstabit, qui ser- uum recepit. at si cibaria tantum dabat, dolum duntaxat sequemur. ta- men (ut Pomponius ait) & quod habuerunt præscriptum, aut quod cō- uenit: dum modo sciamus, & si quid fuit præscriptum: dolum tamē eos præstaturus, qui receperunt, qui solus in depositum uenit. Si te roga- uero, ut rem meam perferas ad Titium, ut is eam seruet: qua actione ex- periri tecum possim, apud Pomponium queritur: & putat tecum man- dati: cum eo uero, qui eam recepit, depositi. Si uero tuo nomine rece- perit Titius: tu quidem mandati mihi teneris, ille tibi depositi. quā acti- onem mihi præstabis, mandati iudicio conuentus. Quod si rem tibi dedi, ut si Titius non recepisset, tu custodires, nec eam recepit: uidentū est, utrum depositi tantum, an & mandati actio sit. & Pomponius dubi- tat. puto tamen mandati esse actionem: quia plenius fuit mandatū, ha- bens & custodiae legem. Idem Pomponius querit: si tibi mandaue- ro, ut rem ab alio meo nomine receptā custodias, idque feceris: manda- ti, an depositi teneris: & magis probat, mandati esse actionē: quia hic est primus cōtractus. Idem querit. si apud te uolente me deponere, ius- seris apud libertum tuum deponere: an possim tecum depositi experi- minem. ri: & ait. si tuo nomine, hoc est quasi te custodituro, deposuissim: mihi tecum depositi esse actionem. Sin uero sua seris mihi, ut magis apud eū deponam: tecum nullam esse actionem, cum illo uero depositi: nec mandati te teneri, quia rem meam ipse gessi. sed si mandasti mihi, ut periculo tuo apud eum deponam: cur non sit mandati actio, nō uideo. Planē si fideiussisti pro eo: Labeo omnimodo fideiussorem teneri ait: non tantū si dolo fecit is, qui depositum suscepit: sed & si non fecit, est tamen res apud eū. quid enim si fureret is, apud quem depositū est, uel pupillus esset, uel neque hæres, neque bonorum possessor, neque successor ei exstaret: tenebitur ergo, uti præstet, quod depositi actione præstari so- let. An in pupillum, apud quem sine tutoris autoritate depositum est, depositi actio deest, queritur: sed probari oportet, si apud doli mali iam capacem deposueris: agi posse, si dolum commisit. nam in quan- tum locupletior factus est, datur actio in eum, & si dolum nō interuenit.

Si res

Si res deposita deterior redditur: quasi non redderetur agi depositi potest. cum enim deterior redditur: potest dici, dolo malo redditam non esse. Si seruus meus deposuerit: nihilominus depositi habebam actionem. Si apud seruum deposuerim, & cum manumisso agam: Marcellus ait, nec tenere actionem: quamuis solemus dicere, doli etiam in seruitute commissi teneri quem debere: quia & delicta, & noxæ caput sequuntur. erit igitur ad alias actiones competentes decurrendum. Hac actio bonorum possessoribus, cæterisque successoribus, & ei, cui ex Trebelliano fenatusconsulto restituta est hæreditas, competit. Non tantum præteritus dolo in depositi actionem uenit: sed etiã futurus, id est, post litem contestatam. Inde scribit Neratius, si res deposita sine dolo malo amissa esset, & post iudicium acceptum recuperaretur: nihilominus recte ad restitutionem reum cõpelli: nec debere absolui, nisi restituat. Idem Neratius ait, quamuis tunc tecum depositi actum sit, cum restituendi facultatem non habeas (horreis forte clausis) tamen si ante condemnationem restituendi facultatem habeas: cõdemnandum te, nisi restituas: quia res apud te est. tunc enim quærendum, an dolo malo feceris, cum rem non habeas. Est autem & apud Iulianum libro de cõmotertio digestorum scriptum: eum, qui rem deposuit, statim posse depositi actione agere. hoc enim ipso dolo facere eum, qui suscepit, quod reposcenti rem non reddat. Marcellus autem ait, nõ semper uideri posse dolo facere eum, qui reposcenti non reddat. quid enim, si in prouincia res sit, uel in horreis, quorum aperiendorum condemnationis tempore non sit facultas: uel conditio depositionis nõ extiterit? Hanc autem actionem bonæ fidei esse, dubitari nõ oportet. & ideo fructus in hanc actionem uenire, & omnem causam, & partum dicendum est: ne nuda res ueniat. Si rem depositam uendidisti, eamque postea redemisti in causam depositi: etiã si sine dolo malo postea perierit, teneri te depositi: quia semel dolo malo fecisti, cum uenderes. In depositi quoque actione in litem iuratur. Non solum si seruus meus, sed & si is, qui mihi bona fide seruit, rem deposuerit: æquissimum erit, dari mihi actionem, si rem ad me pertinentem deposuit. simili modo & si usumfructum in seruo habeam: si id, quod deposuit, ex eo peculio fuerit, quod ad me pertinebat, uel res mea fuerit: eadẽ actione agere potero. Item si seruus hæreditarius deposuerit: hæredi postea adeunti cõpetit actio. Si seruus deposuit: siue uiuat, siue decesserit, utiliter dominus hac actione experietur: ipse autem seruus manumissus nõ poterit agere. sed & si fuerit alienatus: adhuc ei competit actio, cuius fuit seruus, cum deponeret. initium enim contractus spectandum est. Si duorum seruus sit, qui deposuit: unicuique dominorum in partem cõpetit actio depositi. Si  
rem

rem à seruo depositam Titio, quem dominum eius putasti, cum nō esset, restituisset: depositi actione te non teneri, Celsus ait: quia nullus dolo intercessit. cum Titio autē, cui res restituta est, dominus serui ad exhibendum ager: & si exhibuerit, uindicabit. si uero, cum sciret rem alienam esse, consumpsit: condēnabitur, quia dolo fecit, quo minus possideret. Eleganter apud Iulianum quæritur. si pecuniam seruus apud me deposuit, ita ut domino pro libertate eius dem, egoq; dederō: ante neq; depositi: & scribit libro decimotertio digestorum. siquidem sic dederō, quasi ad hoc penes me depositum, tēq; certiorauerō: non competere tibi depositi actionem, quia sciens recepisti. careo igitur dolo. Si uero quasi meam pro libertate eius numerauerō: tenebor. quæ sententia mihi uidetur uera. hic enim non tantum sine dolo malo non reddidit: sed nec reddidit. aliud enī est reddere, aliud quasi de suo dare. Si pecunia apud te ab initio hac lege deposita sit, ut si uoluisses, uteris: prius quā utaris, depositi teneberis. Sape euenit, ut res deposita, uel numi periculo sint eius, apud quem deponuntur: ut puta si hoc nominatim conuenit. sed & si quis se deposito obtulit: idem Iulianus scribit, periculo se depositi alligasse: ita tamen, ut nō solum dolum, sed etiam culpam & custodiam præstet: non tamen fortuitos casus. Si pecunia in sacculo signato deposita sit, & unus ex hæredibus eius, qui deposuit, ueniat repetens: quemadmodū ei satisfiat, uidendum est. promenda est pecunia uel coram prætore, uel interuenientibus honestis personis, & exsoluenda pro parte hæreditaria. Sed etsi resignetur, non contra legem depositi fiet: cum uel authore prætore, uel honestis personis interuenientibus hoc euenierit: residuo uel apud eū remanente, si hoc uoluerit ( sigillis uidelicet prius ei impressis, uel à prætore, uel ab his, coram quibus signacula remota sunt ) uel si hoc recusauerit, in ædem deponendo. Sed si res sunt, quæ diuidi non possunt: omnes debeat tradere, satisfactione idonea à petitore ei præstada in hoc, quod supra eius partem est. Satisfactione autem non interueniente: rem in ædem deponi, & omni actione depositarium liberari. Apud Iulianum libro decimotertio digestorum talis species relata est. ait enim: si depositor decesserit, & duo existant, qui inter se cōtendant, unusquisq; solum se hæredem dicens: ei tradendam rem, qui paratus est aduersus alterū reum defendere. quod si neuter hoc onus suscipiat: commodissime dici ait, non cogendum esse à prætore iudicium suscipere. oportere igitur rem deponi in ædem aliquam, donec de hæreditate iudicetur. Si quis tabulas testamenti apud se depositas, pluribus præsentibus legit: ait Labeo, depositi actione recte de tabulis agi posse. ego arbitror, & iniuriarū agi posse: si hoc animo recitatum est testamentum quibusdam præsentibus,

bus, ut iudicia secreta eius, qui testatus est, diuulgaretur. Si prædo uel fur deposuerit: & hos Marcellus libro sexto digestorum putat depositi recte acturos. nam interest eorum, eò quod teneantur. Si quis argentum uel aurum depositum petat: utrum speciem, an & pondus completi debeat? & magis est, ut utrunq; complectatur: scyphum forte, lancem, uel pateram dicendo, & materiã & pondus addendo. Sed & si purpura infecta sit, uel lana, pondus similiter adijciendũ: saluo eo, ut si de quantitate ponderis incertum est, iuranti succurratur. Si cista signata deposita sit: utrum cista tantum petatur, an & species comprahendendæ sint? & ait Trebatius, cistam repetendam, non singularũ rerum depositi agendum. q; si & res ostensæ sunt (species forte, uel uestes) & sic depositæ: adijciẽdas & species & uesteis. Labeo aut̃ ait: eũ, qui cistã deponit, singulas quoq; res uideri deponere. ergo & de rebus agere eũ oportere. Quid ergo si ignorauit is, qui depositum suscipiebat, res ibi esse? nõ multum facere, cum suscepit depositum. ego & rerũ depositi agi posse existimo: quamuis signata cista deposita sit. Filium familias teneri depositi constat: quia & cæteris actionibus tenetur. Sed & cũ patre eius agi potest, duntaxat de peculio. idem & in seruo. nam cũ domino agitur. planè ( ut Iulianus scripsit, & nobis uidetur ) si eorum nomine, qui sunt in potestate, agatur: uenit in iudicium, & si quid per eum, in cuius iure sunt, \*captũ fraudatumque est: ut & dolus eorum ueniat, nõ tantum \*aliãs. ca  
 ipsoꝝ, cum quibus contractum est. Si apud duos sit deposita res, pt9 frau-  
 aduersus unumquenq; eorum agi poterit: nec liberabitur alter, si cũ al-  
 tero agatur. nõ enim electione, sed solutione liberantur. proinde si am-  
 bo dolo fecerint, & alter quod interest præstiterit: alter non conueni-  
 tur, exemplo duorũ tutorũ. quod si nihil alter, uel minus facere possit:  
 ad alium peruenietur. idemq; & si alter dolo non fecerit, & idcirco sit  
 absolutus. nam ad alium peruenietur. Sed si duo deposuerint, &  
 ambo agant: siquidem sic deposuerunt, ut uel unus tollat totum: pote-  
 rit in solidũ agi. si uero pro parte, pro qua eorũ interest: tunc dicendum  
 est, in partem condemnationem faciendam. Si sic deposuero apud  
 te, ut post mortem tuam reddas: & tecum, & cum hærede tuo possum  
 depositi agere. possum enim mutare uoluntatem, & ante mortẽ tuam  
 depositum repetere. proinde et si sic deposuero, ut post mortẽ meam  
 reddatur: potero & ego, & hæres meus agere depositi, mutata uolunta-  
 te. Quoniam aut̃ dolus duntaxat in hanc actionem uenit: quæsitum  
 est, si hæres rem apud testatorẽ depositam, uel cõmodatam distraxit,  
 ignorans depositam uel commodatam, an teneatur? & quia dolo non  
 fecit, non tenebitur de re. an tamẽ uel de precio teneatur, quod ad eum  
 peruenit: & uerius est, teneri eum. hoc em̃ ipso dolo facit, quod id, quod  
 ad se puenit, nõ reddit.

II. PAVLVS lib. XXXI. ad edictum.

**Q**uid ergo si precium nondum exegit: aut minoris, quam debuit, uendidit: actiones suas tantummodo præstabit.

III. VLPPIANVS lib. XXX. ad edictum.

**P**lanè si possit rem redimere, & præstare, nec uelit: non caret culpa: quemadmodum nec si redemptam, uel alia ratione suam factam, noluit præstare: caussatus, quod semel ignarus uendiderit.

IIII. PAVLVS lib. V. ad Plautium.

**S**ed etsi non sit hæres, sed putauit se hæredem, & uendidit: simili modo lucrum ei extorquebitur.

V. VLPPIANVS lib. XXX. ad edictum.

**E**I, apud quem depositum esse dicitur, contrarium iudicium depositi datur. in quo iudicio merito in litem nõ iuratur. non enim de fide rupta agitur, sed de indemnitate eius, qui depositum suscepit. In sequestrum depositi actio competit. si tamen cum sequestro cõuenit, ut certo loco rem depositam exhiberet: nisi ibi exhibeat, teneri eum palam est. Quod si de pluribus locis conuenit: in arbitrio eius est, quo loco exhibeat. sed si nihil conuenit: denunciandum est ei, ut apud prætorem exhibeat. Si uelit sequester officium deponere, quid ei faciendum sit: & ait Pomponius, adire eum prætorem oportere: & ex eius auctoritate denunciatione facta his, qui eum elegerant: ei rem restituendam, qui præsens fuerit. sed hoc non semper uerum puto. nam plerumque non est permittendus officium, quod semel suscepit, contra legem depositionis deponere: nisi iustissima caussa interueniente. & cū permittitur: raro ei res restituenda est, qui uenit: sed oportet eam arbitratiu iudicis apud ædem aliquam deponi.

VI. PAVLVS lib. XXXI. ad edictum.

**P**roprie in sequestro est depositum, quod à pluribus in solidum certa conditione custodiendum reddendumque traditur.

VII. VLPPIANVS lib. XXX. ad edictum.

**S**i hominem apud se depositum, ut quaestio de eo haberetur, ac propterea uinctum, uel ad malam mansionem extensum, sequester soluerit, misericordia ductus: dolo proximum esse, quod factum est, arbitrator: quia cū sciret, cui rei pararetur, intèpestine misericordiã exercuit: cū posset nõ suscipere talem caussam, quæ decipere. Datur actio depositi in hæredem ex dolo defuncti in solidum. quanquam enim aliàs ex dolo defuncti non solemus teneri, nisi pro ea parte, quæ ad nos peruenit: tamen quia hic dolus ex contractu reique persecutione descendit: ideoque in solidum unus hæres tenetur, plures uero pro ea parte, qua quisque hæres est. Quoties foro cedunt numularij, solet primo loco ratio haberi de-

ri depositariorū: hoc est eorū, qui depositas pecunias habuerint, quas non scēnore apud numularios, uel cum numularijs, uel per ipsos, exercebant: & ante priuilegia. igitur si bona uenerint, depositariorum ratio habetur: dummodo eorum, qui uel postea usuras acceperūt, ratio non habeatur, quasi renunciauerint deposito. Item quæritur, utrum ordo spectetur eorum, qui deposuerunt: an uero simul omnium depositariorum ratio habeatur: & const... simul admittendos. hoc enim rescripto principali significatur.

VIII. P A P I N I A N V S lib. IX. *questionum.*

**Q**uod priuilegium exercetur, nō in ea tantum quantitate, quæ in bonis argentarij ex pecunia deposita reperta est, sed in omnibus fraudatoris facultatibus: idēq; propter necessariū usum argentariorum ex utilitate publica receptum est: planē sumptus caussa, qui necessariō factus est, semp præcedit. nā deducto eo bonorū calculus subduci solet.

IX. P A V L V S lib. XXXI. *ad edictum.*

**I**n depositi actione si ex facto defuncti agam: aduersus unum ex pluribus hæredibus pro parte hæreditaria agere debeo. si uero ex suo delicto: pro parte non ago. merito: quia æstimatio refertur ad dolū, quem in solidum ipse hæres admisit:

X. I V L I A N V S lib. II. *ex Minutio.*

**N**ec aduersus cohæredes eij, qui dolo carēt, depositi actio cōpetit.

XI. V L P I A N V S lib. XLI. *ad Sabinum.*

**Q**uod seruus deposuit: is, apud quem depositum est, seruo restituisse me reddet ex bona fide. nec enim conuenit bonæ fidei, abnegare id, quod quis accepit: sed debet reddere ei, à quo accepit: sic tamen, si sine dolo omnia reddat: hoc est, ut ne culpæ quidem suspicio sit. deniq; Sabinus hoc explicauit addendo: NEC VLLA CAUSSA INTERVENIT, QVARE PVTARI POSSIT, DOMINVM REDDI NOLLE. hoc ita est, si potuit suspicari, iusta scilicet ratione motus. cæterum sufficit bonam fidem adesse. sed & si ante eius rei furtū fecerat seruus: si tamen ignorauit is, apud quem deposuit, uel credidit dominū non inuitū fore huius solutionis: liberari poterit. bona enim fides exigitur. nō tantum autem, si remanenti in seruitute fuerit solutū: sed etiam si manumisso, uel alienato ex iustis caussis liberatio cōtingat: scilicet si quis ignorans manumissum, uel alienatum soluit. idemq; & in omnibus debitoribus seruandum, Pomponius scribit.

XII. P O M P O N I V S lib. XV. *ad Sabinum.*

**S**i in Asia depositum fuerit, ut Romæ reddatur: uideretur id actum, ut non impensa eius id fiat, apud quē depositum sit, sed eius, qui deposuit. Depositum eo loco restitui debet, in quo sine dolo malo eius

DD ij est,

est, apud quem depositum est. ubi uero depositum est, nihil interest. eadem dicenda sunt communiter & in omnibus bonæ fidei iudicijs. Sed dicendū est, si uelit actor suis impensis, suoq; periculo perferri rem Romanam, ut audiendus sit: quoniam & in ad exhibendum actione id seruetur. Cum sequestro recte agetur depositi sequestraria actione: quum & in hæredem eius reddi oporteat. Quemadmodū quod ex stipulatu, uel ex testamento dari oportet, post iudicium acceptum cum detrimento rei perit: sic depositum quoq; eo die, quo depositi actum sit: periculo eius, apud quem depositum fuerit, est: si iudicij accipiendi tempore potuit id reddere reus, nec reddidit.

XIII. PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.

SI quis inficiatus sit non aduersus dominum, sed quod eum, qui rem depositam petebat, uerum procuratorem non putaret: aut eius, qui deposuisset, hæredem: nihil dolo malo fecit. postea autem si cognouerit, cum eo agi poterit: quoniam tunc incipit dolo malo facere, si reddere eam non uult. Competit etiam condictio depositæ rei nomine: sed non ante, quàm quid dolo admissum sit. nõ enim quenq; hoc ipso, quod depositum accipiat, uerum quod dolum malum admiserit, condictione obligari constat.

XIII. CAIVS lib. IX. ad edictum prouinciale.

SI plures hæredes exstiterint ei, qui deposuerit: dicitur, si maior pars adierit, restituendā rem præsentibus. maiorem aut partem non ex numero utiq; personarū, sed ex magnitudine portionū hæreditariarū intelligendū, caurela idonea reddenda. Siue aut cum ipso, apud quem deposita res est, actum fuerit, siue cum hærede eius: & sua natura res ante rem iudicatā interciderit (ueluti si homo mortuus fuerit) Sabinus & Cassius absolui debere eum, cum quo actum est, dixerunt: quia æquū sit naturalem interitum ad actorem pertinere: utiq; cum interitura sit ea res, etsi restituta esset actori.

XV. IULIANVS lib. XIII. Digestorum.

QVI rem suam deponi apud se patitur, uel utendā rogat: nec depositi, nec comodati actione tenetur. Sicuti qui rem suam cõduxit, aut precario rogat: nec precario tenetur, nec ex locato.

XVI. AFRICANVS lib. VII. questionum.

SI is, apud quē rem deposueris, apud alium eam deponat, & ille dolo quid admiserit: ob dolū eius, apud quē postea sit depositū, eatenus eum teneri, apud quem tu deposueris, ut actiones suas tibi præstet.

XVII. FLORENTINVS lib. VII. institutionum.

LICet deponere tam plures, q̄ unus possunt: attamen apud sequestrum non nisi plures deponere possunt. nam tunc id fit, cum aliā qua

qua res in controuersiam deducitur. itaq; hoc casu in solidū unusquisq; uidetur deposuisse. quod aliter est, cū communē rem plures deponūt.

Rei depositæ pprietas apud deponentē manet, sed & possessio: nisi apud sequestrū deposita est. nam tūc demū sequester possidet. id enim agitur ea depositione, ut neutrius interim possessionis tempus pcedat.

XVIII. NERATIUS lib. II. membranarum.

**Q**uod tumultus, incendij, ruinae, naufragij causa depositum est: in hæredem de dolo mortui actio est, & pro hæreditaria portione, & in simplū, & intra annum quoq; in ipsum uero & in solidum, & in duplum, & in perpetuum datur.

XIX. VLPPIANVS lib. XXX. ad edictum.

**I**ulianus & Marcellus putant, filiūfamilias depositi recte agere posse.

XX. PAVLVS lib. XXXI. ad edictum.

**S**i sine dolo malo rem depositam amiseris: nec depositi teneris, nec scauere debes, si depræhenderis, eam reddi. si tamē ad te iterum per uenerit: depositi teneris.

XXI. IDEM lib. XL. ad edictum.

**S**i apud filiūfamilias res deposita sit, & emancipatus rem teneat: pater nec intra annum de peculio debet conueniri, sed ipse filius. plus Trebatius existimat: etiam si apud seruum depositū sit, & manumissus rem teneat: in ipsum dandam actionem, non in dominum: licet ex cæteris causis in manumissum actio non datur.

XXII. MARCELLVS lib. I. digestorum.

**S**i duo hæredes rem apud defunctū depositā dolo interuenterint: quodā utiq; casu in partes tenebūtur. nam si diuiserint decem, quæ apud defunctum deposita fuerant, & quina abstulerint, & uterq; soluendo sit: in partes obstricti erunt. nec enim amplius actoris interest. Quod si lancem conflauerint, aut conflari ab alio passi fuerint, aliaūe quæ species dolo eorum interuersa fuerit: in solidum conueniri poterunt, ac si ipsi seruandam suscepissent. nam certe uerum est, in solidum quenc; dolo fecisse: & nisi pro solido, res non potest restitui. nec tamen absurde sentiet, qui hæc putauerit: planē, nisi integræ rei restitutione, eum, cum quo actum fuerit, liberari non posse: condemnandum tamen, si res non restituatur, pro qua parte hæres existit.

XXIII. MODESTINVS lib. II. differentiarum.

**A**ctioe depositi conuentus seruo constituto: cibariorum nomine, apud eundem iudicem utiliter experietur.

XXIIII. PAPINIANVS lib. IX. questionum.

**L**ucius Titius Sépronio salutem. centū numos, q̄s hac die cōmendasti mihi, adnumerāte seruo Stichō actore, esse apud me, ut notū

DD iij habe

**† als. ubi.** haberes, hac epistola manu mea scripta, tibi notū facio. quos quando uoles & ut uoles, confestim tibi numerabo. quæritur ppter usurariū incrementum: respondi. depositi actionem locum habere. quid est enim aliud commendare, quàm deponere: quod ita uerum est, si id actum esset, ut corpora numerorum eadem redderentur. nam si, ut tantundē solueretur, conuenit: egredī ea res depositi notissimos terminos. in qua questione, si depositi actio non teneat, cum conuenit tantundē, nō idē reddi: rationem usurarum haberi, non facile dicendum est. & est quidē constitutum, in bonæ fidei iudicijs (quod ad usuras attinet) ut tantundem possit officium arbitri, quantum stipulatio. Sed & contra bonam fidem, & depositi naturā est: usuras ab eo desiderari temporis ante mortem, qui beneficium in suscipienda pecunia dedit. si tamē ab initio de usuris præstandis conuenit: lex contractus seruabitur.

XXV. IDEM lib. III. responsum.

**D**e sponsaliorum, aut postea, res oblatas puellæ, quæ sui iuris fuit, pater suscepit. hæres eius, ut exhibeat, recte conuenietur etiā actione depositi. Qui pecuniam apud se non obfignatam, ut tantundē redderet depositam, ad usus proprios conuertit: post moram in usuras quoq; iudicio depositi condemnandus est.

XXVI. PAVLVVS lib. III. responsum.

**P**ublia Mænia, cum proficisceretur ad maritum suum, arcam clausam cum ueste, & instrumentis commendauit Caiæ Seia, & dixit ei, cum salua sanaue uenero, restitues mihi. cæterum si aliquid mihi humanum contigerit: filio meo, quem ex altero marito suscepi. Defuncta ea intestata, desidero, res commendatæ cui restitui debeant: filio, an marito? Paulus respondit, filio. Lucius Titius ita cavit. *ἔλαβον καὶ εἶχω εἰς λόγον παρακαταθήκης τὰ προγεγραμμένα τῷ ἀργυρίου δυνάμια μνηστία: καὶ πάντα ποιήσωμι συμφωνῶντε καὶ ὁμολόγησα, ὡς προγεγραπται. καὶ σιωπῆσειν χρὴ γίνεσθαι σοι τόκοι ἐκάστης μνάς ἐκάστου μηνὸς ὀβολοὺς τέσσαρας, μέχρι τῆς ἀποδόσεως παντὸς τῷ ἀργυρίου.* quæro, an usuræ peti possunt? Paulus respondit. eum contractum, de quo quæritur, depositæ pecuniæ modum excedere. ideo secundū conventionē, usuras quoq; actione depositi peti possent. Titius Sempronio salutē. Habere me a uobis auri pondo plus minus decem, & discos duos, saccum signatum, ex quibus debetis mihi decē, quos apud Titium deposuistis: item *κοινοῦτον φείων* decem: item ex ratione patris uestri decē, & quod excurrit. Quæro, an ex huiusmodi scriptura aliqua obligatio nata sit: scilicet, quod ad solam pecuniæ causam attinet: respōdit. ex epistola, de qua quæritur, obligationem quidem nullam natam uideri: sed probationem depositarum rerum impleri posse. an autem is quoq; qui deberi sibi cavit, eadem

dem epistola decem probare possit: hoc, quod scripsit, iudicem æstima-  
rurū.

XXVII. IDEM lib. VII. *responsorum.*

**L**ucius Titius cum haberet filiam in potestate Seia, Pamphilo ser-  
uo alieno in matrimonio collocavit: cui etiam dotē dedit, quam  
sub titulo depositi in cautionem contulit. & postea denūtiatione nulla  
à domino facta, pater decessit. mox & Páphilus seruus. quæro, qua acti-  
one Seia pecuniam petere possit, cū ipsa patri hæres extiterit: Paulus  
respondit. quoniam dos constitui non potuit: ex causa depositi actio-  
ne de peculio pecuniam repetendam.

XXVIII. SCAEVOLA lib. I. *responsorum.*

**Q**uintus Cæcilius Candidus ad Paccium Rogatianū epistolā scri-  
psit in uerba infra scripta. Cæcilius Candidus Paccio Rogatiano  
suo salutem. Viginti quinque numos, quos apud me esse uoluisi, notum  
tibi hac epistola facio, ad ratiunculam meam eos peruenisse: quibus ut  
primū prospiciam, ne uacui tibi sint, curæ habebō. quæsitum est, an  
ex ea epistola etiam usuræ peti possunt: respōdi. debere ex bonæ fidei  
iudicio: siue percepit, siue pecunia in rem suam usus est.

XXIX. PAVLVS lib. II. *sententiarum.*

**S**i sacculum uel argentum signatum deposuero, & is, penes quē de-  
positum fuit, me inuito contrectauerit: & depositi, & furti actio mi-  
hi in eū competit. Si permissu meo deposita pecunia is, penes quem  
deposita est, utatur: ut in cæteris bonæ fidei iudicijs, usuras eius nomine  
præstare mihi cogitur.

XXX. NERATIVVS lib. I. *responsorum.*

**S**i fideiussor pro te, apud quem depositum est, litis æstimatione da-  
mnatus sit: rem tuam fieri.

XXXI. TRIPHONINVS lib. IX. *disputationum.*

**B**ona fides, quæ in contractibus exigitur, æquitatem summā desi-  
derat. sed eam utrum æstimamus ad merū ius gentium, an uero  
eū præceptis ciuilibus, & prætorijs: ueluti reus capitalis iudicij deposu-  
it apud te centum. is deprotatus est. bona eius publicata sunt. utrumne  
ipsi hæc reddenda, aut in publicum deferenda sunt: si tantum naturale  
& gentium ius intruamur: ei, qui deposuit, restituenda sunt. si ciuile ius  
& legum ordinē: magis in publicum deferenda sunt. nam male meritis  
publice, ut alijs exemplo ad deterrenda maleficia fit, etiā egestate labo-  
rare debet. Incurrit hic & alia inspectio. bonā fidē inter eos tantum,  
quos inter contractū est, nihilo extrinsecus adsumpto, æstimare debea-  
mus: an respectu etiā aliarum personarū, ad quas id, quod gerit perti-  
net: exēpli loco. latro spolia mihi abstulit, deposuitque apud Seiū in sci-  
um de malicia deponentis. utrū latroni, an mihi restituere Seiū debe-  
at?

at: si per se dantē accipientemq; intueamur: hæc est bona fides, ut commissam ré recipiat is, qui dedit. si totius rei æquitatē, quæ ex oibus personis, quæ negotio isto contingunt, impletur: mihi reddēda sunt, quæ facto scelestissimo adēpta sunt. & p̄bo hanc esse iustitiā, quæ suū cuiq; ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius p̄sonæ iustiore \*petitione. Quod si ego ad petenda ea non ueniā: nihilominus ei restituenda sunt, qui deposuit: quāuis male quæsita deposuit. quod & Marcellus in prædone, & fure scribit. Si tamen ignorans latro, cuius filio uel seruo rem abstulisset, apud patrē dominumq; eius deposuit ignorantē: nec ex iure gentium consistet depositū: cuius hæc est potestas, ut alij, non domino sua ipsius res, quasi aliena, seruanda detur. Et si rem meam fur, qui me ignorante subripuit, apud me etiā nunc delictum eius ignorantē, deposuerit: recte dicetur, nō contrahi depositū: quia non est ex bona fide, rem suam dominum prædoni restituere compelli. sed & si etiamnum ab ignorante domino tradita sit, quasi ex causa depositi: tamē indebiti dati condictio competit.

XXXII. CELSVS lib. XI. *digestorum.*

**Q**uod Nerua diceret, latiore culpam dolum esse, Proculo displicebat: mihi uerissimum uidetur. nam & si quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est: nisi tamē ad suum modum curam in deposito præstat, fraude non caret. nec enim salua fide minorem his, quàm suis rebus, diligentiam præstabit.

XXXIII. LABEO lib. VI. *posteriorū à Laboleno epitomatorū.*

**S**eruus tuus pecuniam cum Titio in sequestro deposuit apud Marcinum, ut Titio. posse dixit, cum eo, apud quem deposita esset, incertum agi: \*item & ad exhibendum, & exhibitam uindicari: quia seruus in deponendo tuum ius deterius facere non potuisset.

XXXIII. IDEM lib. II. *περὸν ὄν.*

**P**otes agere depositi cum eo, qui tibi non alter, quàm numis à te acceptis, depositum reddere uoluit: quāuis sine mora & incorruptum reddiderit.

Dige

# DIGESTORVM

SEV PANDECTARVM LIBER DE  
cimusseptimus.

## MANDATI, VEL CONTRA. Tit. I.

PAVLVS lib. XXXII. ad edictum.



bligatio mandati consensu contrahentium consistit. ideo per nunciū quoq; uel per epistolam mandatum suscipi potest. Item siue **ROGO**, siue **VOLO**, siue **MANDO**, siue aliud quodcunq; uerbum scripserit: mandati actio est. Item mandatum & in diem differri, & sub conditione contrahi potest.

Mandatum, nisi gratuitū, nullum est. nam origine ex officio atq; amicitia trahit. contrariū porro est officio merces. interueniente em̄ pecunia, res ad locationē & conductionem potius respicit.

II. CAIUS lib. II. rerum quotidianarū, siue aureorum.

**M**andatum inter nos contrahitur: siue mea tantū gratia tibi mandem, siue aliena tantum, siue mea & aliena, siue mea & tua, siue tua & aliena. quod si tua tantum gratia tibi mandem: superuacuum est mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio nascitur. Mea tantū gratia interuenit mandatum: ueluti si tibi mandem, ut negocia mea geras, uel ut fundum mihi emas, uel ut pro me fideiubeas. Aliena tantum: ueluti si tibi mandem, ut Titij negocia geras, uel ut fundum ei emas, uel ut pro eo fideiubeas. Mea & aliena: ueluti si tibi mandem, ut mea & Titij negocia geras, uel ut mihi & Titio fundum emas, uel ut p me & Titio fideiubeas. Tua & mea: ueluti si mandē tibi, ut sub usuris credas ei, qui in rem meā mutuatur. Tua & aliena: ueluti si mandem, ut Titio sub usuris credas. quod si, ut sine usuris credas: aliena tantum gratia interuenit mandatum. Tua autē gratia interuenit mandatū: ueluti si mandem tibi, ut pecunias tuas potius in emptiones prædiorum colloces, quā scēneres: uel ex diuerso, ut scēneres potius. q̄ in emptiones prædiorum colloces. cuius generis mandatū magis est consilium, quā mandatum. & ob id non est obligatorium: quia nemo ex consilio obligatur, etiam si non expediat ei, cui datur: quia liberum est cuiq; apud se explorare, an expediat sibi consilium.

III. PAVLVS lib. XXXII. ad edictum.

**P**raterea in causa mandati etiam illud uertitur: ut interdum nec melior causa mandatis fieri possit, interdum melior, deterior ue-

EE IO NUM.

ro nunquam. & quidem si mandauit tibi, ut aliquam rem mihi emereres, nec de precio quidquam statui, tuque emisti: utriusque actio nascitur. quod si precium statui, tuque pluris emisti: quidam negauerunt, mandati te habere actionem, etiam si paratus esses id, quod excedit, remittere. namque iniquum est, non esse mihi cum illo actionem, si nolit: illi uero, si uelit, mecum esse.

III. CAIVS lib. II. rerum quotidianarum, seu aureorum.

**S**ed Proculus recte eum usque ad precium statutum acturum existimat. quæ sententia sanè benignior est.

V. PAVLVS lib. XXXII. ad edictum.

**D**iligenter igitur fines mandati custodiendi sunt. nam qui excessit, aliud quid facere uidetur: & si susceptum non impleuerit, tenetur. itaque si mandauero tibi, ut domum Seianam centum emereres, tuque Titianam emeris longe maioris precij, centum tamen, aut etiam minoris: non uideris impleuisse mandatum. Item si mandauero tibi, ut fundum meum centum uenderes, tuque eum nonaginta uendideris, & petam fundum: non obstabit mihi exceptio, nisi & reliquum mihi, quod deest mandato meo, præstes, & indemnem me per omnia conserues. Seruo quoque si dominus præceperit certa summa se uendere, & ille minoris uendiderit: similiter & uindicare eam dominus potest: nec ulla exceptio ne submoueri, nisi indemnitas ei præstetur. Melior autem causa mandantis fieri potest: puta si cum tibi mandassem, ut Stichum decena emereres, tu eum minoris emeris, uel tantidem, ut aliud quidquam seruo accederet. utroque enim casu, aut non ultra precium, aut intra precium fecisti.

VI. VLPPIANVS lib. XXXI. ad edictum.

**S**i remunerandi gratia honor interuenit: erit mandati actio. Si cui sit mandatum, ut negocia administraret: hac actione erit conueniendus, nec recte negotiorum gestorum cum eo agetur. nec enim ideo est obligatus, quod negocia gessit: uerum idcirco, quod mandatum suscepit. denique teneretur, & si non gessisset. Si passus sim aliquem pro me si deiubere, uel alias interuenire: mandati teneor. & nisi pro inuito quis intercesserit, aut donandi animo, aut negocium gerens: erit mandati actio. Rei turpis mandatum nullum est. & ideo hac actione non agitur. Si tibi mandauero, quod mea non intererat: ueluti ut pro Seio interuenias, uel ut Titio credas: erit mihi tecum actio mandati, ut Celsus libro octauo digestorum scribit: & ego tibi sum obligatus. Plaque si tibi mandauero, quod tua intererat: nulla erit mandati actio, nisi mea quoque interfuerit. at si non esses facturus, nisi ego mandassem: & si mea non interfuit, tamen erit mandati actio. Apud Iulianum libro de cimoto tertio digestorum quaeritur. si dominus iusserit procuratorem suum certam pecuniam sumere, & scenerare periculo suo, ita ut certas uisuras

ras domino pēderet: si pluris scenerare potuisset, ipse lucraretur: in creditū pecuniam uideretur (inquit) accepisse. planè si omnium negociorum erat ei administratio mandata: mandati quoque eum teneri, quemadmodum solet mandati teneri, qui creditoris sui negocia gessit. Marius Paulus quidam fideiusserat pro Daphnide, mercedem pactus ob suam fideiussionem: & sub nomine alterius ex euentu litis cauerat sibi certam quātitatem dari. hic à Claudio Saturnino prætorē maiores fructus inferre iussus erat. aduocationibus ei idem Saturninus interdixerat. uidebatur autem mihi iudicatum solui fideiussisse, & quasi redemptor litis existisse: & uelle à Daphnide mandati iudicio consequi, quod erat condemnatus. sed rectissime diui fratres rescripserunt, nullam actionem eum propter suam calliditatem habere: quia mercede pacta accesserat ad talem redemptionem. Marcellus autem sic loquitur de eo, qui pecunia accepta spondit, ut siquidem actum est, ut suo periculo spondeat: nulla actione agat. sin uero non est hoc actum: utilis ei potius actio competat. quæ sententia utilitati rerum consentanea est.

VII. P A P I N I A N V S lib. II. *responsorum.*

**S**alarium procuratori constitutum, si extra ordinem peti cœperit: considerandum erit, an laborem dominus remunerare uoluerit, atque ideo fidem adhiberi placitis oporteat: an in euentum litium maioris pecuniæ præmio contra bonos mores procurator redemerit?

VIII. V L P I A N V S lib. XXXI. *ad edictum.*

**S**i procuratorem dederō, nec instrumenta mihi causæ reddat: qua actione mihi teneatur? & Labeo putat mandati eum teneri: nec esse probabilem sententiam existimantium, ex hac causā agi posse depositi. uniuscuiusque enim contractus & initium spectandum esse, & causam.

Sed & si per collusionem procuratoris absolutus sit aduersarius: mandati eum teneri. sed si soluendo non fit: tunc de dolo actionem aduersus reum, qui per collusionem absolutus fit, dandam ait. Sed & de lite, quam suscepit, exsequenda mandati eum teneri constat. Si quis mandauerit alicui gerenda negocia eius, qui ipse sibi mandauerat: habebit mandati actionem: quia & ipse tenetur. tenetur autem, quia agere potest. quanquam enim uulgo dicitur, procuratorem ante litē contestatam facere procuratorem non posse: tamen mandati actio est. ad agendum enim duntaxat hoc facere non potest. Si tutores mandauerint suo contutori mancipium emendum pupillo, & ille nō emerit: an sit mandati actio? & utrum tantum mandati, an uero & tutelæ? & Iulianus distinguit, referre enim, cuius generis seruum tutores um tutorum mandauerint, ut emeret. nam si superuacuum seruum, uel etiam onerosum: mandati actione tantum eum teneri, tutelæ non teneri. si

uero necessarium seruum: tunc & tutelæ eum teneri, nec solum, sed & cæteros. nam & si non mandassent: tenerentur tutelæ, cum seruum pu-  
pillo necessarium non comparauerint. non sunt igitur excusati, quod  
contutori mandauerint, quia emere debuerunt. Planè habebunt nihilo  
minus mandati actionem: quia mandato non est obtemperatum.  
Contra quoq; Iulianus ait: tutorem, qui emit, mandati actionem ha-  
bere aduersus contutores suos. Si liber homo, cum bona fide serui-  
ret, Titio mādauit, ut redimeretur: & numos ex eo peculio dedit, quod  
ipsum sequi, nō apud bonæ fidei possessorem relinqui debuit: Titiusq;  
preçio soluto, liberum illum manumisit, mox ingenuus pronunciatu-  
s est: habere eum mandati actionem aduersus eum Iulianus ait, cui se re-  
dimendū mandauit. sed hoc tantum inesse mandati iudicio: ut sibi acti-  
ones mandet, quas habet aduersus eū, à quo comparauit. planè si eam  
peeuniam dederit, quæ erat ex peculio ad bonæ fidei possessorem perti-  
nente: nullæ ei ( inquit Iulianus ) mandari actiones possunt: quia nullas  
habet, cum ei suos numos emptor dederit. quinimo ( inquit ) ex uendi-  
to manebit obligatus. sed & hæc actio inutilis est: quia quantum fuerit  
consecutus, tantum empti iudicio necesse habebit præstare. Mandati  
actio tunc competit, cum cœperit interesse eius, qui mandauit. cæ-  
terum si nihil interest: cessat mandati actio. & eatenus competit, quate-  
nus interest. ut puta mandauit tibi, ut fundum emereres. si intererat mea  
emi: teneberis. cæterum si eundem hunc fundum ego ipse emi, uel alius  
mihi, neq; interest aliquid: cessat mandati actio. Mandauit, ut negocia  
gereres. si nihil deperierit ( quamuis nemo gesserit ) aut si alius idonee  
gesserit: cessat mandati actio. & in similibus hoc idem erit probandum.

Si ignorantes fideiussores debitorem soluisse, uel etiam acceptilati-  
one, siue pacto liberatum, ex substantia debitoris soluerunt: non tene-  
buntur mandati, quod ad actionem fideiussoris pertinet: & hoc ex rescri-  
pto diuorum fratrum intelligere licet, cuius uerba hæc sunt. I M P P.  
ANTON. ET VERVS A A. Catullio Iuliano. Si hi, qui pro te fideiuss-  
serant, in maiorem quantitatem damnati, quàm debiti ratio exigebat,  
scientes & prudentes auxilium appellationis omiserunt: poteris, man-  
dati agentibus his, æquitate iudicis tueri te. Igitur si ignorauerunt,  
excusata ignorantia est: si sciuerunt, incumbabat eis necessitas prouo-  
candi. Cæterum dolo uersati sunt, si non prouocauerint. quid tamen, si  
paupertas eis non permisit: excusata est eorum inopia. sed & si testato-  
conuenerunt debitorem, ut si ipse putaret, appellaret: puto rationem  
eis constare. Dolo autem facere uidetur, qui id, quod potest restituere,  
non restituit. Proinde si tibi mandauit, ut hominē emereres, eumq;  
emisti, teneberis mihi, ut restituas. Sed & si dolo emere neglexisti, forte  
si pecu-

si pecunia accepta alij cessisti, ut emeret: aut si lata culpa, forte si gratia ductus, passus es alium emere: teneberis. Sed & si seruus, quē emisisti, fugit: siquidem dolo tuo: teneberis. si dolus non interuenit, nec culpa: non teneberis, nisi ad hoc, ut caueas, si in potestatem tuam peruenerit, te restitutum. Sed & si restituas: tradere debes. & si cautum est de euictione rei, uel potes desiderare, ut tibi caueatur: puto sufficere, si mihi hac actione cedas, & procuratorem me in rem meam facias: nec amplius præstes, quàm consecutus sis.

**D**E tuo etiam facto cauere debes.

IX. PAVLVVS lib. XXXII. ad edictum.

X. VLPIANVS lib. XXXI. ad edictum.

**I**demq; & in fundo, si fundum emit procurator. nihil enim amplius, quàm bonam fidem præstare eum oportet, qui procurat. sed & si de sanitate serui procuratori cautum est, aut caueri potest, aut de cæteris iuribus: idem erit dicendum. at si culpa caueri non curauit: condemnabitur. Si ex fundo, quem mihi emit, procurator fructus consecutus est: hos quoq; officio iudicis præstare eum oportet. Si procurator meus pecuniam meam habeat: ex mora utiq; usuras mihi pendet. sed & si pecuniam meam foenori dedit, usurasq; consecutus est: cõsequenter dicemus, debere eum præstare, quantumcunq; emolumenti sensit: siue ei mandauit, siue non: quia bonæ fidei hoc congruit, ne de alieno luctum sentiat. quod si non exercuit pecuniam, sed ad usus suos conuertit: in usuras conuenietur, quæ legitimo modo in regionibus frequentantur. Deniq; Papinianus ait, etiam si usuras exegit procurator, & in usus suos conuertit: usuras eum præstare debere. Si quis Titio mandauit, ut ab actoribus suis mutuam pecuniam acciperet: mandati eum non acturum, Papinianus libro tertio responsorum scribit: quia de tua pecunia eum habet obligatum. & ideo usuras eum petere non posse, quasi ex causa mandati, si in stipulationem deductæ non sunt. Idem Papinianus libro eodem refert: fideiussori condemnato, qui ideo fideiussit, quia dominus procuratori mandauerat, ut pecuniam mutuam acciperet: utile actionem dandã quasi institoriã: quia & hic quasi præpositum fuisse eum mutua pecuniæ accipiendæ uideatur. Si cui mandauero, ut à Titio stipuletur: potero eum eo, cui mandauit, agere mandati, ut eum accipere liberet, si hoc uelim: uel si malim, in hoc agam, ut eum deleget mihi, uel cui alij uoluero. Et Papinianus libro eodem scribit. si mater pro filia dotem dederit, eaq; mandante filia uel ilico stipulata sit, uel etiam postea: mandati eam teneri, quamuis ipsa sit, quæ dotem dederit.

Si quis ea, quæ procurator suus & serui gerebant, ita demum rata esse mandauit, si interuentu Sempronij gesta essent: & male pecunia credi-

ta sit: Sempronium, qui nihil dolo fecit, non teneri. & est uerum: eum, qui non animo procuratoris interuenit, sed affectione amicalem promisit in monendis procuratoribus, & actoribus, & in regendis consilio: mandati non teneri. sed si quid dolo fecerit: non mandati, sed magis de dolo teneri. Si mandauero procuratori meo, ut Titio pecunia mea credat sine usuris, isque non sine usuris crediderit: an etiam usuras mihi restituere debeat, uideamus. & Labeo scribit. restituere eum oportere, etiam si hoc mandauerim, ut gratuitam pecuniam daret: quamuis si periculo suo credidisset, cessaret (inquit Labeo) in usuris actio mandati.

Idem Labeo ait, & uerum est, reputationes quoque hoc iudicium admittere: & sicuti fructus cogitur restituere is, qui procurat: ita sumptum, quem in fructus percipiendo fecit, deducere eum oportet. sed & si ad uecturas suas, dum excurrit in praedia, sumptus fecit: puto hos quoque sumptus reputare eum oportere: nisi si salarium fuit, & hoc conuenit, ut sumptus de suo faceret ad haec itinera. Idem ait. si quid procurator citra mandatum ad uoluptatem fecit: permittendum ei auferre, quod sine damno domini fiat: nisi ratione sumptus istius dominus admittit. Fideiussores & mandatores, & si sine iudicio soluerint: habent actionem mandati. Generaliter Iulianus ait. si fideiussor ex sua persona omiserit exceptionem, qua reus uti non potuit: siquidem minus honesta: habere eum mandati actionem. Quod si eam, qua reus uti potuit: si sciens id fecit, non habiturum mandati actionem. si modo habuit facultatem rei conueniendi, desiderandique, ut ipse susciperet potius iudicium, uel suo, uel procuratorio nomine. Si fideiussori donationis causa accepto factum sit a creditore: puta si fideiussorem remunerare uoluit creditor: habere eum mandati actionem. Multo magis si mortis causa accepto tulisset creditor, uel si ei liberationem legauit.

XI. POMPONIVS lib. III. ex Plautio.

**S**I ei, cui damnatus ex causa fideiussoria fueram, haeres postea existero: habebo mandati actionem.

XII. VLPIANVS lib. XXXI. ad edictum.

**S**I uero non remunerandi causa, sed principaliter donando, fideiussori remisit actionem: mandati eum non acturum. Marcellus autem fatetur: si quis donaturus fideiussori, pro eo soluerit creditori: habere fideiussorem mandati actionem. Planè (inquit) si filiusfamilias uel seruus fuit fideiussor, & pro his soluero, donaturus eis: mandati patrem uel dominum non acturos. hoc ideo: quia non donare patri uoluit, qui soluit. planè si seruus fideiussor soluerit: dominum mandati acturum. Idem Marcellus ibidem ait. si filiusfamilias non iussu patris fideiusserit: cessat mandati actio, si nihil sit in peculio. quod si iussu, uel ex peculio solutum

tum est: multo magis habet pater mandati. Si filio familias manda-  
 ti, ut pro me solueret: patrem (siue ipse soluerit, siue filius ex peculio)  
 mandati acturum, Neratius ait. quod habet rationem. nihil enim mea  
 interest, quis soluat. Si filio familias mandauero, ut pro me soluat, &  
 emancipatus soluerit: uerum est in factum actionem filio dandam, pa-  
 trem autem post emancipationem soluentem negotiorum gestorum  
 actionem habere. Contrario iudicio experiuntur, qui mandatū susce-  
 perunt: ut puta qui rerum uel rei unius procurationem susceperunt. In-  
 de Papinianus quærit. si patronus prædium, quod emerat, pro quo pre-  
 cij bestem exoluerat, iusserit liberto suo tradi, ut ille residuū precij red-  
 deret: deinde reddito precio, uendenti fundū patrono libertus cōsente-  
 rit: trientis precium an possit libertus repetere? & ait. si mandatū susce-  
 pit initio libertus, non donatum accepit: contrario iudicio posse eū pre-  
 cium repetere, quod deduxit mercedibus, quas medio tempore perce-  
 pit, superest. quod si donationem patronus in libertum contulit: ui-  
 deri & postea libertum patrono donasse. Si mihi mandaueris, ut rē  
 tibi aliquam emam, egoq; emero meo precio: habebo mandati actio-  
 nem de precio recuperando. Sed & si tuo precio, impendero tamen ali-  
 quid bona fide ad emptionem rei: erit contraria mandati actio. & si rē  
 emptā nolis recipere. Simili modo & si qd aliud mādaueris, & i id sum-  
 ptur fecero: non tantum id, quod impendi, uerum usuras quoq; con-  
 sequar. usuras autem non tantum ex mora admittendas esse dicemus,  
 uerum iudicem æstimare debere, si exegit à debitore suo quis, & soluit,  
 cum uberrimas usuras consequeretur. æquissimum enim erit rationē  
 eius rei haberi. aut si ipse mutuatus, grauibus usuris soluit. Sed & si reū  
 usuris non releuauit, ipsi autem & usuræ absunt: uel si minoribus rele-  
 uauit, ipse autem maioribus fœnus accepit, ut fidem suā liberaret: non  
 dubito, debere eū mandati iudicio & usuras consequi: & (ut est con-  
 stitutum) totum hoc ex æquo & bono iudex arbitratur. Dedi tibi pe-  
 cuniam, ut creditori meo exsoluas. non fecisti. præstabis mihi usuras.  
 quō casu & à me creditor pecuniam debitam cū usuris recepturus est.  
 & ita imperator Seuer⁹ Hadriano \*Demonstrato rescripsit. Si adole a<sup>ns</sup> \* De-  
 scens luxuriosus mandet tibi, ut pro meretrice fideiubeas, idq; tu sciēs mostra-  
 mandatum susceperis: nō habebis mandati actionem: quia simile est, to-  
 quasi perdituro pecuniā sciens credideris. Sed & si ulterius directo man-  
 dauerit tibi, ut meretrici pecuniam credas: non obligabitur mandati,  
 quasi aduersus bonam fidem mandatum sit. Cum quidam talē epi-  
 stolam scripsisset amico suo. Rogo te, commendatum habeas Sextili-  
 um Crescentē amicum meum. non obligabitur mandati: quia com-  
 mendandi magis hominis, quàm mandandi causa scripta est. Si  
 quis

quis mandauerit filiofamilias credendam pecuniam, non contra senatusconsultum accipieriti, sed ex ea causa, ex qua de peculio, uel de in rem uerso, uel quod iussu pater teneretur: erit licitum mandatum. Hoc amplius dico: si cum dubitarem, utrum contra senatusconsultum acciperet, an non, nec essem daturus contra senatusconsultum accipienti: & intercesserit, qui diceret, non accipere contra senatusconsultum, & PERICULO MEO (dicat) CREDE, uel BENE CREDIS: arbitrator locum esse mandato, & mandati eum teneri. Si post creditam pecuniam mandauero creditori credendam: nullum esse mandatum rectissime Papinianus ait. plane si ut expectares, nec urgeres debitorem ad solutionem: mandauero tibi, ut des ei interuallum, periculoque meo pecuniam fore dicam: uerum puto, omne nominis periculum debere ad mandatorem pertinere. Idem ait: si tutor mandat suscipi, uel probari nomen, quod fecerat: teneri eum mandati, scilicet quondam pupillo suo, uel curatori eius. Si mandauero exigendam pecuniam, deinde uoluntate mutauero: an sit mandati actio, uel mihi, uel heredi meo? & ait Marcellus, cessare mandati actionem: quia extinctum est mandatum, finita uoluntate. quod si mandaueris exigendam, deinde prohibuisti, exactamque recepisti: debitor liberabitur. Idem Marcellus scribit. si ut post mortem sibi monumentum fieret, quis mandauit: haeres eius poterit mandati agere, ut perficiatur. Illum uero, qui mandatum suscepit, si sua pecunia fecit, puto agere mandati: si non ita ei mandatum est, ut sua pecunia faceret monumentum, poterit enim agere etiam cum eo, qui mandauit, ut sibi pecunia daret ad faciendum: maxime si iam quaedam ad faciendum parauit.

XIII. CAIVS lib. X. ad edictum prouinciale.

Idem est, & si mandauit tibi, ut post mortem meam haeredibus meis emereres fundum.

XIII. VLPPIANVS lib. XXXI. ad edictum.

Haereditatem fideiussoris, si soluerit, habere mandati actionem, dubium non est. Sed si uendiderit hereditatem, & emptor soluerit: an habeat mandati actionem, quaeritur? & Iulianus libro decimotertio scribit, idcirco haereditatem habere mandati actionem: quia tenetur iudicio ex empto, ut praestet actiones suas: idcircoque competere ex empto actionem, quia potest praestare. Si fideiussori duo haeredes exstiterint, & alter eorum a cohærede emerit hereditatem: deinde omne, quod defunctus fideiussor, stipulatori soluerit: habebit aut ex stipulatu, aut ex empto obligatum cohæredem suum. idcirco (ait) mandati actionem habebit.

XV. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

SI mandassem tibi, ut fundum emereres: postea scripsissem, ne emereres: tu ante, quam scias me uetuisse, emisisses: mandati tibi obligatus es.

tus ero, ne damno adficiatur is, qui mandatum suscepit.

XVI. VLP IANVS lib. XXXI. ad edictum.

**S**I quis mandauerit, ut in meo aliquid facerem, & fecero: quæsitum est, an sit mandati actio? & ait Celsus libro octauo digestorum, hoc respondisse se, cum Aurelius Quierus hospiti suo medico mandasse diceretur, ut in hortis eius, quos Rauennæ habebat, in quos omnibus annis secedere solebat, sphaeristerium, & hypocausta, & quædam alia ipsius ualitudini apta, sua impensa faceret. deducto igitur, quâto sua ædificia preciosiora fecisset: quod amplius impendisset, posse eum mandati iudicio persequi.

XVII. PAVLVVS lib. VII. ad Sabinum.

**S**I mandauero tibi, ut à Titio decem exigeres, & ante ea exacta, mandati tecum egero: si ante rem iudicatam exegeris, cõdemnandũ te esse cõstat.

XVIII. VLP IANVS lib. XL. ad Sabinum.

**Q**ui patitur ab alio mandari, ut sibi credatur: mandare intelligit.

XIX. IDEM lib. XLIII. ad Sabinum.

**S**eruus meus si de semetipso emendo mandarit, ut redimatur: Pomponius eleganter tractat, an is, qui seruum redemit, ultro conuenire possit uenditorem, ut seruum recipiat: quoniam mandati actio ultro citroq; est. Sed esse iniquissimum Pomponius ait, ex facto serui mei cogi me seruum recipere, quem in perpetuũ alienare uolueram: nec magis in hunc casum debere mādati teneri, quàm ut eum tibi uenderem.

XX. PAVLVVS lib. XI. ad Sabinum.

**E**X mandato apud eum, qui mandatum suscepit, nihil remanere oportet: sicuti nec damnum pati debet, si exigere fœneratam pecuniam non potuit. Fideiussori negotiorum gestorũ est actio, si pro absente fideiusserit. nam mandati actio non potest competere, cum non antecefferit mandatum.

XXI. VLP IANVS lib. XLVII. ad Sabinum.

**C**um mandatu alieno pro te fideiusserim, non possum aduersus te habere actionem mandati: quemadmodum nec qui alienũ mandatũ intuitus spondit. sed si non utiq; unius, sed utriusq; mandatum intuitus, id fecerim: habeo mandati actionem etiam aduersus te: quem admodum & si duo mihi mandassent, ut tibi crederẽ, utrunq; haberem obligatũ.

XXII. PAVLVVS lib. XXXII. ad edictum

**S**I mandauero tibi, ut pro me in diem fideiubeas, tuq; pure fideiussoris, & solueris: utilius respondebitur, interim non esse tibi mandati actionem, sed cum dies uenerit. Item tractatum est, si cum in diem deberem, mandatu meo in diem fideiusseris, & ante diem solueris: an statim habeas mandati actionem? & quidam putant, præsentem qui-

FF dem

dem esse mandati actionem: sed tanto minorem, quanti mea interest, superueniente die solutum fuisse. sed melius est dici, interim nec huius summae mandati agi posse: quoniam nonnullum adhuc commodum meum sit, ut ne hoc ante diem soluam. Interdum euenit, ut meum negocium geram, & tamen utilem habeam mandati actionem: ueluti cum debitor meus periculo suo debitorem suum mihi delegat, aut cū rogatu fideiussoris cum reo experior. nam quamuis debitum meū persequar: nihilominus & illius negocium gero. igitur quod minus seruauero, consequar mandati actione. Si hi, quorum res ueneunt, quas pignori dederunt, supposuerint emptores, & eis emendas res mandent: mandatum intelligitur, licet (quantum ad meram rationem) mandatum non consistat. nam cum rem tuā emas, nulla emptio est in tua persona rei tuæ. Iulianus scripsit, mandati obligationem consistere etiam in rem eius, qui mandatum suscipit, ex eo maxime probari: quod si pluribus hæredibus uendentibus uni mandauero, ut rem hæreditariā emeret: etiam pro ea parte, ex qua hæres sit, obligatur mandati actione, & obligat. & sanè si ille propter hoc extraneo rem non addixerit, quod mandatum susceperat: ex bona fide esse, præstari ei præciū, quanti uendere poterat. & contra, si emptor ad emptionem rei sibi necessariae idcirco non accesserat, quod hæres recepisset se ei empturum: æquissimū esse, mandati iudicio præstari, quanti eius interfuit, emptam rem habere. Is, cuius bona publicata sunt, mādare alicui potest, ut ea emat: & si emerit, utilis erit mandati actio, si non præstet fidem. quod ideo receptum est, quia publicatis bonis, quidquid postea acquiritur, non sequitur fiscum. Qui ædem sacram spoliandam, hominem uulnerandum, occidendūque mandatu suscipit: nihil mandati iudicio consequi potest, propter turpitudinem mandati. Si tibi centum dederō, ut ea Titio dares, tuq; non dederis, sed consumpseris: & mandati, & furti tene ri te, Proculus ait. at si ita dederim, ut quæ uelles, dares: mandati tantummodo. Si mandauerim seruo tuo, ut quod tibi debeam, solueret meo nomine: Neratius scribit, quamuis mutuatus seruus pecuniā rationibus tuis quasi à me receptam intulerit: tamen si numos à creditore non ita acceperit, ut meo nomine daret: nec liberari me, nec te mandati mecum acturum. quod si sic mutuatus sit pecuniam, ut meo nomine daret: utrunq; contra esse. nec referre, alius, an idem ipse seruus quies suos numos accipit creditor, nō cōtingit liberatio debitori. Fugitiuus meus, cum apud furem esset, pecuniam adquisiit, & ex ea seruos parauit, eosq; Titius per traditionem à uenditore accepit. Meala ait, mandati actione me consecuturum, ut restituat mihi Titius: quia seruus

seruus meus mandasse Titio uideatur, ut per traditionem acciperet: si modo rogatu serui hoc fecerit. quod si sine uoluntate eius uenditor Titio tradiderit: tunc posse me ex empto agere, ut mihi eos uenditor traderet: uenditoremque per conditionem à Titio repetiturum, si seruos tradiderit Titio, quos non debuerit, cum debere se existimaret. Si curator bonorum uenditionem quidem fecerit, pecuniam autem creditoribus non soluerit: Trebatius, Ofilius, Labeo responderunt: his, qui praesentes fuerunt, competere aduersus eum mandati actionem. his autem, qui absentes fuerunt, negotiorum gestorum actionem esse. at quin si praesentium mandatum executus, id egerit: negotiorum gestorum actio absentibus non est: nisi forte aduersus eos, qui mandauerunt curatori, tanquam si negocia absentium gesserint. Quod si, cum soli creditores se esse existimarent, id mandauerint: in factum actio absentibus danda est in eos, qui mandauerunt. Sicut autem liberum est, mandatum non suscipere: ita susceptum consummari oportet, nisi renunciatum sit. renunciari autem ita potest, ut integrum ius mandatori referuetur, uel perse, uel per alium eandem rem commode explicandi: aut redundet in eum captio, qui suscepit mandatum. Et quidem si is, cui mandatum est, ut aliquid mercaretur, mercatus non sit: neque renunciauerit se non empturum, idque sua, non alterius culpa fecerit: mandati actione teneri eum conuenit. hoc amplius tenebitur, (sicuti Mela quoque scripsit) & si eo tempore per fraudem renunciauerit, cum iam recte emere non posset.

XXIII. HERMOGENIANVS lib. II. *iuris uero τὸ μῶν.*

**S**Anè si ualitudinis aduersa, uel capitalium inimicitiarum:

XXIII. PAVLVVS lib. II. *sententiarum.*

**S**eu ob inanes rei actiones:

XXV. HERMOGENIANVS lib. II. *iuris uero τὸ μῶν.*

**S**eu aliam iustam causam excusationis alleget: audiendus est.

XXVI. PAVLVVS lib. XXXII. *ad edictum.*

**I**nter causas obmittendi mandati etiam mors mandatoris est. nam mandatum soluitur morte. si tamen per ignorantiam impletum est: competere actionem utilitatis causa dicitur. Iulianus quoque scripsit, mandatoris morte solui mandatum: sed obligationem aliquando durare. Si quis debitori suo mandauerit, ut Titio solueret: & debitor, mortuo eo, cum id ignoraret, soluerit: liberari eum oportet. Absente intelligitur pecunia fideiussori, etiam si debitor ab eo delegatus sit creditori, licet is soluendo non fuerit: quia bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorem delegatum. Si is, qui fideiussori donare uult, creditorem eius habeat debitorem suum, eumque liberauerit: continuo aget fideiussor mandati, quatenus nihil intersit, utrum nummos solue-

FF ij rit cre-

rit creditori, an eum liberauerit. Præterea sciendum est, non plus si deiussorem consequi debere mandati iudicio, quam soluerit. Mandatu tuo fideiussi in decem, & procuratori creditoris solui. si uerus procurator fuit: statim mandati agam. quod si procurator non est: repetam ab eo. Non omnia, quæ impensurus non fuit, mandatori imputabit: ueluti quod spoliatus sit à latronibus, aut naufragio res amiserit, uel languore suo suorumq; adprehensus quædã erogauerit. nam hæc magis casibus, q̃ mandato imputari oportet. Si cū seruus, quē mandatu meo emerat, furtum tibi fecisset: Neratius ait, mandati actione te consecuturū, ut seruus tibi noxæ dedatur: si tamē sine culpa tua id acciderit. quod si ego scissem talem esse seruū, nec tibi prædixissem, ut posses præcauere: tunc quanti tua interest, tantum præstari tibi oportet. Faber mandatu amici sui emit seruū decem, & fabricam docuit. deinde uendidit eum uiginti, quos mandati iudicio coactus est soluere. mox quasi homo nō esset sanus, emptori damnatus est. Mela ait, non præstaturum id ei mandatore: nisi postea, quā emisset, sine dolo malo eius hoc uicium habere cœperit seruus. sed si iussu mandatoris eum docuerit: contra fore. tunc enim & mercedem, & cibaria consecuturum: nisi ut gratis doceret, rogatus sit.

XXVII. CAIVS lib. IX. ad edictum prouinciale.

**S**I quis alicui scripserit, ut debitorem suum liberet, sec̃q; eam pecuniā quam is debuit, soluturum: mandati actione tenetur. Si seruū ea lege tibi tradidero, ut eum post mortem meam manumitteres: constitit obligatio. potest autem & in mea quoq; persona agendi causa interuenire: ueluti si pœnitentia acta, seruū recuperare uelim. Qui suscepit mandatū, si potest id explere, deserere promissum officii non debet: alioquin quanti mandatoris intersit, damnabitur. si uero intelligit explere se id officium nō posse: id ipsum, cum primum poterit, debet mandatori renunciare: ut is, si uelit, alterius opera utatur. quod si, cum possit renunciare, cessauerit: quanti mandatoris intersit, tenebit. si aliqua ex causa non poterit renunciare: securus erit. Mortem quoq; eius, cui mandatū est, si is integro adhuc mandato decesserit, soluitur mandatū: & ob id hæres eius, licet exsecutus fuerit mandatū, non habet mandati actionem. Impendia exsequendi mandati gratia facta, si bona fide facta sunt, restitui omni modo debent: nec ad rem pertinet, quod is, qui mandasset, potuisset, si ipse negociū gereret, minus impendere. Si mandatu meo Titio credideris, & mecum mandati egeris: non aliter condemnari debeo, quā si actiones tuas, quas aduersus Titium habes, mihi præstiteris. Sed si cum Titio egeris: ego quidē non liberabor: sed in id duntaxat tibi obligatus ero, quod à Titio seruare nō poteris.

Vlpia-

## XXVIII. VLP IANVS lib. XIII. ad edictum.

**P**apinianus libro decimotertio quaestionum ait. mandatorē debitoris soluentē, ipso iure reum nō liberare. propter mandatum enim suum soluere, & suo nomine. ideoq; mandatori actiones putat aduersus reum cedi debere.

## XXIX. IDEM lib. XXXI. ad edictum.

**S**i fideiussor conuentus, cum ignoraret, non fuisse debitori numeratam pecuniam, soluerit ex causa fideiussionis: an mandati iudicio persequi possit, id quod soluerit, quaeritur? & siquidem sciens praetermisit exceptionem, uel doli, uel non numeratae pecuniae: uidetur dolo uersari. dissoluta enim negligentia propē dolum est. ubi uero ignorauit: nihil est, quod ei imputetur. pari ratione & si aliqua exceptio debitori competebat (passi forte conuenti, uel cuius alterius rei) & ignarus hanc exceptionem non exercebat: dici oportet, mandati ei actionem cōpetere. potuit enim, atq; debuit reus, pmittendi certiorae fideiussorem suum, ne forte ignarus soluat indebitum. Non male tractabitur: si cum ignoraret fideiussor, inutiliter se obligatū, soluerit: an mandati actionem habeat. & siquidem factum ignorauit: recipi ignorantia eius potest. si uero ius: aliud dici debet. Si cum debitor soluisset, ignarus fideiussor soluerit: puto eum mandati habere actionem. ignoscendum enim est, si non diuinauit, debitorem soluisse. debitor enim debuit notū facere fideiussori, iam se soluisse: ne forte creditor obrepat, & ignorantiam eius circūueniat, & excutiat ei summā, in quam fideiussit. Hoc idem tractari & in fideiussore potest: si cum soluisset, non certiorauit reum: & sic deinde reus soluit, quod soluere eum non oportebat. & credo, si cum posset certiorare, non fecit: oportere mandati agentem fideiussorem repelli. dolo enim proximum est, si post solutionem non nunciauerit debitori. cedere autē reus indebiti actionem fideiussori debet, ne duplum consequatur creditor. Quaedam tamen, etsi sciens omittat fideiussor, caret fraude: ut puta si exceptionem procuratoriam omisit, siue sciens, siue ignarus. de bona enim fide agitur, cui non congruit de apicibus iuris disputare: sed de hoc tantū, debitor fuerit, nec ne.

In omnibus autem \*decisionibus, quae praeposita sunt: ubi creditor, uel non numeratam pecuniam, uel numeratā iterum accepit: repetitio contra eum competit: nisi ex condemnatione fuerit ei pecunia soluta. tunc enim propter auctoritatem rei iudicatae repetitio quidē cessat, ipse autē stultonatus crimine propter suam caluitatem plectetur. Fideiussor, si solus tempore liberatus, tamen soluerit creditori: recte mandati habebit actionem aduersus reum. quanquam enim iam liberatus soluit: tamen fidem impleuit, & debitorem liberauit. si igitur paratus

aliās\* distinctionibus.

fit defendere reū aduersus creditorem: æquissimum est, mandati iudicio eum, quod soluit, recuperare. & ita Iuliano uidetur.

XXX. IULIANVS lib. XIII. *digestorum.*

**S**i hominem tibi dederō, ut eū manumitteres: & postea procurator meus prohibuerit, ne manumitteres: an mādati agere possim, si tu eum manumiseris? respondi. si procurator iustam causam habuit interpellandi manumissionem serui, quem in hoc solum acceperam, ut manumitterem: ueluti si postea cōpererit, eum falsas rationes confecisse, insidias uitæ prioris domini struxisse: tenebor, nisi denunciationi procuratoris paruero. si uero nulla iusta causa procuratori fuit denunciandi, ne seruus manumitteretur: nō poterit mecum agi, quamuis ad libertatem eum perduxerim.

XXXI. IDEM lib. XIII. *digestorum.*

**S**i negocia mea mandauero gerenda ei, qui mihi actione intra annū in quadruplū tenebat, post annū uero in simplū: etsi post annum cū eo mandati agam, præstare mihi quadruplū debebit. nam qui alterius negocia administranda suscipit: id præstare debet in sua persona, quod in aliorū.

XXXII. IDEM lib. III. *ad Vrseium Ferocem.*

**S**i hæreditatem aliter aditurus non essem, quàm cautum mihi fuisset damnum præstari, & hoc mandatum intercessisset: fore mandati actionem existimo. Si quis autem mandauerit alicui, ne legatum à se repellat: longe ei dissimile esse. nam legatum adquisitum nuncq̄ illi damno esse potuit: hæreditas interdū damnosa est. & in summa. quicūq̄ contractus tales sunt, ut eorū nomine fideiussor obligari possit: & mandati obligationem consistere puto. neq̄ multum referre, præsens quis interrogatus fideiubeat, an absens mādet. præterea uulgo licet animaduertere, mādatu creditorum hæredi suspectas hæreditates adiri: quod mandati iudicio teneri, proculdubio est.

XXXIII. IDEM lib. III. *ex Minutio.*

**R**ogatus, ut fideiuberet, si in minorem summam se obligarit: recte teneri. si in maiorem: uerius putat, quod à plerisq̄ responsum est: eum, qui in maiorem summā, quàm rogatus erat, fideiussisset: hac tenus mandati actionem habere, quatenus rogatus esset: quia id fecisset, quod ei mādatum esset. nam usq̄ ad eam summā, in quam rogatus erat, fidem eius spectasse uidetur, qui rogauit.

XXXIIII. AFRICANVS lib. VIII. *questionum.*

**Q**ui negocia Lucij Titij procurabat, is cum à debitoribus eius pecuniam exegisset, epistolam ad eum misit: qua significaret, certam summam ex administratione apud se esse, eamq̄ creditam sibi, se debiturum cum usuris semisibus. quæsitum est, an ex ea causa pecunia credita

edita peti possit: & an usuræ peti possint: respondit: non esse creditâ. alioquin dicendum: ex omni contractu nuda pactioe pecuniam creditam fieri posse. nec huic simile esse, quod si pecuniam apud te depositâ conuenerit, ut creditam habeas, credita fiat: quia tunc numi, qui mei erant, tui fiant. item quod si à debitore meo iussero te accipere pecuniam, credita fiat. id enim benigne receptum est. his argumento esse eū, qui cum mutuam pecuniam dare uellet, argentum uendendum dedisset. nihilomagis pecuniam creditam recte petiturum: & tamen pecuniam ex argento redactam, periculo eius fore, qui accepisset argentū. In proposito igitur dicendum, actione mādati obligatū fore procuratorem: ut quamuis ipsius periculo numi fuerint, tamen usuras, de quibus conuenerit, præstare debeat. Cum hæres ex parte esses, mandauit tibi, ut prædium hæreditarium mihi emereres certo precio. emisti. pro cohæredum quidē partibus nō dubie mādati actionē esse inter nos: pro tua autem parte posse dubitari ait, utrumne ex empto, an mādati agi oporteat: neq; enim sine ratione quæcūq; existimaturum, pro hac parte sub conditione contractam emptionem. quod quidē quæri maxime pertinere ait, ut si forte prius, quàm emptio fieret, decesserim: & tū, cum scires me decessisse, propter mandatum meum alij uendere nolueris: an hæres meus eo nomine tibi sit obligatus: & retro, si alij uendideris: an hæredi meo tenearis: nam siquidē sub conditione emptio facta uideatur: posse agi, quemadmodum si quæuis alia conditio post mortē existisset. Si uero \*non perinde mandati agendum sit, ac si alienum fundum emi mandassem: per mortem insecutam (cū id scieris) resoluto mandato, nullam tibi actionem cū hærede meo fore. Sed etsi mandati agendum esset: eadem præstanda, quæ præstarentur, si ex empto ageretur.

XXXV. NERATIUS lib. V. membranarum.

SI fundū, qui ex parte tuus est, mandauit tibi, ut emereres mihi: uerum si est, mandatum posse ita consistere, ut mihi cæteris partibus redemptis, etiam tuam partem præstare debeas. sed si quidem certo precio emendas eas mandauerim: quancūq; aliorum partes redemeris, sic & tua pars artabitur: ut non habundet mandati quantitatem, in quantum tibi emendum totum mādauit. Sin autem nullo certo precio constituto, emere tibi mandauerim, tuq; ex diuersis precijs partes cæterorum emeris: & tuā partē tiri boni arbitrato æstimato precio dari mihi oportet.

XXXVI. IABOLENVS lib. VII. ex Casio.

ITA, ut omnes summas, maiores & minores, coaceruet: & ita portionem ei, qui mandatū suscepit, præstet. quod & pleriq; probant. Simili modo & in illa specie, ubi certo precio tibi emere mandauit: si aliarum partium nomine cōmode negocium gesseris, & uilius emeris: pro tua

als \*deest  
negatio.

tua parte tantum tibi præstatur, quanti tua interest: dum modo intra id precium, quod mandato continetur. quid enim fieret, si exiguo precio hi, quibus cū tibi cōmunis fundus erat, rem abicere, uel necessitate rei familiaris, uel alia caussa cogerentur: num etiam tu ad idem dispendium deducereris: sed nec lucrū tibi ex hac caussa acquirere debes, cum mandatum gratuitum esse debeat. neq; enim tibi concedendū est, propter hoc uenditionem impedire: quod animosiores eius rei emprore esse, quā tibi mandatum est, cognoueris. Quod si fundū, qui per partes uenit, emendum mandassem: sed ita, ut non aliter mandato teneat, quā si totum fundum emeret: si totum emere non potuerit, in partibus emendis sibi negocium gerit: siue habuerit in eo fundo partem, siue non & eueniet, ut is, cui tale mandatum datum est, periculo suo interim partes emat: & nisi totū emerit, ingratus eas retineat. Propius autē est, ut cum huiusmodi incommodis mandatū suscipi possit: præstariq; officiū etiam in partibus emendis, perinde atq; in toto, debeat ab eo, qui tale mandatum sua sponte suscepit. quod si mandassem tibi, ut fundum mihi emerēs: non addito eo, ut non aliter mandato teneas, quā si totum emerēs: & tu partem, uel quasdam partes eius emeris: tum habebimus sine dubio inuicem mandati actionem, quamuis reliquas partes emere non potuisses.

XXXVII. AFRICANVS lib. VIII. *questionum.*

**H**ominem certum pro te dari fideiussi, & solui. cum mandati agitur: æstimatio eius ad id potius tempus, quo solutus est, non quo agitur, referri debet. & ideo etiam si mortuus fuerit, nihilominus utilis ea actio est. aliter in stipulatione seruatur. nam tunc id tempus spectatur, quo agitur: nisi forte aut per promissorem steterit, quo minus sua die solueret: aut per creditorem, quo minus acciperet. etenim neutri eorum frustratio sua prodesse debet.

XXXVIII. MARCELLVS lib. *singulari responsorum.*

**L**ucius Titius Publio Mæuiio filio naturali domum communem permisit, non donationis caussa, creditori obligare. postea Mæuiio defuncto, relicta pupilla, tutores eius iudicem aduersus Titium acceperūt: & itē Titius de mutuis præstationibus. quæro, an domus pars, quam Titius obligandam filio suo accommodauit, arbitrato iudicis liberari debeat: respondi. an, & quando debeat liberari ex persona debitoris: itemq; ex eo, quod inter contrahentes actum esset: ac tempore, quo res, de qua quæritur, obligata fuisset: iudicem æstimaturum. est enim earum specierum iudicialis quæstio, per quā res expediatur. Non absimilis illa, quæ frequentissime agitari solet. an fideiussor & prius, q̄ soluat, agere possit, ut liberetur (nec enim semper expectandum est, ut sole

ut soluat, aut iudicio accepto condemnetur) si diu in solutione reus cessauit, aut certe bona sua dissipauit: præsertim si domi pecuniam fideiussor non habebit, qua numerata creditori, mandati actione conueniat.

XXXIX. NERATIUS lib. IIII. membranarum.

**E**T Aristoni & Celso patri placuit: posse rem hac conditione depositi, mādaturūq; suscipi: ut res periculo eius sit, qui depositum uel mandatum suscepit. quod & mihi uerum esse uidetur.

XL. PAULVS lib. IX. ad edictum.

**S**I pro te præsentē, & uetante fideiusserim: nec mandati actio, nec negociorum gestorū est. Sed quidam utilem dari putant, quibus non consentio: secundum quod & Pomponio uidetur.

XLI. CAIUS lib. III. ad edictum provinciale.

**P**Otest & ab una duntaxat parte mandati iudicium dari. nam si is, qui mandatum suscepit, egressus fuerit mandatum: ipsi quidem mandati iudicium non competit: at ei, qui mandauit, aduersus eū competit.

XLII. VLPIANVS lib. XI. ad edictum.

**S**I mandauero tibi, ut excutes uires hæreditatis, & tu quasi minoris sit, eam à me emeris: & mandati mihi teneberis. tantundem et si tibi mandauit, ut uires excutes eius, cui eram crediturus, & denunciaueris eum idoneum esse.

XLIII. IDEM lib. XXIII. ad edictum.

**Q**ui mandatū suscepit, ut pecunias in diem collocaret, isq; hoc fecerit: mandati conueniendus est, ut cum dilatione tēporis actionibus cedat.

XLIII. IDEM lib. LXII. ad edictum.

**D**olus est, si quis nolit persequi, quod persequi potest: aut si quis non exegerit, quod exigere potest, aut soluere.

XLV. PAULVS lib. V. ad Plautium.

**S**I mandatu meo fundum emeris, utrum cum dederis precium, ages mecum mandati: an & ante, quam des: ne necesse habeas, res tuas uendere: & recte dicitur, in hoc esse mandati actionem, ut suscipiam obligationem, quæ aduersus te uenditori competit. nam & ego tecum agere possum, ut præstes mihi aduersus uenditorem empti actionem. Sed si mandatu meo iudicium suscepisti: manente iudicio, sine iusta causa non debes mecum agere, ut transferatur iudicium in me. nondum enim perfecisti mandatum. Item si dum negocia mea geris, alicui de creditoribus meis pmiseris: & ante quam soluas, dicendū est, te agere posse, ut obligationem suscipiam: aut si creditor nolit obligationem mutare, cauere tibi debeo, defensum iri te. Si iudicio te fisti promisero, nec exhibuero: & ante, quam præstem, mandati agere possum, ut me liberes: uel si pro te reus promittendi factus sim.

bi, ut creditori meo soluas, tuq; expromiseris, & ex ea causa damnatus sis: humanius est, & in hoc casu mandati actionem tibi comperere.

Quoties ante solutam pecuniam mandati agi posse diximus: facienda causa, non dandi tenebitur reus. & est æquum, sicut mandante aliquo, actionem nacti cogimur eam præstare iudicio mandati: ita ex eadem causa obligatos nos habere mandati actionem, ut liberemur. Si fideiussor multiplicauerit summam, in quam fideiussit, sumptibus ex iusta ratione factis: totam eam præstabit is, pro quo fideiussit. Quod mihi debebas, à debitore tuo stipulatus sum periculo tuo, posse me agere tecum mandati in id, quod minus ab illo seruare poterò, Nerua & Atticus aiunt: quamuis id mandatum ad meam rem pertineat, & merito, tunc enim liberatur is, qui debitorem delegat: si nomen eius creditor secutus, non cum periculo debitoris ab eo stipulatur. idem iuris est, si mandatu fideiussoris cum reo egissem: quia sequente mandatu liberaretur ex priorè causa.

XLVI. IDEM lib. LXIII. ad edictum.

SI quis pro eo sponderit, qui ita promisit: si Stichum non dederis, centum milia dabis: & Stichum redemerit uilius, & soluerit, ne certum milium stipulatio committatur: constat, posse eum mandati agere. Igitur commodissime illa forma in mandatis seruanda est: ut quoties certum mandatum sit, recedi à forma non debeat. at quoties incertum, uel plurium causarum: tunc licet alijs præstationibus ex soluta sic causa mandati, quam quæ ipso mandato inerat: si tamen hoc mandatori expedierit, mandati sit actio.

XLVII. POMPONIVS lib. III. ex Plautio.

IULIANUS ait. si fideiussori uxor doti promiserit, quod ei ex causa fideiussoria debebat: nuptijs secutis, confestim mandati aduersus debitorem agere eum posse: quia intelligatur abesse ei pecunia, eò quod onera matrimonij sustineret. Si is, qui pro te hominem dare fideiussit, alienum hominem stipulatori dederit: nec ipse liberatur, nec te liberat: & ideo mandati actionem tecum nõ habet. sed si stipulator eum hominem usuceperit: dicendum esse, Iulianus ait, liberationem contingere. eo ergo casu mandati actio post usucapionem demum tecum erit.

XLVIII. CELSVS lib. VII. digestorum.

QVINTUS MUTIUS SCAEUOLA ait. si quis sub usuris creditam pecuniam fideiussisset, & cum reus in iudicio conuentus, recusare uellet sub usuris creditam esse pecuniam, fideiussor soluendo usuras potestatem recusandi eas reo sustulisset: eam pecuniam à reo non petiturum. Sed si reus fideiussori denūciasset, ut recusaret sub usuris debitam esse, nec is propter suam exstimationem recusare uoluisset: quod ita soluerit, & reo

reο petiturum: hoc bene censuit Scæuola. parum enim fideliter facit si deiusfor in superiore casu, quod potestatem eximere reo uideatur, suo iure uti. cæterum in posteriore casu non oportet esse noxiæ fideiusfori, si ipse pepercit pudori suo. Cum mandauero tibi, ut credendo pecuniam negocium mihi geras, mihiq; id nomen præstes, & ut periculum & emolumentum meum sit: puto mandatum posse consistere. cæterum, si ut tibi negocium geras, tuiq; arbitrij sit nomen: id est, ut cuius credas, & tu recipias usuras, periculumq; duntaxat ad me pertineat: iam extra mandati formam est, quemadmodum si mandarem, ut tibi quemuis fundum emas.

XLIX. MARCELLVS lib. V. *digestorum.*

**S**eruū Titij emi ab alio bona fide, & possideo. mandatu meo eum Titius uendit, cum ignoraret suum esse. uel contra, ego uendidi illius mandata, cum forte is, cui hæres exstitit, eum emisset. de iure euictionis\* (& de mandato) quæsitū est: & puto Titium, quamuis quasi procurator uendidisset, obstrictum emptori esse: neq; si rem tradidisset, sunt. uindicationem ei concedendā. & idcirco\* (mandati eum nō teneri: sed contra) mandati agere posse, si quid eius interfuisset: quia forte uenditurus non fuerit. Contra mandator, si rem ab eo uindicare uelit, exceptione doli submouetur: & aduersus uenditorem testatoris sui habet ex empto iure hæreditario actionem.

L. CELSVS lib. XXXVIII. *digestorum.*

**S**is, qui negocia fideiusforis gerebat, ita soluit stipulatori, ut reum fideiusforem q; liberaret, idq; utiliter fecit: negociorum gestorū actione fideiusforem habet obligatum. nec refert, ratū habuit, nec ne. fideiusfor etiam ante, quàm soluit procuratori pecuniam: simul atq; ratum habuit, habet tamen mandati actionem. Siue cum frumentum deberetur, fideiusfor Africū dedit: siue quid ex necessitate soluendi plus impendit, quàm precium esset solutæ rei: siue Stichum soluit, isq; decessit, aut debilitate flagitioūe ad nullum precium sui redactus est: id mandati iudicio consequetur.

LI. IABOLENVS lib. VII. *ex Casio.*

**S**i fideiusfor, quamuis per errorem, ante diem pecuniam soluerit: repetere tamē ab eo non potest. ac ne mandati quidem actionem ante, quàm dies soluendi ueniat, cum reo habebit.

LII. IDEM lib. I. *ἐπισόλιον.*

**F**ideiusforem, si sine adiectione bonitatis tritici pro altero triticum spopōdit: quodlibet triticū dando liberari posse existimo. à reo aut non aliud triticū repetere poterit, quàm quo pessimo tritico liberare se à stipulatore licuit. Itaq; si paratus fuerit reus, quod dādo ipse creditori

liberari potuit, fideiussori dare: & fideiussor id, quod dedit, id est melius triticum condicet: exceptione eum doli mali submoueri existimo.

LIIII. PAPINIANVS lib. IX. *questionum.*

**Q**ui fide alteri pro alio fideiussit p̄sente, & non recusante: utrosq; obligatos habet iure mandati, quod si pro inuito uel ignorante, alterius mandatum secutus, fideiussit: eum solum conuenire potest, qui mandauit, non etiam reū promittendi. nec me mouet, quod pecunia fideiussoris reus liberetur. id enim cōtingit, etsi meo mandatu pro alio soluat.

LIIII. IDEM lib. XXVII. *questionum.*

**C**um seruus extero se mandat emendum, nullum mandatum est, sed si in hoc mādatum intercessit, ut seruus manumitteretur, nec manumiserit, & precium consequatur dominus ut uenditor: ex affectus ratione mandati agetur. finge filium naturalem uel fratrem esse, placuit enim prudentioribus affectus rationem in bonæ fidei iudicijs habendam. quod si de suis numis emptor precium dederit (neq; enim aliter iudicio uenditi liberari potest) quæri solet, an utiliter de peculio agere possit: & uerius & utilius uidetur, prætorem de huiusmodi contractibus seruorū non cogitasse: quibus se ipsi ratione mala dominis auferunt. Si liber homo bona fide seruiens, redimi se mandauerit, idq; numis emptoris factum sit: contraria mandati actione agi posse constat: ut tamen actiones præstentur, quas habet emptor aduersus uenditorem. finge non manumisisse liberam personam emptorem.

LV. IDEM lib. I. *responsorum.*

**P**rocurator, qui res nō inclusas subtraxit, sed traditas non reddidit: iudicio mandati, non furti tenetur.

LVI. IDEM lib. III. *responsorum.*

**Q**ui mutuam pecuniam dari mandauit, omissio reo promittendi, & pignoribus non distractis eligi poterit. quod uti liceat, si literis exprimatur: distractis quoq; pignoribus ad eum creditor redire poterit, etenim quæ dubitationis tollendæ causa contractibus inseruntur, ius commune non lædunt. Fideiussor, qui pecuniam in iure obtulit, & propter ætatem eius, qui petebat, obsignauit, ac publice deposuit: constitem agere mandati potest. Non ideo minus omnis temporis bonam fidē explorari oportet: quod dominus post annos quinque ex provincia reuersus, mox reipublicæ causa profecturus, non acceptis rationibus, mandatum instaurauerit. cum igitur ad officium procuratoris pertinuerit, quidquid ex prima negotiorum gestorū administratio-  
ne debuit, ad secundam rationem transferre: secundi temporis causa priorem litem suscipiet. Salarium incertæ pollicitationis, neq; extra ordinem recte petitur, neq; iudicio mandati, ut constituatur. Sum-  
ptus

ptus bona fide necessariò factos ( & si negotio finem adhibere procurator non potuit ) iudicio mandati restitui necesse est.

L VII. IDEM lib. X. *responforum.*

**M**andatum distrahendorum seruorù, defuncto eo, qui mandatum suscepit, intercidisse constitit. quoniã tamen hæredes eius errore lapsi, nõ animo furandi, sed exsequendi quod defunctus suæ curæ fecerat, seruos uendiderant: eos ab emptoribus usucaptos uideri placuit. & uenalicarium ex prouincia reuersum Publiciana actione inutiliter acturum: cum exceptio iusti dominiij causa cognita detur: neq; oporteat eum, qui certi hominis fidem elegit, ob errorem, aut imperitiam hæredum affici damno.

L VIII. PAVLVVS lib. III. *quæstionum.*

**S**i præcedente mandatu, Titium defenderis: quamuis mortuo eo, (cum hoc ignorares) puto mandati actionem aduersus hæredem Titij competere: quia mandatum morte mandatoris, non etiam mandati actio soluitur. quod si sine mandatu defensione suscepta, negotium quodammodo defuncti gerere institueras: quemadmodũ si illum liberasses, competeret tibi negociorũ gestorum actio: ita potest dici, & hæredem eius eadẽ actione teneri. Lucius Titius creditori suo mandatorem dedit. deinde defuncto debitore, maiore parte creditorũ consentiente, à prætore decretum est, ut portionem creditores ab hæredibus ferant: absente eo creditore, apud quem mandator exstiterat. quæro, si mandator conueniatur, an eandem habeat exceptionem, quã hæres debitoris: respondi. si præsens apud prætorem ipse quoq; consensisset: pactus uideretur iusta ex causa: eademq; exceptio & fideiussori danda esset, & mandatori. sed cum proponas eum abfuisse: iniquũ est, auferre ei electionem, sicut pignus, aut priuilegium: qui potuit præsens idipsum proclamare, nec desiderare decretũ prætoris. nec enim si quis dixerit, submouendum creditorem: hæredi consulitur, sed mandatori, uel fideiussori, quibus mandati iudicio eandem partem præstaturus est. planè si ab hærede partem accepisset: an in reliquum permittendũ esset creditori, fideiussorem cõuenire, dubitarum est. sed uidebitur consentire decreto, conueniendo hæredem.

L IX. IDEM lib. III. *responforum.*

**S**i mandatu Titij Calpurnius pecuniã, quã Titius credebat, stipulatus est, non donandi animo: mandati iudicio eum ab hærede Titij posse cõueniri, ut actiones suas præstet. idẽ est, & si exacta est à Calpurnio pecunia. PAVLVVS respondit, fideiussorem, qui rem pignoris iure obligatã, à creditore emit: mandati iudicio conuentum ab hærede debitoris, oblato omni debito, restituere cum fructibus cogendũ: neq; hæ-

bendum similem extraneo emptori, cum in omni contractu bonam  
 fidem præstare debeat. PAVLVVS respondit. die adiecto in man-  
 dato, intra quam præstaturum se Lucius Titius scripsit: non esse impe-  
 dimento, quominus etiam post eum diem conueniri mandati iudicio  
 possit. PAVLVVS respondit. unumquenq; mandatorum in soli-  
 dum eligi posse: etiam si non sit \*conceptum in mandato. post conde-  
 \*alias. cõ  
 \*festum. mnationem autem in duorum personam collatam, necessario ex caus-  
 sa iudicati singulos pro parte dimidia conueniri posse, & debere. Cre-  
 ditor pignus uendidit. quæro, an si euicta sit possessio emptori, regressu  
 creditor ad mandatorẽ habere possit? & an intersit creditoris, iure uen-  
 diderit, an cõmuni iure promiserit? PAVLVVS respondit. si creditor  
 ex precio pignorum debitum consecutus non sit: mandatorẽ libe-  
 \*uerba  
 \*compi-  
 \*latorũ. ratum non uideri. \*Ex hoc responso apparet: & si euictionis nomine  
 non teneatur, proficere eam rem ad liberationem. Ille illi salutem.  
 mando tibi, ut Blæsius Seuerus adfini meo octoginta credas sub pignore  
 illo. in quam pecuniam, & quidquid usurarum nomine accesserit, inde  
 tuam rationem tuam me esse ex causa mandati in eum diem, quoad  
 uixerit Blæsius Seuerus, præstaturum. postea sæpe conuentus manda-  
 tor, non respondit. quæro, an morte debitoris liberatus sit? PAVLVVS  
 respondit. mandati obligationem perpetuam esse, licet in mandato  
 adiectum uideatur: INDEMNEM RATIONEM TVAM ESSE ME EX  
 CAUSSA MANDATI IN EVM DIEM, QVOAD VIXERIT BLAESIVS  
 SEVERVS PRAESTATVRVM. PAVLVVS respõdit. non uideri man-  
 dati conditioni paritum, cum mandato adiectũ sit, ut idonea cautio  
 à debitore exigeretur: si neq; fideiussor, neq; pignora accepta sint.

## LX. SCAEVOLA lib. I. responsorum.

**C**reditor mandatorẽ conuenit. is cõdemnatus prouocauit. quæ-  
 rendum est, an manente appellatione, debitor à creditore conue-  
 niri potest: respõdi posse. Titius ad eum, qui uxorem ducturus erat,  
 literas fecit tales. Titius Seio salutem. Semproniam ad animum me-  
 um pertinere cognouisti. ideoq; cum ex uoto meo nuptura tibi sit: ue-  
 lim certus sis, secundum dignitatem tuã contrahere te matrimonium.  
 & quamuis idonee promissuram tibi Titiam matrem puellæ dotem  
 sciam: tamen & ipse, quo magis conciliem animum tuũ domui meæ,  
 fidem meam interponere non dubito. quare scias: quodcunq; ab ea, ex  
 ea causa stipulatus fueris, id me mea fide iussisse, saluũ te habiturum.  
 Atq; ita Titia, quæ neq; Titio mandauerat, neq; ratum habuerat, quod  
 scripserat, dotem Seio promisit. quæro, si hæres Titij ex causa manda-  
 ti præstiterit: an actione mandati hæredem Titia conuenire potest: re-  
 spondi. secundum ea, quæ proponuntur, non posse. Item quæsiu est,

an nec negotiorum gestorum? respondi. neq; hoc nomine iure agere posse. palam enim facere Titium: non tam Titia nomine, quam quod consultū sibi uellet, mandasse. Itē si maritus aduersus mandatorē ageret: an aliqua exceptione submoueat? respōdi. nihil proponi, cur submouendus sit. Duobus quis mandauit negotiorum administrationem. quæsitum est, an unusquisq; mandati iudicio in solidum teneat? respondi. unumquēq; pro solido conueniri debere: dūmodo ab utroq; nō amplius debito exigatur. Si inter maritum & socerum id actum esset, uel tacito intellectu, ut onus exhibendæ uxoris ad maritum rediret, præstante patre dotis usuras: nullam actionem superfore ad recipiendum, quod negetur consumptū. quod si pater puellæ exhibitionem mandasse doceatur: actionem mandati competere. Lucius Titius fratris filio commisit rerum suarum administrationem ita. Σείω τέκνον χαίρειν. ἐγὼ μὲν καὶ φύσιν νομίζω, & ἕτερος πατρός καὶ ἡνὶ τοῦ πατρὸς ἀδελφῶν πραγματεῖας, δίχα τοῦ τινὰ ὑπὸ τρεπτικῶν αἰτέων. ἂ δ' ἐοῦν δὲ καὶ τοιοῦτου τίνος: ὑπὲρ ἑσέω σοι καὶ παντῶν ἐμῶν (ὡς δέλεος) πραγματεῖας: εἴτε πωλῆσθαι θέλῃς, εἴτε ὑποθέσθαι, εἴτε ἀγοράσῃς, εἴτε ὀτιοῦν πράξῃς, ὡς κενεῖς ὄντι καὶ ἐμῶν: ἐμοῦ πάντα κέρεια εἶναι τὰ ὑπὲρ σου γινόμενα ἡγουμένου, καὶ μηδὲν ἀντιλέγοντός σοι πρὸς μηδ' ἐμῶν πράξιμ. quæsitum est, si quid non administrandi animo, sed fraudulenter alienasset, uel uendidisset: an ualeret? respondi. eum, de quo quæritur, plene quidem, sed quatenus res ex fide agenda esset, mandasse. Item quæro, an cum Seius magistratu functus debitor extitisset: & Lucius Titius eo nomine cōueniri posset, uel res eius obligatæ essent, propter uerba epistolæ superscriptæ: respondi, neq; conueniri posse, neq; res obligatas esse.

LXI. PAVLVVS lib. II. ad Neratium.

**Q**uod filio familias, ut peteret, mandauit, si emancipatus exegerit: de peculio intra annum utiliter agam. PAVLVVS. sed & cum filio agendum est.

LXII. SCAEVOLA lib. VI. digestorum.

**C**um controuersia esset de hæreditate defunctæ inter scriptum hæredem, & patrum Mæuium, & amitas: Mæuius literis ad sorores suas factis, declarauit cōmune futurum, quidquid ad eum ex euentu litis hæreditariæ peruenisset: neq; stipulatio literas secuta est. quæsitum est. cum transfegerit idem Mæuius cum scripto hærede, ita ut prædia & aliæ quædam res ex ea transactione ad eum peruenirent: an ex literis suis possit à sororibus conueniri? respondi posse. Mandauit in hæc uerba Lucius Titius. Caio suo salutem. Peto & mando tibi, ut mea fide dicas pro Publio Mæuio apud Sempronium: quæcūq; à Publio soluta tibi non fuerint, me repræsentaturum, hæc epistola manu mea scripta

pranotum tibi facio. Quæro, si non fideiussisset, sed mandasset creditori: & aliter egisset, quam ei mandatum esset: an actione mandati teneretur: respondi teneri.

## PRO SOCIO.

## Tit. II.



PAVLVS lib. XXXII. ad edictum.

Societas coiri potest, uel in perpetuum, id est, dum uiuunt: uel ad tempus, uel ex tempore, uel sub conditione. In societate omnium bonorum omnes res, quæ coeuntium sunt, continuo communicantur.

II. CAIVS lib. X. ad edictum prouinciale.

QVia licet specialiter traditio non interueniat, tacite tamen credit interuenire.

III. PAVLVS lib. XXXII. ad edictum.

Ea uero, quæ in nominibus erunt, manent in suo statu: sed actiones inuicem præstare debent. Cum specialiter omnium bonorum societas coita est: tunc & hæreditates, & legata, & quod donatum est, aut quaqua ratione acquisitum, communioni adquiritur. De illo quaeritur: si ita coita societas sit, ut si qua iusta hæreditas alterutri obueniat, cõmunis sit: quæ sit iusta hæreditas: utrum quæ iure legitimo hæreditatem tantum hoc pertinere. Societas si dolo malo, aut fraudandi causa coita sit: ipso iure nullius momenti est: quia fides bona contraria est fraudi & dolo.

III. MODESTINVS lib. III. regularum.

Societatem coire & re, & uerbis, & per nuncium posse nos, dubium non est. Dissociamur renunciatione, morte, maxima capitis diminutione, & egestate.

V. VLPIANVS lib. XXXI. ad edictum

Societates contrahuntur siue uniuersorum bonorum, siue negotiatio alicuius, siue uestigialis, siue etiam rei unius. Societas autem coiri potest, & ualet etiam inter eos, qui non sunt æquis facultatibus: cum plerumque pauperior opera suppleat, quantum ei per comparationem patrimonij deest. Donationis causa societas recte non contrahitur.

VI. POMPONIVS lib. IX. ad Sabinum.

Si societatem coieris ea conditione, ut partes societatis constitueres: ad boni uiri arbitrium ea res redigenda est. & conueniens est uiri boni arbitrio, ut non utiq; ex æquis partibus socij simus: ueluti si alter plus operæ & industriæ, alter plus pecuniæ in societatem collaturus sit.

VII. VLPIANVS lib. XXX. ad Sabinum.

Coire

als\* for-  
tis.

**C**Oire societatem & simpliciter licet: & si non fuerit distinctum, uideatur coita esse uniuersorum, quæ ex quæstu ueniunt: hoc est, si quod lucrû ex emptione, uenditione, locatione, cõductione descendit.

**Q**uæstus enim intelligitur, qui ex opera cuiusq; descendit.

VIII. PAVLVS lib. VI. ad Sabinum.

**N**ec adiecit Sabinus, hæreditarem, uel legatû, uel donationes mortis causa, siue non mortis causa. fortassis hoc ideo: quia non sine causa obueniunt, sed ob meritum aliquod accedunt.

IX. VLPIANVS lib. XXX. ad Sabinum.

**E**T quia plerunq; uel à parente, uel à liberto, quasi debita nobis hæreditas obuenit.

XI. VLPIANVS lib. XXX. ad Sabinum.

**E**T ita de hæreditate, legato, donatione Quintus Mutius scribit.

XII. PAVLVS lib. VI. ad Sabinum.

**S**ed nec æs alienû, nisi quod ex quæstu pendebit, ueniet in rationem societatis.

XIII. IDEM lib. XXXII. ad edictum.

**S**ed etsi adiiciatur, ut & quæstus, & lucri socij sint: uerû est, non ad aliud lucrû, q̄ quod ex quæstu uenit, hanc quoq; adiectione pertinere.

XIII. VLPIANVS lib. XXX. ad Sabinum.

**S**i conuenerit inter socios, ne intra certum tempus communis res diuidatur: non uideatur conuenisse, ne à societate abeat. Quid tamen, si hoc conuenerit, ne abeat: an ualeat? eleganter Pomponius scribit, frustra hoc conuenire. nam etsi non cõuenerit: si tamen in tempeſtiue renunciatur societati, esse pro socio actionem. Sed etsi conuenerit, ne intra certum tempus societate abeat, & ante tempus renunciatur: potest rationem habere renunciatio. nec tenebitur pro socio, qui ideo renunciauit, quia conditio quædam, qua societas erat coita, ei nõ præſtatur. aut quid si ita \*damnosus socius sit, ut nõ expediat eũ pati?

XV. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

\*aliàs, in iuriosus.

**V**el quod ea re frui nõ liceat, cuius gratia negociatio suscepta sit.

XVI. VLPIANVS lib. XXX. ad Sabinum.

**I**demq; erit dicendum, si socius renunciauerit societati, qui reipublicæ causa diu, & inuitus sit abfuturus: quamuis nonnunquam obijci ei possit, \*quia potuit & per aliũ societate administrare, uel socio committere. sed hæc non aliàs, nisi ualde sit idoneus socius: aut facilis abfuturo sit etiã per alium societatis administratio. Qui igitur paciscitur, ne diuidatur, nisi aliqua iusta causa intercedat: nec uendere poterit, nec alia ratione efficere, ut diuidatur. sed sanè potest dici uenditionem quidem non impediri: sed exceptionem aduersus emptionem locum habere,

al's \* quæ rere aliũ potuit, & per eum

bere, si ante diuidat, quàm diuideret is, qui uendidit.

XVII. PAVLVS lib. VI. ad Sabinum.

**S**ed & socius, qui alienauit, committit contra pactionem: & tenetur societatis, aut communi diuidendo iudicio. Si absenti renuncia-  
ta societas sit: quoad is scierit, quod is adquisiuit, qui renunciauit: in cõ-  
mune redigi debet: detrimentum autem solius eius esse, qui renuncia-  
uit. sed quod absens adquisiuit, ad solum eum pertinere, detrimentum  
ab eo factum commune esse. In societate autem coeunda nihil atti-  
net de renunciatione cauere: quia ipso iure societatis intempestiua re-  
nunciatio in aestimationem uenit.

XVIII. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

\*aliàs, in **S**i seruus societatem coierit: non sufficiet, si \*iubeatur à domino ser-  
uare. **S**uus abire à societate: sed socio renunciandum est.

XIX. VLP IANVS lib. XXX. ad Sabinum.

**Q**ui admittitur socius: ei tantum socius est, qui admisit. & recte. cum  
enim societas consensu contrahatur: socius mihi esse non pote-  
rit, quem ego socium esse nolui. quid ergo, si socius meus eum admi-  
sit: ei soli socius est.

XX. IDEM lib. XXXI. ad edictum.

**N**am socij mei socius, meus socius non est.

XXI. IDEM lib. XXX. ad Sabinum.

\*aliàs to **E**t quidquid fuerit de societate nostra consecutus: cum ipso, qui eum  
adsumpsit, communicabit: nos cum eo non communicabimus,  
tum hoc praestabit, quod fuerit consecutus\*. **E**t id est, socius aget, & societati  
deest.

XXII. CAIVS lib. X. ad edictum prouinciale.

**E**x contrario quoque factum sociorum debet ei praestare, sicut suum:  
quia ipse aduersus eos habet actionem. Item certum est, nihil ue-  
tatis iudicio agi: sed agi incipiat inter ceteros, & eum, qui admisit, socie-  
tatis iudicio agi: sed agi incipiat inter ceteros, & eum, qui admisit.

XXIII. VLP IANVS lib. XXX. ad Sabinum.

**D**e illo Pomponius dubitat: utrum actionem eum madare socijs  
sufficiat, ut si facere ille non possit, nihil ultra socijs praestet: an ue-  
ro indemnes eos praestare debeat: & puto omnimodo eum teneri eius  
nomine, quem ipse solus admisit: quia difficile est negare, culpa ipsius  
admissum. Idem quaerit, an commodum, quod propter admissum  
socium accessit, compensari cum damno, quod culpa praebuit, debe-  
at: & ait compensandum, quod non est uerum. Nam & Marcellus libro  
sexto digestorum scribit: si seruus unius ex socijs societati à domino  
praepositus, negligenter uersatus sit: dominum, qui praeposuerit socie-  
tati,

tati præstaturum: nec compensandum commodum, quod per seruum societati accessit cum damno: & ita diuum Marcum pronunciaſſe, nec poſſe dici ſocio, **ABSTINE COMMODO, QVOD PER SERVVM ACCESSIT, SI DAMNV M PETIS.**

XXIII. IDEM lib. XXXI. ad edictum.

**P**lanè ſi ambo ſocij ſervum alterius præpoſuerint: non tenebitur dominus eo nomine, niſi duntaxat de peculio. commune enim periculum eſſe oportet, cum ambo eum præpoſuerint.

XXV. PAVLV S lib. VI. ad Sabinum.

**N**on ob eam rem minus ad periculum ſocij pertinet, quod negligentia eius periſſet: quod in pleriq; alijs industria eius ſocietas aucta fuiſſet. & hoc ex appellatone imperator Antoninus pronunciauit.

XXVI. VLP IANVS lib. XXXI. ad edictum.

**E**t ideo ſi ſocius quædam negligèter in ſocietate egiſſet, in pleriq; autem ſocietatem auxiſſet: non compensatur compendium cum negligentia, ut Marcellus libro quinto digeſtorum ſcribit.

XXVII. PAVLV S lib. VI. ad Sabinum.

**O**mne æs alienum, quod manente ſocietate cõtractum eſt, de communi ſoluendum eſt: licet poſtea, quàm ſocietas diſtracta eſt, ſolutum ſit. igitur etſi ſub conditione promiſerat, & diſtracta ſocietate conditio exſtitit, ex communi ſoluendum eſt. ideòq; ſi interim ſocietas diſtimatur, cautiones interponendæ ſunt.

XXVIII. IDEM lib. LX. ad edictum.

**S**i ſocij ſimus, & unus ex die pecuniam debeat, & diuidatur ſocietas: non debet hoc deducere ſocius, quemadmodum præſens debet: ſed omnes diuidere & cauere, cū dies uenerit, deſenſum iri ſocium.

XXIX. PAVLV S lib. XXX. ad Sabinum.

**S**i non fuerint partes ſocietatis adiectæ: æquas eas eſſe conſtat. Si uero placuerit, ut quis duas partes, uel tres habeat, alius unam: an ualeat? & placet ualere: ſi modo aliquid plus contulerit ſocietati, uel pecuniæ, uel operæ, uel cuiuſcunq; alterius rei. Ira coiri ſocietatem poſſe, ut nullam partem damni alter ſentiat, lucrum uero cõmune ſit, Caſſius putat. quod ita demum ualebit ( ut & Sabinus ſcribit ) ſi tanti ſit opera, quanti damnum eſt. plerunq; enim tanta eſt industria ſocij, ut plus ſocietati conferat, q̄ pecunia. Item ſi ſolus nauiget, ſi ſolus peregrinetur, ſi pericula ſolus ſubeat. Ariſto refert Caſſium reſpondiſſe: ſocietatem talem coiri non poſſe, ut alter lucrum tantum, alter damnum ſentiret: & hanc ſocietatem leoninam ſolitū appellare. & nos conſentimus, talem ſocietatem nullam eſſe: ut alter lucrum ſentiret, alter uero nullum lucrum, ſed damnum ſentiret. Iniquiſſimum enim genus ſoci-

etatis est, ex qua quis damnum, non etiam lucrum spectet.

XXX. PAVLVS lib. VI. ad Sabinum.

**M**Vtius libro decimoquarto scribit: nō posse societate coiri, ut aliam dāni, aliam lucri partē socius ferat. Seruius etiā in notis Mutij ait, non posse ita societatem contrahi. neq; enim lucrum intelligi, non omni damno deducto: neq; damnum, nisi omni lucro deducto. Sed potest societas coiri, ita ut eius lucri, quod reliquum in societate sit, omni damno deducto, pars alia feratur: & eius damni, quod similiter relinquatur, pars alia capiatur.

XXXI. VLP IANVS lib. XXX. ad Sabinum.

**V**T sit pro socio actio, societatem intercedere oportet. nec enim sufficit rem esse communem, nisi societas intercedat. communiter autem res agi potest etiam citra societatem: puta cum non affectione societatis incidimus in communionem: ut euenit in re duobus legata. Item si duobus simul empta res sit: aut si hæreditas, uel donatio communiter nobis obueniat: aut si à duobus separatim emimus partes eorum, non socij futuri.

XXXII. IDEM lib. II. ad edictum.

**N**Am cū tractatu habito societas coita est, pro socio actio est. cum aliās res sine tractatu: \*in re ipsa & negotio cōmuniter gestum uideretur. ipsa & negotium.

XXXIII. IDEM lib. III. ad edictum.

**V**T in cōductionibus publicorum, item in emptionibus. nam qui nolunt inter se contendere, solent per nunciū rem emere in commune. quod à societate longe remotum est. & ideo societate sine tutoris autoritate coita, pupillus non tenetur: attamen cōiter gesto tenetur.

XXXIII. CAIVS lib. III. ad edictum provinciale.

**Q**Vibus casibus si quid forte unus in eam rem impenderit, siue fructus mercedesne unus perceperit, uel deteriorē rem fecerit: non societatis iudicio locus est, sed inter cohæredes quidē familiae erciscundæ iudicio agitur, inter cæteros cōmuni diuidūdo. Inter eos quoq; quibus hæreditario iure cōmunis res est, potest communi diuidūdo agi.

XXXV. VLP IANVS lib. XXX. ad Sabinum.

**N**emo potest societate hæredi suo sic parere, ut ipse hæres socius sit. in hæredem autē socij pponitur actio, ut bonā fidem præstet.

XXXVI. PAVLVS lib. VI. ad Sabinum.

**E**T acti etiam culpam, quam is præstaret, in cuius locum successit. licet socius non sit.

XXXVII. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

**P**lanē si hi, qui socij hæredes exstiterūt, animū inierint societatis, in ea hæreditate nouo consensu: quod postea gesserunt, efficiet, ut in socio actionē deducāt.

XXXVIII. PAVLVS lib. VI. ad Sabinum.

**P**ro socio arbiter prospicere debet cautionibus in futurum damno uel lucro pendēti ex ea societate, quod Sabinus in omnibus bonæ fidei iudicijs existimauit: siue generalia sunt, ueluti pro socio, negotiorum gestorū, tutelæ: siue\* specialia, ueluti mandati, commodati, depositi. Si tecū mihi societas sit, & res ex societate communes: quam impensam in eas fecero, quosue fructus ex his rebus perceperis: uel pro socio, uel communi diuidendo, me consecuturum: & altera actione alteram tolli, Proculus ait.

\*aliās, peculiararia.

XXXIX. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

**S**i fundus mihi tecum communis sit, & in eum mortuum intuleris: agam tecum pro socio.

XL. IDEM lib. XVI. ad Sabinum.

**H**aeres socij quamuis socius nō est: tamen ea, quæ per defunctū intcohata sunt, per hæredē explicari debent: in quibus dolus eius admitti potest.

XLI. VLP IANVS lib. XIX. ad edictum.

**S**i quis à socio pœnā stipulatus sit: pro socio non aget, si tantundem sin pœna sit, quantum eius interfuit.

XLII. IDEM lib. XXX. ad Sabinum.

**Q**uod si ex stipulatu eam consecutus sit: postea pro socio agendo, hoc minus accipiet, pœna ei in sortem imputata.

XLIII. IDEM lib. XIX. ad edictum.

**S**i actum sit cōmuni diuidendo, non tollitur pro socio actio: quoniam sam pro socio & nominum rationem habet, & adiudicationem non admittit, sed si postea pro socio agatur: hoc minus ex ea actione consequitur, quàm ex prima actione consecutus est.

XLIII. IDEM lib. XXXI. ad edictum.

**S**i margarita tibi uendenda dederō, ut si ea decem uendidisses, redde tres mihi decem: si pluris, quod excederet, tu haberes: mihi uidetur, si animo contrahendæ societatis id actum sit, pro socio esse actionem, si minus: præscriptis uerbis.

XLV. IDEM lib. XXX. ad Sabinum.

**R**ei cōmunis nomine cum socio furti agi potest: si per fallaciam, doloū malo amouit, uel rem communem celandi animo contractauit, sed & pro socio actione obstrictus est, nec altera actio alteram tollit, idemq; & in omnibus bonæ fidei iudicijs dicendum est.

XLVI. PAVLVS lib. VI. ad Sabinum.

**I**dem est & in colono, & in eo, qui negocia gerit, & qui mandatū nostrum exsequitur, & in tutore.

XLVII. VLP IANVS lib. XXX. ad Sabinum.

HH iij Sed

**S**ed si ex causa furtiua condixero: cessabit pro socio actio, nisi si pluri-  
sris mea intersit. Si damnū in re communi socius dedit: Aquilia  
teneri eum, & Celsus, & Iulianus, & Pomponius scribunt.

XLVIII. PAVLVVS lib. VI. ad Sabinum.

**S**ed nihilominus & pro socio tenetur,

XLIX. VLP IANVS lib. XXXI. ad edictum.

**S**i hoc facto societatem læsit: si (uerbi gratia) negociatorem seruum  
suulnerauit, uel occidit.

L. PAVLVVS lib. VI. ad Sabinum.

**S**ed actione pro socio consequitur, ut altera actione contentus esse  
debeat: quia utraq; actio ad rei persecutionem respicit, non (ut fur-  
ti) ad poenam duntaxat.

LI. VLP IANVS lib. XXX. ad Sabinum.

**M**erito autem adiectum est, ita demum furti actionem esse, si per  
fallaciam, & dolo malo amouit. cum enim sine dolo malo fe-  
cit: furti non tenetur. & sanè plerunq; credendum est: qui partis domi-  
nus est, eum iure potius suo uti, quàm furti cōsiliū inire. & ideo uide-  
bimus, an Fauia teneatur. & ratio quidem facit, ne teneatur. uerum si  
plagium fecit, uel suppressit: Fauia tenebitur.

LII. IDEM lib. XXXI. ad edictum.

**C**um duobus uicinis fundus uenalis esset: alter ex his petijt ab alte-  
ro, ut eum fundum emeret: ita ut ea pars, quæ suo fundo iūcta es-  
set, sibi cederetur. mox ipse eum fundum ignorante uicino emit. quæ-  
ritur, an aliquā actionem cum eo uicinus habeat? Iulianus scripsit, im-  
plicitam esse facti quæstionem. Nam si hoc solum actum sit, ut fundū  
Lucij Titij uicinus emeret, & mecum communicaret: aduersus me, qui  
emi, nullam actionem uicino competere. Si uero id actum sit, ut quasi  
commune negocium gereretur: societatis iudicio tenebor, ut tibi dedu-  
cta parte, quam mandaueram, reliquas partes præstem. Venit autē  
in hoc iudicium pro socio bona fides. utrum ergo tantum dolum, an eti-  
am culpam præstare sociū oportet, quæritur? & Celsus libro sexto di-  
gestorum scripsit: socios inter se dolum & culpam præstare oportere.

Si in coeunda societate (inquit) artem operamue pollicitus est alter:  
ueluti cum pecus in commune pascendum, aut agrum pollicitori da-  
mus in commune quærendis fructibus: nimirum ibi etiam culpa præ-  
standa est. precium enim operæ & artis est uelamentū. Quod si rei cō-  
muni socius nocuit: magis admittit culpam quoq; uenire. Damna,  
quæ imprudentibus accidunt, hoc est damna fatalia, socij non cogun-  
tur præstare. ideoq; si pecus æstimatum datum sit, & id latrocinio, aut  
incendio perierit: commune damnū est, si nihil dolo aut culpa accide-  
rit.

rit. Quod si à furibus subreptum sit: proprium eius detrimentum est: quia custodia præstare debuit, qui æstimatum accepit. hæc uera sunt, & pro socio erit actio: si modo societatis contrahendæ causa pascēda data sunt, quāuis æstimata. Quidā sagariam cōmunionem inierunt. alter ex his ad merces comparandas profectus in latrones incidit. pecuniam perdidit. serui eius uulnerati sunt, resq; proprias perdidit. dicit Iulianus, damnnum esse cōmune. ideoq; pro socio actione damini partem dimidiam agnoscere debere, tam pecuniæ, quàm rerum cæterarū, quas secum nō tulisset socius, nisi ad merces communi nomine comparandas proficisceretur. sed etsi quid in medicos impensum est: pro parte socium agnoscere debere, rectissime Iulianus probat. proinde etsi naufragio quid perijt, cum non aliās merces, quàm nauī solerent aduehi: damnnum ambo sentient. nam sicuti lucrum, ita damnnum quoq; commune esse oportet, quod non culpa socij contingit. Duo erant argentarij socij. alter eorum aliquid separatim quæsierat, & lucri senserat. quætebatur, an cōmune esse lucrum oporteret? & imperator Seuerus Flauio Felici in hæc uerba rescripsit. etiam si maxime argentariæ societas inita est: quod quisq; tamen socius non ex argentariæ causa quæsiit, id ad cōmunionem non pertinere, explorati iuris est. Papinianus libro tertio responsorum ait. si fratres parentum indiuisas hæreditates ideo retinuerunt, ut emolumentum ac damnnum in his commune sentirent: quod aliunde quæsierint, in commune nō redigetur. Item ex facto consultum respondiisse se ait libro quarto responsorum. inter Flauium Victorē & Hellicum Asianū placuerat, ut locis empris pecunia Victoris, monumenta fierent opera & peritia Asiani: quibus distractis, pecuniā Victor cum certa quantitate reciperet, superfluum Asianus acciperet, qui operam in societate contulit. erit pro socio actio. Idem Papinianus libro eodem ait. si inter fratres uoluntarium consortium initum fuerit: & stipendia, cæteraq; salaria in commune redigi iudicio societatis: quāuis filius emancipatus hæc non cogatur conferre fratri (inquit) in potestate manenti: quia etsi in potestate maneret, præcipua ea haberet. Idem respondit, societatem non posse ultra mortē porrigi. & ideo nec libertatem de supremis iudicijs constringere quis poterit, uel cognatum ulteriorē proximioribus præferre. Idem respōdit. socius, qui cessantis cessantiumue portiones insulæ restituerit: quāuis aut sortem cum certis usuris intra quatuor menses, postquam opus reffectū erit, recipere potest, in exigēdoq; priuilegio uter, aut deinceps propria rem habebit: potest tamen & p socio agere ad hoc, ut cōsequatur, qd sua intererat. finge enim hoc malle eū, suū nō cōsequi, q̄s dominiū insulæ. Oratio em̄ diui Marci idcirco quatuor mensib; finit certas usu

ras, quia post mēses quatuor dominiū dedit. Si quis societate ad emendū coierit, deinde res alterius dolo uel culpa empta non sit: pro socio esse actionē constat. Planē si cōditio sit adiecta, *SI INTRA ILLVM DIEM VENIERIT*, & dies sine culpa socij præterierit: cessabit actio pro socio. Item si in communem riuum reficiendum impensa facta sit: pro socio esse actionem ad recuperandum sumptum Cassius scripsit. Item Mela scripsit: si vicini semipedes inter se contulerint, ut ibi craticium parietem inter se ædificarent ad onera utriusq; sustinenda: deinde ædificato pariete, alter in eum immitti non patiatur: pro socio agendum. itemq; & si aream in cōmune emerint, ne luminibus suis offerretur: & alteri tradita sit, nec præstet alteri, quod conuenit: pro socio actionem esse. Si plures sint inter eosdē societates coitæ: ad omnes societates sufficere hoc unum iudicium constat. Si quis ex socijs propter societatem profectus sit (ueluti ad merces emendas) eos dūtaxat sumptus societati imputabit, qui in eam rem impensa sunt. uaticæ igitur & meritoriorum, & stabulorum, & iumentorum: & carrulorum uecturas, uel sui, uel sarcinarum suarum gratia, uel mercium recte imputabit. Socium uniuersa in societatem conferre debere, Neratius ait, si omnium bonorum socius sit. & ideo siue ob iniuriam sibi factam, uel ex lege Aquilia, siue ipsius, siue filij corpori nocitum sit: conferre debere respondit. Idem ait, socium omnium bonorum non cogi conferre, quæ ex prohibitis causis adquisierit. per contrarium quoq; apud ueteres tractabatur: an socius omnium bonorum, si quid ob iniuriarū actionem damnatus præstiterit, ex cōmuni cōsequatur, ut præstet? & Atilianus, Sabinus, Cassius responderunt. si iniuria iudicis damnatus sit: consecuturum. si ob maleficium suum: ipsum tantum damnum sentire debere. cui congruit, quod Seruium respondisse Ofilius refert. si socij bonorū omnium fuerint, deinde unus cum ad iudiciū non adesset, damnatus sit: non debere eum de communi id consequi. si uero præfens iniuriam iudicis passus sit: de communi sarcinendum.

LIII. IDEM lib. XXX. ad Sabinum.

**Q**uod autem ex furto, uel ex alio maleficio quæsitum est: in societatem non oportere conferri, palam est: quia delictorū turpis atq; foeda communio est. planē si in medium collata sint: cōe erit lucrum.

LIII. PAVLVS lib. VI. ad Sabinum.

**Q**uod enim ex maleficio contulit socius, non aliter recipere debet, quàm si damnatus sit.

LV. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

**S**iquidem ex hoc conuentus fuerit, qui maleficium admisit: id, quod contulit, aut solum, aut cum pœna auferet: si mihi proponas, insciente

sciente socio, eum in societatis rationem hoc contulisse. Quod si sciente: etiam poenam socium agnoscere oportet. æquum est enim, ut cuius participauerit lucrum, participet & damnum.

LVI. PAVLVS *lib. VI. ad Sabinum.*

**N**ec quidquam interest, utrum manente societate præstiterit ob furtum, an dissoluta ea. Idemque est in omnibus turpibus actionibus: ueluti iniuriarum, ui bonorum raptorum, serui corrupti, & similibus: & in omnibus poenis pecuniarijs, quæ ex publicis iudicijs accidunt.

LVII. VLP IANVS *lib. XXX. ad Sabinum.*

**N**ec prætermittendum esse, Pomponius ait: ita demum hoc esse uerum, si honestæ & licitæ rei societas coita sit. Cæterum si maleficij societas coita sit: constat nullam esse societatem. generaliter enim traditur, rerum inhonestarum nullam societatem esse.

LVIII. IDEM *lib. XXXI. ad edictum.*

**S**i id, quod quis in societatem contulit, extinctum sit: uidendum est. San pro socio agere possit. tractatum id ita est apud Celsum libro septimo digestorum, ad epistolam Cornelij Felicis. cum tres equos haberes, & ego unum: societatem coimus, ut accepto equo meo quadrigam uenderes, & ex precio quartam mihi redderes. si igitur ante uenditionem equus meus mortuus sit: nõ putare se Celsus ait, societatem manere, nec ex precio equorum tuorum partem deberi. nec enim habendæ quadrigæ, sed uendendæ coitam esse societatem. Cæterum si id acti dicatur, ut quadriga fieret, eaque cõmunicaretur, tuque in ea tres partes haberes, ego quartam: non dubie adhuc socij sumus. Item Celsus tractat: si pecuniam contulissemus ad mercem emendam, & mea pecunia perisset: cui perierit ea: & ait. si post collationem euenit, ut pecunia perierit (quod non fieret, nisi societas coita esset) utriusque perire: ut puta si pecunia, cum peregre portaretur ad mercem emendam, perijt. si uero ante collationem, postea, quam eam destinasses, tunc perierit: nihil eo nomine consequeris (inquit) quia non societati perijt. Si filius familias societatem coierit, deinde emancipatus à patre fuerit: apud Iulianum quæritur, an eadem societas duret, an uero alia sit, si forte post emancipationem in societate duratum sit: Iulianus libro decimoquarto digestorum scripsit, eandem societatem durare. initium enim in his contractibus inspiciendum. duabus autem actionibus agendum esse. una aduersus patrem, altera aduersus filium. cum patre de eo, cuius dies ante emancipationem cessit. nam eius temporis, quo post emancipationem societas durauit, nihil præstare patrem oportere. cum filio autem de utroque tempore, id est, de tota societate. Nam etsi quid (inquit) socius filij post emancipationem filij dolo fecerit: eius, non patri, sed filio

lio actio danda est. Si seruus meus societatem cum Titio coierit, & alienatus in eadem permanerit: potest dici alienatione serui, & priorē societatem finitam, & ex integro alteram inchoatam. atq; ideo & mihi & emptori actionē pro socio competere. item tam aduersus me ex his causis, quæ ante alienationem inciderunt, dandam actionem, quàm ex reliquis aduersus emptorem solum.

LIX. POMPONIVS lib. XII. ad Sabinum.

**A** Deo morte socij soluitur societas, ut nec ab initio pacisci possimus, ut hæres succedat societati. Hæc in priuatis societatibus: at in societate uestigalium nihilominus manet societas, etiam post mortem alicuius. sed ita demum, si pars defuncti ad personam hæredis eius adscripta sit, ut hæredi quoq; conferri oporteat. quod ipsum ex causa æstimandum est. Quid enim si is mortuus sit, propter cuius operam maxime societas coita sit: aut sine quo societas administrari nõ possit?

Quod in alea uel adulterio perdidit socius, ex medio non est laturus. Si quid uero dolo nostro socius damni cepit: a nobis repetet.

LX. IDEM lib. XIII. ad Sabinum.

**S**ocium, qui in eo, quod ex societate lucri faceret, reddendo moram adhibuit, cum ea pecunia ipse usus sit: usuras quoq; præstare debere, Labeo ait. sed non quasi usuras, sed quod socij inter sit, moram eum non adhibuisse. sed si aut usus ea pecunia non sit, aut moram non fecerit: contra esse. item post mortem socij nullam talem æstimationē ex facto hæredis faciendam: quia morte socij dirimitur societas. Socius, cum resisteret cõmunibus uenialibus ad fugam erumpentibus, nuleratus est. impensam, quam in curando se fecerit, non consecuturum pro socio actione, Labeo ait: quia id non in societatem (quamuis propter societatem) impensum sit: sicuti nec si propter societatem eum hæredem quis instituere desisset, aut legatum prætermisisset, aut patrimonium suum negligentius administrasset. nam nec compendium, quod propter societatem ei contigisset, ueniret in medium: ueluti si propter societatem hæres fuisset institutus, aut quid ei donatum esset.

LXI. VLP IANVS lib. XXXI. ad edictum.

**S**ecundum Iulianum tamen, & quod medicis pro se datum est, recipere potest. quod & uerum est.

LXII. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

**S**Titius, cum quo mihi societas erat, decefferit: egoq; cum putarem Titij hæreditatem ad Seium pertinere, cõmuniter cum eo res uendiderim: & partem pecuniæ ex uenditione redactæ ego, partem Seius abstulerit: te, qui re uera Titio hæres es, partem à me redactæ pecuniæ societatis iudicio non consecuturum, Neratio & Aristoni placebat: quia  
mea

meæ duntaxat partis precia percepissem. neq; interesse, utrum per se partes meas uendidissim, an communiter cum eo, qui reliquas partes ad se pertinere diceret. alioquin euenturum, ut etiam si duo socij rem uendiderint, unusquisq; eius, quod ad se peruenerit, partem alteri societatis iudicio præstari debeat. Sed nec te ex parte, quam hæreditatis petitione forte à Scio consecuturus sis, quidquam mihi præstare debere: quia quod ad Scium peruenerit, tuarum partium sit: nec ad me habentem meum, quidquam ex eo redire debeat.

LXIII. VLPIANVS lib. XXXI. ad edictum.

**V**erum est, quod Sabino uidetur: etiã si non uniuersorum bonorum socij sint, sed unius rei: attamen in id, quod facere possunt, quod dolo malo fecerunt, quo minus possint, condemnari oportere. Hoc enim summam rationem habet: cum societas ius quodammodo fraternitatis in sese habeat. Videndum est, an & fideiussori socij præstari id debeat: an uero personale beneficiũ sit. quod magis uerum est. Sed si hic fideiussor, quasi defensor socij iudicium susceperit: proderit sibi. namq; Iulianus libro septimo digestorum scribit, defensorem socij in id, quod socius facere potest, condemnari oportere. idemq; & in patroni defensore accipi debere ait. & utiq; idem erit in uniuersis, qui in id, quod facere possunt, conueniuntur. Patri autem uel domino socij, si iussu eorũ societas contracta sit, non esse hanc exceptionem dandam: quia nec hæredi socij, cæterisq; successoribus hoc præstabitur: quia nec cæterorum hæredibus successoribusq; quos in id, quod facere possunt, conuenimus, idem præstatur. Id quod facere potest socius, quemadmodum æstimandum sit: & placuit, non debere deduci æs alienum, quod debetur à socio. Ita & Marcellus libro septimo digestorum scribit. nisi forte (inquit) ex ipsa societate debeat. Item uidendum, an cautio ueniat in hoc iudiciũ eius, quod facere socius nõ possit: an scilicet nuda promissio: quod magis dicendum arbitror. Si cum tres socij essent, egerit cũ uno ex socijs socius, & partem suã integram sit consecutus: deinde alius socius cum eodem agat, & partem consequi integram non poterit, quia facere solidum non potest: an hic, qui minus consecutus est, cum eo agere possit, qui solidũ accepit, ad comunicandas partes & inter eos exæquandas, quasi iniquũ sit ex eadem societate alium plus, alium minus consequi: sed magis est, ut pro socio actione consequi possit, ut utriusq; portio exæquatur. quæ sententia habet æquitatem. Tempus autem spectamus, quantum socius facere possit, rei iudicandæ. hoc quoq; facere posse quisq; uidetur, quod dolo fecit, quo minus possit. nec enim æquum est, dolum suum quenquam releuare. quod & in cæteris, qui in id, quod facere possunt, conueniuntur,

tur, accipiendū est. Si tamen non dolo, sed culpa sua ut facere posset de-  
 fuit: dicendum est, condemnari eum non debere. In hæredem quoq;  
 socij pro socio actio competit: quamuis hæres socius non sit. licet em̄ so-  
 cius nō sit: attamen emolumentū successor est. & circa societates uestiga-  
 liū, cæterorūq; idem obseruamus, ut licet hæres socius non sit, nisi fue-  
 rit adscriptus: uerū tamen etiam omne emolumentum societatis ad  
 eum pertineat, simili modo & damnū agnoscat: siue quod uiuo adhuc  
 socio uestigialis contigit, siue postea. Quod non similiter in uolunta-  
 ria societate obseruatur. Si seruo communi legatum sine libertate  
 unus ex dominis reliquit: hoc ad solum socium pertinet. an tamen pro  
 socio iudicio communicari debeat cum hærede socij, quæritur? & ait  
 aliās \*Pō *Julianus Sextum* \*Pædium referre Sabinum respondentem non com-  
 poniū. municari: & posse hanc sententiam defendi, Julianus ait. non enim  
 propter communionem hoc acquisitum esse, sed ob suam partem: nec  
 oportere id communicari, quod quisq; nō propter societatem, sed pro-  
 pter suam partē adquisierit. Societas soluitur ex personis, ex rebus,  
 ex uoluntate, ex actione. Ideoq; siue homines, siue res, siue uoluntas, si-  
 ue actio interierit: distrahi uidetur societas. intereunt aut̄ homines qui-  
 de maxima, aut media capitis deminutione, aut morte. res uero cum  
 aut nullæ relinquuntur, aut conditionem mutauerūt: neq; eius rei, quæ  
 iam nulla sit, quisquam socius est: neq; eius, quæ consecrata, publica-  
 ratione sit. Voluntate distrahitur societas renunciatione.

LXIII. CALLISTRATVS lib. I. *questionum.*

**I**Ta quoq; cum separatim socij agere cœperint, & unusquisq; eorum  
 sibi negocietur: sine dubio ius societatis soluitur.

LXV. PAVLVS lib. XXXII. *ad edictum.*

**A**ctione distrahitur: cum aut stipulatione, aut iudicio mutata sit  
 causa societatis. Proculus enim ait. hoc ipso, quod iudicium ita  
 dictatum est, ut societas distrahatur: renunciatam societatem: siue toto-  
 rum bonorum, siue unius rei societas coita sit. Item bonis à creditori-  
 bus uenditis unius socij, distrahi societatem, Labeo ait. Si in rem cer-  
 tam emendam conducendamue coita sit societas: tunc etiam post ali-  
 cuius mortem, quidquid lucri detrimentiue factum sit, commune esse,  
 Labeo ait. Diximus dissensu solui societatem: hoc ita est, si omnes  
 dissentiant. quid ergo, si unus renunciet? Cassius scribit. eum, qui re-  
 nunciauerit societati, à se quidem liberare socios suos: se autem ab illis  
 non liberare. quod utiq; obseruandum est, si dolo malo renunciatio fa-  
 cta est. ueluti si cum omnium bonorum societatem inissemus. deinde cū  
 obuenisset uni hæreditas, ppter hoc renūciauit. ideoq; si qd damnū  
 attulit hæreditas: hoc ad eum, qui renūciauit, pertinebit. *Commo-  
 dum*

dum autem communicare cogetur actione pro socio. Quod si quid post renunciationem adquisierit, non erit communicandum: quia nec dolus admissus in eo est. Item si societatem ineamus ad aliquam rem emendam: deinde cum solus uolueris eam emere, ideo renunciaueris societati, ut solus emeris: teneberis, quanti mea interest. Sed si ideo renunciaueris, quia emptio tibi displicebat: non teneberis, quamuis ego emero: quia hic nulla fraus est. eaq; & Iuliano placent. Labeo autem posteriorum libris scripsit. si renunciauerit societati unus ex socijs eo tempore, quo interfuit socij, non dirimi societatem: committere eum in pro socio actionem. Nam si emimus mancipia inita societate, deinde renuncies mihi eo tempore, quo uendere mancipia non expedit: hoc casu, quia deteriores causas meam facis, teneri te pro socio iudicio. Proculus hoc ita uerum esse: si societatis intersit, non dirimi societatem. Semper enim non id, quod priuatim interest unius ex socijs, seruari solet: sed quod societati expedit. hæc ita accipienda sunt, si nihil de hoc in coeunda societate conuenit. Item qui societatem in tempus conijcit: ante tempus eam renunciando, socium a se, non se a socio liberat. Itaque si quid compendij postea factum erit: eius partem non feret. At si dispendium: æque præstabit portionem, nisi renunctio ex necessitate quadam facta sit. Quod si tempus finitum est: liberum est recedere, quia sine dolo id fiat. Renunciare societati etiam per alios possumus. & ideo dictum est, per procuratorem quoque posse renunciari societati. Sed utrum de eo dictum sit, cui omnium bonorum administratio concessa est: an de eo, cui hoc ipsum mandatum est nominatim, uideamus: an uero per utrumque recte renunciatur. quod est uerius: nisi prohibuerit eum dominus specialiter renunciare. Item scriptum est, posse procuratori quoque meo socium meum renunciare. quod Seruius apud Alfenum ita notat. esse in potestate domini, cum procuratori eius renunciatum est, an uelit ratam habere renunciationem. Igitur is, cui procuratori renunciatum est, liberatus esse uidebitur. an aut ipse quoque, qui renunciauit procuratori, liberetur: in potestate eius erit, quemadmodum diximus in eo, qui socio renunciat. Morte unius societas dissoluitur, & si consensu omnium coita sit, plures uero supersint: nisi in coeunda societate aliter conuenierint. nec hæres socij succedit. sed quod ex re communi postea quasi tum est, item ut dolus & culpa: in eo, quod ex ante gesto pendet, tam ab hærede, quam hæredi præstandum est. Item si alicuius rei societas contracta sit, & finis negotio impositus: finitur societas. Quod si integris omnibus manentibus alter decesserit, deinde tunc sequatur res, de qua societate coierunt: tunc eadem distinctione utemur, qua in mandato: ut si quidem ignorata fuerit mors alterius, ualeat societas. si nota: non ualeat.

Societas quemadmodum ad hæredes socij non transit, ita nec ad adrogatorem: ne alioquin inuitus quis socius efficiatur, cui non uelit. ipse autem adrogatus socius permanet. nam etsi filius familias emancipatus fuerit, permanebit socius. Publicatione quoq; distrahi societatem quod diximus: uidetur spectare ad uniuersorum bonorũ publicationem, si socij bona omnia publicentur. nam cum in eius locum alius succedat, pro mortuo habetur. Si post distractam societatem aliquid in rem communẽ impenderit socius: actione pro socio id non consequitur: quia non est uerum pro socio communiter uel id gestum esse: sed communi diuidendo iudicio huius quoq; rei ratio habebitur. nam & si distracta est societas: nihilominus diuisio rerum superest. Si communis pecunia penes aliquem sociorum sit, & alicui sociorum quid ab sit: cum eo solo agendum, penes quem ea pecunia sit: qua deducta, de reliquo, quod cuiq; debeat, omnes agere possunt. Nonnunquam necessarium est, & manente societate agi pro socio: ueluti cũ societas uectigalium causa coita est, propterq; uarios cõtractus neutri expedit recedere à societate: nec refertur in medium, quod uectigalium ad alterũ peruenierit. Si unus ex socijs maritus sit, & distrahatur societas manente matrimonio: dotem præcipere maritus debet: quia apud eum esse debet, qui onera sustinet. quod si iã dissoluto matrimonio societas distrahatur: eadem die recipienda est dos, qua & solui debet.

LXVI. CAIVS lib. X. ad edictum prouinciale.

**Q**uod si eo tempore, quo dissoluitur societas, in ea causa dos sit, ut certum sit eam, uel partem eius reddi non oportere: diuidere eam inter socios iudex debet.

LXVII. PAVLVS lib. XXXII. ad edictum.

**S**i unus ex socijs rem communem uendiderit consensu sociorum: precium diuidi debet ita ut ei caueatur, indemnem eum futurum. Quod si iam damnum passus est: hoc ei præstabitur. Sed si precium cõmunicatum sit sine cautione, & aliquid præstiterit is, qui uendidit: an si non omnes socij soluendo sint, quod à quibusdam seruari non potest, à cæteris debeat ferre: sed Proculus putat hoc ad cæterorum onus pertinere, quod ab aliquibus seruari nõ potest: rationeq; id defendi posse: quoniam cum societas cõtrahitur, tam lucro quàm damni communitio ineatur. Si unus ex socijs, qui non totorum bonorum socij erit, communem pecuniam scenerauerit, usurasq; perceperit: ita demum usuras partiri debet, si societatis nomine scenerauerit. Nam si suo nomine: quoniam sortis periculum ad eum pertinuerit, usuras ipsum retinere oportet. Si quid unus ex socijs necessario de suo impenderit in commune negocium: iudicio societatis seruabit & usuras, si forte mutatus



sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere, qualem suis rebus adhibere solet: quia qui parum diligentem sibi socium adquiret, de se queri debet.

LXXIII. VLPPIANVS lib. I. *responsorū Maximino respondit.*

SI societatem uniuersarum fortunarum coierint, id est, earum quoque rerum, quæ postea cuique adquirentur: hæreditatem cuius eorum de latam in commune redigendam. Item Maximino respondit, si societatem uniuersarum fortunarum ita coierunt, ut quidquid erogetur, uel quaratur, communis lucri atque impendij esset: ea quoque, quæ in honorem alterius liberorum erogata sunt, utrisque imputanda.

LXXIII. PAVLVVS lib. XXI. *ad edictum.*

SI quis societatem contraxerit: quod emit, ipsius fit, non commune: sed societatis iudicio cogitur rem communicare.

LXXV. CELSVS lib. X. *digestorum.*

SI coita sit societas ex his partibus, quas Titius arbitratus fuerit, & Titius ante, quam arbitraretur, decesserit: nihil agitur. nam id ipsum actum est, ne aliter societas sit, quam ut Titius arbitratus sit.

LXXVI. PROCVLVS lib. V. *ἐπιτολῶν.*

SOCIETATEM MECUM COISTI EA CONDITIONE, ut Nerua amicus communis partes societatis constitueret. Nerua constituit, ut tu ex triente socius esses, ego ex besse. quæris: utrum ratum id iure societatis sit, an nihilominus ex æquis partibus socij simus? existimo autem melius te quaesitum fuisse: utrum ex his partibus socij essemus, quas is constituisset: an ex his, quas uirum bonum constituere oportuisset? Arbitrorum enim genera sunt duo. unum huiusmodi, ut siue æquum sit, siue iniquum, parere debeamus. quod obseruatur, cum ex compromisso ad arbitrium itum est. alterum eiusmodi, ut ad boni uiri arbitratum redigi debeat: etiã si nominatim persona sit comprehensa, cuius arbitratu fiat.

LXXVII. PAVLVVS lib. III. *quæstionum.*

VELUTI CUM lege locationis comprehensum est, ut opus arbitrio locato ris fiat.

LXXVIII. PROCVLVS lib. V. *ἐπιτολῶν.*

IN PROPOSITA AUTEM quæstione arbitrium boni uiri existimo sequendum esse: eo magis, quod iudicium pro socio bonæ fidei est.

LXXIX. PAVLVVS lib. III. *quæstionum.*

VNDE SI Neruæ arbitrium ita prauum est, ut manifesta iniquitas eius appareat: corrigi potest per iudicium bonæ fidei.

LXXX. PROCVLVS lib. V. *ἐπιτολῶν.*

al's\* duobus. Quid enim, si Nerua constituisset, ut alter ex millesima parte, alter ex duobus millesimis socius esset? Illud potest conueniens esse boni uiri arbitrio, ut non utique ex æquis partibus socij simus: ueluti

ueluti si alter plus operæ, industriæ, gratiæ, pecuniæ in societate collatus erat.

LXXXI. PAPIANVS lib. VII. *questionum.*

**S**ocius pro filia dotem promisit: & prius, quam solueret, hærede ea relicta decessit: quæ postea, quam cū marito de exigenda dote egit: accepto liberata est. quæsitum est, an si pro socio ageret, dotis quantitatem percipere deberet: si forte conuenisset inter socios, ut de communi dos constitueretur: dixi, pactum non esse iniquū: utiq; si non de alterius tantū filia conuenit. nam si cōmune hoc pactū fuit: non interesse, quod alter solus filiā habuit, alter non habuit. cæterū si numerata dotē pater defuncta in matrimonio filia recuperasset: reddi pecunia societati debuisset, pactum ex æquitate sic nobis interpretantibus. quod si salua societate, diuortio matrimonium solutum foret: cum sua causa dotem recuperari, scilicet ut ea uel aliq; marito dari possit. nec si prior maritus facere non posset: denuo de societate constituendam dotem, nisi nominatim ita conuenisset. Verum in proposito largius interesse uidebatur: an dos numerata esset, an uero expromissa. nam si filia datam dotem postea, quam patri hæres exstitit, iure suo recepisset: non esse referendam pecuniam societati, quam mulier habitura fuit, & si alius hæres exstitisset. Quod si accepto à marito liberata esset: nequaquam imputari posse societati, non solutam pecuniam.

LXXXII. IDEM lib. III. *responsorum.*

**I**vre societatis per socium ære alieno socius non obligatur: nisi in communem arcam pecuniæ uersa sint.

LXXXIII. PAVLVS lib. I. *manualium.*

**I**llud quærendum est. arbor, quæ in confinio nata est: item lapis, qui per utrunq; fundum extenditur: an cum succisa arbor est, uel lapis exemptus, sicut fundus, pro ea quoq; parte singulorum esse debeat, pro qua parte in fundo fuerit: an qua ratione duabus massis duorum domorum conflatis, tota massa communis est: ita arbor hoc ipso, quod separatur à solo, propriamq; substantiam in unum corpus redactam accipit, multo magis pro indiuiso communis fiat, quam massa. Sed naturaliter conuenit rationi, & postea tantam partem utrunq; habere, tam in lapide, quam in arbore, quantam & in terra habebat.

LXXXIIII. LABEO lib. VI. *posteriorū à Iaboleno epitomatorū.*

**Q**uoties iussu alicuius, uel cum filio eius, uel cum extraneo societas coitur: directo cum illo agi posse, cuius persona in contrahenda societate spectata est.

# DIGESTORVM

SEV PANDECTARVM LIBER DE  
cimusoctauus.

DE CONTRAHENDA EMPTIONE, ET DE  
pactis inter emptorem & uenditorem compositis, & quæ  
res uenire non possint. Tit. I.

PAVLVS lib. XXX. ad edictum.



Rigo emendi uendendiq; à permutationibus cœ-  
pit. olim enim nō ita erat numus: neq; aliud merx,  
aliud preciū uocabatur: sed unusquisq; secundum  
necessitatem temporum ac rerum, utilibus inuti-  
lia permutabant: quando plerunq; euenit, ut quod  
alteri superest, alteri desit. Sed quia nō semper, nec  
facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego de-

siderarem: inuicem ego haberem, quod tu accipere uelles: electa mate-  
ria est, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutati-  
onum æqualitate quantitatis subueniret. ea materia forma publica  
percutta, usum dominiumq; non tam ex substantia præbet, quàm ex  
quantitate: nec ultra merx utrunq; est, sed alterū precium uocatur. Sed  
an sine numis uenditio dici hodie quoq; possit, dubitatur. ueluti si ego  
rogam dedi, ut tunicam acciperem. Sabinus & Cassius esse emptionem  
& uenditionem putant: Nerua & Proculus permutationē, non empti-  
onem hoc esse. Sabinus Homero teste utitur, qui exercitū Græcorum  
ære, ferro, hominibusq; uinum emere refert, illis uersibus Græcis.

Ἐνθεμ' ἄρ' ὀνιζοντο καρκηκομῶωντες ἀχαιοὶ  
Ἄλλοι μὲν χαλκῶ, ἄλλοι δ' ἄιθωνι σιδ' ἴερα,  
Ἄλλοι δ' ἠ' ῥίνοισι, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν,  
Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσιν.

Sed hi uersus pmutationē significare uident, nō emptionē, sicut & illi:

Ἐνθ' αὖτε γλαίκοι κρονίδης φρένας δ' ἔλετο Ζεύς,  
ὅς πρὸς τῶν εἰδῶν Διομήδεα τὴν χεῖρ' ἄμαθε  
χρῆσιχα χαλκείων, ἐκατόμβοι' ἔννεαβοίων.

Magis aut̄ pro hac sententia illud dicere, quod aliàs idem poeta dicit:

πῶ ποτὲ Δαέρετος πρῖατο κτεάτεσσιν ἑοῖσι,  
πρωθίσιν ἔτ' ἐδ' ἔχον, ἑμροσθοῖα δ' ἔδωκεν.

Sed uerior est Neruæ & Proculi sententia. nam ut aliud est uendere,  
aliud emere, alius emptor, alius uenditor: sic aliud est precium, aliud  
merx

merx. quod in permutatione discerni nō potest: neq; uter emptor, nec uter uenditor sit. Est autem emptio iurisgentium. & ideo consensu peragitur: & inter absentes contrahi potest, & per nunciū, & per literas.

II. VLPIANVS lib. L. ad Sabinum.

**I**nter patrem & filium contrahi emptio non potest: sed de rebus castrensibus potest. Sine precio uenditio nulla est. non autem precij numeratio, sed conuētio perficit sine scriptis habitam emptionem.

III. IDEM lib. XXVIII. ad Sabinum.

**S**i res ita distracta sit, ut si displicuisset, inempta esset: constat nō esse sub conditione distractam, sed resolui emptionem sub conditione.

IIII. POMPONIVS lib. VIII. ad Sabinum.

**E**t liberi hominis, & loci sacri, & religiosi, qui haberi non potest: emptio intelligitur, si ab ignorante emitur.

V. PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

**Q**uia difficile dignosci potest liber homo à seruo.

VI. POMPONIVS lib. VIII. ad Sabinum.

**S**ed Celsus filius ait, hominem liberum scientem te emere nō posse: nec cuiusquam rei, cuius scias alienationē prohibitam esse: ut sacra, aut religiosa loca, aut quorum commercium non sit: ut publica, quæ non in pecunia populi, sed in publico usu habentur, ut est campus Martius. Si fundus annua, bima, trima die ea lege uenisset, ut si in diem statutum pecunia soluta non esset, fundus inemptus foret: & ut si interim emptor fundum coluerit, fructusq; ex eo perceperit, eos inempto fundo factō restitueret: & quanti minoris postea alij uenisset, ut id emptor uenditori præstaret: ad diem pecunia non soluta, placet uenditori ex uendito eo nomine actionem esse. nec cōturbari debemus eo, quod inempto fundo factō, dicatur actionem ex uendito futuram esse. In emptis enim & uēditis potius id, quod actum, quàm quod dictum fuit, sequendum est. & cum in lege id dictum sit: apparet hoc dūtaxat actum esse, ne uenditor emptori, pecunia ad diem non soluta, obligatus esset: non ut omnis obligatio empti & uenditi utrinq; solueretur. Conditio, quæ initio contractus dicta est, postea alia pactione immutari potest: sicut etiā abiri à tota emptione potest, si nondū impleta sunt, quæ utrinq; præstari debuerunt.

VII. VLPIANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

**H**æc uenditio serui, SI RATIONES DOMINI PVTARIUM ARBITRIO: cōditionalis est. conditionales autē uēditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio. Sed utrum hæc est uenditio nis conditio, si ipse dominus putasset suo arbitrio: an uero, si arbitrio uiri boni: nam si arbitrium domini accipiamus, nulla est uēditio: quem-

KK ij admo

admodum si quis ita uendiderit, *SI VOLVERIT*: uel stipulanti sic respondeat, *SI VOLVERO, DECEM DABO*. neq; enim debet in arbitrium rei conferri, an sit obstrictus. placuit itaq; ueteribus, magis in uiri boni arbitrium id collatum uideri, q̄ in domini. si igitur rationes potuit accipere, nec accepit: uel accepit, fingit aut se non accepisse: impleta conditio emptionis est, & ex empto uenditor conueniri potest.

Huiusmodi emptio, *QUANTI TV EVM EMISTI*: uel *QUANTVM PRECII IN ARCA HABEO*: ualet. nec enim incertū est precium in tam euidenti uenditione. magis enim ignoratur, quanti emptus sit, q̄ in rei ueritate incertum est. Si quis ita emerit, *ESTO MIHI FVNDVS EMPTVS CENTVM, ET QUANTO PLVRIS EVM VENDIDERO*: ualet uenditio, & statim impletur. habet enim certum precium centum: augebitur autem precium, si pluris emptor fundū uendiderit.

VIII. POMPONIVS lib. VIII. ad Sabinum.

*\*aliās, ca  
ptum.* **N**ec emptio, nec uenditio sine re, quæ ueneat, potest intelligi: & tamen fructus, & partus futuri recte emuntur: ut cum editus est partus, iam tunc uenditio facta intelligatur. sed si id egerit uenditor, ne nascatur, aut ne fiat: ex empto agi potest. Aliquando tamen & sine re uenditio intelligitur: ueluti cum quasi alea emitur. quod fit, cum *\*captus piscium*, uel auium, uel missilium emitur. emptio enim contrahitur, etiam si nihil inciderit: quia spei emptio est. Et quod missilium nomine eo casu captum est, si euidum fuerit: nulla eo nomine ex empto obligatio contrahitur: quia id actum intelligitur.

IX. VLPIANVS lib. XXVIII. ad edictum.

**I**n uenditionibus & emptionibus consensum debere intercedere, palam est. Cæterū siue in ipsa emptione dissentiant, siue in precio, siue in aliquo alio: emptio imperfecta est. Si igitur ego me fundū emere putarem Cornelianum, tu mihi te uendere Sempronianum putasti: quia in eo corpore dissensimus, emptio nulla est. idem est, si ego me Stichū, tu Pamphilum absentem uendere putasti. nam cum in corpore dissentiamus, apparet nullam esse emptionem. Planè si in nomine dissentiamus, uerum de corpore constat: nulla dubitatio est, quin ualeat emptio & uenditio. nihil enim facit error nominis, cum de corpore constat. Inde quæritur, si in ipso corpore non erretur, sed in substantia error sit: ut puta si acetū pro uino ueneat, aut æs pro auro, uel plumbum pro argento, uel quid aliud argento simile: an emptio & uenditio sit? Marcellus scripsit libro septimo digestorum, emptionem esse & uenditionem: quia in corpus consensum est, etsi in materia sit erratum. ego in uino quidem consentio: quia eadem prope *duo* est, si modo uinum acuit. Cæterum si uinum non acuit, sed ab initio acetū fuit, ut embam-

ma,

ma: aliud pro alio uenisse uidetur. in cæteris autem nullam esse uenditionem puto, quoties in materia erratur.

X. PAVLVVS lib. V. ad Sabinum.

**A**liter atq; si aurum quidem fuerit, deterius autem, quam emptor existimaret. tunc enim emptio ualet.

XI. VLP IANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

**A**lioquin quid dicemus, si cæcus emptor fuit, uel si in materia erratur à minus perito discernendarum materiarum? in corpus eos consensisse dicemus? & quemadmodum cōsensit, qui nō uidit? Quod si ego me uirginem emere putarem, cum esset iam mulier: emptio ualet. in sexu enim non est erratum. cæterum si cum ego mulierem uendebam, tu puerum emere existimasti: quia in sexu error est, nulla emptio, nulla uenditio est.

XII. POMPONIVS lib. XXV. ad Q. Mutium.

**I**n huiusmodi autem quaestionibus personæ e mentium & uendentium spectari debent: non eorum, quibus acquiritur ex eo contractu actio. nam si seruus meus, uel filius, qui in mea potestate est, me praesente suo nomine emat: non est quaerendum, quid ego existimem: sed quid ille, qui cōtrahit.

XIII. IDEM lib. VIII. ad Sabinum.

**S**ed si seruo meo, uel ei, cui mandauero, uendas sciens fugitium, illo ignorante, me sciente: non teneri te ex empto, uerum est.

XIII. VLP IANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

**Q**uid tamen dicemus, si in materia & qualitate ambo errarint? ut puta si & ego me uendere aurum putarim, & tu emere, cum aes esset? ut puta cohæredes uiriolam, quæ aurea dicebatur, precio exquisito uni hæredi uendidissent, eaq; inuenta esset magna ex parte ænea? uenditionem esse constat ideo, quia auri aliquid habuit. nam si inauratum aliquid sit: licet ego aureum putem, ualet uenditio. si autem aes pro auro ueneat: non ualet.

XV. PAVLVVS lib. V. ad Sabinum.

**S**ed etsi consensum fuerit in corpus, id tamen in rerum natura ante uenditionem esse desierit: nulla emptio est. Ignorantia emptori prodest, quæ non in supinum hominem cadit. Si rem meam mihi ignoranti uendideris, & iussu meo alij tradideris: non putat Pomponius dominium in eum transire, quoniam non mihi propositum fuit: sed quasi tuum dominium in eum transire. & ideo etiam si donaturus mihi rem meam, iussu meo alij tradas: idem dicendum erit.

XVI. POMPONIVS lib. VIII. ad Sabinum.

**S**uæ rei emptio non ualet: siue sciens, siue ignorans emit. sed si ignorans emit: quod soluero, repetere potero: quia nulla obligatio fuit. nec tamen emptioni obstat, si in ea re ususfructus duntaxat e mentis sit.

KK iij Pau

**O**fficio tamen iudicis precium minuetur.  
XVII. PAVLVVS lib. XXXIII. ad edictum.

**S**ed et si cōmunis ea res emptori cum alio sit: dici debet, scisso precio pro portione, pro parte emptionē ualere, pro parte nō ualere. Si seruus domini iussu in demonstrandis finibus agri uenditi, uel errore, uel dolo plus demonstrauerit: id tantū demonstratū accipi oportet, quod dominus senserit. & idem Alfenus scripsit de uacua possessione per seruū tradita.  
XVIII. POMPONIVS lib. VIII. ad Sabinum.

**Q**uod uendidi & tradidi, non aliter fit accipientis, quā si aut precium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum: uel etiam si eum habuerimus emptori sine ulla satisfactione.  
XIX. IDEM lib. XXII. ad Q. Mutium.

**S**abinus respondit. si quam rem nobis fieri uelimus (ueluti statuam, uel uasa aliqua, seu etiam uestem) ut nihil aliud, quā pecuniam daremus: emptionem uideri. nec posse ullam locationem esse, ubi corpus ipsum non detur ab eo, cui id fieret. aliter atq; si aream darem, ubi insulam ædificares: quoniam tunc à me substantia proficiscitur.  
XX. IDEM lib. VIII. ad Sabinum.

**L**abeo scribit. obscuritatem pacti nocere potius debere uenditori, qui id dixerit, q̄ emptori: quia potuit re integra apertius dicere.  
XXI. PAVLVVS lib. V. ad Sabinum.

**H**anc legem uenditionis, SI QUID SACRI VEL RELIGIOSI EST, EIUS NIHIL VENIT: superuacua dicimus non esse, sed ad loca modica pertinere. ceterum si omne religiosum, uel sacrum, uel publicum uenierit: nullam esse emptionem.  
XXII. VLPPIANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

**E**T quod soluerit eo nomine, emptor condicere potest.  
XXIII. PAVLVVS lib. V. ad Sabinum.

**I**n modicis autem ex empto esse actionem: quia non specialiter locus sacer, uel religiosus uenit, sed emptioni maioris partis accessit.  
XXIII. VLPPIANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

**S**i ita distrahatur, ILLA AUT ILLA RES: utram elegerit uenditor, hæc erit empti. Qui uendidit, necesse non habet fundū emptoris facere: ut cogitur, qui fundum stipulanti sponndit.  
XXV. IDEM lib. XXIII. ad Sabinum.

**S**i sciens emam ab eo, cui bonis interdictum sit, uel cui tempus ad de liberandum de hæreditate ita datum sit, ut ei deminuendi potestas non sit: dominus non ero. dissimiliter, atq; si à debitore sciens credito rem fraudari, emero.  
XXVI. POMPONIVS lib. XVIII. ad Sabinum.

Idem

XXVII. IDEM lib. VIII. ad Sabinum.

**Q**ui à quolibet rem emit, quam putat ipsius esse: bona fide emit, at qui sine autoritate tutoris à pupillo emit, uel falso tutore auctore, quē scit tutorem non esse: nō uidet bona fide emere, ut Sabinus scripsit.

XXVIII. VLP IANVS lib. XLI. ad Sabinum.

**R**em alienam distrahere quem posse, nulla dubitatio est. nam emptio est & uenditio. sed res emptori auferri potest.

XXIX. IDEM lib. XLIII. ad Sabinum.

**Q**uoties seruus uenit, nō cum peculio distrahitur. & ideo siue non sit exceptum, siue exceptum sit: non cum peculio distractus uidetur. unde si qua res fuerit peculiaris à seruo subrepta: condici potest, uidelicet quasi furtiua. hoc ita, si res ad emptorem peruenerit.

XXX. IDEM lib. XXXII. ad edictum.

**S**ed ad exhibendum agi posse, nihilominus & ex uendito puto.

XXXI. POMPONIVS lib. XXII. ad Sabinum.

**S**ed & si quid postea accessit peculio, reddendum est uenditori: ueluti partus, & quod ex operis uicarij perceptum est.

XXXII. VLP IANVS lib. XIII. ad Sabinum.

**Q**ui tabernas argentarias, uel cætera, quæ in solo publico sunt, uendidit: non solum, sed ius uendidit: cum istæ tabernæ publicæ sunt, quarum usus ad priuatos pertinet.

XXXIII. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

**C**um in lege uenditionis ita sit scriptum: FLUMINA, STILLICIDIA UTI NUNC SVNT, UT ITA SINT: nec adiicitur, quæ flumina, uel stillicidia: primum spectari oportet, quid actum sit. si id non appareat: tunc id accipitur, quod uenditori nocet. ambigua enim oratio est.

XXXIII. PAVLVS lib. VI. ad edictum.

**S**i in emptione fundi dictum sit, accedere Stichum seruum: neque intelligatur, quis ex pluribus accesserit, cum de alio emptor, de alio uenditor senserit: nihilominus fundi uenditionem ualere constat. Sed Labeo ait, eum Stichum deberi, quem uenditor intellexerit. nec refert, quanti sit accessio: siue plus in ea sit, quàm in ipsa re, cui accedit: an minus. pleraeq; enim res aliquando propter accessiones emimus: sicuti cum domus propter marmora, & statuas, & tabulas pictas emitur. Omnium rerum, quas quis habere, uel possidere, uel persequi potest: uenditio recte fit, quas uero natura, uel gentium ius, uel mores ciuitatis commercio exemerunt: earum nulla uenditio est. Liberum hominem scientes emere non possumus. sed nec talis emptio, aut stipulatio admittenda est, CVM SERVVS ERIT: quamuis dixerimus, futuras res emi posse. nec enim fas est eiusmodi casus expectare. Item si & emptor & uenditor

ditor scit furtiuum esse, quod uenit: à neutra parte obligatio contrahitur: si emptor solus scit: non obligabitur uenditor. nec enim ex uenditoris quidquam consequitur, nisi ultro, quod conuenierit, præstet. quod si uenditor scit, emptor ignorauit: utriusque obligatio contrahitur. & ita Pomponius quoque scribit. Rei suæ emptio tunc ualet, cum ab initio possessionis prior esset. Alia causa degustandi est, alia metiendi. gustus enim ad hoc proficit, ut improbare liceat. mensura uero non eodem proficit, ut aut plus, aut minus ueneat: sed ut appareat, quantum ematur. Si emptio ita facta fuerit, ESTO MIHI EMPTVS STICHVS AVT PAMPHILVS: in potestate est uenditoris, quem uelit dare: sicut in stipulationibus. Sed uno mortuo, qui superest, dandus est. & ideo prioris periculum ad uenditorem, posterioris ad emptorem respicit. Sed etsi pariter decesserint, precium debetur. unus enim utriusque periculo emptoris uixit. Idem dicendum est, etiam si emptoris fuit arbitrium, quem uellet habere: si modo hoc solum arbitrio eius commissum sit, ut quem uoluisset, emptor haberet: non etiam illud, an emptum haberet. Tutor rem pupilli emere non potest, idemque porrigendum est ad similia: id est, ad curatores, procuratores, & qui negocia aliena gerunt.

XXXV. CAIVS lib. X. ad edictum prouinciale.

**Q**uod sæpe arræ nomine pro emptione datur: non eodem pertinet, quasi sine arræ conuentio nihil proficiat: sed ut euidentius probari possit, conuenisse de precio. Illud constat: imperfectum esse negocium, cum emere uolenti sic uenditor dicit, QUANTI VELIS, QUANTI AEQUVM PVT AVERIS, HABEBIS EMPTVM. Veneni mali quidam putant emptionem non contrahi: quia nec societas, aut mandatū flagitiosæ rei ullas uires habeat. quæ sententia potest sanè uera uideri de his, quæ nullo modo adiectione alterius materiae, usui noturam deponunt, ut ex his antidoti, & alia quædam salubria medicamenta conficiantur: aliud dici potest. Si quis amico peregre eunti mandauerit, ut fugitiuum seruum quærat, & si inuenierit, uendat: nec ipse contra senatusconsultum commisit, quia non uendidit: neque amicus eius, quia præsentem uendidit. emptor quoque, qui præsentem emit, recte negocium gerere intelligitur. Si res uendita per furtum perierit: prius animaduertendum erit, quid inter eos de custodia rei conuenit. si nihil apparet conuenisse: talis custodia desideranda est à uenditore, qualem bonus paterfamilias suis rebus adhibet. quam si præstitit, & tamen rem perdidit: securus esse debet, tantum ut uindicationem rei & conditionem exhibeat emptori. unde uidebimus in personam eius, qui alienam

nam rem uendiderit, cum is nullā uindicationē aut conditionem habere possit. certe ob id ipsum dānandus est: quia si suā rem uendidisset, potuisset eas actiones ad emptorem transferre. In his, quæ pondere, numero, mensura constant (ueluti frumento, uino, oleo, argento) modo ea seruantur, quæ in cæteris: ut simul atq; de precio conuenerit, uideatur perfecta uenditio. modo ut etiā si de precio cōuenerit: nō tamen aliter uideat̄ perfecta uēditio, q̄ ad mensa, ad pensa, ad numerata sint. nā si omne uinū, uel oleum, uel frumentū, uel argentū (quantumcūq; esset) uno precio uenierit: idem iuris est, quod in cæteris rebus. quod si uenierit uinum ita, ut in singulas amphoras: item oleum, ut in singulas metretas: item frumentum, ut in singulos modios: item argentum, ut in singulas libras certum precium diceretur: quæritur, quando uideatur emptio perfici? quod similiter scilicet quæritur & de his, quæ numero constant. Si pro numero corporū precium fuerit statutum: Sabinus & Cassius tunc perfici emptionē existimant, cum adnumerata, ad mensa, ad pensa sint: quia uenditio quasi sub hac cōditione uidet̄ fieri, ut in singulas metretas, aut in singulos modios, quos quasitē ad mensus eris: aut in singulas libras, quas ad penderis: aut in singula corpora, quæ adnumeraueris. ergo etsi grex uenierit, siquidem uniuersaliter uno precio: perfecta uidetur, postquam de precio conuenerit. si uero singula corpora certo precio: eadem erunt, quæ proxime tractauimus. Sed & si ex doliario pars uini uenierit (ueluti metretæ centum) uerissimum est, (quod & constare uidetur) ante quā admetiatur, omne periculum ad uenditorem pertinere. nec intērest, utrum omnium centum metretarum semel dictum sit, an in singulas metretas. Si quis in uendendo prædio confinem cælauerit, quem emptor si audisset, empturus non esset: teneri uenditorem dicimus.

XXXVI. VLP IANVS lib. XLIII. ad edictum.

**C**um in uenditione quis precium rei ponit, donationis causa non exacturus: non uidetur uendere.

XXXVII. IDEM lib. V. disputationum.

**S**i quis fundum iure hæreditario sibi delatum ita uendidisset, ERIT TIBI EMPTVS, QUANTI A TESTATORE EMPTVS EST: mox imeniatur non emptus, sed donatus testatori: uidetur quasi sine precio facta uenditio. Ideoq; similis erit sub conditione factæ uenditioni: quæ nulla est, si conditio defecerit.

XXXVIII. IDEM lib. VII. disputationum.

**S**i quis donationis causa minoris uendat: uenditio ualet. toties enim dicimus in totum uenditionem non ualere: quoties uniuersa uenditio donationis causa facta est. quoties uero uiliore precio res donati-

LL onis

onis causa distrahitur: dubium non est, uenditionem ualere. hoc inter ceteros. inter uirum uero & uxorem donationis causa uenditio facta precio uiliore, nullius momenti est.

XXXIX. IULIANVS lib. XIII. *digestorum.*

SI debitor rem pignoratā à creditore redemerit: quasi suæ rei emptor actione ex uendito nō tenetur, & omnia integra sunt creditori. *Verisimile est eum, qui fructum oliuæ pendens uēdidit, & stipulatus est, DECEM PONDO OLEI, QVOD NATVM EST: precii constituisse ex eo, quod natū esset usq; ad decē pondo olei. idcirco solis quinque collectis: non amplius emptor petere potest, quā quinque pondo olei, quæ collecta essent. & hoc à plerisque responsum est.*

XL. PAVLVS lib. III. ἐπιτομῶν *Alferi digestorum.*

QVI fundum uendebat, in lege ita dixerat: ut emptor in diebus triginta proximis fundum metiretur, & de modo renunciaret: & si ante eam diem non renunciasset, ut uenditoris fides soluta esset. emptor intra diem mensuræ, quo minorem modum esse credidit, renunciavit, & pecuniam pro eo accepit. postea eum fundum uēdidit: & cum ipse emptori suo admetiretur, multo minorem agri modum, quā putauerat, inuenit. quærebatur, an id, quod minoris esset, consequi à suo uenditore posset? Respondit. interesse, quemadmodum lex diceretur. nam si ita dictum esset, UT EMPTOR IN DIEBUS TRIGINTA PROXIMIS FVNDVM METIATVR, ET DOMINO RENVNCIET INTRA ID TEMPVS, QVANTO MODVS AGRI MINOR SIT: quod post tricesimū diē renūciasset, nihil esse ei profuturū. sed si ita pactū esset: ut emptor in diebus proximis fundum metiatur, & de modo agri renunciaret: etsi in diebus triginta non renunciasset, minorem modum agri esse: quamuis multis postea annis, posse eum, quo minoris modus agri fuisset, repetere. In lege fundi aquam accessuram dixit. quærebatur, an etiā iter aquæ accessisset? & respondit, sibi uideri id actum esse. & ideo iter quoque uenditorem tradere oportere. Qui agrum uendebat, dixit fundi iugera decem & octo esse: & quod eius admesum esset, ad singula iugera certum precium stipulatus fuerat. uiginti inuenta sunt. pro uiginti deberi pecuniam, respondit. Fundi uenditor frumenta manu sata receperat. in eo fundo ex stipula seges erat enata. quæsitum est, an pacto contineretur? respondit, maxime referre, quid actum esset. ceterum se cundū uerba non esse actum, quod ex stipula nasceretur: non magis. q̄ si quid ex eo, quod de sacco saccarij, aut quod auibus ex ore cecidisset, natum esset. Cum fundum quis uendiderat, & omnem fructum receperat: & arundinē cæduam, & sylvam in fructu esse respondit. *Do-*  
lia, quæ in fundo domini essent, accessura dixit. etiam ea, quæ seruis, qui

qui fundum coluerat, \*emisset: pecularia emptori accessura respon-  
dit. Rota quoque, per quam aqua traheretur, nihilominus ædifi-  
cij est, quam situla.

\*als. emif-  
set pecu-  
nia: empt.

XL I. IULIANVS lib. III. ad Vrseium Feroam.

**C**VM ab eo, qui fundum alij obligatum habebat, quidam sic emptum  
rogasset: VT ESSET SIBI EMPTVS, SI EVM LIBERARET, DVM-  
MODO ANTE CALENDAS IVLIAS LIBERARET. quæsitum est, an  
utiliter agere posset ex empto in hoc, ut uenditor eum liberaret? respon-  
dit, uideamus, quid inter eumentem & uendentem actum sit. nam si id  
actum est, ut omni modo intra calendæ Iulias uenditor fundum libe-  
raret: ex empto erit actio, ut liberet, nec sub conditione emptio facta  
intelligetur: ueluti & si emptor hoc modo interrogauerit, ERIT MIHI  
FVNDVS EMPTVS, ITA VT EVM INTRA CALENDAS IVLIAS LI-  
BERES: uel ita, VT EVM INTRA CALENDAS IVLIAS A' TITIO  
REDIMAS. si uero sub conditione facta est emptio: non poterit agi, ut  
conditio impleatur. Massam argento coopertam mihi ignoranti  
pro solido uendidisti imprudens. nulla est emptio: & pecunia, quæ eo  
nomine data est, condicetur.

XL II. MARTIANVS lib. I. institutionum.

**D**omini neque per se, neque per procuratores suos possunt saltem cri-  
minosos seruos uendere, ut cum bestijs pugnent: & ita diui fratres  
rescripserunt.

XL III. FLORENTINVS lib. VIII. institutionum.

**E**A, quæ commendandi causa in uenditionibus dicuntur, si palam  
esse appareant: uenditorem non obligant. ueluti si dicat seruum spe-  
ciosum, domum bene ædificatam. at si dixerit hominem literatum, uel  
artificem: præstare debet. nam hoc ipso pluris uendidit. Quædam etiã  
pollicitationes uenditorum non obligant, si ita in promptu res sit, ut eam  
emptor non ignorauerit: ueluti si quis hominem luminibus effossis  
emat, & de sanitate stipuletur. nam de cætera parte corporis potius sti-  
pulus uidetur, quam de eo, in quo se ipse decipiebat. Dolus malum  
a se abesse præstare uenditor debet, qui non tantum in eo est, qui aliquid  
fallendi causa obscure loquitur: sed etiam, qui insidiosè obscure dissi-  
mulat.

XL IIII. MARTIANVS lib. III. regularum.

**S**I duos quis seruos emerit pariter uno precio, quorum alter ante  
traditionem mortuus est: neque in uiuo constat emptio.

XL V. IDEM lib. IIII. regularum.

**L**abeo libris posteriorum scribit. si interpolla quis pro nouis eme-  
rit: Trebatio placere, ita emptori præstandum quod interest, si igno-  
rans interpolla emerit. quam sententiam & Pomponius probat, in qua  
& Iulianus est, qui ait. siquidem ignorabat uenditor: ipsius rei nomine

LL ij tenet

teneri. si sciebat: etiam damni, quod ex eo contingit: quemadmodum & si quis aurichalcum pro auro uendidit ignorans: tenetur, ut aurum, quod uendidit, præstet.

XLVI. IDEM lib. *singulari de delatoribus.*

**N**on licet ex officio, quod administrat quis, emere quid uel per se, uel per aliam personam. alioquin non tantum rem amittit: sed & in quadruplum conuenitur secundum constitutionem Seueri & Antonini Imp. & hoc ad procuratorem quoque Cæsaris pertinet. sed hoc ita se habet: nisi specialiter quibusdam hoc concessum sit.

XLVII. VLP IANVS lib. XXVIII. *ad Sabinum.*

**S**i aquæ ductus debeat prædio: ius aquæ ductus transit in emptorem, etiam si nihil dictum sit: sicut & ipsæ fistulæ, per quas aqua ducitur.

XLVIII. PAVLVVS lib. V. *ad Sabinum.*

**L**icet extra ædes sint.

XLIX. VLP IANVS lib. XXVIII. *ad Sabinum.*

**E**t quanquam ius aquæ non sequatur, quod amissum est: attamen fistulæ & canales dum sequuntur, quasi pars ædium ad emptorem perueniunt. & ita Pomponius libro decimo putat.

L. IDEM lib. XVII. *ad edictum.*

**L**abeo scribit. si mihi bibliothecam ita uendideris, si decuriones Campani locum mihi uendidissent, in quo eam ponerem: & per me stet, quo minus id à Campanis impetrem: non esse dubitandum, quin præscriptis uerbis agi possit. ego etiam ex uendito agi posse puto, quasi impleta conditione: cum per emptorem stet, quo minus impleatur.

LI. PAVLVVS lib. XXVIII. *ad edictum.*

**L**itora, quæ fundo uendito cõiuncta sunt, in modum agri non computantur: quia nullius sunt, & iure gentium omnibus uacant. sed nec uia publicæ, aut loca religiosa, uel sacra. itaque ut proficiant uenditori: caueri solet, uti uia, item litora, & loca publica in modum cedant.

LII. IDEM lib. LIII. *ad edictum.*

**S**enatus censuit, ne quis domum uillamue dirueret, quo plus sibi adquireretur, neue quis negociandi causa eorum quid emeret uendideretue: poena in eum, qui aduersus senatusconsultum fecisset, constituta, ut duplum eius, quanti emisset, in ærarium inferre cogere: in eum uero, qui uendidisset, ut irrita fieret uenditio. planè si mihi precium solueris, cum tu duplum ærario debeas: repetes à me, quod à mea parte irrita facta est uenditio. nec solum huic senatuscõsulto locus erit, si quis suam uillam uel domum, sed & si alienam uendiderit.

LIII. CAIVS lib. XXVIII. *ad edictum prouinciale.*

**V**tres emptoris fiat, nihil interest, utrum solutum sit precium, an eo

eo nomine fideiussor datus sit. quod autem de fideiussore diximus, plenius acceptum est. ut quacumque ratione uenditori de precio satisfactum est (ueluti ex promissore, aut pignore dato) perinde sit, ac si precium solutum esset.

LIIII. VLP IANVS lib. I. ad edictum edilium curulium.

**R**es bona fide uendita, propter minimam causam inempta fieri non debet.

LV. IDEM lib. II. ad edictum edilium curulium.

**N**uda & imaginaria uenditio pro non facta est. & ideo nec alienatio eius rei intelligitur.

LVI. IDEM lib. LX. ad edictum.

**S**i quis sub hoc pacto uendiderit ancillam, ne prostituere: et si contrafactum esset, ut liceret ei abducere: et si per plures emptores mancipium decurrit: ei, qui primo uendidit, abducendi potestas est.

LVII. PAVLVS lib. V. ad Plautium.

**D**omum emi, cum eam & ego, & uenditor combustam ignoraremus. Nerua, Sabinus, Cassius, nihil uenisse, quamuis area maneat: pecuniaque soluta condici posse, aiunt. sed si pars domus maneret: Neratius ait, in hac quaestione multum interesse, quanta pars domus incendio consumptae permaneat. ut siquidem amplior domus pars exusta sit: non tantum compellatur emptor perficere emptionem: sed etiam quod forte solutum est, ab eo repetat. Sin uero uel dimidia pars, uel minor, quam dimidia, exusta fuerit: tunc coartandus est emptor uenditionem adimplere, aestimatione boni uiri arbitrata habita: ut quod ex precio propter incendium decrescere fuerit inuentum, ab huius praestatione liberetur. Sin autem uenditor quidem sciebat domum esse exustam, emptor autem ignorabat: nullam uenditionem stare, si tota domus ante uenditionem exusta sit. Sin uero quantacumque pars aedificij remaneat: & stare uenditionem, & uenditorem emptori, quod interest, restituere. simili quoque modo ex diuerso tractari oportet, ubi emptor quidem sciebat, uenditor autem ignorabat. & hic enim oportet & uenditionem stare, & omne precium ab emptore uenditori, si non deorsum est, solui: uel si solutum sit, non repeti. quod si uterque sciebat & uenditor & emptor, domum esse totam exustam, uel ex parte: nihil actum fuisse, dolo inter utramque partem compensando: & iudicio, quod ex bona fide descendit, dolo ex utraque parte ueniente, uenditionem stare non concedente.

LVIII. PAPINIANVS lib. X. questionum.

**A**rboribus quoque uento deiectis, uel igne absumptis, dictum est, emptionem fundi non uideri esse contractam: si contemplatione illarum arborum (ueluti oliueti) fundus comparabatur: siue sciente, siue ignorante uenditore. siue autem emptor sciebat, uel ignorabat, uel uterque eorum: haec obtinent, quae in superioribus casibus de aedibus dicta sunt.

LL iij Celsus

LIX. CELSVS lib. VIII. *digestorum.*

**C**Vm uenderes fundum, non dixisti ITA VT OPTIMVS MAXIMVS QVE EST. uerum est, quod Quinto Mutio placebat: non liberum, sed qualis esset, fundum præstari oportere. idem & in urbanis prædijs dicendum est.

LX. MARCELLVS lib. V. *digestorum.*

**C**ompræhensum erat in lege uenditionis, dolia sexaginta emptori accessura. cum essent centum in uëditoris forte potestate, responsum est. daturum, quæ uellet.

LXI IDEM lib. VI. *digestorum.*

**E**xistimo posse me id, quod meum est, sub conditione emere: quia forte speratur meum esse desinere.

LXII. MODESTINVS lib. V. *responforum.*

**Q**ui officij causa in prouincia agit, uel militat: prædia cõparare in eadem prouincia non potest, \*(præterq̃ si paterna eius à fisco distrahantur) Qui nesciens loca sacra, uel religiosa, uel publica priuatis comparauit: licet emptio non teneat, ex empto tamen aduersus uenditorẽ experietur: ut cõsequatur, quod interfuit eius, ne deciperetur. Res auersione empta, uel si non dolo uenditoris factum sit, ad periculum emptoris pertinebit: etiam si adsignata non sit.

LXIII. IABOLENVS lib. III. *ex Casio.*

**C**Vm seruo dominus rem uendere certæ personæ iusserit: si alij uëdiderit, quàm cui iussus erat: uenditio non ualet. Idem iuris & in libera persona est: cum perfici uenditio non potuit in eius persona, cui dominus uenire eam noluit. Demonstratione fundi facta, confines nominari superuacuum est. \*si nominentur: etiam ipsum uenditorem nominari oportet, si forte aliũ agrum confinem possidet.

LXIII. IDEM lib. II. *ὑπόσολωπ.*

**F**Vndus ille est mihi & Titio emptus. quæro, utrum in partem, an in totum uenditio consistat, an nihil actum sit? respondit. personã Titij superuacuò accipiendã: ideoq̃ totius fundi emptionẽ ad me pertinere.

LXV. IDEM lib. XI. *ἐπισολωπ.*

**C**onuenit mihi tecum, ut certum numerum regularum mihi dares certo precio. quod ut faceres: utrum emptio est, an locatio? respondit. si ex meo fundo regulas tibi factas ut darem, conuenit: emptionem puto esse, non conductionem. toties enim conductio alicuius rei est, quoties materia, in qua aliquid præstatur, in eodem statu eiusdem manet. quoties uero & mutatur, & alienatur: emptio magis, quàm locatio intelligi debet.

LXVI. POMPONIVS lib. XXI. *ad Q. Mutium.*

In uen-

\*Hec in antiquis desunt. sed neq; Accursius habuit.

\*als, igit si nõ nominent.

**I**N uendendo fundo quædam, etiam si non condicantur, præstanda sunt: ueluti ne fundus euincatur, aut ususfructus eius. quædã ita demum, si condicta sunt: ueluti uiam, iter, actum, aquæductum præstaturi. Idem & in seruitutibus urbanorũ prædiorum. Si cũ seruitus uenditis prædijs deberetur, nec cõmemorauerit uenditor, sed sciens esse reticuerit: & ob id per ignorantiam rei, emptor non utendo per statutum tempus, eam seruitutẽ amiserit: quidã recte putant, uenditorem teneri ex empto ob dolum. Quintus Mutius scripsit. ruta cæsa ædium fundiue non sunt, nisi id scriptum est. nam ruta cæsa ea sunt, quæ neq; ædium, neq; fundi sunt.

LXVII. IDEM lib. XXX. ad Q. Mutium

**A**lienatio cũ fit, cũ sua causa dominium ad alium transferimus, quæ esset futura, si apud nos ea res mansisset. idq; toto iure ciuili ita se habet, præterquã si aliquid nominatim sit constitutum.

LXVIII. PROCVLVS lib. VI. ἐπισηλωρ.

**S**I cum fundum uenderes, in lege dixisses, quod mercedis nomine à cõductore exegisses, id emptori accessurum esse: existimo te in exigendo non solum bonam fidem, sed etiam diligentiam præstare debere: id est, nõ solum, ut à te dolus malus absit, sed etiã ut culpa\*. Ferẽ aliqui solent hæc uerba adijcere, DOLVS MALVS A' VENDITO RE ABERIT. qui tamẽ, & si adiectũ non est, abesse debet. Nec uidetur abesse, si per eum factum est, aut fiet, quo minus fundũ emptor possideat. erit ergo ex empto actio, non ut uenditor uacuum possessionem tradat: cum multis modis accidere potest, ne tradere possit: sed ut si quid dolo malo fecit, aut facit, dolus malus eius aestimetur.

LXIX. IDEM lib. VII. ἐπισηλωρ.

**R**utilia Palla emit lacum Sabatianensem anguillarum, & circa eum lacũ pedes decem. quæro, nunquid decem pedes, qui tunc accesserunt, sub aqua sint, quia lacus creuit: an proximi decem pedes ab aqua Rutiliæ Pallæ iuris sint? Proculus respondi. ego existimo eate nus lacum, quem emit Rutilia Palla uenisse, quatenus tunc fuit: & circa eum decem pedes, qui tunc fuerunt. nec ob eã rem, quod lacus postea creuit, latius eum possidere debere, quã emit.

LXX. LICINIUS RVFINVS lib. VIII. regularũ.

**L**iberi hominis emptionem contrahi posse pleriq; existimauerunt: si modo inter ignorantes id fiat. quod idem placet, etiam si uenditor sciat, emptor autem ignoret. quod si emptor sciens liberum esse, emerit: nulla emptio contrahitur.

LXXI. POPYRIVS IVSTVS lib. I. constitutionum.

**I**mpetratores Antoninus & Verus augusti \*Sexto Vero in hæc uerba rescri-  
 Alias\* Sex  
 ilio Nero  
 ni. alias  
 rescri-  
 Seuero.

rescripserunt. quibus mensuris aut precijs negociatores uina compararent, in contrahentiũ potestate est. neq; enim quisquam cogitur uendere, si aut precium, aut mensura ei displiceat: præsertim si nihil contra consuetudinem regionis fiat.

LXXII. PAPINIANVS lib. X. questionum.

**P**Acta conuenta, quæ postea facta detrahunt aliquid emptioni, contineri contractu uidentur, quæ uero adijciunt: credimus non inesse. quod locum habet in his, quæ adminicula sunt emptionis: ueluti ne cautio duplæ præstetur, aut ut cum fideiussore cautio duplæ præstetur. sed quo casu agente emptore non ualet pactũ: eodem uires habebit iure exceptionis agente ueditore. An idem dici possit, aucto postea, uel deminuto precio, non immerito quæsitũ est: quoniam emptionis substantia consistit ex precio. PAVLVVS NOTAT. si omnibus integris manentibus de augendo uel deminuendo precio rursus conuenit: recessum à priore contractu, & nouã emptionẽ intercessisse uideri.

\* Alids incipit hic nouum caput.

\* PAPINIANVS. lege uenditionis ita facta, SI QUID SACRI, AUT RELIGIOSI, AUT PVBLCI EST, EIVS NIHIL VENIT: si res non in usu publico, sed in patrimonio fisci erit: uenditio eius ualebit, nec uenditori proderit exceptio, quæ non habuit locum.

LXXIII. IDEM lib. III. responforum.

**A**Ede sacra terræ motu diruta, locus ædificij non est profanus: & ideo uenire non potest. Intra maceriam sepulchrorum hortis, uel cæteris culturis loca pura seruata, si nihil uenditor nominatim exceperit, ad emptorem pertinent.

LXXIII. IDEM lib. I. definitionum.

**C**lauius traditis, ita mercium in horreis reconditarum possessio tradita uidetur, si clauis apud horrea traditæ sunt. quo facto, confestim emptor dominium & possessionem adipiscitur, etsi non aperuerit horrea, quod si uenditoris merces nõ fuerint: confestim incohabit usucapio. LXXV. HERMOGENIANVS lib. II. iuris uero.

**Q**ui fundum uendidit, ut eum certa mercede conductum ipse habeat: uel si uendat, ut non alij, sed sibi distrahat: uel simile aliquid paciscatur: ad complendũ, quod pepigerunt, ex uendito agere poterit.

LXXVI. PAVLVVS lib. VI. responforum.

**D**olia in horreis defossa, si non sint nominatim in uenditione excepta, horreorũ uenditioni cessasse uideri. Eum, qui in locum emptoris successit, isdem defensionibus uti posse, quibus uenditor uti potuisset: sed & longæ possessionis præscriptione, si utriusq; possessio impleat tempora constitutionibus statuta.

LXXVII. IABOLENVS lib. III. ex posterioribus Labeonis.

In lege

**I**N lege fundi uendendi lapidicinæ in eo fundo, ubicumq; essent, exceptæ erant. post multû tēporis in eo fundo repertæ erant lapidicinæ. eas quoq; uenditoris esse Tubero respondit. Labeo. referre, quid actum sit. si non appareat: non uideri eas lapidicinas esse exceptas. nemi nem enim nec uendere, nec excipere, quod non sit: & lapidicinas nullas esse, nisi quæ appareant, & cædantur. aliter interpretâtibus totum fundam lapidicinarû fore: si forte in toto eo sub terra esset lapis. & hoc probo.

LXXVIII. LABEO lib. III. posteriorû à Laboleno epitomatorû.

**F**istulas emptori accessuras in lege dictum erat. quærebat, an castellum, ex quo fistulis aqua duceretur, accederet? respondit. apparere id actû esse, ut id quoq; accederet, licet scriptura non contineretur.

Fundum ab eo emisti, cuius filij postea tutelam administras, nec accepisti uacuum possessionem. dixit, te tradere tibi possessionē hoc modo posse: ut pupillus & familia eius decedat de fundo: tunc demû tu ingrediaris in possessionem. Qui fundum ea lege emerat, ut soluta pecunia traderetur ei possessio: duobus hæredibus relictis, decessit. si unus omnem pecuniam soluerit: partem familiæ erescundæ iudiciõ seruabit. nec si partem soluat, ex empto cum uenditore agat: quoniã ita contractum æs alienû diuidi non potuit. Frumenta, quæ in herbis erant, cum uendidisses: dixisti te, si quid ui aut tempestate factum esset, præstaturum. ea frumenta niues corruerunt. si immoderate fuerunt, & contra consuetudinem tempestatas: agi tecum ex empto poterit.

LXXIX. LABOLENVS lib. V. ex posterioribus Labeonis.

**F**undi partem dimidiam ea lege uendidisti, ut emptor alteram partē, quam retinebas, annis decem certa pecunia in annos singulos conductam habeat. Labeo & Trebatius negant posse ex uendito agi, ut id, quod conuenerit, fiat. ego contra puto: si modo ideo uilius fundum uendidisti, ut hæc tibi conductio præstaretur. nam hoc ipsum precium fundi uidetur, quod eo pacto uenditus fuerit: eoc; iure utimur.

LXXX. LABEO lib. V. posteriorû à Laboleno epitomatorû.

**C**um manu fata in uenditione fundi excipiuntur: non quæ in perpetuum fata sunt, excipi uidentur: sed quæ singulis annis seri solent, ita ut fructus eorum tollantur. nam aliter interpretâtibus, uites & arbores omnes exceptæ uidebuntur. Huius rei emptionem posse fieri dixi: scilicet, QUAE EX MEIS AEDIBVS IN TVAS AEDES PROIBCTA SVNT, VT EA MIHI ITA HABERE LICEAT: deq; ea re ex empto agi. Sylua cædua in quinquenniû uenierat. quærebat, cû glans decidisset, utrius esset? scio Seruiû respondisse: primû sequendû esse, quod appareret actû esse, quod si in obscuro esset: ut quæcûq; glans ex his arboribus, quæ cæse nõ essent, cecidisset: uenditoris esset. ea autē, quæ in

MM arbo

arboribus fuisset eo tempore, cum hæ caderentur: emptoris. Nemo potest uideri eam rem uendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem transeat: sed hoc aut locatio est, aut aliud genus contractus.

LXXXI. SCAEVOLA lib. VIII. *questionum.*

**T**itius cum mutuos acciperet tot aureos sub usuris, dedit pignori siue hypothecæ prædia, & fideiussorem Lucium: cui promisit, intra triennium proximum se eum liberaturum. quod si id non fecerit die supra scripta, & soluerit debitum fideiussor creditori: iussit prædia empta esse, quæ creditori obligauerat. Quæro, cum non sit liberatus Lucius fideiussor à Titio: an si soluerit creditori, empta haberet supra scripta prædia: respondendi. si non ut in causam obligationis, sed ut empta habeantur, sub conditione emptio facta est: & contractam esse obligationem. Lucius Titius promisit de fundo suo centum milia modiorum frumenti annua præstare pro prædijs Caij Seij. postea Lucius Titius uendit fundum, additis uerbis his: QVO IVRE, QVA QVE CONDITIONE EA PRAEDIA LVCII TITII HODIE SVNT, ITA VENEVNT, ITA QVE HABEBVNTVR. quæro, an emptor Caio Seio ad præstationem frumenti sit obnoxius: respondi, emptorem Caio Seio secundum ea, quæ proponerentur, obligatum non esse.

DE IN DIEM ADDICTIONE. Tit. II.

PAVLVS lib. V. *ad Sabinum.*



**I**n diem addictio ita fit, ille fundus centum esto tibi emptus: nisi si quis intra calendas Ianuarias proximas meliorem conditionem fecerit, quo res à domino abeat.

II. VLP IANVS lib. XXVIII. *ad Sabinum.*

**Q**uoties fundus in diem addicitur, utrum pura emptio est, sed sub conditione resoluitur: an uero conditionalis est magis emptio, quætionis est. & mihi uidetur uerius, interesse quid actum sit. nam si quidem hoc actum est, ut meliore allata conditione, discedatur ab emptio: erit pura emptio, quæ sub conditione resoluetur. sin autem hoc actum est, ut perficiatur emptio, nisi melior conditio adferatur: erit emptio conditionalis. ubi igitur, secundum quod distinximus, pura uenditio est: Iulianus scribit, huc, cui res in die addicta est, & usucapere posse, & fructus & accessiones lucrari, & periculum ad eum pertinere, si res interierit.

III. PAVLVS lib. V. *ad Sabinum.*

**Q**uoniam post interitum rei iam nec adferri possit melior conditio.

IIII. VLP IANVS lib. XXVIII. *ad Sabinum.*

**V**bi autem conditionalis uenditio est: negat Pomponius usucapere eum.

re eum posse; nec fructus ad eum pertinere. Item Iulianus libro decimo quinto quærit: si res in diem addicta interciderit, uel ancilla decesserit: an partus, uel fructus eius nomine addictio admitti possit? & negat admittendam additionem: quia alterius rei, quàm eius, quæ distracta est, non solet addictio admitti. Idem Iulianus eodem libro scribit. si ex duobus seruis uiginti uenditis, & in diem addictis, alter decesserit: deinde unius nomine, qui superest, emptor exstiterit, qui supra uiginti promitteret: an discedatur à priore contractu? & ait dissimile esse hanc speciem partus speciei. & ideo hic discedi à priore emptione, & ad secundam perueniri. Sed & Marcellus libro quinto digestorū scribit. pure uendito, & in diem addicto fundo, si melior conditio allata sit, rem pignori esse definere, si emptor eum fundum pignori dedisset. ex quo colligitur, quod emptor medio tempore dominus est. alioquin nec pignus teneret. Idem Iulianus libro quadragesimo octauo digestorū scribit: eum, qui emit fundum in diem addictum: interdicto *QVOD VI AUT CLAM* uti posse. nam hoc interdictum ei competit, cuius interest, opus non esse factum. Fundo autem (inquit) in diem addicto, & commodum, & incommodum omne ad emptorē pertinet, ante quàm uenditio transferatur. & ideo si quid tunc ui aut clam factum est (quamuis melior conditio allata fuerit) ipse utile interdictum habebit: sed eam actionem, sicut fructus (inquit) quos perceperit, uenditi iudicio præstaturus est.

Cum igitur tunc recedatur ab emptione, ubi pure contrahitur: uel tunc non impleatur, ubi sub conditione fit, cum melior conditio sit allata: si falsus emptor subiectus sit, eleganter scribit Sabinus, priori rem esse emptam: quia non uideatur melior conditio allata esse, nõ existente uero emptore. sed & si existat alius emptor, meliorem tamen conditionem non adferat: æque dicendum erit, perinde haberi, ac si non existeret. Melior aut conditio adferri uidetur, si precio sit additum. sed & si nihil precio addatur, solutio tamē offeratur facilius precij, uel maturior: melior conditio adferri uidetur. propterea si locus opportunior soluendo precio dicatur: æque melior conditio allata uidetur. & ita Pomponius libro quinto ad Sabinum scribit. idem ait. & si persona idoneior accedat ad emptionem, æque uideri meliorem conditionem allatam esse. proinde si quis accedat eiusdem precij emptor, sed qui leuiores emat conditionibus, uel qui satisfactionem nullam exigat: melior conditio allata uidebitur. ergo idē erit dicendū, etsi uiliore precio emere sit paratus: ea tamen remittat, quæ uenditori graua erant in priore emptione.

*POMPONIUS lib. V. ad Sabinum.*

**Q**uid enim ad utilitatē uenditoris pertinet, pro meliore conditione haberi debet.

MM ij Vlpia

## VI. VLP IANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

**I**tem quod dictum est, fructus interea captos emptorem priorem se qui: toties uerum est, quoties nullus emptor existat, qui meliorem conditionem adferat, uel falsus existat. si uero existit emptor posterior: fructus refundere priorē debere constat uenditori. & ita Iulianus libro quadragesimo octauo digestorū scripsit. Si quis existiterit, qui meliorem conditionē adferat: deinde prior emptor aduersus eum licitatus sit, & penes eum emptorē manserit: dubitari poterit, utrū fructus ipse habeat, quasi nulla meliore conditione allata: an uero uenditoris sint, licet eadem sit persona, quæ meliorem conditionem attulerit. quod ratio facere uideat. intererit tamen, quid acti sit. & ita Pōponius scribit.

## VII. POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.

**L**icet autem uenditori meliore allata conditione addicere posteriori: nisi prior paratus sit plus adijcere.

## VIII. IDEM lib. XXXIII. ad Q. Mutium.

**N**ecessē autē habebit uenditor, meliore cōditione allata, priorē emptorem certiorē facere, ut quod alius addidit, ipse quoq; adijcere possit.

## IX. VLP IANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

**S**abinus scripsit, licere uenditori meliorem conditionem oblatam sabijcere, & sequi primam quasi meliorem: & ita utimur. quid tamen, si hoc erat nominatim actum, ut liceret emptori resilire, meliore conditione allata: dicendum erit, dissolutam priorē emptionem, etiam si uenditor sequentem non admittat.

## X. IULIANVS lib. XIII. digestorum.

**S**ed et si proponatur à creditore pignus in diem additū: non potest uideri bona fide negotium agi, nisi additio recipiatur. quid ergo si inops est emptor, & impediendæ tantantūmodo uenditionis causa interuenit: potest creditor sine periculo priori emptori addicere.

## XI. VLP IANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

**Q**uod autem Sabinus scribit: fundum in diem addici rursus non posse, qui semel fuerit in diem additus: ratione eiusmodi defendit. quia prioris (inquit) emptoris statim sit: scilicet quasi non uideatur melior conditio allata, si non secure secundo emptori fundus additur: sed alia licitatio prospicitur. sed Iulianus libro decimotertio digestorum scripsit, interesse multum, quid inter cōtrahentes actum sit: nec impedire quidcūq; uel hoc agi, ut sæpius collocetur: dū uel prima, uel secunda, uel tertia additione res à uenditore disteat. Item quod Sabinus ait: si tribus uendentibus duo posteriori addixerint, unus non admiserit additionē, huius partem priori emptori, duorum posteriori emptam: ita demum uerū est, si uarijs precijs partes suas distraxerunt.

Pompo-

**E**T si dispartes partes uendentium fuerint.

XII. POMPONIVS lib. VIII. ad Sabinum.

XIII. VLP IANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

**Q**UOD si uno precio uendiderint: dicendum est, totam priori emptam manere: quemadmodum si quis mihi totum fundum ad diem addixisset, postea uero adiecto precio dimidiū alij addiderit. Celsus quoq; libro octauo digestorum refert Mutium, Brutum, Labeonē, Sabinum ita existimasse: ipse quoq; Celsus idem probat. & adijcit. mirari se à nemine animaduersum, si prior emptor ita contraxit, ut nisi totum fundum, emptum nollet habere: non habere eum, ne eam quidem partem emptam, quam unus ex socijs posteriori emptori addicere noluit. Verum est autem, uel unum ex uenditoribus posse meliorem adferre conditionem. emere enim cum tota re etiam nostram partem possumus.

XIII. PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

**S**I uenditor simulauerit meliorem cōditionem allatam, cum minoris, uel etiam tantidem alij uenderet: utriq; emptori in solidum erit obligatus. Sed si emptor alium non idoneum subiecit, eiq; fundus addictus est: non uideo (inquit) quemadmodum priori sit emptus, cum alia uenditio & uera postea subsecuta sit. Sed uerum est, uenditorem de ceptum ex uendito actionem habere cum priore emptore, quanti sua intersit, id non esse factum. per quā actionem & fructus, quos prior emptor perceperat, & quod deterior res culpa uel dolo malo eius facta sit, recipiet uenditor. & ita Labeoni & Neruæ placet. sed si neuter subiecit emptorem, maiore autem precio addictum est prædium ei, qui soluitur non esset: abiturum est à priore emptione, quia ea melior intelligitur, quam uenditor comprobauit, cui licuit non addicere. Sed et si pupillus postea sine tutoris autoritate pluri emerit, consentiente uenditore: abiturum est à priore emptione. idem & in seruo alieno. aliter atq; si seruo suo uel filio, quem in potestate habeat, uel domino rei per errorem id addixerit: quia non est emptio his casibus. quod si alieno seruo, quē putauerit liberum esse, addixerit: contra se habebit. erit enim is egeni emptori similis, qui meliorem conditionem attulerit. Præter corpus nihil sequitur, quod uenerit. non tamen ideo, si tantundem precium alius det: hoc ipso, quod fructus eum non sequuntur, qui secuturi essent priorem emptorem, melior conditio uidetur allata: quia non id agitur inter emptorem & uenditorem.

XV. POMPONIVS lib. VIII. ad Sabinum.

**S**I prædium in diem adiecto, ante diem uenditor mortuus sit: siue post diem hæres ei existat, siue omnino non existat: priori emptori præ-

MM iij dium

dium emptum est: quia melior conditio allata, quæ domino placeat, intelligi non potest, cum is qui uendat, non existat. quod si intra diem additionis hæres existat: melior conditio ei adferri potest. Si fundus in diem addictus fuerit pluris, ut quædam ei accedant, quæ non accesserint priori emptori: si non minoris sint hæ res, quæ quo pluris postea fundus uenierit: uenditio prior ualet, quasi melior conditio allata non sit. si minoris: non. Idemque existimandum est, si dies longior precij solui data fuerit: ut quærat, quantum ex usura eius temporis capi poterit.

XVI. VLP IANVS lib. XXXII. ad edictum.

Imperator Seuerus rescripsit. Sicut fructus in die addictæ domus, cum melior conditio fuerit allata, uenditori restitui necesse est: ita rursus, quæ prior emptor medio tempore necessario probauerit erogata, de re ditu retineri: uel si non sufficiat, solui æquum est. & credo sensisse priorem de empti & uenditi actione.

XVII. IULIANVS lib. XIII. digestorum.

Cum duo serui duobus separatim denis in diem addicti sint, & existiterit, qui pro utroque triginta det: refert unius precio decem, alii singulorum quina adijciat. secundum superiorem adiectionem is seruus inemptus erit, cuius precio adiectio facta fuit: secundum posteriorem, uterque ad posteriorem emptorem pertinebit. quod si incertum sit, an ad utriusque precium addiderit: à priore emptione non uideatur esse discessum.

XVIII. AFRICANVS lib. III. questionum.

Cum in diem duobus socijs fundus sit addictus: uno ex his precium adijciente, etiã pro ipsius parte à priore uenditione discedi rectius existimatur.

XIX. IABOLENVS lib. II. ex Cassio.

Fundo in diem addicto, si postea precium additum sit, & uenditor alio fundo applicato, eum ipsum fundum posteriori emptori addiderit, & id sine dolo malo fecerit: priori emptori obligatus non erit. nam quis non id tantum, quod in diem additum erat, sed aliud quoque cum eo uenierit: tamen si uenditor dolo caret, prioris emptoris causa absoluta est. id enim solû intuentum est an priori uenditori bona fide facta sit adiectio.

XX. PAPIANVS lib. III. responsorum.

Prior emptor post meliorem conditionem allatam, ob pecuniam in exordio uenditori de precio solutam, contra secundum emptorem, citra delegationem iure stipulationis interpositam, agere non potest.

## DE LEGE COMMISSORIA.

Tit. III.

Vlpia

VLPIANVS *lib. XXXII. ad edictum.*

**S**I fundus commissoria lege uenierit: magis est, ut sub conditione resolui emptio, quam sub conditione contrahi uideatur.

II. POMPONIVS *lib. VIII. ad Sabinum.*

**C**VM uenditor fundi in lege ita cauerit, SI AD DIEM PECUNIA SOLVTA NON ERIT, FUNDVS INEMPTVS SIT: accipi inemptum esse fundum, si uenditor eum inemptum esse uoluit: quia id uenditoris causa caueretur. nam si aliter acciperetur: exusta uilla, in potestate emptoris futurum, ut non dando pecuniam inemptum faceret fundum, qui eius periculo fuisset.

III. VLPIANVS *lib. XXXII. ad edictum.*

**N**AM legem commissoriam, quæ in uenditi onibus adijcitur, si uolet, uenditor exercebit, non etiam inuitus.

III. IDEM *lib. XXXV. ad edictum.*

**S**I fundus lege commissoria uenierit, hoc est, ut nisi intra certum diem precium exsolutum sit, inemptus fiat: uideamus, quem modum uenditor agat tam de fundo, quam de his, quæ ex fundo percepta sunt: itæque si deterior fundus effectus sit facto emptoris, & quæque finita est emptio, sed iam decisa quæstio est, ex uendito actionem competere, ut rescripto imperatoris Antonini & diui Veri declaratur. Sed quod ait Neratius, habet rationem: ut interdum fructus lucretur, cum precium, quod numerauit, perdidit. igitur sententia Neratij tunc habet locum (quæ est humana) quando emptor aliquam partem precij dedit. Eleganter Papinianus libro tertio responforum scribit, statim atque commissoria lex est, statuere uenditorem debere: utrum commissoriam uelit exercere, an potius precium petere. nec posse, si commissoriam elegit, postea uariare. In commissoria etiã hoc solet conuenire: ut si uenditor eundem fundum uenderet, quanto minoris uendiderit, id à priore emptore exigat. erit itaque aduersus eum ex uendito actio. Marcellus libro uicesimo dubitat, commissoria utrum tunc locum habeat, si interpellatus non soluat: an uero si non obtulerit: & magis arbitrator offerre eum debere, si uult se legis commissoriae potestate soluere. quod si non habet, cui offerat: posse securum esse.

V. NERATIUS *lib. V. in membranarum.*

**L**EGE fundo uendito dicta, ut si intra certum tempus precium solutum non sit, res inempta esset: de fructibus, quos interim emptor percepisset, hoc agi intelligendum est: ut emptor interim eos sibi suoque iure percipiat. sed si fundus reuenerit: Aristo existimabat, uenditori de his iudicium in emptorem dandum esse: quia nihil penes eum residere oporteret ex re, in qua fidem fefellerat.

Scauo

VI. SCAEVOLA lib. II. *responsorum.*

**D**E lege commissoria interrogatus, ita respondit. si per emptorem factum sit, quo minus legi pareretur, & ea lege uti uenditor uelit: fundos inemptos fore, & id quod arræ uel alio nomine datum esset, apud uenditorem remansurum. Idem respondit. si ex lege inempti sint fundi: nec id, quod accessurum dictum est, emptori deberi. Post diem lege commissoria compræhensum, uenditor partem reliquæ pecuniæ accepit. respondit. si post statutum diem reliquæ pecuniæ uenditor legem dictam non exercuisset, sed partem reliqui debiti accepisset: uideri recessum à commissoria.

VII. HERMOGENIANVS lib. II. *iuris uero*

**P**ost diem commissoriæ legi præstitutum, si uenditor precium perdat: legi commissoriæ renunciatur uideatur, nec uariare, & ad hanc redire potest.

VIII. SCAEVOLA lib. VII. *digestorum.*

**M**ulier fundos Caio Seio uendidit, & acceptis arræ nomine certis pecunijs, statuta sunt tempora solutionis reliquæ pecuniæ: quibus si non paruisset, emptor pactus est, ut arram perderet, & inemptæ uillæ essent. die statuto emptor testatus est, se pecuniam omnem reliquam paratum fuisse exsoluere, & sacculum cum pecunijs signatorum signis obsignasse, defuisse autem uenditricem. posteriore autem die nomine fisci testato conuentus emptor est, ne ante mulieri pecuniam exsolueret, quam fisco satisfaceret. quæsitum est, an fundi non sint in ea causa, ut à uenditrice uindicari debeant ex conuentione uenditionis: respondit. secundum ea, quæ proponerentur, non commississe in legem uenditionis emptorem.

## DE HAEREDITATE VEL ACTIONE

uendita.

Tit. III.

POMPONIVS lib. IX. *ad Sabinum.*

**S**i hæreditas uenierit eius, qui uiuat, aut nullus sit: nihil esse acti, quia in rerum natura non sit, quod uenierit.

II. VLPIANVS lib. III. *ad Sabinum.*

**V**enditor hæreditatis satisfacere de euictione non debet: cum id inter euentum & uendentem agatur, ut neque amplius, neque minus iuris emptor habeat, quam apud hæredem futurum esset. plane de facto suo uenditor satisfacere cogendus est. In hæreditate uendita utrum ea quantitas spectatur, quæ fuit mortis tempore: an ea, quæ fuit, cum adiretur hæreditas: an ea, quæ fuit, cum hæreditas uendicaretur, uidendum erit. & uerius est, hoc esse seruandum, quod actum est. plerumque autem hoc

hoc agi uideatur, ut quod ex hæreditate peruenit in id tempus, quo uenditio fit: id uideatur uenisse. Illud potest quæri: si etiã impuberi sit substitutus is, qui uendidit hæreditatem testatoris: an id etiã, quod ex impuberis hæreditate ad eum, qui uendidit hæreditatem, peruenit: ex empto actioni locum faciat: & magis est, ne ueniat: quia alia hæreditas est. licet enim unum testamentum sit: alia tamen, atq; alia hæreditas est. planè si hoc actum sit: dicèdum erit, etiam impuberis hæreditatem in uenditionem uenire: maxime si iam ei delata impuberis hæreditate, uenierit hæreditas. Peruenisse ad uenditorem hæreditatis quo modo uideatur, quæritur: & ego puto, ante quidem, quàm corpora rerum hæreditariarum nactus uenditor fuerit: hætenus peruenisse ad eum uideri, quatenus mandare potest earum rerù persecutionem, actionesq; tribuere. enim uero ubi corpora nactus est, uel debita exegit: pleniùs ad eum uideri peruenisse. Sed & si rerum uenditarum ante hæreditatè uenditam precia fuerit consecutus: palam est, precia rerum ad eum peruenisse. Illud tenendum est: cum effectu uideri peruenisse, non prima ratione. idcirco quod legatorum nomine quis præstitit, non uideatur ad eum peruenisse. sed & si quid alieni æris est, uel cuius alterius oneris hæreditarij: peruenisse merito negabitur. sed & rerum ante uenditionem donatarum precia præstari, æquitatis ratio exigit. Non tantum autem quod ad uenditorem hæreditatis, sed & quod ad hæredem eius ex hæreditate peruenit, emptori restituendum est. & nõ solum quod iam peruenit, sed & quod quandoq; peruenerit, restituendũ est. sed & si quid dolo malo eorum factum est, quo minus peruenerit ad eos: & hoc emptori præstandum est. fecisse autem dolo malo, quo minus perueniat, uidet: siue alienauit aliquid, uel etiã acceptò què liberauit: siue egit dolo malo, ne de hæreditate acquireretur, uel ne possessionem adipisceretur, quam posset adipisci. sed & si non dolo malo, sed lata culpa \*ami \*aliàs. ad miserit. ferit aliquid: utiq; tenebitur. deperdita autè & deminuta sine dolo malo uenditoris, non præstabuntur. Illud quæsitum est: an uenditor hæreditatis ob debitũ à filio suo, qui in potestate eius esset, seruoũe, ei, cuius hæreditatem uendidisset: præstare debeat emptori? & uisum est, quidquid duntaxat de peculio filij seruiũe, aut in suam rem uersum inueniatur, præstare eum debere. Solet quæri: an etiam si quid lucri occasione hæreditatis uenditor senserit, emptori restituere id debeat? & est apud Iulianum quæstio hæc tractata libro sexto digestorũ. & ait. quod non debitum exegerit, retinere hæredem: & quod non debitum soluerit, non reputare. nam hoc seruari, ut hæres emptori non præstet, quod non debitum exegerit: neq; ab eo consequatur, quod non debitum præstiterit. Si autem condemnatus præstiterit: hoc solum hæredi sufficit,

esse se condemnatum sine dolo malo suo: etiam si maxime creditor non fuerit is, cui condemnatus est hæres. quæ sententia mihi placet.

Non solum autem hæreditarias actiones, sed etiã eas obligationes, quas ipse hæres constituit, dicendum erit præstare emptori eum debere. itaq; & si fideiussorẽ acceperit ab hæreditario debitore: ipsam hanc actionem, quam habet hæres, præstare debet. sed & si nouauerit, uel in iudicium deduxerit actionem: præstare debet emptori hanc ipsam actionem, quam nactus est. Sicuti lucrum omne ad emptorem hæreditatis respicit: ita damnum quoq; debet ad eundẽ respicere. Deniq; si rem hæreditariam hæres uendiderit, ac per hoc fuerit cõdemnatus; non habet contra emptorem actionem: quia non ideo condemnatur, quod hæres sit, sed quod uendiderit. sed si præcium rei distractæ emptori hæreditatis dedit: uideamus, an locus sit ex uendito actioni. & puto locum esse. Siue ipse uenditor dederit aliquid pro hæreditate, siue procurator eius, siue alius quis pro eo, dum negotium eius gerit: locus erit ex uendito actioni, dummodo aliquid absit uenditori hæreditatis. cæterum si nihil absit uenditori: consequens erit dicere, nõ competere ei hanc actionem. Apud Iulianum scriptum est. si uenditor hæreditatis exceperit seruum sine periculo, & eius nomine cum eo fuerit actus de peculio, & in rem uerso: id duntaxat eum consequi, quod præstiterit eius peculij nomine, quod emptorem sequi debet, aut quod in rem defuncti uersum est. his enim casibus æs alienũ emptoris soluit: ex ceteris causis suo nomine condemnatur. quid ergo si seruum cum peculio exceperit uenditor hæreditatis, conuentusq; de peculio præstiterit? Marcellus libro sexto digestorum, non petere eum scripsit: si modo hoc actum est, ut quod superfuisset ex peculio, hoc haberet. at si contra actum est: recte petere eũ posse ait. si uero nihil expressim inter eos conuenit, sed tantummodo peculij mentio facta est: cessare ex uendito actionem constat. Si uenditor hæreditatis ædes sibi exceperit, quarum nomine damni infecti promissum fuerat: interest, quid acti sit. nã si ita exceperit, ut damni quoq; infecti stipulationis onus sustineret: nihil ab emptore consequeretur. Si uero id actum erit, ut emptor hoc æs alienũ exsoluat: ad illum onus stipulationis pertinebit. si non apparebit, quid acti sit: uerisimile erit, id actum, ut eius quidem damni nomine, quod ante uenditionem datum fuerit, onus ad emptorem, alterius temporis ad hæredem pertineat. Si Titius Mæuij hæreditatẽ Seio uendiderit, & à Seio hæres institutus, eam hæreditatem Attio uendiderit: an ex priore uenditione hæreditatis cum Attio agi possit? & ait Iulianus, quod uenditor hæreditatis petere à quolibet extraneo hærede potuisset, id ab hæreditatis emptore consequitur. & certe si Seio alius hæres extitisset

tisset: quidquid uenditor Mæuianæ hæreditatis nomine præstitisset, id ex uendito actione consequi ab eo potuisset. nam & si duplam hominis à Seio stipulatus fuisset, & hæres ei extitisset, eamq; hæreditatem Attio uendidisset: eucto homine, rē ab Attio seruarē. Si quid publici uectigalis nomine præstiterit uenditor hæreditatis: consequens erit dicere, agnoscere emptorem hoc debere. nanq; hæreditaria onera hæc sunt. & si forte tributorum nomine aliquid dependet: idem erit dicendum. Quid si funere facti, hæres uendiderit hæreditatem: an impensam funeris ab emptore cōsequatur: & ait Labeo, emptorē impensam funeris debere præstare: quia & ea (inquit) impensa hæreditaria sit. cuius sententiam & Labolenus putat ueram, & ego arbitror. Cum quis debitori suo hæres extiterit: confusione creditor esse desinit. sed si uendiderit hæreditatem: æquissimum uidetur emptorē hæreditatis uicem hæredis obtinere: & idcirco teneri uenditori hæreditatis. (siue cum moritur testator, debuit, quamuis post mortem debere desijt, adita à uenditore hæreditate: siue quid in diem debebatur: siue sub conditione, & postea conditio extitit.) ita tamen, si eius debiti aduersus hæredem actio esse poterat: ne forte etiam ex his causis, ex quibus cum hærede actio non est, cum emptore agatur. Et si seruitutes amisit hæres institutus, adita hæreditate: ex uendito poterit experiri aduersus emptorem, ut seruitutes ei restituantur. Sed & si quidem uenditor nondum præstiterit, sed quoquo nomine obligatus sit propter hæreditatem: nihilominus agere potest cum emptore.

III. POMPONIVS lib. XXVII. ad Sabinum.

**S**I uenditor hæreditatis exactam pecuniam sine dolo malo uel culpa perdidisset: non placet eum emptori teneri.

IIII. VLPIANVS lib. XXXII. ad edictum.

**S**I nomen sit distractum: Celsus libro nono digestorum scribit, locupletem esse debitorem non debere præstari: debitorem autem esse præstari, nisi aliud conuenit.

V. PAVLVS lib. XXXIII. ad edictum.

**E**T quidem sine exceptione quoq; nisi in contrarium actum sit. sed si certæ summæ debitor dictus sit: in eam summā tenetur uenditor. si incertæ, & nihil debeat: quanti intersit emptoris.

VI. IDEM lib. V. questionum.

**E**Mptori nominis etiam pignoris persecutio præstari debet. eius quoq; quod postea uenditor accepit. nā beneficiū uenditoris pdest emptori.

VII. IDEM lib. XIII. ad Plautium.

**C**um hæreditatem aliquis uendit: esse debet hæreditas, ut sit emptio. nec enim alea emitur, ut in uenatione, & similibus: sed res,

NN ij quæ

quæ si non est, non contrahitur emptio: & ideo precium condicetur.

VIII. IABOLENVS lib. II. ex Plautio.

**Q**uod si nulla hæreditas ad uenditorem pertinuit: quantum emptori præstare debeat, ita distingui oportebit: ut si quidem est aliqua hæreditas, sed ad uenditorem non pertinet: ipsa æstimerur. si nulla est, de qua actû uideatur: hic uero (quia uenditio non ualet) præciû dum taxat, & si quid in eam rē impensum est, emptor à uenditore cōsequat̃.

IX. PAVLVS lib. XXXIII. ad edictum.

**E**T si quid emptoris interest.

X. IABOLENVS lib. II. ex Plautio.

**Q**uod si in uenditione hæreditatis id actum est: si quid iuris esset uenditori, uenire, nec postea quidquam præstitum iri: quamuis ad uenditorē hæreditas non pertinuerit, nihil tamen præstabitur: quia id actum esse manifestum est, ut quemadmodû emolumentum negociationis, ita & periculum ad emptorem pertineret.

XI. VLPPIANVS lib. XXXII. ad edictum.

**N**am hoc modo admittitur esse uenditionē, si quasi hæreditas tibi emptæ est, aut quasi spes hæreditatis: ut ipsum incertum rei ueneat, sicut in retibus.

XII. CAIUS lib. X. ad edictum prouinciale.

**H**oc autem sic intelligendum est: nisi sciens ad se non pertinere ita uendidit, nam tunc ex dolo tenebitur.

XIII. PAVLVS lib. XIII. ad Plautium.

**Q**uod si sit hæreditas: & si non ita conuenit, ut quidquid iuris haberet uenditor, emptor haberet: tamen hæredē se esse præstare debet. illo uero adiecto: liberat̃ uenditor, si ad eū hæreditas nō prineat.

XIII. IDEM lib. XXXIII. ad edictum.

**Q**ui filij familias nomina uendidit, actiones quoq; quas cum patre habet, præstare debet. Si hæreditas ueneat: uenditor res hæreditarias tradere debet, quanta autem hæreditas est, nihil interest.

XV. CAIUS lib. X. ad edictum prouinciale.

**N**isi de substantia eius adfirmauerit.

XVI. PAVLVS lib. XXXIII. ad edictum.

**S**i quasi hæres uendideris hæreditatē, cū tibi ex senatusconsulto Trebelliano restituta esset hæreditas: quanti interfit emptoris, teneberis.

XVII. VLPPIANVS lib. XLIII. ad edictum.

**N**omina eorum, qui sub conditione, uel in diem debent: & emere, & uendere solemus, ea enim res est, quæ emi & uenire potest.

XVIII. ALFENVS lib. V. digestorum.

**S**i ex pluribus hæredibus unus ante, quam ceteri adirent hæredita-

tem,

rem, pecuniam, quæ sub pœna debebatur à testatore, omnem soluerit, & hæreditatem uendiderit: nec à cohæredibus suis propter egestatem eorum quidquam seruare poterit: cum emptore hæreditatis, uel ex stipulatu, uel ex uendito recte experietur. omnem enim pecuniam hæreditario nomine datam, eo manifestius est, quod in iudicio familiæ exciscundæ deducitur: per quod nihil amplius unusquisq; à cohæredibus suis consequi potest, quàm quod tanquam hæres impenderit.

XIX. IDEM lib. XXV. digestorum.

**M**ultum interest, sub cõditione aliqua obligatio ueneat: an cum ipsa obligatio sub conditione contracta sit, pure ueneat. priore casu, deficiente cõditione, nullam uenditionē: posteriore, statim uenditionem consistere: nam si Titius tibi decē aureos sub conditione debeat, & ego abs te nomen eius emam: confestim ex empto & uendito agere poterò, ut uel acceptum ei facias.

XX. AFRICANVS lib. VII. questionum.

**S**i hæreditatem mihi uendideris Lucij Titij, ac post debitori eiusdem hæres existas: actione ex empto teneberis. quod simplicius etiã in illa propositione procedit, cum quis ipse creditori suo hæres extiterit, & hæreditatem uendiderit.

XXI. PAVLVS lib. XIII. questionum.

**V**enditor ex hæreditate interposita stipulatione, rem hæreditariam persecutus, alij uendidit. quæritur, quid ex stipulatione præstare debeat: nã bis utiq; non cõmittitur stipulatio, ut & rem & preciũ debeat. Et quidem si postea, quàm hæres rem uendidit, intercessit stipulatio: credimus precium in stipulationē uenisse. quod si antecessit stipulatio, deinde rem nactus est: tunc rem debeat: si igitur hominē uendiderit, & is decesserit: an precium eiusdem debeat: non enim deberet Stichi promissor ( si eum uendidisset ) mortuo eo, si nulla mora præcessisset. sed ubi hæreditatem, & postea rem ex ea uendidi: potest uideri, \*ut tam ipsius negotium agam, quàm hæreditatis. sed hoc in re singulari non potest dici. nam si eundē hominē tibi uendidero, & necdum ipsius negotio tradito eo, alij q; uendidero, preciũq; accepero: mortuo eo, uideamus, *cũ potius ne nihil tibi debeã ex empto, qui moram in tradendo nõ feci. precium agam.* em̄ hominis uenditi non ex re, sed ppter negociationē percipitur: & sic fit, quasi alij non uendidissem. tibi em̄ rē debebã, non actionē. At cū hæreditas uenit: tacite hoc agi uidetur, ut si quid tanq; hæres feci, id præstem emptori, quasi illius negotium agam: quemadmodũ fundi uenditor \*fructus præstaret bonæ fidei ratione: quamuis si neglexisset. ut *\*aliã, fru-* alienum, nihil ei imputari possit: nisi si culpa eius argueretur. Quid si *stui præsta-* rem, quam uendidi, alio possidente petij, & litis æstimationem acce- *ret bona fi-* **NN** iij *pi: de rationē.*

pi: utrum precium illi debeo, an rem: utiq; rem non enim actionem ei, sed rem præstare debeo. sed si aut ui deiectus, uel propter furti actione duplum abstulero: nihil hoc ad emptorẽ pertinebit. nam si sine culpa delinq; possidere uenditor: actiones suas præstare debebit, non rem, & sic nec æstimatione quoq; nam & aream tradere debet ex usto ædificio.

als\* deest  
negatio.

XXII. SCAEVOLA lib. II. *responsorum.*

**H**Aereditatis uenditæ precium pro parte accipi. reliquum emptore non solvente, quæsitum est, an corpora hæreditaria pignoris nomine teneantur: respondit. nihil proponi, cur non teneantur.

XXIII. HERMOGENIANVS lib. II. *iusis*  $\omega\pi\tau\omicron\mu\omicron\upsilon\mu$ .

**V**enditor actionis, quam aduersus ipsum principale reum habet: omne ius, quod ex ea causa ei competit, tam aduersus ipsum reum, quam aduersus intercessores huius debiti, cedere debet: nisi aliud actum est. Nominis uenditor quidquid uel compensatione, uel exactione fuerit consecutus, in integrum emptori restituere cõpellitur.

XXIII. LABEO lib. III. *posteriorũ à Laboleno epitomatorũ.*

**H**Aereditatem Cornelij uendidisti. deinde Titius, cui à te hæredes Cornelius legauerat, priusquam legatum ab emptore perciperet, te fecit hæredẽ. recte puto ex uendito te acturum, ut tibi præstetur: quando eò minus hæreditas uenierit, ut id legatũ præstaret emptor: nec quidquam interfit, utrum Titio, qui te hæredem fecerit, pecunia debita sit, an legatario.

XXV. IDEM lib. II.  $\pi\theta\lambda\alpha\upsilon\omega\mu$ .

**S**I excepto fundo hæreditatio ueneat hæreditas, deinde eius fundi nomine uenditor aliquid adquisierit: debet id præstare emptori hæreditatis. PAVLVS. imò semper quæritur in ea re, quid actum fuerit, si autem id non apparebit: præstare eã rem debet emptori uenditor. nam id ipsum ex ea hæreditate ad eum peruenisse uidebitur: nõ secus, ac si eum fundũ in hæreditate uendenda nõ excepisset.

### DE RESCINDENDA VENDITIONE, ET quando nõ liceat ab emptione discedere. Tit. V.

POMPONIVS lib. XV. *ad Sabinum.*



Elfus filius putabat: si uendidisset mihi filiusfamilias rem peculiarem, & conueniat, ut abeat ab ea uenditione: inter patrem, & filium, & me conuenire debere: ne si cũ patre solo pactus sim, filius non possit liberari. Sed quæritur, utrum ne nihil agatur ex ea pactione: an uero ego quidem liberer, filius maneat obligatus: sicuti & si pupillus sine tutoris auctoritate

thoritate paciscatur, ipse quidem liberatur, non etiam qui cum eo pactus est: nam quod Aristo dixit, posse ita pacisci, ut unus maneat obligatus, non est uerum: quia pro una parte contrahentium abiri pacto ab emptione non potest. & ideo si ab una parte renouatus sit contractus: dicitur non ualere eiusmodi pactionem. sed dicendum est, patre paciscente, & liberato aduersario, filium quoque obiter liberari.

II. IDEM *lib. XXIII. ad Sabinum.*

**S**Iquam rem à te emi, eandem rursus pluris minorisue emero: discessimus à priore emptione. potest enim, dum res integra est, conuentione nostra infecta fieri emptio: atque ita consistit posterior emptio, quasi nulla præcesserit. sed non poterimus eadem ratione uti post precium solutum, emptione repetita: cum post precium solutum infectam emptionem facere non possimus.

III. PAVLVVS *lib. XXXIII. ad edictum.*

**E**mptio & uenditio, sicut consensu contrahitur, ita contrario consensu resoluitur, antequam res fuerit secuta. ideoque quæsitum est, si emptor fideiussorem acceperit, uel uenditor stipulatus fuerit: an nuda uoluntate resoluatur obligatio: Iulianus scripsit, ex empto quidem agi non posse: quia bonæ fidei iudicio exceptiones pacti insunt. an autem fideiussori utilis sit exceptio, uideendum est. & puto, liberato reo, & fideiussorem liberari. item uenditorem ex stipulatu agentem exceptione submoueri oportet. idemque iuris est, si emptor quoque res in stipulatione deduxerit.

III. IDEM *lib. VIII. digestorum Iuliani notat.*

**S**i emptio contracta sit, togæ (puta) aut lancis, & pactus sit uenditor, sicut alterutrius emptio maneat: puto resolui obligationem huius rei nomine duntaxat.

V. IULIANVS *lib. XV. digestorum.*

**C**um emptor uenditori, uel uenditor emptori acceptum facit: uoluntas utriusque ostenditur id agentis, ut à negotio discedatur: & perinde habetur, ac si conuenisset inter eos, ut neuter ab altero quidquam peteret. sed (ut euidentius appareat) acceptilatio in hac causa non sua natura, sed potestate conuentionis ualet. Emptio nuda conuentione dissoluitur, si res secuta non fuerit. mortuo autem homine perinde habenda est uenditio, ac si traditus fuisset: ut puta cum uenditor liberetur, & emptori homo pereat. quare nisi iusta conuentio interuenerit: actiones ex empto & uendito manebunt.

VI. PAVLVVS *lib. II. ad edictum.*

**S**i conuenit, ut res, quæ uenit, si intra certum tempus displicuisset, redderetur: ex empto actio est (ut Sabinus putat) aut proxima empti actioni in factum datur.

Idem

VII. IDEM lib. V. *questionum.*

**S**id, quod pure emi, sub conditione rursus emam: nihil agitur posteriore emptione. Si pupilli persona interueniat, qui ante sine tutoris autoritate, deinde tutore auctore emit: quamuis ueditor iam ei obligatus fuerit: ramen quia pupillus non tenebatur, renouata uenditio efficit, ut inuicem obligati sint. quod si ante tutoris autoritas interuenit, deinde sine tutore auctore emit: nihil actum est posteriore emptione. item potest quari. & si sine tutoris autoritate pactus fuerit, ut discedatur ab emptione: an perinde sit, atq; si ab initio sine tutoris autoritate emisset: ut scilicet ipse non teneatur, sed agente eo retentiones competant? sed nec illud sine ratione dicetur, quum initio recte emptio sit contracta: uix bonae fidei conuenire, eo pacto stari, quod alteri captio sum sit: & maxime, si iusto errore sit deceptus.

VIII. SCAEVOLA lib. II. *responforum.*

**T**itius Seij procurator, defuncto Seio, ab eo scriptus haeres: cum ignoreret, fundum uendente seruo hereditario, quasi procurator subscripsit. quaesitum est, an cognito eo, prius quam emptio perficeretur, uenditione discedere possit? respondit. Titium, si non ipse uendidit, non idcirco actionibus civilibus teneri, quod seruo uendente subscriperat: sed serui nomine praetoria actione teneri.

IX. IDEM lib. III. *digestorum.*

**F**undus, qui Lucij Titij erat, ob uectigal reipublicae uenit. sed cum Lucius Titius debitor professus esset, paratum se esse uectigal exsoluere solidum: cum minoris uenisset fundus, quam debita summa esset: praeses provinciae rescidit uenditionem, eumq; restitui iussit Lucio Titio. quaesitum est, an post sententiam praesidis, ante quam ei restituere tur, in bonis Lucij Titij fundus emptus esset? respondi. non prius, quam emptori precium esset illatum: uel si precium nondum esset ab emptore solutum, in uectigal satisfactum esset.

X. IDEM lib. VI. *digestorum.*

**S**eius a Lucio Titio emit fundum lege dicta, ut si ad diem pecunia die soluta, res inempta fieret. Seius parte precij praesente cum alijs datus: neq; contutoribus precium secundum legem numerauit, nec rationibus tutelae retulit. quaesitum est, an irrita emptio facta esset? respondi, secundum ea, quae proponerentur, inemptam uideri. Emptor praediorum, cum suspicaretur Numeriam & Semproniam ei controuersiam moturas, pactus est cum uenditore, ut ex precio aliqua summa apud se remaneret, donec emptori fideiussor daretur a uenditore. postea uenditor eam legem inseruit: ut si ex die pecunia

nia omnis soluta non esset, & uenditor ea prædia uenisse nollet: inuendita essent. interea de aduersarijs alteram mulierem uenditor superauit, cum altera transegit: ita ut sine ulla quæstione emptor prædia possideret. quæsitum est: cum neq; fideiussor datus, neq; omnis pecunia secundum legem suis diebus soluta sit: an prædia inuendita sint? respondi. si conuenisset, ut non prius pecunia solueretur, quàm fideiussor uenditi causa daretur: nec id factum esset, cum per emptorem stare, quominus fieret: non posse posteriorem legis partem exerceri.

## DE PERICULO ET COMMODO REI

uenditæ.

Tit. VI.

VLP IANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.



**S**I uinum uenditum acuerit, uel quid aliud uicij sustinerit: emptoris erit damnum, quemadmodum si uinum esset effusum, uel uasis contusis, uel qua alia ex causa. Sed si uenditor se periculo subiecit: in id tempus periculum sustinebit, quoad se subiecit. quod si non designauit tempus: eatenus periculum sustinere debet, quoad degustetur uinum: uidelicet quasi tunc plenissime ueneat, cum fuerit degustatum. Aut igitur conuenit, quoad periculum uini sustineat, & eatenus sustinebit: aut non conuenit, & usq; ad degustationem sustinebit. sed etsi non sint degustata, signata tamen ab emptore uasa, uel dolia: consequenter dicemus, adhuc periculum esse uenditoris: nisi aliud conuenisset. Sed & custodiam ad diem mensuræ uenditor præstare debet. prius q̄ enim admetiatur uinum, quasi nondum uenit. Post mensuram factâ uenditoris desinit esse periculum. Sed & ante mēsuram periculo liberatur, si nō ad mensuram uendit: forte amphoras, uel etiam singula dolia.

Si dolium signatum sit ab emptore: Trebatius ait, traditum id uideri. Labeo contra: quod & uerum est. magis enim ne \* submitteretur, si gnari solere, quàm ut traditum uideatur. Licet autem uenditori, uel effundere uinum, si diem ad metiendum præstituit, nec intra diem ad mensum est. effundere autē non statim poterit: prius q̄ testatō denunciet emptori, ut aut tollat uinum, aut sciat futurum, ut uinum effundetur. si tamen, cum posset effundere, nō effudit: laudandus est potius. ea propter mercedem quoq; doliōrum potest exigere: sed ita demum, si interfuit eius, inania esse uasa, in quibus uinum fuit: ueluti si locaturus ea fuit, uel si necesse habuit alia conducere dolia. commodius est autem conduci uasa, nec reddi uinum, nisi quanti conduxerit, ab emptore reddatur: aut uendere uinum bona fide, id est, quantum sine ipsius

als\* subuer  
teretur. als  
submouere  
tur.

incommodo fieri potest, operam dare, ut quàm minime detrimento sit ea res emptori. Si doliare uinum emeris, nec de tradendo quidcūq; conuenerit: id uidetur actum, ut ante euacuarentur, quàm ad uindemiam opera eorum futura sit necessaria. quod si non sint euacuata: facienda, quod ueteres putauerunt, per corbem uenditorem mensuram facere, & effundere. ueteres enim propter hoc mensuram suaserunt, si quanta mensura esset, non appareat: uidelicet ut appareret, quantum emptori uini perierit.

II. CAIVS lib. II. rerum quotidianarū uel aureorū.

**H**oc ita uerū est: si is est uenditor, cui sine noua uindemia non sint ista uasa necessaria. si uero mercator est, qui emere uina & uendere solet: is dies spectandus est, quo ex cōmodo uenditoris tolli possint.

Custodiam autē ante admeriendi diem qualem uenditorem præstare oporteat: utrū plenam, ut & diligentiam præstet: an uero dolum duntaxat, uideamus. & puto, eam diligentiam uenditorem exhibere debere: ut tamen fatale damnum, uel uis magna eum excuset.

III. PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

**C**ustodiam autem uenditor talem præstare debet, quam præstant hi, quibus res commodata est: & ut diligentiam præstet exactiorem, quàm in suis rebus adhiberet.

IIII. VLPPIANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

**S**i quis uina uendiderit, & intra diem certum degustanda dixerit: præteritum duntaxat periculum acoris & mucoris uenditor præstare debet: an uero etiam die præterito, ut si forte corrupta sint post ea, quàm dies degustandi præterijt, periculum ad uenditorem pertineat: an uero magis emptio sit soluta, quasi sub conditione uenerit, hoc est, si ante diem illum fuissent degustata: & intererit, quid actum sit. ego autem arbitror, si hoc in occulto sit, debere dici, emptionem manere: periculum autem ad uenditorem respicere, etiam ultra diem degustando præfinitum: quia per ipsum factum est. Si auersione uinum uenit, custodia tamen præstanda est. ex hoc apparet, si non ita uinum uenit, ut degustaretur: neq; acorem, neq; mucorem uenditorem præstare debere, sed omne periculum ad emptorem pertinere. difficile autē est, ut quisquam sic emat, ut neq; degustaret: & quoad degustauerit, periculum acoris & mucoris ad uenditorem pertinebit. dies autē degustationi præstitutus, meliorem conditionem emptoris facit. Vino autē per auersionem uendito, finis custodiae est auerendi tempus. quod ita erit accipiendum, si additum tempus est. ceterum

cæterum si non sit additum: uidentum, ne infinitam custodiam non debeat uenditor. & est uerius secundū ea, quæ supra ostendimus: aut in teresse, quid de tempore actum sit: aut denunciare ei, ut tollat uinum. certe ante, q̄ ad uendendam fuerint dolia necessaria, debet aueri uinū.

V. PAVLVVS lib. V. ad Sabinum.

**S**I per emptorem steterit, quo minus ad diem uinū tolleret: postea, nisi quod dolo malo uenditoris interceptum est, non debet ab eo præstari. si (uerbi gratia) amphoræ centum ex eo uino, quod in cella <sup>\*aliàs de</sup> esset, uenerint: (si ad mensum est) donec admetiatur, omne periculum uenditoris est, nisi id per emptorem fiat.

VI. POMPONIVS lib. VIII. ad Sabinum.

**S**I uina emerim, exceptis acidis & mucidis, & mihi expediat acida & mucida quoq; accipere: Proculus ait, quamuis id emptoris causa exceptum sit, tamen acida & mucida non uenisse. namq; sicut inuitus emptor accipere non cogeretur: ita iniquum esse, nō permitti uenditori, uel alij ea uendere.

VII. PAVLVVS lib. V. ad Sabinum.

**I**D quod post emptionem fundo accessit per alluionem, uel perijt: ad emptoris commodum incōmodumq; pertinet. nam ut si totus ager post emptionem flumine occupatus sit, periculum esset emptoris: sic igitur & commodum eius esse debet. Quod uenditur, in modum agri cedere debet: nisi id actum est, ne cederet. at quod non uenit: in modum cedendum, si id ipsum actum est, ut cederet: ueluti uia publica, limites, luci, qui fundum tangunt. cum uero neutrum dictum est: cedere non debent. & ideo nōminatim caueri solet: ut luci, uia publica, quæ in fundo sunt, totæ in modum cedant.

VIII. IDEM lib. XXXIII. ad edictum.

**N**ecessariō sciendum, quando perfecta sit emptio. tunc enim sciemus, cuius periculum sit. nam perfecta emptione periculū ad emptorem respiciet. Et quidem si id, quod uenerit, appareat quid, quale, quantum sit, & precium, & pure uenit: perfecta est emptio. quod si sub conditione res uenerit, siquidem defecerit conditio: nulla est emptio, sicuti nec stipulatio. quod si extiterit: Proculus & Octauenus emptoris esse periculū aiunt. idem Pomponius libro nostro probat. quod si pendente conditione emptor uel uenditor decesserit: constat, si extiterit conditio, hæredes quoq; obligatos esse, quasi iam contracta emptione in præteritum. quod si pendente conditione res tradita sit: emptor non poterit eā usucapere pro emptore. & quod precij solutū est, repetetur: & fructus mediij tēporis uenditoris sunt: si pendente conditione res fuerit extincta. perimit em̄ emptio, sicuti & stipulatiōes & legata cōditionalia

perimuntur. sanè si exstat res, licet deterior effecta: potest dici, esse da-  
mnum emptoris. Si ita res uenierit, ESTO SERVVS ILLE EMPTVS,  
SIVE NAVIS EX ASIA VENERIT, SIVE NON VENERIT: Iulianus  
putat statim perfectam esse uenditionem, quoniam certum sit eã con-  
tractam. Cum usumfructum mihi uendideris: interest, utrũ ius uten-  
di fruendi, quod solum tuũ sit, uendas: an uero in ipsum corpus, quod  
tuum sit, usumfructum mihi uendas. nam priore casu etiã si statim mo-  
rieris, nihil mihi hæres tuus debet: hæredi aut meo debetur, si tu ui-  
uis. posteriore casu hæredi meo nihil debetur, hæres tuus debet.

IX. CAIVS lib. X. ad cdictum prouinciale.

SI post inspectum prædium, ante q̄ emptio contraheretur, arbores  
S uento deiectæ sunt: an hæ q̄q̄ emptori tradi debeant, quaritur: & re-  
sponsum est, non deberi, quia casus nō emerit: cum ante, q̄ fundum eme-  
rit, deserint fundi esse. sed si ignorauit emptor deiectas esse arbores,  
uenditor autem sciuit, nec admonuit: quanti emptoris interfuerit, rem  
æstimandam esse, si modo uenit.

X. VLPPIANVS lib. VIII. disputationum.

SI in uenditione conditionali hoc ipsum conuenisset, ut res pericu-  
S lo emptoris seruetur: puto pactum ualere. Ut libro sexto dige-  
storũ Iuliani Scauola notat, fundi nomine emptor agere non potest:  
cum prius, quàm mensura fieret, inundatione aquarum, aut chasma-  
te, alioque quo casu pars fundi interierit.

XI. ALFENVS lib. II. digestorum.

SI uendita insula combusta esset: cum incendiũ sine culpa fieri non  
S possit, quid iuris sit: respōdit. quia sine patrisfamilias culpa fieri potest:  
neq̄ si seruorum negligentia factum esset, continuo dominus in culpa  
erit. quamobrem si diligentiam uenditor eam adhibuisset in insula cu-  
stodienda, quam debent homines frugi & diligentes præstare: si quid  
accidisset, nihil ad eum pertinebit.

XII. PAVLVVS lib. III. τὸν τὸν Ἄλφενι digestorũ.

LEctos emptos ædilis, cum in uia publica positi essent, concidit. si  
S traditi essent emptori, aut si per eum stetisset, quo minus traderen-  
tur: emptoris periculum esse placet.

XIII. IULIANVS lib. III. ad Vrseium Feroam.

EVm q̄q̄ cum ædili, si id non iure fecisset, habiturum actionem le-  
S gis Aquiliæ: aut certe cũ uenditore ex empto agendum, ut is actio-  
nes suas, quas cum ædili habuisset, ei præstaret.

XIIII. PAVLVVS lib. III. ἐπι τὸν Ἄλφενι digestorum.

QVod si neq̄ traditi essent, neq̄ emptor in mora fuisset, quo minus  
S traderentur: uenditoris periculum erit. Materia empti si furto  
perisset

perisset, postq̄ tradita esset: emptoris esse periculū respondit: si minus: uenditoris. uideri aut̄ trabes traditas, quas emptor signasset.

XV. CAIVS lib. II. rerū quotidianarū, siue aureorū.

**S**uina, quæ in dolijs erant, uenierint: eaq̄ ante, q̄ ab emptore tollentur, sua natura corrupta fuerint: si quid de bonitate eorum adfirmavit uenditor: tenebitur emptori. quod si nihil adfirmavit: emptoris erit periculum: quia siue non degustauit, siue degustando male probauit, de se queri debet. planè si cum intelligeret uenditor, bonitatem eorum non duraturam usq̄ ad eum diem, quo tolli deberent, nec admonuit emptorē: tenebitur ei, quanti eius interesset, admonitū fuisse.

XVI. IABOLENVS lib. VII. ex Casio.

**S**erui emptor, si eum conductum rogauit, donec precium solueret: si nihil per eum seruum acquirere potuit: quoniam non uidetur traditus is, cuius possessio per locationem retinetur à uenditore: & periculū eius serui ad emptorem pertinet, quod tamē sine dolo uenditoris inter uenerit.

XVII. POMPONIVS lib. XXXI. ad Q. Mutum.

**I**llud sciendum est, cum moram emptor adhibere cœpit: iam non culpam tantū, sed & dolum præstandū à uenditore. quod si per emptorem & uenditorem mora fuerit: Labeo quidem scribit, emptori potius nocere, quàm uenditori moram adhibitam. sed uidendum, ne posterior mora damnosa ei sit. quid enim, si interpellauero uenditorem, & non dederit id, quod emeram: deinde postea offerente illo, ego nō acceperim? sanè hoc casu mihi nocere debet. sed si per emptorem mora fuisset: deinde cum oīa in integro essent, morā uenditor adhibuerit, cū posset se exsoluere: æquum est, posteriorem moram uenditori nocere.

XVIII. PAPINIANVS lib. III. responsorum.

**H**abitationum oneribus morte libertorum finitis, emptor domus ob eam causam uenditori non tenebitur: si nihil aliud conuenit, quàm ut habitationes, secundum defuncti uoluntatem, super precium libertis præstarentur. Ante precium solutū dominij quæstione mota, precium soluere emptor non cogitur: nisi fideiussores idonei à uenditore eius euictionis nomine offerantur.

XIX. HERMOGENIANVS lib. II. iuris in d. τὸ μᾶλλον.

**V**enditori si emptor in precio soluendo morā fecerit: usuras duntaxat præstabit, non omne omnino, quod uenditor mora non facta consequi potuit: ueluti si negociator fuerit, & precio soluto, ex mercibus plus, quàm ex usuris, quærere potuerit.

DE SERVIS EXPORTANDIS, ET SI ITA MANCIPIŪ uenierit, ut manumittatur: \*uel cōtra. Tit. VII.

\*aliās additur. aut ne p̄stitatur.

OO ij Vlpia

VLPIANVS lib. XXXII. ad edictum.



Si fuerit distractus seruus, ne aliquo loci moretur: qui uen- didit, in ea conditione est, ut possit legē remittere, & Ro- mæ ipsum retinere: quod & Papinianus libro tertio re- spondit. propter domini enim (inquit) securitatē custo- ditur lex, ne periculum subeat.

II. MARTIANVS lib. II. publicorum.

Exportandus ab Italia si uenierit, in prouincia morari potest: nisi specialiter prohibitum fuit.

III. PAVLVS lib. L. ad edictum.

Si quis hac lege uenit, ut intra certū tempus manumittatur: & si non sit manumissus, liber fit: si tamen is, qui uendit, in eadem uolunta- te perseueret. hæredis enim uoluntatem non esse exquirendam.

IIII. MARCELLVS lib. XXIII. digestorum.

Si minor uiginti annis seruum tibi in hoc uendiderit, ut eum manu- mitteres, nullius momenti est uenditio: quanquam ea mente tra- diderit, ut cum uiginti annos ipse expleffet, manumitteres. Non enim multum facit, quod distulit libertatis præstationem. lex quippe consi- lio eius, quasi parum firmo, restitit.

V. PAPINIANVS lib. X. questionum.

Curbe etiā interdictū esse uidetur. quod quidē cum aliàs principum mandatis præciperetur, etiam naturalem habet intellectum: ne scilicet, qui careret minoribus, fruereur maioribus.

VI. IDEM lib. XXVIII. questionum

Si uenditor ab emptore cauerit, ne serua manumitteretur, neue pro- stitueretur: & aliquo facto contra, quam fuerat exceptū, euincatur: an libera iudicetur, & ex stipulatu pœna petatur? doli exceptionē qui- dam obstaturam putant: Sabinus, non obstaturam. sed ratio facit, ut iure nō teneat stipulatio, si ne manumitteretur, exceptum est. nam in- credible est, de actu manumittentis, ac non potius de effectu beneficij cogitatū. cæterum si ne prostitueretur, exceptum est: nulla ratio occur- rit, cur pœna peti & exigi non debeat: cum & ancillam contumelia adfe- cerit, & uenditoris adfectionem forte simul & uerecundiam læserit. ere- nim aliàs remota quoq; stipulatione placuit ex uendito esse actionem. Si quid emptor contra, quam lege uenditionis cautum est, fecisset: no- bis aliquando placebat, non aliter ex uendito propter pœnam homini irrogatam agi posse, quam si pecuniæ ratione uenditoris interesset, ue- luti quia pœnam promisisset: cæterum bono uiro non conuenire: cre- dere, uenditoris interesse, quod animo scruientis satisfactum nō fuisset. Sed

Sed in contrarium me uocat Sabini sententia: qui utiliter agi ideo arbitratus est, quoniam ob hoc minoris homo uideatur uenisse.

VII. IDEM lib. VI. *questionum.*

Seruus ea lege uenit, ne in Italia esset. quod si aliter factum esset: conuenit citra stipulationem, ut poenam praestaret emptor. uix est, ut eo nomine uindictae ratione uenditor agere possit: acturus utiliter, si non seruata lege in poenam, quam alij promissit, inciderit. Huic consequens erit, ut haec agere possit, quatenus alij praestare cogetur. quidquid enim excedit, poena est, non rei persecutio. quod si ne poenae causa exportaretur, conuenit: etiam adfectionis ratione recte agetur. nec uidentur haec inter se contraria esse: cum beneficio adfici hominem, interfit hominis. enim uero poenae non irrogatae indignatio sola duritiam continet.

VIII. IDEM lib. XXVIII. *questionum.*

Quaesitum est. si quis seruum proprium uendidisset, & ut manumitteretur intra certum tempus, praecipisset: ac postea mutasset uoluntatem, & emptor nihilominus manumississet: an aliquam actionem eo nomine haberet? dixi. ex uendito actionem, manumisso seruo, uel mutata uenditoris uoluntate, euanuisse.

IX. PAVLVS lib. V. *questionum.*

Tertius seruum uendidit ea lege, ut si Romae moratus esset, liceret manus iniicere. emptor alij eadem lege uendidit, & seruus fugit a secundo emptore, & Romae moratur. quaero, an sit manus iniectio, & cui respondi. in fugituo non est dubitandum, nihil contra legem factum uideri: quia nec domino auferre se potest, nec qui in fuga est, ibi moratur. Quod si uoluntate secundi emptoris contra legem moratus sit: potior habendus est is, qui author fuit legis. nec posterior, qui magis admonendi emptoris, & liberandi se gratia eandem legem repetierit: poterit aliquo modo auferre legem sui uenditoris, cuius conditio extitit. nam & si poenam promississet, teneretur: licet ipse quoque stipulatus esset. sed in poena promissa duae actiones sunt. manus autem iniectio in seruum competit. Quod si prior ita uendidit, ut profutura libera esset: posterior, ut manum liceret iniicere: potior est libertas, quam manus iniectio. plane si prior lex manus habet iniectionem, posterior libertatem: fauorabilius dicetur, liberam fore: quoniam utraque conditio pro mancipio additur. & sicut manus iniectio, ita libertas eximit eam ab iniuria.

X. SCAEVO LA lib. VII. *digestorum.*

Cum uenderet Pamphilam & Stichum, uenditioni inseruit pactum conuentum: ut ne ea mancipia Pamphila & Stichus, quos minorato precio uendidit, alterius seruitutem, quam Seij paterentur: post mortemque eius in libertatem uocarentur. quaesitum est, an haec mancipia, de qui

de quibus inter emptorem & uenditorem cōuenit: post mortē emptoris iure ipso liberata sint: respondi. secundū constitutionē diui Hadriani super hoc prolatā, Pamphilā & Stichū, de quibus quaeretur, si manumissi non sint, liberos nō esse. CLAUDIUS. diuus Marcus ex lege dicta libertatis in uendendo (quamuis nō manumissos) fore liberos, in semestribus constituit: licet in tempus mortis emptoris distulit uenditor libertatem.

# DIGESTORVM

SEV PANDECTARVM LIBER DE  
cimus nonus.

## DE ACTIONIBVS EMPTI ET VENDITI. Tit. I.



VLPIANVS lib. XXXVIII. ad Sabinum.

I res uendita non tradatur: in id quod interest, agitur: hoc est, quāti rem habere emptoris interest. hoc autem interdum precium egreditur: si pluris interest, q̄ res ualet, uel empta est. Venditor si cum sciret deberi seruitutem, cēlauit: non euadet ex empto actionem: si modo eam rem emptor ignorauit.

omnia enim, quæ contra bonam fidem fiunt, ueniunt in empti actionem. Sed scire uenditorem, & cēlare, sic accipimus: non solum si non admonuit, sed & si negauit seruitutem istam deberi, cū esset ab eo quaesitum. Sed etsi pponas eum ita dixisse, NULLA QUIDEM SERUITVS DEBETVR, VERVM VT EMERGAT INOPINATA SERUITVS, NON TENEO: puto eum ex empto teneri, si seruitus debebatur, & sciuit. sed etsi id egit, ne cognosceret emptor, aliquam seruitutem deberi: opinor eum ex empto teneri. & (generaliter dixerim) si improbato more uersatus est in cēlanda seruitute, debere eum teneri: nō si securitati suæ prospectum uoluit. hæc ita uera sunt, si emptor ignorauit seruitutem: quia nō uidetur esse cēlatus, qui scit: nec certiorari debuit, qui nō ignorauit.

II PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

SI in emptione modus dictus est, & non præstatur: ex empto actio est. Vacua possessio emptori tradita non intelligitur, si alius in ea legatorum fideicommissorum uel seruadorum causa in possessione est, aut creditores bona possident. idem dicendū est, si uenter in possessione sit. nam & ad hoc pertinet uacui appellatio.

Pompo.

III. POMPONIVS lib. IX. ad Sabinum.

**R**atio possessionis, quæ à uenditore fieri debet, talis est: ut si quis eam possessionem iure auocauerit, tradita possessio non intelligatur. Si emptor uacuam possessionem tradi stipulatus sit, & ex stipulatu agat: fructus non uenient in eam actionem: quia & qui fundum tradi stipulatur, uacuam quoq; possessionem tradi oportere, stipulari intelligitur: nec tamen fructuum præstatio ea stipulatione continetur: neq; rursus plus debet esse in stipulatione: sed ex empto superesse ad fructuum præstationem. Si iter, actum, uiam, aquæ ductum per tuum fundum emerò: uacua possessionis traditio nulla est: itaq; cauere debes, per te non fieri, quo minus utar. Si per uenditorem tui mora fuerit, quo minus traderet: condemnari eum oportet, utro tempore plaris uinum fuerit: uel quo uenit, uel quo lis in condemnationem deducitur, item quo loco plaris fuit: uel quo uenit, uel ubi agitur. Quod si per emptorem mora fuit: aestimari oportet precium, quod sit, cum agatur, & quo loco minoris sit. mora aut uidetur esse, si nulla difficultas uenditoris impediatur, quo minus traderet: & præsertim, si omni tempore paratus fuit tradere. item non oportet eius loci precia spectari, in quo agitur: sed eius, ubi uina tradi oportet. nam quod à Brundusio uinum uenit: etsi uenditio alibi facta sit, Brundusij tradi oportet.

III. PAULVS lib. V. ad Sabinum.

**S**i seruum mihi ignoranti, sciens furem, uel noxium esse, uendideris: Squamuis duplam promiseris, teneris mihi ex empto, quanti mea intererit scisse: quia ex stipulatu eo nomine agere tecum non possum, ante quam mihi quid absit. Si modus agri minor inueniatur, pro numero iugerum auctor obligatus est: quia ubi modus minor inuenitur, non potest aestimari bonitas loci, qui non exstat. Sed non solum si modus totius agri minor est, agi cum uenditore potest: sed etiã de partibus eius. ut puta si dictum est, uinea iugera tot esse, uel oliueti, & minus inueniatur: ideo his casibus pro bonitate loci fiet aestimatio.

V. IDEM lib. XXXIII. ad edictum.

**S**i hæres testamento quid uendere damnatus sit, & uendiderit: de reliquis, quæ per consequentiam emptoris propria sunt, uel ex empto, uel ex testamento agi cum eo poterit: sed si falso existimans se esse damnatum uendere, uendiderit: dicendum est, agi cum eo ex empto non posse: quoniam doli mali exceptione actor submoueri potest. quemadmodum & si falso existimans se damnatum dare, promississet: agentem doli mali exceptione submoueret. Pomponius etiam incerti condicere eum posse ait, ut liberetur.

VI POMPONIVS lib. IX. ad Sabinum.

PP

Tene.

**T**enetur ex empto uenditor, etiam si ignorauerit minorem fundi modum esse. Si uendidi tibi insulam certa pecunia, & ut aliam insulam meam reficeres: agam ex uendito, ut reficias. si autem hoc solum, ut reficias eam, conuenit: non intelligitur emptio & uenditio facta, ut Neratius scribit. sed si aream tibi uendidi certo precio, & tradidi, ita ut insula aedificata partem dimidiam mihi retradas: uerum est, ut aedifices, agere me posse ex uendito, & ut aedificatam mihi retradas. quod diu enim aliquid ex re uendita apud te superest: ex uendito me habere actionem constat. Si locum sepulchri emeris, & propius eum locum, ante quam mortuus ibi inferatur, aedificatum a uenditore fuerit: poteris ad eum reuerti. Si uas aliquod mihi uendideris, & dixeris certam mensuram capere, uel certum pondus habere: ex empto tecum agam, si minus praestes. sed si uas mihi uendideris, ita ut adfirmares integrum: si id integrum non sit, etiam id, quod eo nomine perdidderim, praestabis mihi. si uero non id actum sit, ut integrum praestes: dolum malum duntaxat praestare te debere, quidam purant. Labeo contra: & illud solum obseruandum, ut (nisi in contrarium quid actum sit) omnimodo integrum praestari debeat. & est uerum, quod & in locatis dolijs praestandum, Sabinum respondisse Minutius refert. Si tibi iter uendidero, ita demum auctorem me laudare poteris: si tuus fuerit fundus, cui acquirere seruitutem uolueris. iniquum est enim teneri me, si propter hoc acquirere seruitutem non porueris, quia dominus uicini fundi non fueris. sed si fundum tibi uendidero, & ei fundo iter accessurum dixero: omnimodo tenebor itineris nomine: quia utriusque rei, quasi unus uenditor, obligatus sum. Si filius familias rem uendiderit mihi, & tradiderit: sicut pater familias tenebitur. Si dolo malo aliquid fecit uenditor in re uendita, ex empto eo nomine actio emptori competit. nam & dolum malum eo iudicio aestimari oportet: ut id, quod praestaturum se esse pollicitus sit uenditor, emptori praestari oporteat. Si cum uenditor sciens obligatum, aut alienum uendidisset, adiectum sit, neue eo nomine quid praestaret: aestimari oportet dolum malum eius, quem semper abesse oportet in iudicio empti: eo quod bonae fidei sit.

## VII. IDEM lib. X. ad Sabinum.

**F**undum mihi cum uenderes deducto usufructu, dixisti usufructum Titij esse, cum is apud te remansurus esset. si coeperis eum usufructum uindicare: reuerti aduersus te non potero, donec Titius uiuat, nec in ea causa esse coeperit, ut etiam si eius usufructus esset, amissurus eum fuerit. nam tunc, id est, si capite deminutus, uel mortuus fuerit Titius: reuerti potero ad te uenditorem. idemque iuris est, si dicas eum usufructum Titij esse, cum sit Seij.

## VIII. PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

**S**I tibi liberum prædiū tradidero, cum id seruiens tradere deberem: setiam conditio incerti competit mihi, ut patiaris eam seruitutem, quæ debuit imponi. quod si seruum prædiū in traditione fecero, quod liberum tibi tradere debui: ex empto habebis actionem, remittendæ eius seruitutis gratia, quam pari non debebas.

## IX. POMPONIVS lib. XX. ad Sabinum.

**S**I is, qui lapides ex fundo emerit, tollere eos nolit: ex uédito agi cum Seo potest, ut eos tollat.

## X. VLP IANVS lib. XLVI. ad Sabinum.

**N**ON est nouum, ut duæ obligationes in eiusdem persona de eadem re concurrant. cum enim is, qui uenditorem obligatum habeat, ei hæres extiterit, qui eundem uenditorem habebat obligatum: constat duas esse actiones in eiusdem persona concurrentes, propriam & hæreditariam: & debere hæredem institutum ( si uelit ) separatim duarum actionum commodo uti: ante aditam hæreditatem propriū uenditorem conuenire, deinde adita hæreditate, hæreditarium. quod si prius adierit hæreditatem: unam quidem actionē mouere potest: sed ita, ut per eam utriusq; contractus sentiat commodum. ex contrario quoq; si uenditor uenditori hæres extiterit: palam est, duas euictiones eum præstare debere.

## XI. IDEM lib. XXXII. ad edictum.

**E**X empto actione is, qui emit, utitur. Et in primis sciendū est, in hoc iudicio id demum deduci, quod præstari conuenit. cum enim bonæ fidei iudicium sit: nihil magis bonæ fidei congruit, quam id præstari, quod inter contrahentes actū est. Qd si nihil conuenit: tunc ea præstabitur, quæ naturaliter insunt huius iudicij potestate. & in primis ipsam re præstare uenditorē oportet. \* ( id est, tradere ) quæ res, siquidē dominus fuit uenditor, facit emptorem dominum. si nō fuit: tantum euictionis nomine uenditorem obligat: si modo precium est numeratum, aut eo nomine satisfactum. emptor autem numos uéditoris facere cogitur. Redhibitionem quoq; contineri empti iudicio, Labeo & Sabinus putant, & nos probamus. Animalium quoq; uenditor cauere debet, ea sana præstari. & qui iumenta uendidit, solet ita pmittere, esse \* bibere, ut oportet. Si quis uirginem se emere putarit, cū mulier uenisset, & sciens in errore eum uenditor passus sit: redhibitionem quidem ex hac causa non esse: ueruntamē ex empto competere actionem ad resoluendam emptionē, ut precio restituto mulier reddatur. Is, qui unū emit, arræ nomine certam summam dedit. postea conuenient, ut emptio irrita fieret. Iulianus ex empto agi posse ait, ut arræ resti-

\*aliàs de sunt.

\*aliàs, de bere.

tuatur: utilemque esse actionem ex empto, etiam ad distrahendam (inquit) emptionem. Ego illud quaero, si anulus datus sit arrae nomine, & secuta emptione, pretioque numerato, & tradita re, anulus non reddatur: qua actione agendum sit: utrum condicatur, quasi ob causam datus, & causa finita sit: an uero ex empto agendum sit? & Iulianus dicit, ex empto agi posse certe etiam condici poterit: quia iam sine causa apud uenditorem est anulus. Etiam si ignorans uendiderit: fugitium non esse, praestare emptori oportere, Neratius ait. Idem Neratius, etsi alienum seruum uendideris, furtis noxiisque solutum praestare debere, ab omnibus receptum ait. Et ex empto actionem esse, ut habere licere emptori caueatur: sed & ut tradatur ei possessio. Idem ait, non tradentem quanti intersit condemnari: satis autem non dantem, quanti plurimo auctorem periclitari oportet. Idem Neratius ait, propter haec omnia satis esse, quod est plurimum praestari: id est, ut sequentibus actionibus, deducto eo, quod praestitum est, his aestimetur. Idem recte ait, si quid horum non praestatur, cum caetera facta sint: nullo deducto condemnationem faciendam. Idem libro secundo responsorum ait, emptorem noxali iudicio condemnatum, ex empto actione id tantum consequi, quanti minimo defungi potuit, idemque putat, & si ex stipulatu agat, & siue defendat noxali iudicio, siue non: quia manifestum fuit noxium seruum fuisse: nihil minus uel ex stipulatu, uel ex empto agere posse. Idem Neratius ait, uenditorem in re tradenda debere praestare emptori, ut in lite de possessione potior sit: sed Iulianus libro decimoquinto digestorum scribit, nec uideri traditum, si superior in possessione futurus non sit, erit igitur ex empto actio, nisi hoc praestetur. Cassius ait eum, qui ex duplae stipulatione litis aestimationem consecutus sit: aliarum rerum nomine, de quibus in uenditionibus caueri solet, nihil consequi posse. Iulianus, deficiente dupla, ex empto agendum putauit. Denique ad Minutium libro quinto ait, si quis ea conditione seruum uendiderit, ut intra triginta dies duplam promitteret, postea ne quid praestaretur: & emptor hoc fieri intra diem non desiderauerit: ita demum non teneri uenditorem, si ignorans alienum uendidit. tunc enim hoc fieri, ut per ipsum, & per heredem eius emptorem habere liceret. Qui autem alienum sciens uendidit, dolo (inquit) non caret: & ideo empti iudicio tenebitur. Sententia Iuliani uerissimam esse arbitor in pignoribus quoque, nam si iure creditoris uendiderit, deinde haec fuerint euicta: non tenetur, nec ad precium restituendum, ex empto actione creditor. hoc enim multis constitutionibus expressum est, dolum plane uenditor praestabit. denique etiam repromittet de dolo, sed etsi non repromiserit: sciens tamen sibi non obligatum, uel non esse eius, qui sibi obligauit, uendiderit: tenebitur ex empto.

empto, quia dolum eum præstare debere ostendimus. Si quis rem uendiderit, & ei accessurum quid dixerit: omnia quidem, quæ diximus in re distracta, in hoc quoque sequenda sunt: ut tamen euictionis nomine non in duplum teneatur, sed in hoc tantum obligetur, ut emptori rem habere liceat: & non solùm per se, sed per omnes. Qui autem habere licere, permittens uendidit: uideamus, quid debeat præstare. & multum interesse arbitror: utrum polliceatur, per se, uenientesque à se personas non fieri, quo minus habere liceat: an uero per omnes. nam si per se non uideatur id præstare, ne alius euincat. Proinde si euicta res erit: siue stipulatio interposita est, ex stipulatu non tenebitur: siue non est interposita, ex empto non tenebitur. sed Iulianus libro decimoquinto digestorum scribit: etiam si aperte uenditor pronunciat, per se hæredemque suum non fieri, quo minus habere liceat: posse defendi, ex empto eum in hoc quidem non teneri, quod emptoris interest: ueruntamen, ut precium reddat, teneri. Ibidem ait, item esse dicendum, & si aperte in uenditione comprehendatur, nihil euictionis nomine præstitum iri: precium quidem deberi re euicta, utilitatem non deberi. neque enim bonæ fidei contractum hanc pati conuentionem, ut emptor rem amitteret, & precium uenditor retineret. nisi forte (inquit) si quis omnes istas supra scriptas conuentiones reciperet: quemadmodum recipitur, ut uenditor numos accipiat, quamuis merx ad emptorem non pertineat: ueluti cum futurum iactum retis à piscatore emimus, aut indaginem plagis positam à uenatore, uel pantheram ab aucupe. nam etiam si nihil capit: nihilominus emptor precium præstare necesse habebit. sed in supra scriptis conuentionibus contra erit dicendum: nisi forte sciens alienum uendidit. tunc enim secundum supra à nobis relatam Iuliani sententiam, dicendum est, ex empto eum teneri: quia dolo facit. XII. CELSVS lib. XXVII. digestorum.

Si iactum retis emero, & rete iactare piscator noluit: incertum huius rei æstimandum est. si quod extraxit piscium, reddere mihi noluit: id æstimari debet, quod extraxit.

XIII. VLP IANVS lib. XXXII. ad edictum.

Iulianus libro decimoquinto inter eum, qui sciens quid aut ignorans uendidit, differentiam facit in condemnatione ex empto: ait enim, qui pecus morbosum, aut tignum uiciosum uendidit: siquidem ignorans fecit: id tantum ex empto actione præstaturum, quanti minoris esset empturus, si id ita scisset. si uero sciens reticuit, & emptorem decepit: omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præstaturum ei. siue igitur ædes uicio tigni corruerunt, ædium æstimationem: siue pecora contagione morbofi pecoris perierunt, quod interfuit idonee uenisse, erit præstandum. Item qui furem uendidit, aut fugitiuum: siquidem sciens: præstare debet,

PP iij quanti

quanti emptoris interfuit non decipi. si uero ignorans: circa fugitiuū  
 quidem tenetur, quāto minoris empturus esset, si eum fugitiuum scis-  
 set: circa furem, non tenetur. differentia ratio est: quia fugitiuum qui-  
 dem habere non licet, & quasi euictionis nomine tenetur uenditor: fu-  
 rem autem habere possumus. Quod autem diximus, **QUANTI EM-  
 PTORIS INTERFUIT NON DECIPI**, multa cōtinet. ut si alios secū sol-  
 dicitauit, ut fugerent: uel res quasdam abstulit, quid tamen si ignorauit  
 quidem furem esse, adseuerauit autē bonæ frugi, & fidum, ut carō uen-  
 deret: uideamus, an ex empto teneat. & puto teneri. at qui ignorauit.  
 sed non debuit facile, quæ ignorabat, adseuerare. inter hunc igitur, &  
 eum, qui scit, interest: quoniam qui scit, præmonere debuit furem esse:  
 hic non debuit facilis esse ad temerariam indicationem. Si uenditor  
 dolo fecit, ut pluris uēderet (puta de artificio mentitus, aut de peculio)  
 empti eum iudicio teneri, ut præstet emptori, quanto pluris seruū emis-  
 set, si ita peculiatus esset, uel eo artificio instructus. Per cōtrariū quo-  
 q; idem Iulianus scribit. cum Terentius Victor decessisset, relicto hære-  
 de fratre suo: & res quasdam ex hæreditate, & instrumenta, & mancipia  
 uillicus subtraxisset: quibus subtractis, facile quasi minimò ualeret hæ-  
 reditas, ut sibi ea uenderetur, persua sit. an uenditi iudicio teneri possit:  
 & ait competere actionem ex uendito in tantum, quanto pluris hære-  
 ditas ualeret, si hæ subtractæ non fuissent. Idem Iulianus dolum so-  
 lere à uenditore præstari, etiam in huiusmodi specie ostendit. si cū uen-  
 ditor sciret fundum pluribus municipijs legata debere, in tabula quidē  
 scripserit, uni municipio debere: uerum postea legem consignauerit, si  
 qua tributorum, aut uestigialis, indictionis uē quidē nomine, aut ad uia-  
 collationē præstare oporteret, id emptorē dare, facere, præstare oport-  
 tere: respondit, ex empto eū teneri, quasi decepisset emptorē. quæ sen-  
 tentia uera est. Sed cum in facto proponeretur, tutores hoc idem fe-  
 cisse, qui rem pupillare uendebant: quæstionis fuisse ait, an tutorū do-  
 lū pupillus præstare deberet: & si quidem ipsi tutores uendiderunt: ex  
 empto eos teneri, nequaquā dubium est. sed si pupillus authoribus eis  
 uendidit: in tantum tenetur, in quantum locupletior ex eo factus est, tu-  
 toribus in residuum perpetuo cōdemnandis: quia nec trāsfertur in pu-  
 pillum post pubertatē, licet quid dolo tutorū factum est. Offerri pre-  
 ciū ab emptore debet, cū ex empto agit. & ideo si partē precij offerat:  
 nondū est ex empto actio ad rem adquirendā. uenditor enim quasi pi-  
 gnus retinere potest eā rem, quā uēdidit. unde quæritur. si parte precij  
 soluta, res tradita postea euicta sit: utrum eius rei nomine consequa-  
 tur integrum precium ex empto agens: an uero quod numerauit: &  
 puto magis id, quod numerauit, propter doli exceptionem. Si fructi-  
 bus.

bus iam maturis ager distractus sit: etiam fructus emptori cedere, nisi aliud conuenit, exploratū est. Sin is ager locatus fuit: pensiones utiq; ei cedent, qui locauerat. idem & in prædijs urbanis, nisi si quid nominatim conuenisse proponatur. Sed etsi quid præterea rei uenditæ notitū est: actio emptori præstanda est, damni forte infecti, uel aquæ pluuiæ arcendæ, uel Aquilæ, uel interdicti **QVOD VI AVT CLAM.**

Item si quid ex operis seruorum, uel uecturis iumentorum, uel nauum quæsitum est: emptori præstabitur. sed etsi quid de peculio eorū accessit. non tamen si quid ex re uenditoris. Si Titius fundum, in quo nonaginta iugera erāt, uendidit: & in lege emptionis dictum est, in fundo centum esse iugera: & anteq̃ modus manifestetur, decem iugera alluioe adcreuerint: placet mihi Neratij sententia existimantis, ut si quidem sciens uendidit, ex empto actio competat aduersus eum, quibus decem iugera adcreuerint: quia dolo fecit, nec dolus purgatur. si uero ignorans uendidit: ex empto actio non competat. Si fundum mihi alienum uendideris, & hic ex causa lucratiua meus factus sit: nihilominus ex empto mihi aduersus te actio competit. In his autem, quæ cum re empra præstari solent, non solum dolum, sed & culpā præstandam arbitror. nā & Celsus libro nono digestorū scripsit: cum conuenierit, ut uenditor præteritam mercedem exigat, & emptori præstet: non solum dolum, sed etiā culpam eum præstare debere. Idem Celsus eodem libro scribit. fundi, quem cum Titio cōmunem habebas, partem tuam uendidisti: & anteq̃ traderes, coactus es communi diuidendo iudicium accipere. si socio fundus sit adiudicatus: quantum ob eam rem à Titio cōsecutus es, id tantum emptori præstabis. quod si tibi fundus totus adiudicatus est: totum (inquit) eum emptori trades. sed ita, ut ille soluat, quod ob eam rem Titio condemnatus es. sed ob eam quidem partem, quam uendidisti, pro euictione cauere debes: ob alterā autem, tantum de dolo malo repromittere. æquum est enim, eandē esse conditionem emptoris, quæ futura esset, si cum ipso actum esset communi diuidendo. sed si certis regionibus fundum inter te & Titium iudex diuisit: sine dubio partem, quæ adiudicata est, emptori tradere debes.

Si quid seruo distracto uenditor donauit ante traditionem, hoc quod restitui debet: hæreditates quæ per seruum acquisitæ, & legata omnia, nec distinguendum, cuius respectu ista relicta sunt. item quod ex operis seruus præstitit uenditori, emptori restituendum: nisi ideo dies traditionis ex pacto progatus est, ut ad uenditorē operæ pertinerēt. Ex uendito actio uenditori competit ad ea consequenda, quæ ei ab emptore præstari oportet. ueniunt autem in hoc iudicio infra scripta. in primis precium quanti res uenit: item usuræ præcij post diem traditionis.

nam

nam cum re emptor fruatur: æquissimū est, eum usuras precij dependere. Possessionem autem traditam accipere debemus, etiam si precaria sit possessio. hoc enim solum spectare debemus, an habeat facultatem fructus percipiendi. Præterea ex uendito agendo consequentur est sumptus, qui facti sunt in re distracta: ut puta si quid in ædificia distracta erogatum est. scripsit enim Labeo & Trebatius, esse ex uendito hoc nomine actionem. idem est, si quid in ægri serui curatione impensum est ante traditionem, aut in disciplinas, in quas uerisimile erat etiam emptorem uelle impendi. hoc amplius Labeo ait. et si quid in funus serui defuncti impensum sit, ex uendito consequi oportere: si modo sine culpa uenditoris morte obierit. item si conuenierit, cum res ueniret, ut locuples ab emptore reus detur: ex uendito agi posse, ut id fiat. Si inter emptorem prædiorum & uenditorem conuenisset, si ea prædia emptor hærescæ eius pluris uendidisset, eius partem dimidiam uenditori præstaret: & hæres emptoris pluris ea prædia uendidisset: uenditorem ex uendito agendo partem eius, quo pluris uendidisset, consecuturū.

Si procurator uendiderit, & cauerit emptori: quaeritur, an domino, uel aduersus dominum actio dari debeat. Et Papinianus libro tertio responsorū putat, cū domino ex empto agi posse utili actione, ad exemplum institoria actionis: si modo rem uendendam mandauit. ergo & per contrarium dicendum est, utilem ex empto actionem domino competere. Ibidem Papinianus respondisse se refert. si conuenit, ut ad diem precio non soluto, uenditori duplum precij præstaretur: in fraudem constitutionum uideri adiectum, quod usuram legitimam excedit. diuersamque causam commissoria esse ait: cum ea specie (inquit) non fœnus illicitum contrahatur, sed lex contractui non improbatu datur. Si quis colludente procuratore meo, ab eo emerit: an possit agere ex empto? & puto hætenus, ut aut stetur emptioni, aut discedatur. Sed & si quis minorem uiginti quinque annis circūuenerit: & huic hætenus dabimus actionem ex empto, ut diximus in superiore casu. Si quis à pupillo sine tutoris auctoritate emerit: ex uno latere constat contractus. nam qui emit, obligatus est pupillo: pupillū sibi nō obligat. Si uenditor habitationem exceperit, ut inquilino liceat habitare: uel colono, ut perfrui liceat ad certū tempus: magis esse Seruius putabat ex uendito actionem. Denique Tubero ait. si iste colonus damnū dederit: ex empto emptorem agentem cogere posse uenditorem, ut ex locato cum colonō experiatur: ut is quidquid fuerit consecutus, emptori reddat. Aedibus distractis uel legatis, ea esse ædium solemus dicere, quæ quasi pars

aliās\* pu-  
tealia.

ædium, uel propter ædes habentur: ut puta\* putea.

XIII. POMPONIVS lib. XXXI. ad Q. Mutium.

Item

Item quo puteum cooperitur.

XV. VLP IANVS lib. XXXII. ad edictum.

**F**\*Vnes, labra, salientes. fistulæ quoq; quæ saliētibus iungunt (quæ-  
uis longe excurrant extra ædificium) ædium sunt. item canales.  
piscis autem, qui sunt in piscina, non sunt ædium, nec fundi.

\*alias, id  
est id.  
\*als, li-  
nea.

XVI. POMPONIVS lib. XXI. ad Q. Mutum.

**N**on magis, q̄ pulli, aut cætera animalia, quæ in fundo sunt.

XVII. VLP IANVS lib. XXXII. ad edictum.

**F**Vndi nihil est, nisi quod terra se tenet. ædium autem multa esse,  
quæ ædibus adfixa nō sunt, ignorari non oportet: utputa seras, cla-  
ues, claustra. multa etiam defossa esse, neq; tamen fundi, aut uillæ habe-  
ri: utputa uasa uinaria, torcularia: quoniā hæc instrumenti magis sunt,  
etiam si ædificio cohærent. sed & uinum, & fructus perceptos uillæ non  
esse constat. Fundo uendito uel legato, sterculinium & stramenta  
emptoris & legatarij sunt, ligna autem uenditoris, uel hæredis: quia nō  
sunt fundi, tamen si ad eum parata sunt. in sterculinio autem distin-  
ctio Trebatij pbanda est: ut siquidem stercorendi agri causa comparatum  
sit, emptorem sequatur: si uendēdi, uenditorē: nisi si aliud est actū.  
nec interest, in stabulo iaceat, an acruus sit. Quæ pictæ tabulæ pro  
tectorio includuntur, item crustæ marmoreæ, ædium sunt. reticuli cir-  
ca columnas, plutei circa parietes, item cilicia uela, ædium non sunt.  
Item quod insulæ causa paratum est, si nondum perfectum est: quam-  
uis positum in ædificio sit, non tamen uiderit ædium esse. Si ruta &  
cæsa excipiantur in uenditione: ea placuit esse ruta, quæ eruta sunt:  
ut arena, creta, & similia. cæsa esse, ut arbores cæsas, carbones, & his  
similia. Gallus autem Aquilius (cuius Mela refert opinionem) recte  
ait, frustra in lege uenditionis de rutis & cæsis contineri: quia si non  
specialiter uenerint, ad exhibendum de his agi possit. neq; enim ma-  
gis de materia cæsa, aut de cæmentis, aut de arena cauendum est uendi-  
tori, quàm de cæteris, quæ sunt preciosiora. Labeo generaliter scri-  
bit, ea, quæ perpetui usus causa in ædificijs sunt, ædificij esse: quæ uerò  
ad præsens, non esse ædificij. utputa fistulæ temporis quidem causa po-  
sitæ, non sunt ædium: uerū tamen si perpetuò fuerint positæ, ædiū sunt.

Castella plumbea, putea, opercula puteorum, epistomia fistulis ad-  
plumbata, aut quæ terra continentur: quamuis non sint adfixa, ædiū  
esse constat. item cōstat sigilla, columnas quoq; & personas, è quarum  
rostris aqua salire solet, uillæ esse. Ea, quæ ex ædificio detracta sunt,  
ut reponantur: ædificij sunt. at quæ parata sunt, ut imponantur: nō sunt  
ædificij. Pali, qui uineæ causa parati sunt, ante q̄ collocentur, fundi  
nō sunt. sed qui exempti sunt hac mēte, ut iterū collocent: fundi sunt.

QQ labole.

XVIII. IABOLENVS lib. VII. ex Cassio.

**G**Ranaria, quæ ex tabulis fieri solent, ita ædiũ sunt, si & stipites eorum in terra defossi sunt. quod si supra terrã sunt: rutis & cæsis cedunt. Tegulæ, quæ nondum adhuc ædificijs impositæ sunt: quamuis regendi gratia allatæ sunt, in rutis & cæsis habent. aliud iuris est in his, quæ detractæ sunt, ut reponerentur. ædibus enim accedunt.

XIX. CAIVS lib. III. ad edictũ prætoris urbani, tit. de publicanis.

**V**Eteres emptione uenditioneque in appellationibus promiscue utebantur.

XX. IDEM lib. XXI. ad edictum provinciale.

**I**dem est in locatione & conductione.

XXI. PAVLVS lib. XXXIII. ad edictum.

**S**I sterilis ancilla sit, cuius partus uenit, uel maior annis quinquaginta, cū id emptor ignorauerit: ex empto tenetur uenditor. Si prædicti uenditor nõ dicat de tributo: sciens tenetur ex empto. Quid si ignoras nõ prædixerit, quod forte hæreditariũ prædiũ erat: non tenetur. Quãuis supra diximus, cū in corpore consentiamus, de q̄litate aut̄ diffentiamus, emptione non esse: tamẽ uenditor teneri debet, quãti interest emptoris, se deceptum non esse, etiam si uenditor quoque nesciet: ueluti si mensas quasi citrias emat, quæ non sunt. Cum per uenditorem steterit, quo minus rem tradat: omnis utilitas emptoris in æstimationem uenit, quæ modo circa ipsam rem consistit. neque enim si potuit ex uino (puta) negociari, & lucrum facere, id æstimandum est: non magis, quæ si triticum emerit, & ob eam rem, quod non sit traditum, familia eius fame laborauerit. nam precium tritici, non seruorum fame necatorum consequitur. nec enim maior sit obligatio, quod tardius agitur: quamuis crescat, si uinum hodie pluris sit. merito: quia si datum esset, hoc haberet emptor. quoniã uero non dedit: fãltem hodie dandum est, quod iam olim dari oportuit. Si tibi fundum uendidero, ut eũ conductum certa summa haberẽ: ex uendito eo nomine mihi actio est, quasi in partem precij ea res sit. sed et si tibi fundum ita uendidero, ut nulli alijs eum, quãam mihi, uenderes: actio eo nomine ex uendito est, si alijs uendidetis.

Qui domum uendebat, excepit sibi habitationem, donec uiueret, aut in singulos annos decem. emptor primo anno maluit præstare decem, secundo anno habitationem. Trebatius ait, mutandæ uoluntatis potestatem eum habere, singulisque annis alterutrum præstare posse: & quãmdiu paratus sit alterutrum præstare, tamdiu petitionem non esse.

XXII. IULIANVS lib. XII. digestorum.

**S**I in qualitate fundi uenditor mentitus sit, non in modo eius: teneatur tamẽ emptori. pone enim dixisse eum, quinquaginta iugera uenerat

neæ esse, & quinquaginta prati: & in uinea minus, in prato plus inueni-  
ti: esse tamen omnia centum iugera.

XXIII. IDEM lib. XIII. *digestorum.*

**S**I quis seruum, quæ cum peculio uendiderat, manumiserit: non so-  
lum peculij nomine, quod seruus habuit tempore, quo manumitte-  
batur: sed & eorū, quæ postea acquirit, tenet. & præterea cauere debet,  
quidquid ex hæreditate liberti ad eū peruenerit, restitutū iri. MARCEL-  
LVS NOTAT. illa præstare uēditor ex emptō debet, quæ haberet em-  
ptor, si homo manumissus non esset. non continebuntur ergo, quæ si  
manumissus non fuerit, adquisiturus non esset.

XXIII. IULIANVS lib. XXV. *digestorum.*

**S**I seruus, in quo ususfructus tuus erat, fundum emerit: & ante, quàm  
Specunia numeraretur, capite minutus fueris: quamuis precium sol-  
ueris, actionem ex empto non habebis, propter talem capitis deminutionem:  
sed indebiti conditionem aduersus uenditorem habebis. ante  
capitis autem deminutionem nihil interest, tu soluas, an seruus ex eo  
peculio, quod ad te pertinet. nam utroque casu actionem ex empto habe-  
bis. Seruum tuū imprudens à fure bona fide emi. is ex peculio, quod  
ad te pertinebat, hominem parauit, qui mihi traditus est. posse te ho-  
minem eum mihi condicere, Sabinus dixit. sed si quid mihi abesset ex  
eo negotio, quod is gessisset: uerum esse, inuicem me tecum acturum  
de peculio. Cassius ueram opinionem Sabini retulit, in qua ego quoque  
sum. Seruo uendente hominem, fideiussor uenditionis omnia præ-  
stare debet, in quæ obligaretur, si pro libero fideiussisset. nam & in do-  
minum actio sic datur, ut emptor eadem consequatur, quæ libero uen-  
dente consequi debuisset: sed ultra peculij taxationem dominus non  
condenatur. XXV. IDEM lib. III. *digestorum.*

**Q**ui pendentem uindemiā emit, si uuam legere prohibeatur à uen-  
ditore: aduersus eum petentem precium, exceptione uti poterit:  
si ea pecunia, de qua agitur, non pro ea re petitur, quæ uenit, neque tradi-  
ta est. cæterum post traditionem: siue lectam uuam calcare, siue mu-  
stum euehere prohibeatur: ad exhibendum, uel iniuriarum agere pote-  
rit, quemadmodum si quilibet alius eū rem suam tollere prohibeat.

XXVI. ALFENVS VARVS lib. II. *digestorum.*

**S**I quis, cum fundum uenderet, dolia centum, quæ in fundo esse ad-  
firmabat, accessura esse dixisset: quamuis ibi nullum doliū fuisset,  
tamen dolia emptori debent.

XXVII. PAVLVVS lib. III. *ὑπομῶν Alfeni digestorū.*

**Q**uidquid uenditor accessurū dixerit, id integrū ac sanū itadi oportet.  
ueluti si fundo dolia accessura dixit: non quassa, sed integra  
dare debet.

QQ ij Julia

XXVIII. IULIANVS lib.III. ad Vrscium Ferroem.

**P**Rædia mihi uendidisti: & conuenit, ut aliquid facerē. quod si non fecissem: pœnam promisi. respōdit. uenditor, ante quàm pœnam ex stipulatu perat, ex uendito agere potest. si consecutus fuerit, quantum pœnæ nomine stipulatus est: agentem ex stipulatu, doli mali exceptio submouebit. si ex stipulatu pœnam consecutus fuerit: ipso iure ex uendito agere nō poterit: nisi in id, qđ pluris eius interfuerit id fieri.

XXIX. IDEM lib.III. ex Minutio.

**C**Vi res sub conditione legata erat, is eam imprudens ab hærede emit. actione ex empto poterit consequi emptor precium: quia non ex causa legati rem habet.

XXX. AFRICANVS lib.IX. quæstionum.

**S**eruus, quem de me cum peculio emisti, prius quàm tibi tradetur, furtum mihi fecit. quamuis ea res, quam subripuit, interierit: nihilominus retentionē eo me nomine ex peculio habiturum ait, id est, ipso iure ob id factum minutum esse peculium: eo scilicet, quod debitor meus ex causa cōditionis factus sit. nam licet si iam traditus furtum mihi fecisset: aut omnino conditionem eo nomine de peculio nō haberem, aut eatenus haberem, quatenus ex re furtiua auctum peculium fuisset: tamen in proposito, & retentionem me habiturum: et si omne peculium penes te sit, uel quasi plus debito soluerim, posse me condicere. Secundum quæ dicendum est: si numos, quos seruus iste mihi subtriperat, tu ignorans furtiuos esse, quasi peculiare ademeris, & consumpseris: conditionem eo nomine mihi aduersus te competere, quasi res mea ad te sine causa peruenerit. Si sciens alienam rem mihi ignoranti uendidisti: etiā prius, quàm euincatur, utiliter me ex empto acturum putauit in id, quātī mea intersit meam esse factam. quamuis enim alioquin uerum sit, uenditorem hastenus teneri, ut rem emptori habere liceat, non etiam ut eius faciat: quia tamen doli malum abesse præstare debeat, teneri eum, qui sciens non suam ignoranti uendiderit. idem maxime, si manumissuro, uel pignori daturo uendiderit.

XXXI. NERATIUS lib.III. membranarum.

**S**i ea res, quam ex empto præstare debebā, ui mihi adempta fuerit: quamuis eam custodire debuerim: tamen propius est, ut nihil amplius, quàm actiones persequendæ eius præstari à me emptori oporteat. quia custodia aduersus uim parum proficit. actiones autem eas non solum arbitrio, sed etiam periculo tuo præstare debebo: ut omne lucrum, ac dispendium te sequatur. At si per me factum sit, quo minus eam suo tempore à me haberes: non solum id, quod ipse per eum adquisiit, præstare debebo: sed & id, quod emptor iam tūc sibi tradito ser-

no adquisiturus fuisset. Vterq; nostrum eandem rem emit à non domino, cum emptio uenditiōq; sine dolo malo fieret: traditaq; est. siue ab eodem eminus, siue ab alio atq; alio: is ex nobis tuendus est, qui prior ius eius adprehendit, hoc est, cui primum tradita est. sed si alter ex nobis à domino emisset: is omnimodo tuendus est.

XXXII. VLP IANVS lib. XL. ad edictum.

SI quis à me oleum, quod emisset, adhibitis iniquis ponderibus accepisset, ut in modo me falleret: uel emptor circumscriptus sit à uenditore ponderibus minoribus: Pomponius ait, posse dici uenditorem sibi dare oportere, quod plus est, petere. quod habet rationem. ergo & emptor ex empto habebit actionem, qua contentus esse possit.

XXXIII. IDEM lib. XXXII. ad edictum.

ET si uno precio plures res emptæ sint: de singulis ex empto & uendito agi potest.

XXXIII. IDEM lib. XVIII. ad edictum.

SI fundo uendito in qualitate iugerū captio est, ex empto erit actiō.

XXXV. IDEM lib. LXX. ad edictum.

SI quis fundum emerit, quasi per eum fundum eundi agendi ius non esset, & interdicto de itinere actiōq; uictus sit: ex empto habebit actionem. licet enim stipulatio de euisione non committitur, quia nō est de iure seruitutis in rem actione pronunciatum: tamen dicendum est ex empto actionem competere.

XXXVI. PAVLVS lib. VII. ad Plautium.

VENDITOR domus, ante quàm eam tradat, damni infecti stipulationem interponere debet: quia ante quàm uacuum possessionem tradat, custodiam & diligentiam præstare debet: & pars est diligentiae custodiæq; hanc interponere stipulationem. & ideo si id neglexerit: tenebitur emptori.

XXXVII. IDEM lib. XI. ad Plautium.

Sicut æquum est, bonæ fidei emptori alterius dolum non nocere: ita non est æquum, eidem personæ uenditoris sui dolum prodesse.

XXXVIII. CELSVS lib. IX. digestorum.

SI uenditor hominis dixit, peculium eum habere decem, nec quidquam adempturum: etsi plus habet, totum præstet: nisi hoc actum est, ut duntaxat decem præstaret. si minus est: præstet esse decem, uel talem seruum, ut tantum peculij habeat. Si per emptorem steterit, quo minus ei mancipiū traderetur: pro cibarijs per arbitrum indemnitate posse seruari, Sextus Aelius & Drusus dixerunt: quorum & mihi uidetur sententia iustissima esse. Firmius à Proculo quæsiit. si de plumbeo castello fistulæ sub terra missæ, aquam ducerent in aënum la

teribus circumstructum: an hæc, ut iuncta fixaq; ædium essent: an, ut ru-  
ra casaq; nõ essent ædiu: ille rescripsit, referre quid acti esset. quid ergo  
si nihil de ea re, neq; emptor, neq; uenditor cogitauerunt: ut plerumq;  
in eiusmodi rebus euenire solet: non ne propius est, ut inserta & inclu-  
sa ædificio, sic partem eius existimemus esse?

XXXIX. *MODESTINVS lib. V. responsum.*

**Q**uero: si quis fundum ita uendiderit, ut id uenundatum esse ui-  
deatur, quod intra terminos ipse possedit: sciens tamẽ aliquam  
partem certam se non possidere, nõ certiorauerit emptorem: an ex em-  
pto iudicio teneatur, cum hæc generalis adiectio ad ea, quæ specialiter  
nouit, qui uendidit, nec excepit, pertinere non debeat: ne alioquin em-  
ptor capiatur, qui fortasse, si hoc cognouisset, uel empturus non esset,  
uel minoris empturus esset, si certioratus de loco certo fuisset: cũ hoc  
& apud ueteres sit relatam in eius persona, qui sic exceperat, *SERVI-  
TVTRES, SI QVAE DEBENTVR, DEBEVNTVR*: etenim iu-  
ris authores responderunt: si certus uenditor quibusdam personis cer-  
tis certas seruitutes deberi non admonuisset emptorẽ, ex empto eum  
teneri debere: quando hæc generalis exceptio nõ ad ea pertinere debe-  
at, quæ uenditor nouit, quæ specialiter excipere & potuit, & debuit: sed  
ad ea, quæ ignorauit, & de quibus emptorem certiorare nequiuit. He-  
rennius Modestinus respõdit. si quid circumueniendi emptoris causa  
uenditor in specie, de qua quaeritur, fecit: ex empto actione conueniri  
posse.

XL. *POMPONIVS lib. XXXI. ad Q. Mutium.*

**Q**uintus Mutius scribit. dominus fundi de prædio arbores stantes  
uendiderat. pro his rebus pecuniam acceperat. & cum eas trade-  
re uolebat. emptor quaesit, quid se facere oporteret: & uerebat, ne hæc  
arbores eius non uiderentur factæ. *POMPONIVS*. arborum, quæ in  
fundo continentur, non est separatam corpus à fundo. & ideo, ut domi-  
nus, suas specialiter arbores uindicare emptor nõ potest, sed ex empto  
habet actionẽ.

XLI. *PAPINIANVS lib. III. responsum.*

**I**n uenditione super annua pensatione propter aquæ ductũ infra do-  
mum Romæ constitutum nihil commemoratum est. deceptus ob  
eam rem ex empto habebit actionem. itaq; si conueniatur ob precium  
ex uendito: ratio improuisi oneris habebitur.

XLII. *VLPIANVS lib. II. questionum.*

**S**i duorum fundorum uenditor separatim de modo cuiusq; pronun-  
ciauerit, & ita utrumq; uno precio tradiderit, & alteri aliquid defit: quæ  
in altero exsuperet (forte si dixerit, unum centum iugera, alterum du-  
centa habere) non proderit ei, quod in altero ducenta decem inueniatur,  
si in altero decem defint. & de his ita apud Labeonem relatam est. sed

sed an exceptio doli mali uenditori profutura sit? & potest dubitari. utiq; si exiguus modus syluæ desit, & plus in uineis habeat, q̄ repromissum est: an non faciat dolo, qui iure perpetuo utitur? nec enim hoc, qd̄ amplius in modo agri inuenitur, quàm alioquin dictum est, ad cõpendium uenditoris, sed emptoris pertinet: & tunc tenetur uenditor, cum minor modus inuenitur. Videamus tamen, ne ulla querela sit emptoris in eodem fundo: si plus inueniatur in uinea, quàm in prato, cū uerfus modus constet. similis quæstio esse potest ei, quæ in duobus fundis agitata est, & si quis duos statuliberos uno precio uendat: & dicat, unum decem dare iussum, qui quindecim dare debuerat: alterum decem, qui quinque debebat. nam & hic tenebitur ex empto actione: quæ emptor à duobus uiginti accepturus sit. sed rectius est in omnibus scriptis casibus lucrum cum damno compensari: & si quid deest emptori, siue pro modo, siue pro qualitate loci, hoc ei resarciri.

## XLIII. IDEM lib. V. quæstionum.

**T**itius cum decederet, Seia Stichum, Pamphilum, Arescufam per fideicommissum reliquit: eiusq; fidei commisit, ut omnes ad libertatem post annum perduceret. cum legataria fideicommissum ad se pertinere noluisset, nec tamẽ hæredem à sua petitione liberasset: hæres eadem mancipia Sempronio uendidit, nulla commemoratione fideicommissæ libertatis facta. emptor cum pluribus annis mancipia scripta sibi seruisset: Arescufam manumisit. cum cæteri q̄q; serui, cognita uoluntate defuncti, fideicommissam libertatem petissent, & hæredem ad prætorem perduxissent: iussu prætoris ab hærede sunt manumissi. Arescusa quoq; nolle se emptorem patronum habere respondebat. cum emptor precium à uenditore empti iudicio Arescusa quoq; nomine repeteret: lectum est Domitij, Vlpiani responsum, quo continebatur: Arescufam pertinere ad rescriptum sacrarum cõstitutionum, si nollet emptorem patronum habere: emptorem tamen nihil posse post manumissionem à uenditore consequi. ego tũ memini Iulianum in ea sententia esse, ut existimaret, post manumissionem quoq; empti actionem durare. quæro quæ sententia uera sit? illud etiam in eadẽ cognitione nomine emptoris desiderabatur: ut sumptus, quos in unum ex his, quæ erudierat, fecerat: ei restituerentur. Item quæro Arescusa, quæ recusauit emptorem patronum, cuius sit liberta cõstitutæ? & an possit, uel legatariam, quæ eam non liberauit, uel hæredem patronum habere? cum cæteri duo ab hærede manumissi sunt? respondi. semper probauit Iuliani sententiam, putantis manumissione ex empto actionem eo modo nõ amitti. de sumptibus uero, quos in erudiendo hominem emptor fecit, uidendum est. nam empti iudicium ad eam quoq; speciem

em sufficere existimo. non enim precium continet tantum, sed omne, quod interest emptoris, seruum nō euinci. planē si in tantum precium excessisse proponas, ut nō sit cogitatum à uenditore de tanta summa. ueluti si ponas agitatore[m] postea factum, uel pantomimum euictum esse eum, qui minimo uenijt precio: iniquū uidetur in magnam quantitatē obligari uenditorem.

XLIIII. AFRICANVS lib. V. *questionum.*

**C**VM forte idem mediocrium facultatum sit: non ultra duplum periculum subire eum oportet.

XLV. PAVLVS lib. V. *questionum.*

**I**Dēq; Iulianum agitasse Africanus refert. quod iustum est: sicut & mihi inuitur præstatio, si seruus deterior apud emptorem effectus sit, cum euincitur. Illud expeditius uidebatur: si mihi alienam aream uenderis, & in eam ego ædificauero, atq; ita eam dominus euincat. nam quum possim petentem, nisi impensam ædificiorum soluat, doli mali exceptione submouere: magis est, ut ea res ad periculum uenditoris nō pertineat. quod & in seruo dicendum est, si in seruitute, non in libertate euincatur: ut dominus mercedis impensas præstare debeat. quod si emptor non possideat ædificium, uel seruum: ex empto habebit actionem. in omnibus tamen his casibus, si sciens quis alienum uendiderit, omnino teneri debet. Superest tertia deliberatio, cuius debeat esse liberta Arescusa, quæ recusat emptorem: & nō sine ratione dicitur, eius debere effici libertam, à quo uendita est: quia & ipse ex empto actione tenetur. sed hoc ita, si non Arescusa elegerit emptoris patronatū. tunc enim illius remanet liberta, & ille ex empto actionem non habet: quia nihil eius interest, cum eam liberam habeat.

XLVI. IDEM lib. XXIII. *questionum.*

**S**I quis alienam rem uēdiderit, & medio tempore hæres domino rei Sextiterit: cogetur implere uenditionem.

XLVII. IDEM lib. VI. *responsorum.*

**L**Vcius Titius accepta pecunia ad materias uendendas sub pœna certa, ita ut si nō integras præstiterit, intra statuta tēpora in pœnā conueniatur: partim datis materijs decessit. cum igitur testator in pœnā commiserit, neq; eius hæres reliquam materiam exhibuerit: an in pœnam & in usuras conueniri possit, præsertim cum emptor mutuatū pecuniam, usuras grauissimas expendit: Paulus respondit. Ex contractu, de quo quærat, etiam hæredem uenditoris in pœnam cōueniri posse. in actione quoq; ex empto, officio iudicis, post moram intercedentem, usurarum precij rationem haberi oportere.

XLVIII. SCAEVOLA lib. III. *responsorum.*

Titius

**T**itius hæres Sempronij fundum Septicio uendidit ita, **FVNDVS SEMPRONIANVS, ET QUIDQVID SEMPRONIANI IVRIS FVIT, ERIT TIBI EMPTVS TOT NVMIS:** uacuanq; possessione tradidit, neq; fines eius demonstrauit. quæritur, an empti iudicio cogendus sit ex instrumentis hæreditarijs, & qd iuris defunctus habuit, & fines ostendere: respõdi. id ex scriptura præstandum, quod sensisse intelliguntur. quod si non appareat: debere uenditorem, & instrumenta fundi, & fines ostendere. hoc etenim contractui bonæ fidei consonans esse.

**XLIX. HERMOGENIANVS** lib. II. *uris ὠντομῶν.*

**Q**ui per collusionem imaginarium colonum circūueniendi emptoris causa supposuit, ex empto tenetur: nec defenditur, si quo facilius excogitata fraus occultetur, colonum & quinquennij pensiones in suam fidem recipiat. Precij sorte, licet post morâ, soluta: usurae peti non possunt, cum hæc nō sint in obligatione, sed officio iudicis præstentur. **L. LABEO** lib. III. *posteriorū à Laboleno epitomatorū.*

**B**ona fides non patitur, ut cum emptor alicuius legis beneficio pecuniam rei uenditæ debere desisset, ante quàm res ei tradatur: uenditor tradere compellatur, & re sua carere. possessione autem tradita futurum est, ut rem uenditor eam amittat: utpote cum petenti eam rem emptor exceptionem rei uenditæ & traditæ objiciat: ut perinde habeatur, ac si petitor ei neq; uendidisset, neq; tradidisset.

**LI. IDEM** lib. V. *posteriorū à Laboleno epitomatorū.*

**S**i & per emptorem & uenditorem mora fuisset, quo minus uinum præberetur, & traderetur: perinde esse ait, quasi si per emptorem solum stetisset. non enim posse uideri moram per uenditorem emptori factam esse, ipso emptore posteriore morâ faciente. Quod si fundum emisti ea lege, ut des pecuniâ calendis Iulij: & si ipsis calendis per uenditorem esset factum, quo minus pecunia ei solueretur: deinde per te stare, quo minus solueres: uti posse aduersus te lege sua uenditorem dixit: quia in uendendo hoc ageretur, ut quandocunq; per emptorẽ factum sit, quo minus ei pecunia soluatur, legis poenam patiat. hoc ita uerum puto, nisi si quid uenditor in ea re dolo fecit.

**LII. SCAEVOLA** lib. VII. *digestorum.*

**C**reditor fundum sibi obligatum, cuius chirographa tributorum à debitore retro solutorum apud se deposita habebat, uendidit ea lege Mauius: ut si quid tributorum nomine debitum esset, emptor solueret. idem fundus ob causam eorum tributorū, quæ iam soluta erāt, à conductore saltus, in quo idem fundus est, uenit: eumq; idem Mauius emit, & precium soluit. quæsitū est, an empti iudicio, uel aliqua actione emptor à uenditore consequi possit, ut solutionum supra scriptarum

**RR** rum

rum chirographa dentur? respondit. posse emptoré empti iudicio con-  
sequi, ut instrumenta, de quibus quæreretur, exhibeantur. Prædium  
æstimatum in dotem à patre filia suæ nomine datum, obligatum credi-  
tori deprehenditur. quæsitum est, an filius, qui hæreditatem patris reti-  
net (cū ab ea se filia abstinuisset, dote contenta) actione ex empto tene-  
atur, ut à creditore lueret, & marito liberū prædiū præstaret? respōdit, re-  
neri. Inter uenditorem & emptorem militiæ ita conuenit, ut salari-  
um, quod debebatur ab illa persona, emptori cederet. quæsitū est, em-  
ptor militiæ quam quantitatem, à quo exigere, & quid ex eiusmodi pa-  
cto uenditor emptori præstare debeat? respondit. uenditorem actiones  
extraordinarias eo nomine, quas haberet, præstare debere. Ante do-  
mum mari iniunctā molibus iactis pilam cōstituit: & uti ab eo possessa  
domus fuit, Caio Seio uendidit. quæro, an pila, quæ ab auctore domui  
coniuncta erat, ad emptorem quoq; iure emptionis pertineat? respon-  
dit. eodem iure fore uenditam domum, quo fuisset prius, q̄ ueniret.

## LIII. LABEO lib. I. πρὸς τὸν υἱόν.

**S**I mercedem insulæ accessuram emptori dictum est: quanti insula  
locata est, tantum emptori præstetur. PAVLV S. imò si totā insu-  
lam eo nomine locaueris, ut amplius conductor locet, & in uendenda  
insula mercedē emptori cessurā esse dixeris: id accedet, quod tibi totius  
insulae conductor debet. Si eum fundū uendidisti, in quo sepulchrū  
habuisti, nec noiātim tibi sepulchrū excepisti: parū tibi eo nomine cau-  
tū habes. PAVLV S. minime: si modo in sepulchrū iter publicū transit.  
Si habitatoribus habitatio lege uenditionis recepta est: oībus in ea habi-  
tantibus, præter dominū, recte recepta habitatio est. PAVLV S. imò si  
cui in ea insula, quam uendidisti, gratis habitationem dederis, & sic re-  
ceperis, HABITATORIBVS, AVT IN QVAM QVISQVE DIEM CON-  
DVCTVM HABET: parū caueris. nominatim enim de his recipi oportu-  
it. itaq; eos habitatores emptor insulæ habitatione impune phibeat.

## LIIII. IDEM lib. II. πρὸς τὸν υἱόν.

**S**I seruus tuus, quem uendidisti, iussu tuo aliquid fecit, & ex eo cras  
sfregit: ita demum ea res tuo periculo non est, si id imperasti, quod  
solebat ante uenditionem facere: & si id imperasti, quod etiam nō uen-  
dito seruo imperaturus eras. PAVLV S. minime. nam si periculofam  
rem ante uenditionem facere solitus est: culpa tua id factum esse uide-  
bitur. puta eī eum fuisse seruū, qui per κατὰ δόμον γερᾶνου descendere,  
aut in cloacam demitti solitus esset. idem iuris erit, si eam rem impera-  
re solitus fueris, quam prudens & diligens paterfamilias imperaturus  
ei seruo non fuerit. Quid si hoc exceptum fuerit? tamen potes ei seruo  
nouam rem imperare, quam imperaturus non fuisses, si non uenisset:  
ueluti

ueluti si ei imperasti, ut ad emptorem iret, qui peregre esset. nam certe ea ratione tuo periculo esse non debet. itaque tota ea res ad dolum malum duntaxat, & culpam uenditoris dirigenda est. Si dolia octaginta accedere fundo, quæ in fossa essent, dictum erit: & plura erunt, quam ad eum numerum: dabit emptori ex omnibus, quæ uult, dummodo integret. si sola octaginta sint: qualiacumque sunt, emptorem sequentur: nec pro non integris quidquam ei uenditor præstabit.

LV. POMPONIVS lib. X. ἐπιστολῶν.

**S**I seruus, qui emeretur, uel promitteretur, in hostium potestate esset: Sosthenus magis putabat, ualere emptionem, & stipulationem: quia inter ementem & uendentem esset commercium. potius enim difficultatem in præstando eo inesse, quam natura: etiam si officio iudicis sustinenda esset eius præstatio, donec præstari possit.

LOCATI ET CONDUCTI. Tit. II.

PAVLVS lib. XXXIII. ad edictum.

**L**ocatio & conductio cum naturalis sit, & omnium gentium: non uerbis, sed consensu contrahitur, sicut emptio & uenditio.

II. CAIVS lib. II. rerum quotidianarum.

**L**ocatio & conductio proxima est emptioni & uenditioni, iisdemque iuris regulis constitit. nam ut emptio & uenditio contrahitur, si de precio conuenerit: sic & locatio & conductio contrahi intelligitur, si conuenerit de mercede. Adeo autem familiaritatem aliquam habere uidentur emptio & uenditio, item locatio & conductio: ut in quibusdam quæri soleat, utrum emptio & uenditio sit, an locatio & conductio. ut ecce si cum aurifice conuenerit, ut ex auro suo anulos mihi faceret certi ponderis, certæque formæ: & is acceperit (uerbi gratia) trecenta: utrum emptio & uenditio sit, an locatio & conductio: sed placet unum esse negotium, & magis emptionem & uenditionem esse. quod si ego aurum dederò, mercede pro opera constituta: dubium non est, quin locatio & conductio sit.

III. POMPONIVS lib. IX. ad Sabinum.

**C**um fundus locetur, & æstimatum instrumentum colonus accipiat: Proculus ait id agi, ut instrumentum emptum haberet colonus: sicuti fieret, cum quid æstimatum in dotem daretur.

IIII. IDEM lib. XVIII. ad Sabinum.

**L**ocatio, precarijque rogatio ita facta, quoad is, qui eam locasset, decessisset, uellet: morte eius, qui locauit, aut dedit, tollitur.

V. VLPIANVS lib. XXXIII. ad edictum.

RR ij Si tibi

**S**I tibi habitationem locaui, mox pensionem remittam: ex locato & conducto agendum erit.

VI. CAIVS lib. X. ad edictum prouinciale.

**I**S qui rem conduxit, non cogitur restituere id, quod rei nomine furti actione consecutus est.

VII. PAVLVS lib. XXXIII. ad edictum.

**S**I tibi alienam insulam locaui, tuque eandem sexaginta Titio locaueris, & Titius a domino prohibitus fuerit habitare: agente te ex conducto, sexaginta consequi debere placet: quia ipse Titio teneris in sexaginta.

VIII. TRIPHONINVS lib. VIII. disputationum.

**N**os uideamus, ne non sexaginta praestanda, nec quinquaginta sint, sed quanti interest perfrui conductorem. tantum denique consequetur medius, quantum praestare debebat ei, qui a se conduxerat: quoniam etiam emolumentum conductionis, ad comparationem uberioris mercedis computatum, efficit maiorem condemnationem. & tamen primus locator reputationem habebit pro quinquaginta, quae ab illo perciperet, si dominus insulae habitare nouissimum conductorem non uetuisset. quo iure utimur.

IX. VLPIANVS lib. XXXIII. ad edictum.

**S**I quis domum bona fide emptam, uel fundum locauerit mihi, isque sit euictus sine dolo malo culpaue eius: Pomponius ait, nihilominus eum teneri ex conducto ei, qui conduxit: ut praestetur ei frui, quod conduxit, licere. plane si dominus non patiat, & locator paratus sit aliam habitationem non minus commodam praestare: aequissimum esse ait, absolui locatorum. Huic subiungi potest, quod Marcellus libro sexto digestorum scribit. si fructuarius locauerit fundum in quinquenniū, & decesserit: heredem eius non teneri, ut frui praestaret: non magis, quam ut insula exusta teneretur locatori conductori. sed an ex locato teneatur conductor, ut pro rata temporis, quo fructus est, pensionem praestet, Marcellus quaerit: quemadmodum praestaret, si fructuarij serui operas conduxisset, uel habitationem: & magis admittit teneri eum. & est aequissimum. Idem quaerit. si sumptus fecit in fundum, quasi quinquennio fruiturus: an recipiat: & ait, non recepturum: quia hoc euenire posse, prospicere debuit. quid tamen, si non quasi fructuarius ei locauit, sed quasi fundi dominus: uidelicet tenebitur. decepit enim conductorem. & ira imperator Antoninus cum diuo Vero rescripsit. In exustis quoque aedibus eius temporis, quo aedificium stetit, mercedem praestandam rescripserunt.

Iulianus libro decimo quinto digestorum scripsit, si quis fundum locauerit, ut etiam si quid ui maiore accidisset, hoc ei praestaretur: pacto statim esse. Si colonis praediorum lege locationis, ut innocentem ignem haberent, denunciatum sit: siquidem fortuitus casus incendij causam

intule-

intulerit: non præstabit periculū locator. si uero culpa locatoris, quam præstare necesse est, damnum fecerit: tenebitur. Imperator Antoninus cum patre, cum grex esset abactus, quē quis conduxerat, ita rescriptit. si capras latrones citra tuā fraudem abegisse, pbari potest: iudicio locati casum præstare nō cogeris: atq; adeo temporis, quod insecutum est, mercedes ut indebitas recuperabis. Celsus etiā imperitiā culpæ ad numerādā libro octauo digestorū scripsit. puta si qs uitulos pascēdos, uel sarcindū quid, polliēdumūe conducit: culpā eū præstare debere. & quod imperitia peccauit, culpā esse. quippe ut artifex (inquit) cōduxit.

Si alienam domum mihi locaueris, eaq; mihi donata, uel legata sit: non teneri me tibi ex locato ob pensionem. sed de tēpore præterito uideamus, si quid ante legati diem pensionis debeatur. & puto soluendū.

**E**T ego ex conducto recte agam uel in hoc, ut me liberet.

X. IULIANVS lib. II. ad *Vrseium Ferozem*.

XI. VLPPIANVS lib. XXXIII. ad *edictum*.

**V**ideamus, an & seruorum culpam, & quoscunq; induxerit, præstare conductor debeat: & quatenus præstet, utrum ut noxæ seruos dedat, an uero suo noie teneatur. sed & aduersus eos, quos induxerit, utrum præstabit tantum actiones: an quasi ob propriam culpam tenebitur: mihi itaq; placet, ut culpam etiam eorum, quos induxit, præstet suo nomine, & si nihil conuenit: si tamen culpā in inducendis admisit, quod tales habuit, uel suos, uel hospites. & id Pomponius libro sexagesimo tertio adprobat. Si hoc in locatione conuenit, **IGNEM NE HABETO**, & habuit: tenebitur, etiam si fortuitus casus admisit incendium: quia non debuit ignem habere. aliud enim est ignem innocentem habere. permittit enim habere, sed innoxium ignem. Item prospicere debet conductor, ne aliquid rei ius uel corpus deterius faciat, uel fieri patiat. Qui uinum de Campania transportandum conduxit, deinde mota à quodam controuersia, signatum suo & alterius sigillo in apotheca deposuit: ex locato tenetur, ut locatori possessionem uini sine controuersia reddat: nisi culpa caret conductor. Inter conductorem & locatorem conuenerat, ne in uilla urbana scenum poneretur. posuit. deinde seruus igne illato succendit. ait Labeo, teneri conductorem ex locato: quia ipse causam præbuit inferendo scenum contra conductionem.

XII. HERMOGENIANVS lib. II. *iuris ἐπιτομῶν*.

**S**ed etsi quilibet extraneus ignē iniecerit, damni ratio locati iudicio habebitur.

XIII. VLPPIANVS lib. XXXIII. ad *edictum*.

**I**tem quæritur: si cisiarius, dū ceteros transire contendit, cisiū euertit, & seruū quassauit, uel occidit. puto ex locato esse in eū actionem.

RR iij tempe-

tēperare enim debuit. sed & utilis Aquiliae dabitur. Si nauicularius  
 onus Minturnas uehendum conduxerit, & cum Minturnense flumen  
 ea nauis subire non posset, in aliam nauem merces transfulerit, eaq; na  
 uis in hostio fluminis perierit: tenetur primus nauicularius. Labeo, si  
 culpa caret, non teneri ait. ceterum si uel inuito domino fecit, uel quo  
 non debuit tempore, aut si minus idoneae nauis: tunc ex locato agen  
 dum. Si magister nauis sine gubernatore in flumen nauē miserit, &  
 tempestate orta temperare non potuerit, & nauem perdiderit: uectores  
 habebunt aduersus eum ex locato actionem. Si quis seruum docen  
 dum conduxerit, eumq; duxerit peregre, & aut ab hostibus captus sit,  
 aut perierit: ex locato esse actionem placuit: si modo non sic conduxit,  
 ut peregre duceret. Item Iulianus libro octogesimo sexto digesto  
 rum scribit: si tutor puero parum bene facienti, forma calcei tam uehe  
 menter ceruicem percusserit, ut ei oculus effunderetur: ex locato esse  
 actionem patri eius. Quis enim magistris leuis castigatio cōcessa sit: ta  
 men hunc modum non tenuisse. sed & Aquilia, ut supra diximus. iniu  
 riarum autem actionem competere, Iulianus negat: quia non iniuriae  
 faciendae causa hoc fecerit, sed praecipendi. Si gemma includenda,  
 aut insculpenda data sit, eaq; fracta sit: siquidem uicio materiae factum  
 sit: non erit ex locato actio. si imperitia facientis: erit. huic sententiae ad  
 dendum est, nisi periculum quoq; in se artifex receperit. tunc enim, etsi  
 uicio materiae id euenerit, erit ex locato actio. Si fullo uestimenta po  
 lienda acceperit, eaq; mures roserint: ex locato tenetur, quia debuit  
 ab hac re cauere. & si pallium fullo permutauerit, & alij alterius dede  
 rit: ex locato actione tenebitur, etiam si ignarus fecerit. Exercitu ue  
 niente migravit conductor. deinde hospitio milites fenestras, & cetera  
 sustulerunt. si domino non denunciauit, & migravit: ex locato tenebi  
 tur. Labeo etiam, si resistere potuit, & non restitit, teneri ait. quae senten  
 tia uera est. sed si denunciare non potuit: non puto eū teneri. Si quis  
 mensuras conduxerit, easq; magistratus frangi iusserit: siquidem ini  
 quae fuerunt: Sabinus distinguit, utrum scit cōductor, an non. si scit: es  
 se ex locato actionem. si minus: non. quod si aequae sunt: ita demū eū  
 teneri, si culpa eius id fecit aedilis. & ita Labeo & Mela scribunt. Duo  
 rei locationis in solidum esse possunt. Si in lege operis locandi com  
 praehensum esset, ut si ad diem effectum nō esset, alij relocare id liceret:  
 non aliās prior conductor ex locato tenebitur, quā si eadem lege relo  
 catum esset: nec ante relocari id potest, quā dies efficiēdi praeterisset.  
 Qui impleto tempore conductionis remansit in conductione: nō so  
 lum reconduxisse uidebitur, sed etiam pignora uidentur durare obli  
 gatio. sed hoc ita uerum est, si non alius pro eo in priore cōductione res  
 obli

obligauerat. huius enim nouus consensus erit necessarius. eadem causa erit, & si reipublicæ prædia locata fuerint. Quod autem diximus, taciturnitate utriusque partis colonum reconduxisse uideri, ita accipiendum est: ut in ipso anno, quo tacuerunt, uideantur eandem locationem renouasse, non etiam in sequentibus annis, & si lustrum forte ab initio fuerat conductioni præstitutum. sed si secundo quoque anno post finitum lustrum nihil fuerit contrarium actum: eandem uideri locationem & in illo anno permansisse. hoc enim ipso, quod tacuerunt, consensisse uidentur. & hoc deinceps in unoquoque anno obseruandum est. In urbanis autem prædijs alio iure utimur: ut prout quisque habitauerit, ita obligetur: nisi in scriptis certum tempus conductionis cõprehensum est.

XIIII. IDEM lib. LXXI. ad edictum.

**Q**ui ad certum tempus cõducit, finito quoque tempore colonus est. intelligitur enim dominus, cum patitur colonum in fundo esse, ex integro locare: & huiusmodi contractus, neque uerba, neque scripturas utique desiderant, sed nudo consensu conualescunt. & ideo si interim dominus furere cõperit, uel decesserit: fieri non posse Marcellus ait, ut locatio redintegretur. & hoc uerum est.

XV. IDEM lib. XXXIII. ad edictum.

**E**x conducto actio conductori datur. competit autem ex his causis ferè ut puta si re, quam conduxerat, frui ei nõ liceat: forte quia possessio ei aut totius agri, aut partis non præstatur, aut uilla non reficitur, uel stabulũ, uel ubi greges eius stare oporteat. sed & quod in lege cõductionis conuenit, si hoc nõ præstatur: ex conducto agitur. Si uis tempestatis calamitosa contigerit: an locator conductori aliquid præstare debeat, uideamus. Seruius omnem uim, cui resisti non potest, dominũ colono præstare debere ait: ut puta fluminis, graculorum, sturnorum, & si quid simile acciderit: aut si incurfus hostium fiat. si qua tamen uicia ex ipsa re orientur, hæc damno coloni esse: ueluti si uinum coacuerit, si raucis, aut herbis segetes corruptæ sint. Sed & si labes facta sit, oemque fructum tulerit: damnum coloni non esse, ne supra damnum seminis mercedes agri præstare cogatur. sed & si uredo fructum oliuæ corruerit, aut solis feruore non assueto quid acciderit: damnum domini futurum esse. si uero nihil extra consuetudinem acciderit: damnum coloni esse. idemque dicendum esse, si exercitus præteriens per lasciuia aliquid abstulerit. sed si ager terræmotu ita corruerit, ut nusquam sit: dano domini esse. oportere enim agrũ præstari cõductori, ut frui possit. Cũ quidam incendium fundi allegaret, & remissionem desideraret, ita ei rescriptum est. si prædium coluisti: propter casum incendij repentini, non immerito subueniendum tibi est. Papinianus libro quarto respon-

forum

forum ait. si uno anno remissionē quis colono dederit ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contingat ubertas: nihil obesse domino remissionē: sed integram pensionē etiam eius anni, quo remisit, exigendā. hoc idē & in uestigialis agri damno respōdit. sed et si uerbo donationis dominus ob sterilitatē anni remisit: idem erit dicendū: quasi non sit donatio, sed transactio. quid tamen, si nouissimus erat annus sterilis, in quo ei remisit: uerius diceretur, si superiores uberes fuerūt, & scit locator: nō debere eum ad cōputationem uocari. Cum quidā de fructuū exiguitate quereretur: non esse rationē eius habendā, rescripto diui Antonini continetur. Item alio rescripto ita continetur. nouam rem desideras, ut propter uetustatem uinearum remissio tibi detur. Itē cum quidam naue amissa uecturam, quam pro inuesto nauta acceperat, repeteret: rescriptum est ab Antonino Augusto, non immerito procuratorem Cæsaris uecturam ab eo repetere, cum munere uehendi functus non sit. quod in omnibus personis similiter seruandum est. Vbi quōq; tamen remissionis ratio habetur ex causis supra relatis: non id, quod sua interest, conductor consequitur, sed mercedis exonerationem pro rata. deniq; supra damnum seminis ad colonum non pertinere declaratur. planē si dominus forte frui non patiatur: uel cum ipse locasset, uel cum alius alienum, uel quasi procurator, uel quasi suum: quod interest præstabitur. & ita Proculus in procuratore respondit. Interdum ad hoc ex locato agetur, ut quis locatione liberetur, quemadmodum Iulianus libro decimoquinto digestorum scripsit. ut puta fundum Titio locaui, isq; pupillo hærede instituto decessit. & cum tutor constituisset abstinere pupillum hæreditate, ego fundum pluris locaui. deinde pupillus restitutus est in bona paterna. ex conducto nihil amplius eū consecuturum, quā ut locatione liberetur. mihi enim iustam causam fuisse locandi.

**C** XVI. IULIANVS lib. XV. digestorum.  
Um eo tempore in pupillum actiones nullæ darentur.

XVII. VLPPIANVS lib. XXXIII. ad edictum.

**T** Utelæ tamen cum tutore iudicio ( inquit ) agetur, si abstinere eum non debuit.

**I** XVIII. IULIANVS lib. XV. digestorum.  
N quo etiā hoc inerit, quod ex cōductione fundi lucrū facere potuit.

XIX. VLPPIANVS lib. XXXIII. ad edictum.

**S** Ed addes hoc Iuliani sententiæ: ut si collusi ego cum tutore, ex conducto tenear in id, qd pupilli interfuit. Si quis dolia uiciosa ignarus locauerit, deinde uinum effluerit: teneatur in id, quod interest: nec ignorantia eius erit excusata, & ita Cassius scripsit. aliter atq; si saltum pasuum

pasuum locasti, in quo herba mala nascebatur. hic enim si pecora uel demortua sint, uel deteriora facta: quod interest, præstabitur, si scisti. si ignorasti: pensionem non petes. & ita Seruio, Labeoni, Sabino placuit.

Illud nobis uidendum: si quis fundum locauerit, quæ soleat instrumenti nomine conductori præstare: quæ si non præstet, ex locato teneatur. & est in epistola Neratij ad Aristonem. dolia utiq; colono præstanda esse, & prælum, & trapeta instructa funibus. si minus: dominum instruere ea debere. sed & prælum, & trapetum uiciatum, dominum reficere debere. quod si culpa coloni quid eorum corruptum sit: ex locato eum teneri. fiscos autem, quibus ad premendam oleam utimur, colonum sibi parare debere. quod si regulis olea prematur: & prælum, & fuculâ, & regulas, & tympanû, & trochleas, quibus releuetur prælum, dominum præstare oportere. Item ænium, in quo oliua calida aqua lauaretur, & cætera uasa olearia, dominum parare oportere: sicuti dolia quoq; uinaria ad præsentem usum colono picare oportet: hæc autem omnia sic sunt, nisi quid aliud specialiter actum sit. Si dominus exceperit in locatione, ut frumenti certum modum certo precio acciperet: & dominus nolit frumentum accipere, neq; pecuniam ex merce de deducere: potest quidem totam summam ex locato petere. sed utiq; consequens est existimare, officio iudicis hoc conuenire: haberi rationem, quanto conductoris intererit, in frumento potius, quam in pecunia soluere pensionis exceptam portionem. simili modo & si ex conducto agatur, idem erit dicendum. Si inquilinus hostium, uel quædam alia ædificio adiecerit: quæ actio locû habet? & est uerius, quod Labeo scripsit: competere actionem ex conducto, ut ei tollere liceat. sic tamẽ, ut damni infecti caueat: nedû aufert, in aliquo deteriorẽ causam ædium faciat: sed & ut pristinã faciem ædiũ reddat. Si inquilinus arcam æratã in ædes intulerit, & ædium dominus aditum coangustauerit: uerius est ex conducto eum teneri, & ad exhibendum actione: siue scit, siue ignorauit. officio autem iudicis continetur, ut cogat eum aditum & facultatem inquilino præstare ad arcam tollendam, sumptibus scilicet locatoris. Si quis, cum in annum habitationem conduxisset, pensionem totius anni dederit: deinde insula post sex menses corruerit, uel incendio consumpta sit: pensionem residui temporis rectissime Melascripsit, ex conducto actione repetiturũ, nec quasi indebitum conducturum. non enim per errorem dedit plus, sed ut sibi in causa conductionis prospiceret. aliter atq; si quis, cum decẽ conduxisset, quindecim soluerit. hic enim si per errorem plus soluit, dum putat se quindecim conduxisse: actionem ex conducto non habebit, sed solam conditionem. nam inter eum, qui per errorem soluit, & eum, qui pensionem integram

prærogauit, multum interest. Si quis mulierē uehendam naue conduxisset, deinde in naue infans natus fuisset: probandum est, pro infante nihil deberi: cum neque uectura eius magna sit, neque his omnibus utatur, quæ ad nauigantium usum parantur. Ex conducto actionem etiam ad hæredem transire, palam est. Cum quidam exceptor operas suas locasset, deinde is, qui eas conduxerat, decessisset: imperator Antoninus cum diuo Vero rescripsit ad libellum exceptoris in hæc uerba. cum per te non steteris proponas, quo minus locatas operas Antonio Aquilio solueres: si eodem anno mercedes ab alio non accepisti, fidem contractus impleri æquū est. Papinianus quoque libro tertio responsorum scripsit, diem functo legato Cæsaris, salarium comitibus residui temporis præstandum: modo si non postea comites cum alijs eodem tempore fuerint.

XX. PAVLVVS lib. XXXIII. ad edictum.

Sicut emptio, ita & locatio sub conditione fieri potest: sed donatio- nis causa contrahi non potest. Interdum locator non obligatur, conductor obligatur: ueluti cum emptor fundum conducit, donec precium exsoluat.

XXI. IABOLENVS lib. XI. ἐπισολῶν.

Cum uenderem fundum, conuenit, ut donec pecunia omnis persolueretur, certa mercede emptor fundum conductum haberet. an soluta pecunia, merces accepto fieri debeat: respondi. bona fides exigit, ut quod conuenit, fiat. sed non amplius præstat is uenditori, quam pro portione eius temporis, quo pecunia numerata non est.

XXII. PAVLVVS lib. XXXIII. ad edictum.

Item si precio non soluto inempta res facta sit: tunc ex locato erit iactio. Quoties etiam faciendū aliquid datur, locatio est. Cum infulam ædificandā loco, ut sua impensa conductor omnia faciat: proprietatem quidem eorum ad me transfert, & tamen locatio est. locat enim artifex operam suam, \* id est, faciendi necessitatem. Quemadmodum in emendo & uendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere, quod minoris sit, pluris uendere, & inuicem se circūscribere: ita & in locationibus quoque & cōductionibus idē iuris est.

XXIII. HERMOGENIANVS lib. II. iuris ὑποτομῶν.

ET ideo prætextu minoris pensionis locatione facta, si nullus dolus aduersarij probari possit, rescindi locatio non potest.

XXIII. PAVLVVS lib. XXXIII. ad edictum.

SI in lege locationis compræhensum sit, ut arbitrato domini opus sadprobetur: perinde habetur, ac si uiri boni arbitrium compræhensum fuisset. idemque seruatur, si alterius cuiuslibet arbitrium compræhensum

\* hæc al's  
desunt.

hensum sit. nam fides bona exigit, ut arbitrium tale præstetur, quale uiro bono conuenit. idq; arbitrium ad qualitatem operis, non ad prorogandum tempus, quod lege finitum sit, pertinet: nisi id ipsum lege comprehensum sit. quibus cōsequens est, ut irrita sit adprobatio dolo conductoris facta, & ex locato agi possit. Si colonus locauerit fundum, res posterioris conductoris domino non obligant: sed fructus in causa pignoris manent, quemadmodum et si primus colonus eos percipisset. Si domus uel fundus in quinquennium pensionibus locatus sit: potest dominus, si deseruerit habitationem uel fundi culturam colonus uel inquilinus, cū eis statim agere. sed & de his, quæ præsentē die præstare debuerunt: ueluti ut opus aliquod efficerent, uel propagationes facerent: agere similiter potest. Colonus, si ei frui non liceat, totius quinquennij nomine statim recte ager: & si reliquis annis dominus fundi frui patiatur. nec enim semper liberatur dominus, eò quod secundo uel tertio anno patiatur fundo frui. nam & qui expulsus à conductione, in aliam se coloniam contulerit, nō suffecturus duabus: neq; ipse pensionum nomine obligatus erit, & quantum per singulos annos cōpendij facturus erat, cōsequetur. sera est enim patientia fruendi, quæ offertur eo tempore, quo frui colonus, alijs rebus illigatus, non potest. quod si paucis diebus, phibuit, deinde pœnitentiã egit, omniaq; colonus in integro sunt: nihil ex obligatione paucorū dierū mora minuet. item ex conducto utiliter ager is, cui secundum conventionem non præstantur, quæ conuenerant: siue phibeatur frui à domino, siue ab extraneo, quem dominus prohibere potest. Qui in plures annos fundum locauerat, testamento suo damnauit hæredem, ut conductores liberaret. si non patiatur hæres eum reliquo tempore frui: est ex conducto actio. quod si patiatur, nec mercedes remittat: ex testamento tenet.

XXV. CAIVS lib. X. ad edictū prouinciale.

**S**I merces promissa sit generaliter alieno arbitrio: locatio & conductio contrahi non uidetur. sin autē quanti Titius æstimauerit: sub hac conditione stare locationem, ut siquidem ipse, qui nominatus est, mercedem definierit: omnimodo secundū eius æstimationem, & mercedē persolui oporteat, & conductionem ad effectum peruenire. sin autē ille uel noluerit, uel non potuerit mercedē definire: tunc pro nihilo esse conductionē, quasi nulla mercede statuta. Qui fundū fruendū, uel habitationē alicui locauit: si aliqua ex causa fundū uel ædes uēdat: curare debet, ut apud emptorē quoq; eadem pactione & colono frui, & inquilino habitare liceat. alioquin is phibitus, ager cū eo ex cōducto. Si uicino ædificante obscurantur lumina cœnaculi: teneri locatorē inquilino. certe quin liceat colono uel inquilino relinquere conductionem, nulla

SS ij dubia

dubitatio est. de mercedibus quoq; si cum eo agatur, reputationis ratio habenda est. eadem intelligemus, si hostia fenestrasne nimium corruptas locator non restituat. Conductor omnia secundum legē conductionis facere debet, & ante omnia colonus curare debet, ut opera rustica suo quæq; tempore faciat: ne intempestiua cultura deteriorē fundum faciat. præterea uillarum curam agere debet, ut eas incorruptas habeat. Culpæ autem ipsius & illud adnumeratur, si propter inimicitias eius uicinus arbores exciderit. ipse quoq; si exciderit, non solum ex locato tenetur, sed etiam lege Aquilia, & ex lege duodecim tabularum arborum furtim cæsarum, & interdicto quod ui aut clam. sed utiq; iudicis, qui ex locato iudicat, officio continetur: ut cæteras actiones locator omittat. Vis maior, quam Græci *θεῶν βία* appellant, non debet conductori damno esse: si plus, quàm tolerabile est, læsi fuerint fructus. alioquin modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non auferitur. apparet autem de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit. alioquin partiarius colonus, quasi iure societatis, & damnum, & lucrū cum domino fundi partitur. Qui columnam transportandam conduxit: si ea, dum tollitur aut portatur, aut reponitur, fracta sit: ita id periculū præstat, si qua ipsius, eorumue, quorum opera utitur, culpa acciderit. culpa autem abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisq; obseruaturus fuisset. Idem sanè intelligemus, et si dolia, uel tignum transportandū aliquis conduxerit. idemq; etiam ad cæteras res transferri potest. Si sullo aut sarcinator uestimenta perdiderit, eoq; nomine domino satisfacerrit: necesse est domino, uindicationem eorum, & cōditionem cedere.

XXVI. VLP IANVS lib. II. *disputationum.*

**I**n operis duobus simul locatis, conuenit priori cōductori ante satis fieri.

XXVII. ALFENVS lib. II. *digestorū à Paulo epitomatorū.*

**H**abitatores non statim, si paulo minus commode aliqua parte cœnaculi uterentur, deductionē ex mercede facere oportere. ea enim conditione habitatorem esse, ut si quid\* aduersarium incidisset, quamobrem dominum aliquid demoliri oporteret: aliquam partem incommodi paruulam sustineret. non ita tamen, ut eam partem cœnaculi dominus aperiat, in quam habitator magnam partem usus haberet. Iterum interrogatus, si quis timoris causa emigrasset, an deberet mercedem, nec'ne: respondit. si causa fuisset, cur periculum timeret: quamuis periculum uere nō fuisset, tamen non debere mercedem. sed si causa timoris iusta non fuisset: nihilominus debere.

**Q**uod si domus habitatione conductor æque usus fuisset: præstatum

\* aliàs,  
transuer  
sarium.

rum

rum eius etiã domus mercedem, quã uicium fecisset, putat. Idem iuris esse, si potestatem conducendi habebat, ut precium conductionis præstaret dominus. Sed & si locator conductori potestatem conducendæ domus non fecisset: & is, in qua habitaret, conduxisset: tantum ei præstandum putat, quantum sine dolo malo præstitisset. Cæterum si gratuitam habitationem habuisset: pro portione temporis ex locatione domus deducendum esse.

## XXIX. ALFENVS lib. VII. digestorum.

**I**N lege locationis scriptum erat: REDEMPTOR SYLVAM NE CAEDITO, NE'VE CINGITO, NE'VE DEVRITO, NE'VE QVEM CINGERE, CAEDERE, VRERE SINITO. quærebatur, utrum redemptor, si quem quid earum rerum facere uideret, etiam prohibere deberet: an etiam ita syluam custodire, ne quis id facere possit: respondi. uerbum SINERE utranq; habere significationem. sed locatorem potius id uideri uoluisse: ut redemptor non solum, si quem casu uidisset syluã cadere, prohiberet: sed uti curaret & daret operam, ne quis etiam caderet.

## XXX. IDEM lib. III. digestorum à Paulo epitomatorum.

**Q**Vi insulam triginta conduxerat, singula coenacula ita locauit, ut quadraginta ex omnibus colligerentur. dominus insulæ, quia ædificia uicium facere diceret, demolierat eam. quæsitum est, quanti lis æstimari deberet, si is, qui totam conduxerat, ex conducto ageret: respondi. si uiciatum ædificium necessariò demolitus esset: pro portione, quanti dominus prædiorum locasset, quod eius temporis habitatores habitare non potuissent, rationem duci, & tanti litem æstimari. sin autem non fuisset necesse demoliri, sed quia melius ædificare uellet, id fecisset: quanti conductoris interesset, habitatores ne migrarent, tanti condemnari oportere. Aedilis in municipio balnea conduxerat, ut eo anno municipes gratis lauarent. post tres menses incendio facto combusta sunt. respondi. posse agi cum balneatore ex conducto, ut pro portione tēporis, quo lauationem non præstitisset, pecuniæ contributio fieret. Qui mulas ad certum pondus oneris locarat: cū maiore onere conductor eas rupisset, cōsulebat de actione. respondi, uel lege Aquilia, uel ex locato recte eū agere. sed lege Aquilia tantū cum eo agi posse, qui tum mulas egisset: ex locato, etiam si alius eas rupisset, cū conductore recte agi. Qui ædem faciendam locauerat, in lege dixerat: QVOAD OPVS LAPIDIS ERIT, PRO LAPIDE ET MANVS PRECIO DOMINVS REDEMPTORI IN PEDES SINGVLOS SEPTENA DABIT. quæsitum est, utrum factum opus, an etiam imperfectum metiri oportet: respondi. & imperfectum. Colonus uillam hac lege acceperat,

SS ij ut in

ut incorruptā redderet, præter uim & uetustatē. coloni seruus uillam incendit non fortuito casu. non uideri eam uim exceptam respondit: nec id pactum esse, ut si aliquis domesticus eas incendisset, ne præstaret: sed extrariam uim utrosq; excipere uoluiffe.

XXXI. IDEM lib. V. digestorum à Paulo epitomatorum.

**I**N naue Saupheij complures frumentum confuderant. Saupheius uni ex his frumentum reddiderat de communi, eaq; nauis perierat. quæsitum est, an cæteri pro sua parte frumenti cū naua agere possent oneris auersi actione; respondit. rerum locatarum duo genera esse: ut aut idem redderetur, sicuti cū uestimenta fulloni curanda locarentur: aut eiusdem generis, ueluti cum argentum pustulatum fabro daretur, ut uasa fierent, aut aurum, ut anuli. ex superiore casu rem domini manere, ex posteriore in creditū iri. idem iuris esse in deposito. nam si quis pecuniam numeratā ita deposuiffet, ut neq; clausam, neq; obfiguratam traderet, sed adnumeraret: nihil aliud eum debere, apud quem deposita esset, nisi ut tantundem pecuniæ solueret. Secundum quæ uideri triticum factum Saupheij, & recte datum. Quod si separatim tabulis, aut centonibus, aut in alia cupa clausum uniuscuiusq; triticum fuiffet, ita ut internosci posset, quod cuiusq; esset: non potuisse nos permurationem facere: sed tunc posse eum, cuius fuiffet triticum, quod naua soluiisset, uindicare. & ideo se improbare actiones oneris auersi: quia siue eius generis essent merces, ut si nauæ traderentur, continuo eius fierent, & mercator in creditū iret: non uideretur onus esse auersum, quippe quod nauæ fuiffet. siue eadē res, quæ tradita esset, reddi deberet: furti esse actionem locatori. & ideo superuacuum esse oneris auersi iudicium. Sed si ita datum esset, ut in simili re solui posset: conductorem culpam duntaxat præstare debere. nam in re, quæ utriusq; causa contraheretur, culpam debere. neq; omnimodo culpam esse, quod uni reddidisset ex frumēto: quoniam alicui primum reddere eū necesse fuiffet, tametsi meliorem eius conditionem faceret, q̄ cæterorum.

XXXII. IULIANVS lib. II. ex Minutio.

**Q**VI fundum colendum in plures annos locauerat, decessit, & eum fundū legauit. Cassius negauit posse cogi colonū, ut eū fundum coleret: quia nihil hæredis interesset. quod si colonus uellet colere, & ab eo, cui legatus esset fundus, prohiberetur: cum hærede actionem habere colonum, & hoc detrimentū ad hæredem pertinere: sicuti si quis rem, quam uendidisset, nec dum tradidisset, alij legasset: hæres eius emptori & legatario esset obligatus.

XXXIII. AFRICANVS lib. VIII. questionum.

**S**I fundus, quem mihi locaueris, publicatus sit: teneri te ex conducto actione

aliās \* æ-  
ronibus.  
als, hero  
nibus.  
als+inter  
nos sciri

actione, ut mihi frui liceat: quamuis per te non stet, quo minus id præstes, quemadmodum (inquit) etsi insulam ædificandam locasses, & solum corruisset: nihilominus teneberis. nam etsi uédideris mihi fundū, isq; prius, quàm uacitus traderet, publicatus fuerit: teneris ex empto. Qd hætenus erit uerū, ut precium restituas: non ut etiā præstes, si quid pluris mea interfit, eū uacuum mihi tradi. similiter igitur & circa conductionem seruandum puto: ut mercedem, quam præstiterim, restituas: eius scilicet temporis, quo fructus non fuerim: nec ultra actione ex conducto præstare cogeris. nam etsi colonus tuus fundo frui à te, aut ab eo prohibeatur, quem tu prohibere, ne id faciat, possis: tantū ei præstabis, quanti eius interfuerit frui. in quo etiam lucrum eius continebitur. sin uero ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter uim maiorem, aut potentiam eius non poteris: nihil amplius ei, quàm mercedem remittere, aut reddere debebis.

**P** XXXIIII. CAIUS lib. X. ad edictum prouinciale.  
Erinde ac latronum incurfu id acciderit.

XXXV. AFRICANVS lib. VIII. questionum.

**E**T hæc distinctio conuenit illi, quæ à Seruio introducta, & ab omnibus ferè probata est: ut si auersione insulam locatam dominus reficiendo, ne ea conductor frui possit, effecerit: animaduertatur necessario, nec ne, id opus demolitus sit. quid enim interest, utrum locator insulæ propter uetustatem cogat eam reficere, an locator fundi cogatur ferre iniuriam eius, quem prohibere non possit: intelligendū est autem nos hac distinctione uti de eo, qui & suum prædium fruendum locauerit, & bona fide negotium contraxerit: non de eo, qui alienū prædium per fraudem locauerit, nec resistere domino possit, quominus is colonum frui prohibeat. Fundum communem habuimus: & inter nos cōuenit, ut alternis annis certo precio eum conductum haberemus. tu cum annus tuus exiturus esset, consultò fructum sequentis anni corruisti. agam tecum duabus actionibus: una ex conducto, altera ex locato. locati enim iudicio mea pars propria, conducti autem actione tuaduntaxat propria in iudicium ueniet. deinde ita notat. non ne quod ad meam partem attinebit, communi diuidendo iudicio præstabitur à te mihi damnū? recte quidem. sed tamen etiam Seruī sententiam ueram esse puto: in eo scilicet, ut cum alterutra actione rē seruauerim, altera perimatur. quod ipsum simplicius quæremus ita: si proponatur inter duos, qui singulos proprios fundos haberent, conuenisse: ut alter alterius ita conductū haberet, ut fructus mercedis nomine pēsarentur,

XXXVI. FLORENTINVS lib. VIII. institutionum.

**O**pus, quod auersione locatum est, donec adprobetur, conductoris pe-

aliás\* de.  
est.

ris periculó est. Quod uero ita conductum sit, ut in pedes mensurasue præstetur: eatenus conductoris periculo est, quatenus ad mensum non sit: & in utraq; causa nociturum locatori, si per eum steterit, quo minus opus adprobetur, uel admetiatur. si tamen ui maiore opus prius interciderit, quam adprobaretur: locatoris periculo \*nó est, nisi si aliud actum sit. non enim amplius locatori præstari oportet, quam sua cura atq; opera consecutus est.

XXXVII. IABOLENVS lib. VIII. ex Cassio.

**S**i prius, quam locatori probaretur, opus ui aliqua consumptum est: detrimentum ad locatorem ita pertinet, si tale opus fuit, ut probari deberet.

XXXVIII. PAVLVS lib. singulari regularum.

**Q**ui operas suas locauit, totius temporis mercedem accipere debet: si per eum non steterit, quo minus operas præstaret. Ad uocati quoq; si per eos non steterit, quo minus causam agant, honoraria reddere non debent.

XXXIX. VLPIANVS lib. XXXIII. ad edictum.

**N**on solet locatio dominium mutare.

XL. CAIUS lib. X. ad edictum prouinciale.

**Q**ui mercedem accepit pro custodia alicuius rei: is eius periculum pro custodia præstat.

XLI. VLPIANVS lib. XXV. ad edictum.

**S**ed de damno ab alio dato, agi cum eo non posse, Iulianus ait. quæ enim custodia cõsequi potuit, ne damnũ iniuria ab alio dari possit: sed Marcellus interdũ agi posse ait: siue custodiri potuit, ne damnũ daretur: siue ipse custos damnũ dedit. quæ sententia Marcelli probanda est.

XLII. PAVLVS lib. XXXIII. ad edictum.

**S**i locatum tibi seruum subripias: utrunq; iudicium aduersus te est. Sexercendum, locati, & furti.

XLIII. IDEM lib. XXII. ad edictum.

**S**i uulneraueris seruum tibi locatum: eiusdem uulneris nomine legis Aquiliæ, & ex locato actio est. sed alterutra contentus actor esse debet: idq; officio iudicis continetur, apud quem ex locato agetur.

XLIII. VLPIANVS lib. XVII. ad edictum.

**L**ocare seruitutem nemo potest.

XLV. PAVLVS lib. XXII. ad edictum.

**S**i tibi domum locauero, & serui mei tibi damnũ dederint, uel furtum fecerint: non teneor tibi ex conducto, sed noxali actione. Si hominem tibi locauero, ut habeas in taberna, & is furtum fecerit: dubi  
tari

tari potest, utrum ex conducto actio sufficiat, quasi longe sit à bona fide, ut quid patiaris detrimenti per eam rem, quam conduxisti: an adhuc dicendum sit, extra causam conductionis esse furti crimen, & in propriam persecutionem cadere hoc delictum. quod magis est.

XLVI. VLP IANVS lib. LXX. ad edictum.

**S**I quis conduxerit numo uno, conductio nulla est: quia & hoc donationis instar inducit.

XLVII. MARCELLVS lib. VII. digestorum.

**C**VM apparebit emptorem conductorem uel pluribus uendentem uel locantem, singulorum in solidum intuitum personam: ita de mum ad præstationem partis singuli sunt compellendi, si constabit omnes esse soluendo. quanquam fortasse iustius sit, (etiam si soluendo omnes erunt) electionem conueniendi, quem uelit, non auferendam actori: si actiones suas aduersus cæteros præstare non recuset.

XLVIII. IDEM lib. VIII. digestorum.

**S**I cui locauero faciendum, quod ego conduxeram: constabit habere me ex locato actionem. Qui seruum conductum, uel aliam rem non immobilem non restituit: quanti in litem iuratum fuerit, damnabitur.

XLIX. MODESTINVS lib. VI. excusationum.

**O**ὶ ὑπὸ τροπῶν γενόμενοι ἢ κηρατορες, περιέκτεται δὲ τῆς κηδεμονίας, μισθωταὶ δὲ τῶν τῶν καίσαρος χωρίων γενέσθαι κωλύονται. καὶ τῆς ἀποκευφάμενης τῆς τοῦ προσέληθῆτι μισθώσθαι τῶν τῶν καίσαρος χωρίων: ὡς παρὰ παύσας κολάζεται. τὸ τοῦ ἐκείνους ὁ αὐτοκράτωρ Σεβαστῶν. κατὰ ταῦτα δὲ καὶ οἱ ἐγχερίζοντες ἐπιτροπῶν ἢ κηρατορίας, εἴμ κηρωλυμένοι μισθῶσθαι καὶ παρὰ ταμίαν χωρία.

L. IDEM lib. X. πανδεκτῶν

**S**I ignorans quis militi quasi pagano locauerit: exigere illum posse, probandum est. non enim contemnit disciplinam, qui ignorauit militem.

LI. IABOLENVS lib. XI. ἐπιστολῶν.

**E**A lege fundum locaui, ut si non ea lege coleretur, relocare eam mihi liceret: & quo minoris locassem, hoc mihi præstaretur: & cū nemo fundum colebat, pluris tamen locaui. quaero, an hoc ipsum præstare debeam: respondi: in huiusmodi obligationibus id maxime spectare debemus, quod inter utranq; partem conuenit. uidetur autem in hac specie id silentio conuenisse, ne quid præstaretur, si ampliore pecunia fundus esset locatus: id est, ut hæc conuentio pro locatore tantum modo interponeretur. Locaui opus faciendum, ita ut pro opere redemptori certam mercedem in dies singulos darem. opus uiciosum fa-

TT etum

ctum est. an ex locato agere possim? respondi. si ita opus locasti, ut bonitas eius tibi à conductore adproberetur: tamen si conuenit, ut in singulas operas certa pecuniâ daretur: præstari tamen tibi à conductore debet, si id opus uiciosum factum est. nõ enim quidquam interest, utrum uno precio opus, an in singulas operas collocatur: si modo uniuersitas consummationis ad conductorem pertinuit. poterit itaq; ex locato cū eo agi, qui uiciosum opus fecerit: nisi ideo in operas singulas merces constituta erit, ut arbitrio domini opus perficeretur. tunc enim nihil conductor præstare domino de bonitate operis uidetur.

LII. POMPONIVS *lib. XXXI. ad Q. Mutium.*

**S**I decem tibi fundum locauero, tu autem existimes quinq; te conducere: nihil agitur. sed etsi ego minoris me locare sensero, tu pluris te conducere: utiq; non pluris erit conductio, quàm ego putauit.

LIII. PAVLVS *lib. XI. responsorum.*

**Q**VI fideiussor existit apud mancipem pro colono publicorū prædiorum, quæ manceps ei colono locauit: reipublicæ non teneatur, sed fructus in eadem causa pignoris manent.

LIIII. IDEM *lib. V. responsorum.*

**Q**VARO, an fideiussor conductionis etiam in usuras non illatarum pensionum nomine teneatur: nec profint ei constitutiones, quibus cauetur eos, qui pro alijs pecuniam exsoluerint, fortis solummodo damnnum agnoscere oportere? Paulus respõdit. si in omnẽ causam conductionis etiam fideiussor se obligauit: eum quoq; exemplo coloni, tardius illatarum per moram coloni pensionum præstare usuras debere. usuræ enim in bonæ fidei iudicijs, & si nõ tam ex obligatione proficiscantur, quàm ex officio iudicis adplicentur: tamen cum fideiussor in omnem causam se obligauit, æquum uidetur, ipsum quoq; agnoscere onus usurarum, ac si ita fideiussisset, IN QUANTVM ILLVM CONDEMNARI EX BONA FIDE OPORTEBIT, TANTVM FIDE TVA ESSE IVBES? uel ita. INDEMNEM ME PRAESTABIS? Inter locatorem fundi & conductorem conuenit, ne intra tempora locationis eius conductor de fundo inuitus repelleretur: etsi pulsus esset, pœnam decẽ præstaret Titius locator Seio conductori: uel Seius conductor Titio, si intra tempora locationis discedere uellet, æque decẽ Titio locatori præstaret. quod inuicem de se stipulati sunt. quæro. cum Seius conductor biennij continui pensionem non solueret, an sine metu pœnæ expelli possit? Paulus respondit. quamuis nihil expressum sit in stipulatione pœnali de solutione pensionum: tamen uerisimile esse, ita conuenisse de non expellendo colono intra tempora præfinita, si pensionibus paruerit, & ut oportet, coluerit. & ideo si cõperit petere pœnam is, qui pen-

pensionibus satis non fecit: profuturam locatōri doli exceptionem.  
 Paulus respondit. seruus, qui aestimatus colonæ adscriptus est, ad periculum colonæ pertinebit. & ideo aestimationem huius defuncti ab hærede colonæ præstari oportebit.

L V. IDEM lib. II. *sententiarum.*

**D**ominus horreorum effraactis & expilatis horreis non tenetur, nisi custodiam eorum receperit. serui tamen eius, cum quo contractum est, propter ædificiorum noticiam in quæstionem peti possunt.

In conducto fundo si conductor sua opera aliquid necessariò uel utiliter auxerit, uel ædificauerit, uel instituerit, cum id non conuenisset: ad recipienda ea, quæ impendit, ex conducto cum domino fundi experiri potest. Qui contra legem conductionis fundum ante tempus sine iusta ac probabili causa deseruerit: ad soluendas totius temporis pensiones ex conducto conueniri potest: quatenus locatori in id, quod eius interest, indemnitas seruetur.

L VI. IDEM lib. *singulari de officio præfecti uigili.*

**C**um domini horreorum insularumque desiderant (dii non apparentibus, nec eius temporis pensionem exsoluentibus conducto) aperiri horrea, & ea, quæ ibi sunt, describi à publicis personis, quorum interest: audiendi sunt. tempus autem in huiusmodi re biennij debet obseruari.

L VII. IABOLENVS lib. III. *ex posterioribus Labeonis.*

**Q**ui domum habebat, aream iniunctam ei domui uicino proximo locauerat. is uicinus cum ædificaret in suo: terram in eam aream amplius, quam fundamenta cæmenticia locatoris erant, congestit: & ea terra assiduis pluuijs inundata, parietis eius, qui locauerat, humore præstito, ædificia corruerunt. Labeo ex locato tantummodo actionem esse ait: quia non ipsa congestio, sed humor ex ea congestione postea damno fuerit. damni autem iniuriæ actio ob ea ipsa sit, per quæ non extrinsecus alia causa oblata, damno quis affectus est. hoc probo.

L VIII. LABEO lib. III. *posteriorum à Iaboleno epitomatorum.*

**I**nsulam uno precio totam locasti, & eam uendidisti, ita ut emptori mercedes inquilinorum accederent. quamuis eam conductor maiore precio locauerit: tamen id emptori accedet, quod tibi conductor debet. In operis locatione erat dictum, ante quem diem effici fleberet. deinde si ita factum non esset, quanti locatoris interfuisset, tantam pecuniam conductor promiserat: eatenus eam obligationem contrahi puto, quatenus uir bonus de spacio temporis aestimasset: quia id actum apparet esse, ut eo spacio absolueretur, sine quo fieri non posset. Qui in municipio balineum præstandum annuis uiginti numis conduxe-

TT ij rat:

rat: & ad refectionem fornacis, fistularum, similiarumq; rerum centum numi ut ei præstarentur, conuenerat. conductor centum numos petebat. ita ei deberi dico, si in earum rerum refectionem eam pecuniam impendi satisfidaret.

LIX. IABOLENVS lib. V. ex posterioribus Labeonis.

**M**Artius domum faciendam à Flacco conduxerat. deinde operis parte effecta, terræ motu concussum erat ædificium. Masurius Sabinus ait. si naturali ui, ueluti terræ motu, hoc acciderit: Flacci esse periculum.

LX. LABEO lib. VI. posteriorū à Iaboleno epitomatorū.

**C**Vm in plures annos domus locata est: præstare locator debet, ut non solū habitare cōductor ex calendis Iulijs cuiusq; anni, sed etiā  
 \*als. loca  
 re habita  
 tor cum  
 alijs.  
 \*locare & habitare cum alijs (si uelit) suo tempore possit. itaq; si ea domus ex calendis Iulijs fracta, usq; in calendas Iunias permansisset, ita ut nec habitare quisquam, nec ostendi alicui possit: nihil locatori conductorem præstaturū. adeo, ut nec cogi quidē possit, ex calendis Iunijs resecta domo habitare: nisi paratus fuisset locator, commodā ei domū ad habitandum dare. Hæredem coloni, quamuis colonus non est, nihilominus domino possidere existimo. Vestimenta tua si fullo perdidit, & habes, unde petas, nec petere uis: ages nihilominus ex locato cū fullone: sed iudicem putat æstimaturum, an possis aduersus furē magis agere, & ab eo tuas res cōsequi, fullonis uidelicet sumptibus. sed si hoc tibi impossibile esse perspexerit: tunc fullonē tibi quidem condemnabit, tuas autem actiones te ei præstare compellet. Lege dicta, domus facienda locata erat, ita ut probatio aut improbatio locatoris aut hæredis eius esset. redemptor ex uoluntate locatoris quædā in opere permutauerat. respondit. opus quidem ex lege dicta nō uideri factum: sed quoniam ex uoluntate locatoris quædam permutata essent, redemptorem absolui debere. Mandauit tibi, ut excuterer, quanti uillam ædificare uelles. renunciaisti mihi, ducentorū impensam excutere. certa mercede opus tibi locaui. postea comperi, non posse minoris, quam trecentis eam uillam constare. data autem tibi erant centum. ex quibus cum partem impendisses, uetui te opus facere. dixi. si opus facere perseveraueris: ex locato me tecum agere, ut partem mihi reliquam restituas. Messem inspiciente colono, cum alienam esse non ignorares, sustulisti. condicere tibi frumentum dominum posse, ait: & ut id faciat, colonum ex conducto cum domino acturum. Locator horrei propositum habuit, se aurum, argentum, margarita non recipere suo periculo. deinde cum sciret has res inferri, passus est. perinde eum futurum tibi obligatum dixi, ac si propositum fuerit remissum. Ser-

num

num meum mulionem conduxisti. negligentia eius malus tuus perijt. si ipse se locasset: ex peculio duntaxat, & in rem uersum damnum tibi dominum præstaturum. si autem ego ipse eum locassem: non ultra me tibi præstaturum, quam dolum malum & culpam abesse. quod si sine definitione personæ mulionem à me conduxisti, & ego eum tibi dedi, cuius negligentia iumentum perierit: illam quoque culpam me tibi præstaturum aio: quod eum elegissem, qui eiusmodi damno te afficeret. Vehiculum conduxisti, ut onus tuum portaret, & secum iter faceres: & cum pontem transiret, redemptor eius pontis portorium ab eo exigebat. quærebat, an etiam pro ipsa rhæda portorium daturus fuerat: puto. si portorium mulio non ignorauit, & se eà transiturum, cum uehiculum locaret: mulionem præstare debere. Rerū custodiam, quam horrearius conductoribus præstare deberet, locatorem totorum horreorum horreario præstare non debere puto: nisi in locando aliter conuenerit.

LXI. SCAEVOLA lib. VII. *digestorum.*

Colonus, cum lege locationis non esset comprehensum, ut uineas cõponeret: nihilominus uineas instituit, ut propter earū fructus dehis amplius aureis annuis is ager locari cõperit. quæsitum est. si dominus istum colonum fundo eiectum, pensionum debitarū nomine conueniat: an sumptus utiliter factos in uineis instituendis repetere possit, opposita doli mali exceptione: respondi, uel expensas consecuturum, uel nihil amplius præstaturum. Nauem conduxī, ut de prouincia Cyrenensi Aquilegiā nauigarem, olei metretis tribus milibus impositis, & frumētī modijis octo milibus, certa mercede. sed euenit, ut onerata nauis in ipsa prouincia nouem mensibus retineretur, & onus impositum commisso tolleretur. quæsitum est, an uecturas, in quas conuenit, à conductore secundum locationem nauis exigere possit: respondi, secundum ea, quæ proponerentur, posse.

LXII. LABEO lib. I. *περὶ ἑνοχίου.*

Si riuum, quem faciendum conduxeras, & feceras, ante quam eum probares, labes corruptit: tuum periculum est. PAVLVVS. imò si soli uicio id accidit, locatoris erit periculum: si operis uicio id accidit, tuum erit detrimentum.

## DE AESTIMATORIA.

## Tit. III.

VLPPIANVS lib. XXXII. *ad edictum.*

## TT iij

## Actio



Actio de aestimato proponitur tollendæ dubitationis causa. fuit enim ingens dubitatio, cum res aestimata uendenda datur: utrum ex uendito sit actio propter aestimationem: an ex locato, quasi rem uendendam locasse uideatur: an ex conducto, quasi operas conduxerim: an mandati. melius itaque uisum est, hanc actionem proponi: ut quoties de nomine contractus alicuius ambigeretur, conueniret tamé aliquam actionem dari: daretur aestimatoria præscriptis uerbis actio. esse enim negotium ciuile gestum, & bona fide. quare omnia hic locum habent, quæ in bonæ fidei iudicijs diximus. Aestimatio autem periculum facit eius, qui suscepit. aut igitur ipsam rem debebit incorruptam reddere: aut aestimationem, de qua conuenit.

II. PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.

**H**æc actio utilis est, & si merces interuenit.

## DE RERVM PERMVTATIONE.

Tit. IIII.

PAVLVVS lib. XXX. ad edictum.



Sicut aliud est uendere, aliud emere, alius emptor, alius uenditor: ita aliud precium, aliud merx. at in permutatione discerni non potest, uter emptor, uel uter uenditor sit: multumque differunt eorum præstationes. emptor enim, nisi fecerit numos accipientis, tenetur ex uendito: uenditori sufficit ob euctionem se obligare, possessionemque tradere, & purgari de dolo malo. itaque si res euicta non sit, nihil debet. In permutatione uero, si utrumque precium est, utriusque rem fieri oportet: si merx, neutrius. sed cum debeat & res & precium esse: non potest discerni, quid eorum sit precium, & quid ueneat: nec ratio patitur, ut una eademque res & ueneat, & precium sit emptionis. unde si ea res, quam acceperim uel dederim, postea euincatur: in factum dandam actionem respondetur. item emptio ac uenditio nuda consentientium uoluntate contrahitur: permutatio autem ex re tradita initium obligationi præbet. alioquin si res nondum tradita sit, nudo consensu constitui obligationem dicemus. quod in his duntaxat receptum est, quæ nomen suum habet: ut in emptione, uenditione, conductione, mandato. ideo Pædus ait, alienam rem dantem, nullam contrahere permutationem. igitur ex altera parte traditione facta, si alter rem nolit tradere: non in hoc agemus utique, quod interest nostra, illam rem accepisse, de qua conuenit: sed ut

alias \* inueniri, quod eorum merx, et quid precium sit.

res

res nostra contra nobis reddat, cōditioni locus est, quasi re nō secuta.

II. IDEM lib. V. ad Plautium.

**A**Risto ait, quoniam permutatio uicina est emptioni: fore sanū, furtis quoq; noxijsq; solutum, & non esse fugitiuum seruū præstandum, qui ex ea causa daretur.

DE PRAESCRIPTIS VERBIS, ET IN  
factum actione. Tit. V.

PAPINIANVS lib. VIII. questionum.

**N**onnunquā euenit, ut cessantibus iudicijs proditis & uulgaribus actionibus, cum proprium nomen inuenire non possumus: facile descendamus ad eas, quæ in factum appellantur. sed ne res exemplis egeat, paucis agam. Domino mercium in magistrum nauis: si sit incertum, utrum nauem conduxerit, an merces uehendas locauerit: civilem actionē in factum esse dandā, Labeo scripsit. Item si quis precij explorandi gratia rem tradat: neq; depositum, neq; commodatum erit: sed non exhibita fide, ciuilem in factum actio subiicitur.

II. CELSVS lib. IX. digestorum.

**N**am cum deficiunt uulgaria atq; usitata actionum nomina, præscriptis uerbis agendum est.

III. IULIANVS lib. XIII. digestorum.

**A**d quam necesse est confugere, quoties contractus existunt, quorum appellationes nullæ iure ciuili proditæ sunt.

III. VLPIANVS lib. XXX. ad edictum.

**N**atura enim rerum \* inductum est, ut plura sint negocia, quàm uocabula. aliàs\* cōditum.

V. PAVLVS lib. XV. questionum.

**N**aturalis meus filius seruit tibi, & tuus filius mihi. conuenit inter nos, ut & tu meum manumitteres, & ego item tuum. ego manumisi: tu non manumifisti. qua actione mihi tenearis, quæsitum est. In hac quæstione totius ob rem dati tractatus inspicere potest, qui in his cōpetit speciebus. Aut em̄ do tibi, ut des: aut do, ut facias: aut facio, ut des: aut facio, ut facias. in quibus quærit, quæ obligatio nascatur? Et si quidē pecuniā dem, ut rem accipiam: emptio & uēditio est. si autē rem do, ut rem accipiam: quia non placet permutationē rerum emptionē esse, dubium non est, nasci ciuilem obligationem. in qua actione id uenit, non ut reddas, quod accepisti: sed ut damneris mihi, quanti interest

est mea, illud, de quo conuenit, accipere: uel si meum recipere uelim, re-  
petam quod datum est, quasi ob rem datum, re non secuta. Sed si scy-  
phos tibi dedi, ut Stichum mihi dares: periculo meo Stichus erit, ac tu  
duntaxat culpam præstare debes. At cum do, ut facias: si tale sit fa-  
ctum, quod locari solet: (puta ut tabulam pingas) pecunia data, locatio  
erit, sicut in superiore casu emptio. si res: non erit locatio, sed nascetur  
uel ciuilis actio in hoc, quod mea interest, uel ad reperendum cōdictio.  
Quod si tale est factum, quod locari non possit (puta ut seruum manu-  
mittas) siue certum tempus adiectum est, intra quod manumittatur,  
idq; cum potuisset manumitti, uiuo seruo transferit: siue finitum non  
fuerit, & tantum temporis consumptum sit, ut potuerit, debueritq; ma-  
numitti: condici ei potest, uel præscriptis uerbis agi. quod his, quæ dixi-  
mus, conuenit. Sed si dedi tibi seruum, ut seruum tuum manumit-  
teres, & manumifisti: & is, quem dedi, euictus est: si sciens dedi: de dolo  
in me dandam actionem, Julianus scribit. si ignorans: in factum ciui-  
lem. Quod si faciam, ut des: & postea, quam feci, cesses dare: nulla  
erit ciuilis actio. & ideo de dolo dabitur. Sed si facio, ut facias: hæc spe-  
cies tractatus plures recipit. nã si pacti sumus, ut tu à meo debitore Car-  
thagini exigas, ego à tuo Romæ: uel ut tu in meo, ego in tuo solo ædi-  
ficem: & ego ædificauit, tu cessas: in priore specie mandatum quodam  
modo interuenisse uidetur, sine quo exigi pecunia alieno nomine non  
potest. quamuis enim & impendia sequantur, tamen mutuū officium  
præstamus: & potest mandatum ex pacto etiam naturam suam excede-  
re. possum enim tibi mandare, ut & custodiam mihi præstes, ut nō plus  
impendas in exigendo, quam decem. & si eandem quantitatem impen-  
derimus: nulla dubitatio est. sin autē alter fecerit, ut & hic mandatum  
interuenisse uideatur: quasi refundemus inuicem impensas. neq; enim  
de re tua tibi mando. sed tutius erit, & in insulis fabricandis, & in debi-  
toribus exigendis, præscriptis uerbis dari actionem: quæ actio similis  
erit mandati actioni, quemadmodū in superioribus casibus locationi  
& emptioni. Si ergo hæc sunt, ubi de faciendo ab utroq; conuenit: & in  
proposita quæstione idem dici potest: & necessario consequitur, ut eius  
fiat condemnatio, quanti interest mea seruum habere, quem manu-  
misi. an deducendum erit, quod libertum habeo? sed hoc non po-  
test æstimari.

## VI. NERATIUS lib. I. responsorum.

**I**nfulam hoc modo, ut aliam insulam reficeres, uendidi. respondit.  
nullam esse uenditionem, sed ciuili intentione incerti agendum.

## VII. PAPINIANVS lib. II. questionum.

**S**i decem tibi dedero, ut Stichum manumittas, & cessaueris: conse-  
stim

stim agam præscriptis uerbis, ut soluas, quanti mea interest: aut si nihil interest, condicam tibi, ut decem reddas.

VIII. IDEM *lib. XXVII. questionum.*

**S**I dominus seruū, cum furti argueretur, quæstionis habendæ causa æstimatum dedisset, neq; de eo compertum fuisset, & is non redderetur: eo nomine ciuilitè agi posse, licet aliquo casu seruum retenturus esset, qui traditum accepisset, potest enim retinere seruum: siue dominus pro eo pecuniam elegisset, siue in admisso depræhensus fuisset. tunc enim datam æstimationem reddi à domino oportere. sed quæsitum est, qua actione pecunia, si eā dominus elegisset, peti posset? dixit tamen si, quod inter eos ageretur, uerbis quoq; stipulationis conclusum non fuisset: si tamen lex contractus non lateret, præscriptis uerbis incerti & hic agi posse: nec uideri nudum pactum interuenisse, quoties certa lege dari probaretur.

IX. IDEM *lib. XI. responsorum.*

**O**B eam causam quis accepto liberatus, ut nomen Titij debitoris delegaret, si fidem contractus non impleat: incerti actione tenebitur. itaq; iudicis officio non uetus obligatio restaurabitur, sed promissa præstabuntur, aut condemnatio sequetur.

X. IABOLENVS *lib. XIII. ἐπιστολῶν.*

**P**Artis tertix usum fructum uxori legauit. hæredis bona ab eius creditoribus distracta sunt: & pecuniam, quæ ex æstimatione partis tertix fiebat, mulier accepit fruendi causa: & per ignorantiam stipulatio prætermissa est. quero, an ab hærede mulieris pecunia, quæ fruendi causa data est, repeti possit, & qua actione? respondi, in factum actionem dari debere.

XI. POMPONIVS *lib. XXVIII. ad Q. Mutium.*

**Q**Via actionum non plenus numerus est, ideo plerumq; actiones in factum desiderantur. sed & eas actiones, quæ legibus præditæ sunt, si lex iusta ac necessaria sit, supplet prætor in eo, quod legi deest. quod facit in lege Aquilia, reddendo actiones in factum accommodatas legi Aquiliæ. idq; utilitas eius legis exigit.

XII. PROCVLVS *lib. VI. ἐπιστολῶν.*

**S**I uir uxori suæ fundos uendiderit, & in uenditione cōpræhensum fuit, conuenisse inter eos: si ea nupta ei esse desisset, ut eos fundos, si ipse uellet, eodem precio mulier uiro transcriberet: in factum existimo iudicium esse reddendum. idq; & in alijs personis obseruandum est.

XIII. VLPIANVS *lib. XXX. ad Sabinum.*

**S**I tibi rem uendendam certo precio dedissem, ut quo pluris uendidissem, tibi haberes: placet neq; mandati, neq; pro socio actione esse,

VV sed

sed in factum, quasi alieno negotio gesto: quia & mandata gratuita esse debent, & societas non uidetur contracta in eo, quod te nō admisit socium distractionis, sed sibi precium certum excepit. Iulianus ait. si tibi aræ meæ dominium dederō ea lege, ut insula ædificata, mihi partem reddas: neq; emptionem esse, quia precij loco partem rei meæ recipio: neq; mandatum, quia non est gratuitum: neq; societatem, quia nemo societatem contrahendo rei suæ dominus esse desinit. Sed si puerum docendum, uel pecus pascendum tibi dederō, uel puerum nutriendum, ita ut si post certos annos uenisset, precium inter nos communicaretur: abhorrere hoc ab aræ, eò quod hic dominus esse non desinit, qui prius fuit. competit igitur pro socio actio. sed si forte puerum dominij tui fecero: idem se, quod in aræ, dicturum: quia dominium desinit ad primum dominū pertinere. quid ergo est? in factum putat actionem Iulianus dandam. Igitur & si quis aræ dominium non transtulerit, sed passus sit te sic ædificare, ut cōmunicaretur uel ipsa, uel precium: erit societas. idemq; et si partis aræ dominium transtulerit, partis non: & eadem lege ædificare passus sit.

XIIII. IDEM lib. XLI. ad Sabinum.

**Q**ui seruandarum mercium causa alienas merces in mare proiecit, nulla tenetur actione: si sine causa id fecit, in factū: si dolo, de dolo. Sed et si seruum quis alienum spoliauerit, isq; frigore mortuus sit: de uestimentis quidem furti agi poterit, de seruo uero in factū, criminali scilicet pœna aduersus eum seruata. Sed et si calicem argenteum quis alienum in profundum abiecerit, idq; damni dandi causa, non lucri faciendi: Pomponius libro decimosexto ad Sabinum scribit, neq; furti, neq; damni iniuriæ actionem esse: in factum tamē esse agendum. Si glans ex arbore tua in meum fundū cadet, eamq; ego immisso pecore depascam: Aristo scribit, nō sibi occurrere legitimam actionem, qua experiri possit. nam neq; ex lege duodecim tabularum de pastu pecoris, quia non in tuo pascitur: neq; de pauperie, neq; damni iniuriæ agi posse. in factum itaq; erit agendum.

XV. IDEM lib. XLII. ad Sabinum.

**S**olent, qui nouerūt seruos fugitiuos alicubi cælari, indicare eos dominiis, ubi cælentur. quæ res non facit eos fures. solent & mercedem huius rei accipere, & sic indicare: nec uidetur illicitum esse hoc, quod datur. quare qui accepit: quia ob causam accepit, nec improbā causam: non timet conditionem. quod si solutum quidem nihil est, sed pactio intercessit ob indicium: hoc est, ut si indicasset, adpræhensusq; esset fugitiuus, certi aliquid daretur: uideamus, an possit agere. & quidem conuentio ista non est nuda, ut quis dicat ex pacto actionem non oriri: sed

sed habet in se negocium aliquod. ergo ciuilis actio potest oriri, id est, præscriptis uerbis: nisi si quis & in hac specie de dolo actionem competere dicat, ubi dolus aliquis arguatur.

XVI. POMPONIVS lib. XXII. ad Sabinum.

**P**ermisisti mihi cretam eximere ex agro tuo, ita ut eum locum, unde exemissem, replem. exemi, nec repleo. quæsitum est, quâ habeas actionem: sed certum est, ciuilem actionem incerti competere. si autem uendidisti cretam: ex uendito ages. quod si post exemptionem cretæ fossam repleuero, nec patiaris me cretam tollere: tunc agam ad exhibendum: quia mea facta est, cum uoluntate tua exempta sit. Permisisti mihi, ut sererem in fundo tuo, & fructus tollerem. si non patiar te me fructus tollere: nullam iuris ciuilis actionem esse, Aristo ait. an autem in factum dari debeat, deliberari posse. sed de dolo erit.

XVII. VLP IANVS lib. XXVIII. ad edictum.

**S**i gratuitam tibi habitationem dedero, an commodati agere possim? & Viuianus ait, posse. sed est tutius, præscriptis uerbis agere. Si margarita tibi æstimata dedero, ut aut eadem mihi adferas, aut precium eorum: deinde ea perierint ante uenditionem: cuius periculum sit? & ait Labeo (quod & Pomponius scribit) siquidem ego uenditorem rogauit: meum esse periculum. si tu me: tuum. si neuter neutrum, sed duntaxat consensimus: teneri te hactenus, ut dolum & culpam mihi præstes. actio autem ex hac causa utiq; erit præscriptis uerbis.

XVIII. IDEM lib. XXX. ad edictum.

**S**i rem tibi inspiciendam dedi, & dicas te perdidisse: ita demum mihi præscriptis uerbis actio competit, si ignorem, ubi sit. nam si mihi liqueat apud te esse: furti agere possum, uel condicere, uel ad exhibendum agere. secundum hoc si cui inspiciendum dedi, siue ipsius causa, siue utriusq; & dolum & culpam mihi præstandam esse dico propter utilitatem, periculum non. si uero mei duntaxat causa datum est: dolum solum: quia <sup>a</sup>propè depositum hoc accedit. Si cum unum bouem haberem, & uicinus unum, placuerit inter nos, ut per denos dies ego ei, & ille mihi bouem commodarem, ut opus faceret: & apud alterum bos perierit: comodati actio non competit, quia non fuit gratuitum commodatum: uerum præscriptis uerbis agendum est. Si cum mihi uestimenta uenderes, rogauero, ut ea apud me relinquant, ut peritioribus ostenderet: mox hæc perierint uel ignis, aut alia uel maiore: me minime periculum præstaturum, ex quo apparet utiq; custodiam ad me pertinere. Si quis sponsionis causa anulum accepit, nec reddidit uictori: præscriptis uerbis actio in eum competit. nec enim recipienda est Sabini opinio, qui condici, & furti agi ex hac causa putat. quemadmodum enim

VV ij rei

rei nomine, cuius neq; possessionem, neq; dominium uictor habuit, aget furti: planè si inhonesta causa sponsonis fuit: sui anuli duntaxat repetitio erit.

XIX. IDEM lib. XXX. ad edictum.

**S**I apud te pecuniam deposuerim, ut dares Titio, si fugitiuū meum reduxisset: nec dederis, quia non reduxit: si pecuniam mihi non redas, melius est præscriptis uerbis agere. nō enim ambo pecuniam ego & fugitiuarius deposuimus, ut quasi apud sequestrem sit depositum.

XX. IDEM lib. XXXII. ad edictum.

**R**Ogasti me, ut numos tibi mutuos darem. ego cum nō haberem, dedi tibi rem uēdendam, ut precio uteris. si non uendidisti, aut uendidisti quidem, pecuniam autem non accepisti mutuam: utilius est ita agere ( ut Labeo ait ) præscriptis uerbis, quasi negotio quodam inter nos gesto proprii contractus. Si prædium pro te obligauero, deinde placuit inter nos, ut mihi fideiussorem præstares, nec facias: melius esse dico, præscriptis uerbis agi: nisi merces interueniat. Nam si interuenit: ex locato esse actionem.

XXI. IDEM lib. XXXII. ad edictum.

**A**Pud Labeonem quæritur. si tibi equos uenales experiundos dederō, ut si in triduo displicuissent, redderes: tuq; defultor in his cucurreris, & uiceris, deinde emere nolueris: an sit aduersus te ex uendito actio: & puto uerius esse, præscriptis uerbis agendum. nam inter nos hoc actum est, ut experimentum gratuitum acciperes, non ut etiā certares. Item apud Melam quæritur. si mulas tibi dederō, ut experiaris, & si placuissent, emerēs: si displicuissent, ut in dies singulos aliquid præstares: deinde mulæ à grassatoribus fuerint ablatae intra dies experimenti: quid esset præstandum? utrum preciū & merces, an merces tantum? & ait Mela interesse, utrum emptio iam erat contracta, an futura: ut si facta, precium petatur: si futura, merces. sed non exprimit de actionibus. puto autem, si quidem perfecta fuit emptio, competere ex uendito actionem. si uero nondum perfecta esset: talem, qualem aduersus defultorem dari. Si cum emere argentum uelles, uascularius ad te detulerit, & reliquerit: & cum displicuisset tibi, seruo tuo referendū dediti, & sine dolo malo & culpa tua perierit: uascularij esse detrimētum, quia eius quoq; causa sit missum. certe culpam eorū, quibus custodiendum perferendum uē dederis, te præstare oportere, Labeo ait. & puto præscriptis uerbis actionem in hoc competere.

XXII. IDEM lib. II. disputationum.

**Q**Uoties deficit actio uel exceptio, utilis actio uel exceptio dāda est.

XXIII. CAIVS lib. X. ad edictū prouinciale.

Si tibi

**S**i tibi polienda farciendaue uestimenta dederim, siquidem gratis data, aut constituta: locationis conductionisue negociū gerit. quod si neq; gratis hanc operam susceperis, neq; protinus aut data aut constituta sit merces, sed eo animo negocium gestum fuit, ut postea tantum mercedis nomine daretur, quantum inter nos statutum sit: placet quasi de nouo negotio in factum dandum iudicium esse, id est, præscriptis uerbis.

XXIII. ALFENVS lib. III. digestorū à Paulo epitomatorū.

**D**vo secundū Tyberim cum ambularent, alter eorum, qui secum ambulabat, rogatus anulum ostendit, ut respiceret. excidit illi anulus, & in Tyberim deuolutus est. respondit, posse agi cum eo in factum actione.

XXV. AFRICANVS lib. VIII. questionum.

**T**itius Sempronio triginta dedit: pactiq; sunt, ut ex reditu eius pecuniæ tributum, quod Titius pendere deberet, Sempronius præstaret, computatis usuris semissibus: quantoq; minus tributorum nomine præstitum foret, quàm earum usurarum quantitas esset, ut id Titio restitueret: quod amplius præstitū esset, id ex sorte decederet: aut si & sortem & usuras summa tributorū excessisset, id quod amplius esset, Titius Sempronio præstaret: neq; de ea re ulla stipulatio interposita est. Titius consulebat: id, qd amplius ex usuris Sempronius redegisset, quàm tributorū nomine præstitisset: qua actione ab eo cōsequi posset? respondi, pecuniæ quidem creditæ usuras non in stipulatione deductas non deberi: uerum in proposito uidendum, ne non tam fœnerata pecunia intelligi debeat, quàm quasi mandatum inter eos contractum: nisi quid ultra semissem consecuturus esset. sed ne ipsius quidem sortis petitionem pecuniæ creditæ fuisse: quando si Sempronius eam pecuniam sine dolo malo uel amisisset, uel uacuum habuisset: dicendum, nihil eum hoc nomine præstare debuisse, tutiusq; esse, præscriptis uerbis in factum actionem dari: præsertim cum illud quoq; conuenisset, ut quod amplius præstitum esset, quàm ex usuris redigeretur, sorti decederet. quod ipsum ius & causam pecuniæ creditæ excedat.

XXVI. MARTIANVS lib. III. regularum.

**S**i operas fabriles quis serui sui uice mutua dedisset, ut totidem reciperet: posse eū præscriptis uerbis agere, sicuti si pænulas dedisset, ut tunicas acciperet. nec esse hoc contrarium, quod si per errorem operæ indebitæ datæ sunt, ipsæ repeti non possunt. nam aliud dando, ut aliud reddatur, obligari iure gentium possumus. Quod aut indebitum datur: aut ipsum repeti debet, aut tantundem ex eodem genere: quo-

rum neutro modo operæ repeti possunt.

XXVII. POMPONIVS lib. XXII. ad Sabinum.

**S**I tibi scyphos dedi, ut eisdem mihi redderes: cōmodati actio est. si ut pondus argenti redderes, quantum in illis esset: tantidem ponderis petitio est per actionem præscriptis uerbis, & tam boni argenti, quàm illi scyphi fuerunt. sed & si ut uel hos scyphos, uel eiusdem ponderis argentum dares, conuenit: idem dicendum est.

*Finit tertia Digestorum pars.*

SEQVITVR QVARTA, QVAE CONTI-  
*net libros singulares octo.*

